

Hieronymi Petritij Dalmatæ Spalatensis 1550

(reliquos edere Auctor non potuit, quod morte praeventus fuerit)

[illegible]

ANNALIVM
ECCLESIASTICORVM
REGNI HVNGARIAE
TOMVS I.



ANNALES ECCLESIASTICI REGNI HVNGARIÆ

AVTHORE MELCHIORE INCHOFER SOC. IESV

Tomus Primus



S. Emmeramus Episcop. M.

S. Adalbertus Epus M.

S. Benedictus M. Eremita

S. Andreas Zoerardus Eremita

S. Stephanus primus Rex Apostolicus


S. Emericus



S. Ladislaus Rex

S. Elisabetha


Romæ Typis Ludouici Grignani. Superiorum permissu 1644.




ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. PRINCIPI
AC DOMINO,

D. GEORGIO LIPPAY

ARCHIEPISCOPO STRIGONIENSI
LOCIQ. EIVSDEM COMITI PERPETVO
REGNI HVNGARIAE PRIMATI
AC SVMMO CANCELLARIO
S. SEDIS APOSTOLICÆ LEGATO NATO
SACRAE CAESAREAE REGIAEQ. MAIESTATIS
AB INTIMIS CONSILIIS F.




T hoc Tuæ felicitatis est, ILLVSTRISSIME PRÆSVL ac PRINCEPS, Tuis accedere auspicijs, quod alieno voto, & consilio cœptum est. Tibi nempe diuinitus velificatus est, qui Te præcessit; nec fraudi fuerit illi, quod Tibi est laudi, & Vtrique parato apud Cœlites præmio. Successisti quò Te virtutes; decessit Ille quò merita vocauerunt; hoc solùm paribus intermicat, quòd surgentis, quàm cadentis Solis radij sunt fortiores. Ceterùm, quæ magnos Viros circumuadunt sæpe sæpius, Te propiùs comitantur, atque ad gradum faciendum, vltro agmine impellunt: Religionis zelus, doctrina celebris, amor iusti, consilium præsentaneum, prudentia sagax, ingenium viuidum, vigilantia solers, labor indefessus. Sileo natales, sileo integritatem vitæ, & horum copias; quid enim hinc singulare in Archiepiscopo? quid inde necessarium? In vtroque tamen consanguinea Virtutum indoles, eò Te

prouexit, vt innocentiam ornares Episcopus, nobilitatē augeres Primas; perinde Regno, & Ecclesiæ in paucis eximius, Cæsaris primùm nutu, deinde Romani Pontificis oraculo probatus. Summis Orbis authoritatibus, dum in Vrbe vnà adesses, prælusit Antecessor ille tuus, Eminens Purpuræ Decus, qui eo Te semper loco habuit, vt dignum suo duceret; ac tum præsagiret non ita multo post inclinaturam in te Hungariam. Viden' Illustrissime Præsvl, quot titulis hoc Tibi nūcupatur Opus? vt non tam quærendus Patronus, quàm adeundus sis Assertor: Ipsa inscriptio ANNALIVM ECCLESIASTICORVM REGNI HVNGARIÆ, Te compellat, & Primati pendendum præfert censum, tot prærogatiuis signatum, quot Regale Sacerdotium, & Apostolici Regni decus, iure & honore certatum tribuit. Quanta hinc necessitudo Regni Hungariæ cum Romana Ecclesia! quanta Regni Primati cum Apostolica Sede cognatio! Felices Hungaros, si huc respiciant, & fundatam priscæ Pietatis opibus,& ornamentis Patriam, quemadmodum hice Annales describunt, agnoscant. Id cùm Te Authore, & Principe, boni omnes fieri cupiunt quàm maximè; tum etiam,vt quàm aureum hìc legeris Hungariæ totius Catholicæ fluxisse seculum; tam candidos diu superstes reflorescentis in ea Religionis videas annos. Qui fructus si hisce Annalibus vel ex parte responderit, reliquum expectationis, spes læta certaque præflorauerit. Vale.

Illustriss. ac Reuerendiss. Celsit. T.

Seruus in Christo indignus
Melchior Inchofer Soc. Iesu S.C.I.C.

AD LECTORVM.



ENEVOLE Lector. Annales scribimus Hungariæ, sed duntaxat Ecclesiasticos, pro munere nostro; vt iter intendamus ad auitæ Religionis, & pristinæ Sanctitatis institutum. Qui igitur apud Hungaros Pannoniam obtinentes ortus fuit Euangelij, quæ Catholicæ pietatis adolescentia, quibusue Authoribus, & quo ordine res Fidei gestæ; ex Annorum serie notamus, ea diligentia, quam argumenti obscuritas requirebat. Nam vt plures fuerint, qui Historias Hungarorum aut vniuersim, aut per partes complexi sint; ea tamen, quæ Religionem concernunt, vix vnus aliquis obiter, & fortuitu respexit, quasi minora facinoribus alijs vnde vnde in volumina congestis: ac ne tantum quidem illis curæ fuit, amplissima Sanctitatis argumenta, vel modicè delibare, quantū nobis profana interdum arcessere.

Scripserunt porrò de rebus Hungarorum sub hac appellatione, vt innumeros mittamus Scythica, & Hunnica affectantes, præter viginti duos, quorum meminit Author Catalogi, Bonfinius, aliique septem huius Decadibus annexi: quibus etiam accenseri potest, Tripartiti Iuris Scriptor Stephanus Verbeuzius, & præ multis Nicolaus Istuanfius, secundùm Bonfinium triginta quatuor libris Hungarorum gesta persecutus. Ex quibus tamen nemo vnus est, qui Ecclesiastica deliberatè sectatus sit; vt nihilo plus illis debeamus, quàm aut Æneæ Syluio, aut Raphaeli Volaterrano, vel cuicunque alij, qui gentis suæ facta memoriæ posterorum commendantes, Hungarorum res interlucere voluerunt.

Fuere tamen, hodieque sunt in paucis, qui mera sacra, sed priuata, complexi, famam inuenerunt. Chartuitius Episcopus ex primis Vitam D. Stephani Regis; Maurus Abbas Emerici Ducis, itemque Gerardi Martyris transmisere: Alij, alia. Sed sacrorum præsertim Ordinum Viri, in suis Ordinum Historijs, & Annalibus non pauca edidere: Nulla quippe à conuersis Hungaris sacra apud eos Familia floruit, quæ non plures è sinu fuderit, dignos quorum nomina celebrarentur, atque etiam gesta ad imitandum describerentur. In his primi fuere Magni Benedicti Patriarchæ discipuli, qui ante omnes à Stephano Rege ex Italia euocati, sanctitati de se conceptæ ex sententia responderunt, eandemque in Hungaros alumnos deriuarunt; de quibus in serie Illustrium suorum memorant inter alios Hugo Menardus, Chrysostomus Henriquez, aliique non tam recentes. Quædam de suis edidit nuper ex Paulino Klodauski Ioannes Vannouiczius, S. Pauli primi Eremitæ consectaneus. Plura de suis item Hungaris passim in vastis, & eruditis Minorum Annalibus celebris Scriptor Lucas Vuaddingus, & secundùm hunc Arturus Rhotomagensis: sed pridem ante hos omnes Ferdinandus, aliique sacri Prædicatorum Cœtus nobiles Historici; cum Sigismundo Ferrario, qui recens eundem Beatorum Hungarorum radijs illustrauit. Nec sua laude fraudandus est Ioannes Tomcus Marnauitius Bosnensis Episcopus, longiore vita dignus, & inter alios ingenij, & laboris sui partus, commendata B. Augustini, eiusdem Ordinis

Præ-

Prædicatorum Zagrabienſis Epiſcopi hiſtoria, de tota Hungaria bene meritus. Vt nihil interea dicamus de vetuſtioribus illis, qui in vtriuſque Martini Turonenſis, & Gallæcienſis, Lauriani item Hiſpalenſis Epiſcoporum, præclara monumenta ſanctitatum, Hungariæ parenti reliquerunt, aut potius reddiderunt, Seuerus Sulpitius, Gregorius Turonenſis, plures Hiſpanicarum rerum Scriptores: Aut etiam qui de primis illis Hungariæ, ſeu Martyribus, ſeu Religionis Chriſtianæ fundatoribus, & Apoſtolis, digna æternitate exempla poſteritati tradiderunt.

Verùm, vt initio dicebamus, hi ferè, ſi vnum aut alterum excipias, id tantùm propoſiti habuerunt, vt quæ geſta fuiſſent, non vniuerſim, ſed partim, & ſingulatim, nulla, vel exigua certè, rerum, ordinis, & temporis habita ratione, deſcriberent. Quæ ſi quiſpiam in ſeriem redigere tentaſſet, illico mira rerum confuſio ſeſe ingerebat, minimè facilis explicatu, vix vt ijs cum veritate conſtaret, quæ cum tempore minus cohærerent; eaque de cauſa in hiſtorias ambiguè, aut etiam contrariè immiſſa, vniuerſam propemodum hiſtoriam Eccleſiaſticam haud parum luxarent.

Hæc dum paucis abhinc annis, eximius Catholicæ Religionis in Hungaria Antiſtes GEORGIVS IAKOSITH, *tum Veſprimenſis, nunc Agrienſis Epiſcopus, ad ſalutanda Limina Apoſtolorum in Vrbe præſens, familiari colloquio nobiſcum retractaſſet; vt ſemper in ardua pro Religionis, & Patriæ dignitate propenſus, animum indidit conſcribendorum Annalium Eccleſiaſticorum Regni Hungariæ, atque vt in id ſtudij incumberemus, planè acuit. Et quamuis non neſciremus, quid ferre valerent noſtri, quidue recuſarent humeri, ſuis pro munere occupationibus in producenda totius Martyrologij hiſtoria iam ſatis preſſi, præter ea quæ hinc inſtar ramorum enaſcentia, atque etiam aliunde, aut ingeſta, aut accerſita quotidie argumenta, ſeorſim primam vltimamuè expectant manum; quia tamen perinde videbatur de Religione, & publico Eccleſiæ bono, hac vel illa ſuſcepta prouincia pro virili mereri, libenter annuimus, & nouum hunc laborem ſubiuimus; reliquis non tam depoſitis, quàm ad certas dierum horas adſtrictis; vt interim continuata velut ſcriptione reſponderemus ijs, qui in Hungaria, alibique, intellecto noſtro propoſito, cupientiſſima expectatione excitati, frequentibus literis conatum vrgebant, atque etiam omnem operam, & auxilium ad maturandum opus promittebant.*

Hos inter eminebat EMERICVS LOSI, *non multo ante ad Archiepiſcopatum Strigonienſem, merito literarum, & vitæ ad exemplum Magnorum factæ, euectus: qui pro ea, quam olim in Vrbe nobis adhuc adoleſcentibus perfamiliarem habebat, notuia, plurimum ſibi gratulatus, amico obueniſſe talentum ſcribendi de rebus Hungariæ Eccleſiaſticis, nihil non munificè, & largè in Opus ſibi nuncupandum, quemadmodum deſignarat, obtulit. Sed nec quicquã aliud habuit in votis antiquius, quàm ſi ſe adhuc ſuperſtite, primordia ſaltem laborum noſtrorum, vt animo, ſic oculis libare licuiſſet. Ea gratia, & crebrò, & quamhumaniſſimè, datis etiam literis ad ſuum, Prælatorumq; & Cleri Regni Hungariæ in Vrbe Agentem Petrum Iacobum Fauillam, monuit, orauitque maturari ſenectutis ſuæ vnicum ſolatium; ne, ſi quod in humanis extremũ eſt,*

sibique præsagitione quadam prope imminebat, inopinè ingruisset; cùm ipse desiderij, & expectationis suæ fructu potissimo frustratus obiret, tum fortasse nostro conatui, rerum incertitudo contingentium, aut moram, aut etiam perpetuũ impedimentum obijceret. Et fecissemus quà nostra intererat, tam iustæ voluntati satis, nisi quorum authoritate ius edendorum in Vrbe librorum constat, crebra intra paucos menses vicissitudo intercessisset, totiesque succenturiati qui cognoscendo aliquid posse credebantur, toties comperendinassent. Forte an SVCCESSORI *militauit Prouidentia, vt huius nomine in viridi ætate exsplendente insignitus labor, auro quoque pendendo radiaret?*

Atque ex his habes optime Lector, quæ nobis occasio fuerit hos Annales integrandi; quiue operis finis, quem ab vtilitate vix discreueris. Enimuero si Historia generatim, Tullio affirmante, testis est temporum, lux veritatis, magistra vitæ, & vetustatis nuntia, adeoque rerum, quibus hominis felicitas paratur, laudem sibi causamque præcipuam vendicare videtur; Id profectò multo magis de Ecclesiastica nobis affirmandum erit, ex qua totius sanctitatis disciplina, vitæque ad æterna dirigendæ studium, & perfectio repetitur. Ac, vt prætereamus, quæ de hoc argumento Nazianzenus altè non minus quàm fusè deprædicat, speculum est antiquæ pietatis, quod & constantem Maiorum fidem, & degenerem recentiorum perfidiam luculentè repræsentat; ipso Tempore, quod reliqua consumit, auitæ Religionis Custode, & nouitatum Censore; si nimirum eo suis spatijs decurrente, ita singula suis momentis ferantur, nusquam vt res gestæ confusæ, vel suo loco reuulsæ, fidem narrationis conuellant, vel certè similitudine fuco oblita verum non euincant.

Id causæ fuit, cur Annales scriberemus, & temporum & rerum ordine seruato; quamuis incredibile dictu, quantum operæ dirigendo consumpserimus, tum nostra argumenta formando, tum aliorum proposita obliterando. Hi enimuero vnum aliquem nacti Scriptorem, neque adeo singula dispicientem, continuò secuti, alij ex alijs descripserunt, & quamplurimos secum in errores miserunt; quibus si quispiam se opponere voluisset, temerè facturus videbatur, & contra torrentem obniti. Nobis tamen semper antiquior est visa Veritas, quæ suopte ingenio se manifestat, si Ratione duce, & Diligentia comite anquiratur, nec tam numero, quàm genere testium stipata incedat. Vno id alteroue exemplo liquet. Quotus enim quisque non ab Adelberto Pragensi, primùm Hungaris illatum Euangelium deprædicat? quotus non ab eodem Stephanum è sacro fonte susceptum, literis, & moribus eruditum? quis item à seipso diuersus non affirmat, sub Stephano memorato, nec ante, Hungariam ad Christum conuersam? eundem verò ab Henrico Imperatore permotũ, sed prius sororis Gyselæ forma captum, huius nuptijs demum Christiana sacra fuisse pactum? Adhuc verò eundem à Benedicto Septimo Romano Pontifice, Regni diademate insignitum, quis si Augustinum Zagrabiensem excipias, non historiæ cardinem figit? vt cùm cetera denarrat, in errores inextricabiles præcipitet necesse est. Et hi quidem interdum admoniti tenebrarum, cùm ad caput Veri nulla luce apparente respicere queant, mirum in modum torquent historias, nec alia ratione suis adminiculantur adinuentis, quàm cùm subinde falsa veris miscentes, rem positam loco mouent;

mouent; nec animaduertunt, quantam hinc in reliqua serie confusionem, & perturbationem facessant. Sed neque proposito suo consulunt, Hungariam sua laude, & prærogatiua fraudantes, cuius initijs conuersæ, quia caliginem offundunt, merita etiam primorum Apostolorum, quibus ea gloria debetur, obscurant.

Ita iacent ferè sepulta nomina magnorum Virorum, latent præstantissima exempla Sanctorum, qui Hungariā Christo Seruatori, aut sanguine, aut sudore suo vendicarunt, cælestisq; doctrinæ præceptis, gentem religionis insolentem imbuerunt. Id tolerari forsitan ab ijs posset, qui cùm in re, & munere non suo versantur, ciuilis status indagine, & profanæ duntaxat historiæ cognitioni, omnes animi neruos intendunt, Ecclesiasticis, & sacris inuestigandis, exigua, vel nulla parte attributa. Sed enim in illis ipsis, quam manci, & mutili sint, qui eos vel perfunctoriè legerit, facile intelliget. Vt enim nihil dicamus de rebus Hunnorum, siue Hungarorum, vsque ad transmissam Mæotidem, quæ sanè non obscuræ solum sunt, sed penitùs ignotæ; nihil etiam de ijs, quæ Attilæ tempora antecessere; fabulis quippe inuolutæ frigent, aut certè monstra perhibent; in ipsis ab Attila gestis, quanta oscitantia! quanta vbique locorum, & temporum perturbatio, aut penitùs omissio! Denique ab Attila vsque ad Geysam, quod interuallum Historiæ opportunum erat, narrationes aut nullæ, aut certè dubiæ, & perplexæ; vt hic, si vsquam alibi certiùs, obseruare liceat illa apud Censorinum temporum discrimina, rerum nempe incognitarum, atque fabulosarum; hoc etiam infeliciùs, quòd neque in historicis quicquam manifestò, sed post longam indaginem defatigati, ex cæcis quibusdam vestigijs vix aliquid deprehendant.

His quoque, vt aduersum eamus, Chronicon præuium Annalibus nostris, velut regiam emunientes viam, præmittimus; sed eius duntaxat argumenti, quod ad res Hungarorum sensim ad lucem emergentium spectaret; incognita quidem prætereuntes, fabulosa quædam digito solùm signantes, historica verò eatenus consectantes, quà tramite contento in Annales tandem certo initio ingrederemur. Non quasi ante constitutū à nobis annū, nulli fuerint apud Hungaros aut Religionis Christianæ præcones, aut eiusdem pro facultate temporum cultores; sed quia qualiscumque ea conditio, debili incertoque incremento, magisque dubio statu continuò fluctuaret. Porrò in Annalibus ita omnia tempora velut ansis quibusdam nectimus, vt tamen non paucos annos, alijs quam Hungarorū gestis transmittere videamur. Sed reuera in his ipsis non parum lucis capimus, dum ex alienarum gentium, siue calamitatibus, siue prosperis successibus, ferè semper aliquid radiat Hungarici facinoris; modò quidem restrictis, modò explicatis, quatenus ad rem faciunt narrationibus; vt hoc propter, annis interdum breui nota, & quasi linea conclusis, seriei duntaxat, & ordini subseruiremus.

Iam in progressu, annos vbique, epocha vulgata, à nato Christo ducimus. His annos Romanorum Pontificum, deinde Capitum vtriusque Imperij, denique Ducum, & Regum Hungariæ; sed priùs à Ducatu, qui fortuitu gentis; postea à Regno, quod authoritate Siluestri Secundi Romani Pontificis sancitum est, connectimus. Poteramus Duces ab ipso Attila numerare, si ad rem fecisset: tempora duntaxat ab huius seculo, sub finem Chronici ad summam digerere satius fuit. In annis Imperatorum, nomina Regum subinde censemus, non admodum

spectan-

spectantes, si Germaniæ tantùm Regno, aut etiam Imperio à Romanis Pontificibus inaugurati fuerint. Vnde factum, vt Henricus, alijs Secundus, nobis Tertius numeretur; Primus verò, qui alijs, haud Imperat, nobis quia præ humilitate, & modestia diadema Imperij recusauit, Imperio etiam maior, inter Augustos habeatur.

Scriptores omnis generis, quorum authoritate vsi sumus, ipsa tibi lectio exhibebit; nam vt Catalogum eorum texamus, inanis labor est, & nescio quæ ostentatio. Id scisse refert, manuscripta, & vetusta, & recentia paria cum ceteris ad manus fuisse: in quibus si quid interdum se obiecit inuerisimile, vtrobique tamen assertum, maluimus scientia nobis seruata, opinioni, & errori communi indistrictè concedere, quàm tricare. Sic inter alia citra notam esse passi sumus, quod à plerisque peruulgatum est, belli nimirum inter Belam, & Andream Primum, Regem, seminarium extitisse, illud in huius inauguratione decantatum pro more Israeliticum: Esto Dominus fratrum tuorū, & incuruentur ante te filij matris tuæ. Enimuero nisi alium morem ætas illa tulerit, ritum inaugurandorum Regum, huiusmodi carmine à seculis vacare Romana authoritate didicimus. Sed nec celebriores Vrbis Bibliothecas, Archiua, & Tabularia potestate facta non perlustrauimus; vt nihil dicamus de reconditis illustrium iuxta, & eruditorum, longè etiam ab Vrbe scrinijs, quibus hoc nomine plurimum debemus, perquisitis; ac vltro ijs, quòd hoc genus argumenti probarent, studia sua, & illuminatos labores perhumanè offerentibus. In his nisi iterum honoris causa laudemus GEORGIVM IAKOSITH, *fraudi simus, quando non vno ex Hungaria transmisso volumine, magno certè in rebus vastis compendio fuit.*

Si stilum elegantem, nitidum, atque etiam luxuriantem desideres, in vestibulo te Lector abstinemus, nisi cum Hieronymo placeat aurum in luto quærere. Exempla meliorum secuti, ipsis authorum verbis, & ore sæpissimè loquimur, fortia non phalerata probantes; & iuxta mores ætatum. His nostra committimus, aut certè eatenus attemperamus, vt citra corticis admirationem ex nucleo intelligamur. Neque enim ij sumus, qui periodo phrasium, periodum vitæ metiamur, & vnà duntaxat alteraue linea de die laboriosissimè ducta, noctem insomnem, ad Aram Salaminij Grammatici transigamus, alijs assueti de Republica literaria, & Religione, si opus sit, emereri stipendijs. Id demum te oramus candide Lector, vt si quædam in his meridiationibus, aut si mauis lucubrationibus inter varia tumultuarijs, probaueris; neque enim omnia facilè damnaueris; Deo imprimis, Deiparæque Virgini Hungariæ Patronæ, nec non Sanctis siue alumnis, siue quocunque modo de eodem Regno benè meritis feras acceptum: quæ vero praua, atque adeo nota digna iudicaueris, nobis, non alijs noxæ esse, Deumque propitiare velis. Vale.

MVTIVS

MVTIVS VITELLESCVS
SOCIETATIS IESV
PRAEPOSITVS GENERALIS.


CVm primum Tomum Annalium ſacrorum Regni Hungariæ à P. Melchiore Inchofer noſtræ Societatis Sacerdote compoſitum, aliquot eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandetur, ſi ijs, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem, &c. Datum Romæ 15. Octobris 1641.

Mutius Vitelleſcus.



Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

Io. Baptiſta Alterius Epiſc. Camerinenſis, Viceſgerens.



L*Egi, ita Reuerendiſs. Patre Magiſtro S. Palatij Apoſtolici annuente,* Annales Eccleſiaſticos Regni Hungariæ ab anno 795. ad 1060. *à Melchiore Inchofer è Societate Ieſu, doctrinarum omnium, ac diſciplinarum Viro, ex penetralibus antiquitatis Eccleſiaſticæ erutos, ingenioſè, artificioſeque diſpoſitos, & conſcriptos, quibus priſcarum Eccleſiæ rerum accurata, vbi opus, recenſione, Summorum Pontificum auctoritatem confirmat. Quapropter dignos eos iudico, vt prali beneficio in omnium manus veniant, qui omnibus profuturi ſunt. Romæ III. Id. Decembris MDCXLI.*

Leo Allatius.

Imprimatur.


Fr. Reginaldus Lucarinus, de mandato, &c.

ANNA-



APPARATVS

AD ANNALES ECCLESIASTICOS REGNI HVNGARIÆ.



A NNALES Ecclesiasticos Hungariæ scripturo; non magnopere laborandum est circa gentis originem altiùs repetendam, & qua ratione tandem post ingentes successus, sub quo nunc degunt cælo, consederint primi. Plures sunt nationes, quæ vt antiquitatem generis sui commendent, vltra etiam Aborigines contendunt, non contentæ seculis, per quæ nomen illustre cum laude protulerunt. Hinc persæpe in fabulas deuoluuntur. Quamquam non adeo vetus figmentum est, quod plerique ex Iornande rerum Gothicarum Scriptore arripiunt: Filimerum Gothorum Regem, & Gundarici Magni filium, vbi cum suis Scythiam ingressus fuisset, reperisse inter eos Magas quasdam mulieres, quas patrio sermone *Alcorumnas* ipse cognominabat; easque habens suspectas, è medio gentis proturbasse, ac plane eiectas in solitudinem egisse: hic à spiritibus immundis, qui inerrabant, compressas, gentem adeo feram edidisse, minutam in primis ac tetram, neque alia voce notam, nisi quæ humani sermonis imaginem quandam præferebat.

B (margin: *Lib. 1. de Reb. Goth.*)

C Non absimilis est illa fabula, à Satyris, & Faunis. Sed antiquior, & constantior traditio, varia propagine Scythica descendisse eos, siue ex Nemroth pronepote Noë, cuius Attila quoque se nepotem dixit; siue ex Magog filio Iaphet, qui tertius natu Noë, cum quindecim generationibus Europam occupauit. Nempe gentis ferocia, quam reliquarum omnium etiam barbarum formidauit audacia, variam eidem affinxit, quemadmodum stirpe, ita & nomenclaturam. Constat verò, ex Scythia eos venisse, quod nomen etiam ad inuidiam auxit famam. Quammulta enim de Scythia tradiderunt

(margin: HVNGARORVM ORIGO. — *Helmold. in Chron.* — *Isid. lib. 9. c. 2. & lib. 14. c. 2.*)

Authores, plura etiam scripturi, si Romanorum arma penetrare valuissent. A
Ne tamen nobilis terrarum, & maxima pars plane ignota maneret, Alexandri Magni Orbem aperientis, & Romanorum deinde potentia fecit.

SCYTHIAE DIVISIO.

Verum enim cùm duplex memoretur Scythia, nempe *Asiatica*, & *Europaea*, siue *Superior*, & *Inferior*, vtriusque varia est apud Authores metatio. *Asiaticam* ab Oriente flumine Rabo, ab Occidente Tanai claudi sentiunt Ptolemaeus, Strabo, Plinius, Iulius Solinus: eandemque ab Oriente Seres habere populos; ad Meridiem Canderiam, Mardiam, Hyrcaniam, Apiam, Dercerbiam, & Bactriam regiones esse conterminas, Plinio maxime visum est.

Lib. 14. cap. 3. & 4.

Ingentem initio fuisse terrae partem testatur Isidorus, quae nimirum ab Ortu B in Indiam, à Septentrione per paludes Moeotidas inter Danubium, & Oceanum vsque ad Germanorum fines porrigeretur. Deinde verò minorem effectam, à dextra Orientis, qua Syricus Oceanus vsque ad Mare Caspium versus Occasum; deinde à Meridie vsque ad Caucasi iugum deductam esse. Idem verò *Scythiam Inferiorem*, in prima Europae regione definit, adeoque à Moeotidis paludibus inter Danubium, & Oceanum septentrionalem, in Germaniam vsque porrigit, in eaque Alaniam, Gothiam, Daciam locat: Superiorem porro Asiae adscribit, ita vt Tanais fluuius à Rhiphaeis montibus ortus, Asiaque ab Europa diuidens, vtramque interfecet, ac tandem in Moeotidem lapsus, illius vndas augeat, idcirco Mater Ponti appellatus. Trogus C Pompeius, partem Inferiorem pro tota Scythia sumit, ab vno latere Ponto, ab altero Rhiphaeis monubus, à tergo Asia, & Phaside flumine clausam. Multa tamen Trogum dicere, quae Scythis Asiaticis magis quam Europam ad

Lib. 1. Dec. 1.

Tanaim incolentibus accommodari queant, notauit Blondus: & accedunt qui Scythiam tantum in Asia intra, & extra montem Imaum, hoc est, imum

Lib. 1. cap. 2.

Caucasi locant, & centum & octo Prouincijs exaggerant: etsi Orosius Hyrcanorum, & Scytharum nonnisi quadraginta duas numeret gentes, propter terrarum infoecundam diffusionem late oberrantes: Inter quas & Hunnos D sedem suam habuisse, & eosdem cum Hungaris esse, qui deinde in Europam migrarint, ac tandem Pannoniam occuparint, vetusta Hungarorum Chronica, alijque, sed diuersa narratione tradunt.

His tamen nequaquam consentiunt qui *Hunnos* ab Huno, seu Hunno Tuisconis Filio in Germania ex Beroso numerant: idque in primis faciunt

Lib. 1. cap. 34. & 35.
In praef. & l. 2. cap. 18.
Lib. 2. Orig.

Franciscus Irenicus in sua de Germania exegesi, & Albertus Crantzius in sua Vvandalia. Vndecim Tuisconis Germanorum, & Sarmatarum, Tanai vsque ad Rhenum parentis natos, recenset Berosus: quorum vocabula Mannus, Ingaeuon, Isteuon, Herminon, Marsus, Gambriuius, Sueuus, Vvandalus, Hunnus, Hercules, Teutanes. Ex quibus plerique populis sui generis, E sermonis commercio vix discretis, sua deinde nomina reliquerunt. Is cùm toto caelo diuersus sit Hungaris, suam ab Hunnis Germanis originem haud recte eos repetituros affirmant. Ita isti, non considerantes eadem vtrosque Scythiae regione profectos, discretione linguae genus non mutasse, vt neque

Lib. de sacr. satira.

generis vicissitudine, linguae similitudinem induci. Et alibi notauimus, sua fere nationum idiomata habere aetatem, & sensim in nouam transire speciem, habitu generis haud deposito. Ac, vt interim mittam, qui cum Iordane Prisco, Sigeberto, alijsque, Hunnos ex daemonibus ortos, vix voce & vultu

A vultu humano gentem deformem dicunt, Germanis haud vna nota iniurios esse; certè hos ipsos, à quo tempore nomen, & genus Germanorum ferunt, non semel toto ferè genere linguam mutasse non negabunt. Vt si cui paucis ab hinc seculis ad plures profecto, illinc redire hodie contingeret, suos, noui sermonis insolens, posteros haud nosceret; proinde nec Hungaros ab Hunnis, si hi Germani sunt, differentia loquendi vniuersim secernet. Scio nonnullos, à natione Germanorum Bohemos, tametsi lingua diuersos, non separare; idemque de Hungaris sentire, quod vltra Hungariam apud Transyluanos, siue septem Castrorum incolas sermo Germano- *Aeneas Sylu. in Hist. Bohem.* *Iren. lib. 1. Exeges. Germ. c. 33.*
B rum obtineat. Eleuant hoc argumentum alij, quibuscum in Istria, mediaque Italia passim necessitudo Germanicè loquendi intercedit, neque tamen commune cum Germanis profitentur. *Lilius in Cosm.*

Sed enim ne nimium religiosi in re non admodum necessaria iudicemur, maneat discretos esse Hungaros à Germanis, vel sola sermonis nota, nec prorsus eosdem esse cum Hunnis; vnde habent ex Luitprando Ticinensi quem laudant, Hunnorum gentem post Attilæ fata desideratam concidisse, & penitus exoleuisse, vt neque Hungaros ex se gignere, neque si ipsis hi accesserint, in vnum populum coalescere potuisse crediderimus: quod
C tamen sensisse videntur, qui eos ab Hunnis descendisse, eorumque consanguineos esse constanter tradiderunt, Isidorus, Iornandes, Blondus, Sabellicus, & alij complures: Scilicet *gentem nouam: nescio quibus sedibus inaccessis delitescentem: incognitam prius: planè inauditam è repentina rabie percitam erupisse, exarsisse; Pannoniam pulsis habitatoribus occupasse* dicunt. Itane vero aut cælo delapsi sunt, aut vt fungi vnica nocte humo enati? Sed de his satis. *Lib. 9. Orig. c. 2.* *Lib. 5. Hist.* *Lib. 2. Dec. 2.* *Lib. 3. Ennead. 8.*

Sunt qui primo ortu cum Hunnis, & Gothis à Magog secundo natu Iapheti, eodemque Scythicæ gentis parente, fusos existiment Hungaros, patriaque lingua dicendos Magogos; nisi corruptum vocabulum similitudine
D quadam deerrasset in Magaros. Ceterùm, plus speciminis habet, à Magor primogenito Nemroth, cuius & Attila nepotem se scribebat, genus deriuasse, & *Magoros* siue *Magaros*, sed pronunciatione gentis interiecta litera, *Magiaros* appellatos: perinde vero & *Hunnos*, siue à consanguinitate Hunnor fratris Magor; siue à sortis cognatione, qua suis sedibus relictis, alienas occuparunt. *Thurocz. lib. 1. Chron. cap. 9.*

Aiunt enimuero, Hunor, & Magor primogenitos Nemroth venandi causa progressos, insecutione Ceruæ in paludes Mæotidas deuenisse, & inuen-
E tis opimis pascuis, hic domicilium, suis adductis fixisse: postea tamen sobole multiplicata, cùm ægre sustentarentur, in vicinas regiones, pulsis vel deletis habitatoribus, erupisse. Accedunt qui in vlteriore Mæotidis ripa iuxta Phasidis ostium mansisse volunt, antea seclusos, quòd imperuium pelagus existimarent; donec quibusdam, vt dictum est, venationi intentis, bestia dux fugitando, per mediam paludem commonstrauit iter, quo vadare possent; atque illico disparuit. Traiecisse eos in Europam scribit Agathius, *tunc primum duce facto, siue aliena quadam vsos fortuna: siue quia lacus aquæ in Euxinum defluentes, defectiores ipsis interea sint visa*. Et hoc quibusdam verius. Huc itaque pauci in primis prouecti, cùm cæli solique clementiam sua patria damnata probassent, confestim pedem referentes, socios ad mutandas se- *Thurocz. lib. 1. cap. 9.* *Lib. 5.*

des exciuerunt, prætexentes diuinitus oblatam occasionem, qua ad magna A
quæque in nationibus molienda vocarentur.

Occurret fortasse speciosiùs hæc dici quàm veriùs, quod huiuscemodi primogenitorum Nemroth nomenclaturam S. Scriptura præter morem non edat: sed neque Berosus, aut qui huic argumentum suffecit Manethon Ægyptius, quicquam de his tradiderint; tametsi alioqui Berosus non paucas in sacro Volumine missas gentium genealogias adnotarit. Hæc si ita se habent, neque tamen redundat, ab euentu *Hunnos* vocatos, & *Magoros*, vt Pagnino placet; tanquam qui sua paupertate damnata, *omnium pauor in circuitu* futuri, omnium opibus velut in vnum horreum congestis locupletandi forent. Sic porro Hungaros à Magor *Magaros* appellatos, testem laudat Thurozius S. Sigilbertum, siue Sigisbertum Episcopum Antiochenum, in Chronicis Orientalium nationum: Hic nempe tradit, Iaphetum anno secundùm Diluuium octauo supra quinquagesimum, vbi ingressus fuisset terram Euilath, ex Enech coniuge suscepisse Hunor, & Magor, ex quibus deinde Hunni, & Magari descenderint. Recentior oportet fuerit Sigisbertus iste; quando quos numeramus intra sexcentos annos à fundata Cathedra Antiochena, sexaginta Episcopos partim Catholicos, partim Arianos, nemo id vocabuli tulit. Sed neque à capta Christianis Syria, & restituto illic Ecclesiæ splendore, vllum accepimus id nominis Antistitem, nisi prefuerit aut Antiochiæ Mæandri in Caria, aut Pisidiæ, aut denique ei quæ Parua dicitur, sub Metropolitano Seleuciæ; nam priorum altera sub Stauropolitano, altera sub Patriarcha Constantinopolitano pridem censita est. Gemina porro deriuatione, nec adeo magna mutatione, poterat Hungarorum appellatio ab *Hunor* deducit, si ita res tulisset. Verùm ne hic quoque peregrina authoritas ex vocabulis assensum moretur, quemadmodum olim testibus Agathio, & Iornande, varie vocitabantur, seorsim tamen, & per generationes, ita deinde à diuersis euentibus non vno nomine sunt insigniti.

De Paup. com. Hebr. — *Psal. 30.* — *Lib. 1. Chron. cap. 2.* — *Lib. 4. Hist.* — *Lib. de Reb. Goth.*

B C D

Alij itaque verisimili coniectura ab *Hunnis*, & *Auaribus* dictos arbitrantur, quòd hos illi Pannonia eiectos, hac tantum memoria, victus ingrata, dignarentur, si nomen eorum vsurpassent. Planè ad eum modum Auares ipsi, qui quondam e Iubra monte descendentes, & pulsis Gothis, qui simili arte, non ita pridem eiectis primis habitatoribus irruperant, Pannoniam occupantes, variante fortuna vicissim exacti, & loco, & vocabulo decesserunt. Alij tamen non tam ab Auaribus, quam à *Iubra*, seu vt quidam dicere malunt, *Iugaria*, eorum ditione Moschis confini, traxisse nomen affirmant; eo præcipue quòd nunc quoque Slauorum lingua, & qua nulla per vniuersam Europam latius patet, *Iubri*, vel prima syllaba læuigata, *Vbri* nuncupentur. E
Isidorus Hunnos antea vocatos, postea à Rege suo *Abares* seu *Auares* audiuisse narrat. Accedunt Paulus Diaconus, Godefridus Viterbiensis, Hunnos & Auares eandem gentem, Hunnos primum, postea à Regibus *Auares* appellatos affirmantes. Blondus ab *Auario* Rege, qui Zeliorbi successit, dictos primum *Auares*, mox *Bauaros*, tandem *Hungaros*. Hunnorum consanguineos, ait. Plane eidem (si de Bauaris excipias) assentitur Sabellicus; addit verò Blondus, suffragante Angelo Acciaiolo, Hungaros ob clades sæpius acceptas nomen *Hunnorum* exosos, *Auarum* ac demum *Hungarorum* vocabulum adsciuis-

Lib. 9. Orig. c. 2. — *Lib. 1. Hist. Longob. cap. vlt.* — *In Chron.* — *Lib. 4. Dec. 1. & lib. 2. Dec. 2.* — *Lib. 3. Ennead. 8.* — *In Hist. Carol. Magni.*

A sciuisse: quorum ea etiam felicitas ipsis contigit, vt soli ex pluribus gentibus è Scythia egressis, Prouinciæ, quam obtinuerunt, nomen suum constanter inderent, Pannoniæ vocabulo cum appellatione Hungariæ commutato.

His si non temere subscribas, fortasse etiam non abnuas eos, qui ab *Hungar* Duce, proxima nominis notatione appellatos velint Hungaros, si de illo recte constituant. Aiunt verò, fuisse eum & ingenio versutum, & armis strenuum, qui in educendis, Attila iam defuncto, ex Asia cognatis Hunnorum populis, præclaram operam nauaris, multisque contra locorum incolas prælijs feliciter confectis, cæteris quoque viam in Pannoniam emuniuerit. Quo
B factum vt mutua inter se accessione facta, vocabulo etiam coirent, & ob tanti Ducis meritum, & memoriam, deposito Hunnorum titulo, Hungaros se dici voluerint. Sed enim quo tempore id contigerit, primo an secundo egressu, fortasse non admodum refert scire: saltem qui secundùm Attilam Duces septem ordine rebus præfuerunt, id vocabuli non admittunt: scilicet Hungar non iam possidentibus, sed acquirentibus inuictum se Ducem præbuit. Hanc sententiam non primus, sed ex vetustioribus tradit Petrus Ranzanus: omnium tamen complexus mentem Elinius Francus, ab eodem laudatus, quadringentis ab hinc plus minus annis prodidit, Hunnos, & Hun- *In Epit. Rerum Hung. Ind. 5. Lib. 5. de Orig. Barbar. Gent.*
C garos eandem esse gentem; sed *Hunnos* ab Hunno Duce, *Hungaros* vero à loco Sarmaticæ regionis, qui Moscho paret, appellatos, vnde is hodieque Ducis Hungar titulum ferat; Hunc nimirum locum alij *Iurariam*, de qua diximus, nominarunt, *Hungar* potius dicturi, à quo non est insolens & Ducem gentis nomen accepisse, quod perinde, sicut locus ipse sui Ducis natale solum, in Hungaris deriuaret.

Adhuc tamen iuuat aliorum coniecturæ meminisse, vt à Bulgaris Hungaros progenitos insinuemus, coalita ex Hunnis, & Bulgaris appellatione. Notat hoc ipsum Irenicus ex Paulo Diacono, rectiùs dicturus Iornandem, *Lib. 1. Germ. c. 33.*
D qui cum Paulo Diacono circumfertur. Is nimirum ex Bulgaris Hunnos *fortissimarum gentium facundissimum cespitem*; ex his vero Auiros, quos deinde Hungaros appellat, pullulasse scribit: *Iustum* (inquit) *mansionem primum esse in Scythiæ solo iuxta paludem Mæotidem, secundò in Mæsia, Thracia, & Dacia, tertiò supra mare Ponticum, rursus in Scythia legimus habitasse.* Hæc Iornandes. Habet autem nescio quam veri speciem, Bulgaros cum Hungaris cognato quodam generis flexu consertos, atque adeo fuisse originarios, vel ipsa vocabuli commendatione, qua hodieque municipes, imo ciues Hungarorum, media producta, Bulgari, sed detrita patriæ vsu appellatione, *Lib. de Orig. Get.*
E *Polgari* nuncupantur. *Polgar.*

Quibus omnibus consideratis, inanis videtur esse quæstio, quid Hungaris cum Hunnis intercedat; & an species generis sit expers sui, tot sapientibus in eandem sententiam euntibus: quorum authoritas ambiguis quoque modum discretè ponit. Et alioqui pertinaciùs obnitenti, facile in proposito responderit Iornandes: *Certè si quis eos* (Hungaros puta) *aliter dixerit in nostro Orbe, quàm quod nos diximus fuisse exortos, nobis aliquid obstrepit: nos enim potiùs lectioni credimus, quàm fabulis anilibus consentimus.* Sed de his hactenus.

Porro non vacat admiratione, Hungaros à tam vetusta migratione incorruptam in tot gentibus seruasse linguam, nec vlla nationum affusione, HVNGARORVM LINGVA INCORRVPTA ADHVC SERVATVR.

aut quouis commercio, vel minimum demutasse; vt si quid gloriæ huic A insit constantiæ, commune cum alijs populis esse nequeat. Quod enim (si alibi recte ostendimus) est aliarum idioma gentium, quod nullam sermonis cum vlla habeat cognationem, nullam, quod aiunt, linguam matricem agnoscat? Vt proinde nimium hallucinari videatur Volaterranus, dum Hungaros *habitu & dialecto Illyricisare* velit, *non secus atque consanguineos eorum Bohemos, & Polonos*. Quem errorem facile traxerit ex Helmoldo Lubecensi, cuius hac in re fidem eleuat Albertus Crantzius. Nam Hungaris eundem sermonis vsum fuisse cum Hunnis, Gothis, & Vvandalis, inter alios existimauit Martinus Polonus. Et quamuis dissentiat Irenicus, qui *Hunnos* B *rigore sermonis Germanis esse proditos* censet; omnino tamen intemeratæ vetustati Hungaricæ linguæ attestatur, dum Maiores Hungarorum, à quibus descendere qui Pannoniam occuparunt, adhuc Oceani litora incolere, & lingua discretos non à posteris suis, sed ab Hunnis affirmat, *vt nuper* (inquit) *quidam Cracouiensis vtriusque Sarmatiæ enarrator prodidit*. Quam tamen famã multo ante præceperat Æneas Syluius, & ex eodem Ioannes Thuroczius; Scythas nimirum in Asiatica Scythia degentes, eosdem esse lingua cum Hungaris hodie Pannoniam obtinentibus; idque Æneam accepisse ex homine Veronensi æuo suo Scythiam perlustrante; qui ea de causa Religio- C sos Ordinis S. Francisci, ad inferendum illis Christi Euangelium, & destruendam Idololatriam secum deducturus, impeditus est à Moqua, *Græca*, vt ait, *perfidiæ viro, Asiaticos Hungaros Ecclesiæ Romanæ iungi prohibente*.

In Hist. 3. Latinitatis. — *Lib 8. Geogr. in Pannonia.* — *In Chron. Slau. lib. 1.* — *Lib. 3. Vvand. cap. 18.* — *Lib. 1. Ger. Exeg. cap. 35.* — *1. par. Chron. Hung. cap. 9.*

HVNGARORVM MIGRATIO IN EVROPAM.

IAM quod ad egressum illorum spectat, communis est Authorum traditio, eos primùm in Europam penetrasse, Mœsia, Thracia, ac Dacia, quemadmodum Iornandi placet, vicinisque regionibus peragratis, ac magnam partem vastatis, tandem in Pannonias concessisse. Contigit id verisimiliùs tertio post Christum exoriente seculo: quamquam aliqui ad Traiani tempora reuocent, alij serius à Valentis Imperio circa annum eiusdem se- D culi quartum supra sexagesimum, nec antea visos in Pannonijs existiment. Quasi tum pulsis inde Gothis, gente bellicosa, sedem ipsi occuparint, illis consensu Valentis in Mœsiam ac Thraciam se recipientibus, vt Romani Imperij fines tuerentur. Cæterum, Valente nondum exorto, diu ante Hunnos, in Inferiore saltem Pannonia consedisse, nemo dubitabit, qui vel Martinum, suo tempore Gemmam Sacerdotum, & Speculum Episcoporum futurum, Sabariæ ciuem, sub Iuliano militasse animaduerterit; & Decium Imperatorem pridem antea in Pannonia, felici vtinam sydere, ex ijs ortum; postea vero, & Probum, Dalmatici licet sanguinis à quibusdam existima- E tum, & Iouinianum Strigidonensem, & Valentinianum cum fratre Valente, & denique Gratianum illius ex Seuera coniuge natum, Principem optimum, huiusque germanum Valentinianum iuniorem ex Iustina genitum, omnes quidem Pannonici generis fuisse; sed si Decium, & Probum excipias, ex Hunnis, siue Hungaris iam Pannoniarum incolis, cæteros descendisse considerauerit. Et quidem posteriores quatuor, ex Gratiano funario, humili initio, fortuna tamen animi comite, ad Orbis Principatum peruenere; vt fauente cœlo, vno velut cursu, Gratiana prole quatuor Augustos numerarit. Quàm multa vero ex his, si Valentem excipias, bona in Eccle-

al. Iouianum.

siam

A ſiam promanarint, ex ſacris Eccleſiæ Romanæ monumentis colligimus.
Neque tamen qui hæc repetet, continuò à Traiano accerſiuerit Hunga-
rorum egreſſum: quem deuicto Decebalo, & redacta in Prouinciam Da-
cia, vbi is imperabat, deductiſque late colonijs, obſtitiſſe cogitabit, ne gens
formidabilis, & inuiſa, intra fines Romani Imperij conſiſteret. Quare nec
illi propiùs vero ſunt, qui primam ex Scythia Hungarorum eruptionem,
circa tertium ac ſeptuageſimum ſeculi tertij annum contigiſſe putant; quan-
do pridem ante multis victorijs contra Alanos, aliaſque nationes clari, ſedes
iam extra Scythiam habuere ſuas, etſi nondum à ſe fundatis Vrbibus cer-
B tas. Niſi velint nondum adhuc eo tempore penetraſſe in interiores Panno-
nias, vel certe repulſos aliquando, (quod Iornandes putat) intra limites
priſtinos, altera tum vice emerſiſſe, rebus non multo poſt ſub Attila Rege
meliùs, quàm ſub prioribus Ducibus conſtitutis. Satis conſtat, etſi ex ſuo
genere habuiſſent Orbis Principes, quos paulo ante nominauimus, his ip-
ſis tamen illos, ſiue religionis aduerſæ ſtudio, ſiue indolis peruicacia, nego-
cium eiuſcemodi faceſſiuiſſe, vt extremum Romano nomini periculum in-
ſtare crederetur, niſi à Gratiano excitus ex Hiſpania Theodoſius occurriſſet.
Quæ cùm dicimus, antiquam etiam Pannoniam Inferiorem ab eorum
C Maioribus, qui hodie Hungari vocantur, occupatam ponimus; etſi vocabu-
lis variarent, non ipſi ſolum, verum etiàm ſedes eorum, vt Pannoniæ plu-
res dicerentur, *Superior, Inferior, Prima, Secunda, Ripenſis, Valeria, Bubalia*,
patria Decij; *Sabaria*, quæ D.Martinum dedit; *Cibalia*: denique *Sirmienſis*, Pro-
bi Imperatoris natalibus, & Concilio Oecumenico clara. Quamuis enim eie-
ctis quondam Romanis, Gothi Pannoniam ſubegiſſent, Pompeio Sabino,
qui Prouinciæ cum imperio præerat, capite truncato, vt iccirco Pannoniam
Sirmienſem *antiquam Gothorum ſedem* vocet Caſſiodorus: deinde tamen Hun- *Lib. 3. Var. ad Coloſſeum.*
nis præualentibus ceſſerunt ipſi, ac duntaxat paucis Vvandalis, qui ex infau-
D ſto contra eoſdem Gothos prælio ſuperfuerant, à Conſtantino Imperatore
partem incolere permiſſis, reliqua omni Prouincia Hunni potiti ſunt. Sed
enim cùm Vvandali parum diſcernerentur à Gothis quondam amicis, par-
tem ab ipſis inhabitatam plerique *Gothiam* dixere; cuius Epiſcopus Theo-
philus Concilio Nicæno primo interfuit, habuitque ſucceſſorem eiuſdem
gentis Vvlphilam, ſeu Vvilam à S.Ioanne Chryſoſtomo Epiſcopum conſe-
cratum. Interfuit & Domnus Epiſcopus Pannoniæ Singidunenſis, quem
aliqui perperam cum Strigonienſi confundunt, vt Domnum Strigonien- *Arnald. Murman. lib. de Conuerſ. Gent.*
ſem fuiſſe affirment: ſed qui Domnum Laureacenſem eidem Concilio in-
E ſcribunt, ſimilitudine nominis, & quòd Laureacum, Auſtriæ, quæ & Pan-
nonia Superior dicta, Ciuitas quondam fuit, ambiguam ſententiam relin-
quunt.
Cæterùm, Vvandalis poſt annos quadraginta migrantibus in Gallias, Pan-
nonia tota Hunnis acceſſit: qui paulatim commercio Orientalium manſue-
tiores effecti, Fidem quoque Chriſti non pauci admiſere. Ex quibus ſucceſ-
ſu temporis emerſere viri, & literis, & religione præſtantes, digni qui Eccle-
ſijs præeſſent. Inter quos referri poſſent Photinus Sirmienſis, Vrſacius Sin-
gidunenſis, Valens & Cacus, alijque; niſi nimium ſapere volentes deſipuiſ-
ſent, & principes Arianæ ſectæ facti, ſuis fraudibus pene Orbem Chriſtianũ

inuoluissent. Hos omnes Pannonios extitisse, & Concilijs, aut Conciliabulis Sirmiensi, itemque Ariminensi sub Liberio interfuisse, res nota est: & in altero quidem Photinum damnatum, in altero verò valuisse fraudes Vrsacij, & Valentis; donec omnes in Concilio Romano vnà cum Auxentio Mediolanensi, sub Damaso anathemate notarentur, peruulgatum est. A

CHRISTIANÆ RELIGIONIS CVLTVS APVD HVNGAROS QVO TEMPORE CŒPTVS.

HÆC cò spectant, vt intelligamus fuisse semper à primo ex Scythia egressu, apud Hungaros, qui veram vnius Dei religionem colerent; etsi eandem deinde, qui cum alijs Ducibus venerunt, sed Attilam præcipue secuti sunt, gentilitate moribusque Paganis obruerint; vt iccirco multis post seculis ab horum conuersione, primùm Christiani facti censeantur. Neque enim antea in vnam religionis societatem sub vno Principe coiuerant; sed pro re & tempore aggregabantur ij, quibus mitiori ingenio præditis, Euangelium illuxisset. Vnde etiam constat, eos qui postremò è Scythia migrarunt, habuisse iam in Pannonia Maiores suos, à quibus, si vellent, erudirentur, & humanitatem imbiberent: quemadmodum nec defuere qui volentes ad Christum accedere, ad hæresim transuersos agerent. Nunquam enim deinde penitus defecisse Arianos in Pannonia, saltem occultè serpentes, experientia seculorum docti sumus; vt continuò in quibusdam Vrsacij, & Valentis, cæterorumque eiuscemodi farinæ seductorum velut originaria quædam sanguinis, & hæreseos semina, seruarentur: nec tantum postea conuersæ cum Principibus gentis religio, & Sanctorum, quos edidit, exempla potuerunt, vt primo errore tenaciter infixa in animis doctrinæ peruersitas, penitus euelleretur. B C

Sed quod ad prius spectat, plures Hungarorum ab initio fuisse Christiana religione imbutos, ex Chronico Marcellini liquet. Cuius tamen opera id factum sit, non adeo constat; nisi plusquam verisimile sit, singulari Dei prouidentia, fuisse semper, qui primo Pannoniarum Apostolo, Andronico nimirum, cuius apud Paulum memoria, subrogati, religioni vel in paucis, in media infidelitate seruandæ nauarent: sed neque dubitauerimus, antequam è Scythia migrassent, auditos illis fuisse Viros nomen Christi circumferentes, si verum est quod fama ab illustribus Scriptoribus Hieronymo, Dorotheo, Eusebio, Nicephoro, alijsque commendam tradit, Thomam, deinde Indorum Apostolum, atque etiam Andream, Euangelij sementem, priùs quàm alias Prouincias appetiuissent, in Scythiæ vastitatem intulisse; vt absimile vero non sit, mansisse quædã in incultis pectoribus semina, quæ si manus rigantis accessisset, ad frugem sanctioris Dei cognitionis elici possent. Quo proinde procliuius fuit Andronico tentatum iam ab alijs rude animorum solum, rursum versare, & suis Successoribus messem parare; quam postea, tametsi seriùs, dubium non est, excepisse magnum illum Theotimum, Tomorum Episcopum, & gentis duritiem consuetudine sui ad veram pietatem emolliuisse. Quippe hunc magnopere Hunnos fuisse reueritos, ob ingentium virtutem miraculorum diuinitus eidem collatam, satis aperte testatur Sozomenus. Vixit autem Theotimus temporibus Arcadij Imperatoris. Deinde probabile est, Nicetam illum insignem Dacorum Apostolum, quod S. Hieronymus memorat, eadem pene tempestate, plurimum ipsis profuisse ad salutem, cuius prædicatione Bessas, Dacos, Getas, Scythasque D E

Galesin. in Martyr. ad 18. Maii. Grati eod. die. Maurol. in topogr. Sanctorũ. Phil. Fer. in nouo Catal. ad 18 Maii.

Rom. 16.

Lib. 7, cap. 25.

Epit. 3, ad Heliod.

circa

A circa annum Christi nonagesimum sextum supra trecentesimum ad Fidem conuersos fuisse tradit Paulinus. *Epist. 10. ad Sever.*

Verùm Hieronymus, cùm primum de propagato apud Barbaras gentes Euangelio, quæ diuersis in locis ac temporibus Romano Imperio bella intulerunt, ad Heliodorum scripsisset, tum verò ad Lætam scribens, de Hunnis expresse hæc habet: *De India Persidæ, Aethiopia Monachorum quotidie turmas suscipimus. Deposuit pharetras Armenius, Hunni discunt Psalterium, Scythiæ frigora feruent calore Fidei, Getarum rutilus, & flauus exercitus Ecclesiarum circumfert tentoria; & ideo forsitan contra nos æqua pugnant acie, quia pari religione* B *confidunt.* Hæc de Ecclesia vbique dilatata Paulinus, & Hieronymus: vt admiratione planè sit dignum, inter recensitas Gentes, cæteris ferociores Hunnos, & in totum Orientem agmine infesto grassantes, subiecisse tandem indomita colla iugo Christi; & cum religione pacem colere, & certa etiam sede consistere didicisse.

Nihil hìc dicimus de S. Chrysostomo, quem plures Scytharum iam quidem Christiana, sed Ariana labe infectos, ad meliorem frugem reuocasse constat; & ad Leontium Ancyræ Episcopum dedisse literas, quibus Scythas ad Catholicam fidem conuersos significans, orabat viros mitti idoneos, qui C rectam illis ad salutem viam commonstrarent, locuples testis est Theodoretus. Illud sine piaculo præteriri non potest, à primo egressu cùm nondum Pannonias sibi vendicassent, sed sub Romanis Imperatoribus magna ex parte mererent, adeoque priùs quàm Attila assurgens, in vlteriorem Europam duxisset, singularem Dei prouidentiam in Martino Sabariensi testatam fuisse, quid in Hunnis, Hungarisue seminis esset ad religionem, & sanctitatem aliquando, velut ex sinu proferendam; vt tum quoque manifestum euaderet, nullam sub Cælo gentem adeo male feriatam inueniri, quæ dignos Cælo Viros non ederet. Ita Cappadocia Basilium, Gregorium; Creta, D Myrum, Titum, Pinytum, aliosque; Galilæa cunctarum nationum ludus, Christum, & Apostolos ad humani generis salutem mundo dedere. *Lib. 5. cap. 30.*

Quod dicimus huc tendit, vt vulgata iam per Orbem sanctitate Martini, Gentilibus ipsis veneranda, nihil propius fuerit, quàm plurimos ex Hunnis, tanti Ciuis, & cognati sanguinis exemplo, Scythica feritate posita, religione Christi fuisse mansuefactos. Et si verum est quod alicubi affirmat Cyprianus, sanguinem Martyrum semen esse Christianorum; quemadmodum Quirinus Sciscienfis, Sabariæ in patria Martini, pridem ante præclaro pro Christi Martyrio perfunctus, Martino, vt quibusdam placet, capessen- *De Martyr.*
E dæ Fidei argumentum fuit; dubitari vix potest, Martinum quoque admirando sanctitatis exemplo non paucis religionem conciliasse. Certe vita Martini, viuente adhuc ipso, à Seuero scripta, vbi ille humanis excessit, ita Paulino, Nicetæ, Melaniæ, alijsque in Vrbe Romana innotuit, vt illico innumeris libris excepta, *nullus terrarum locus esset,* quemadmodum ait Posthumianus apud Seuerum, *vbi non materia tam felicis historiæ peruulgata teneretur;* siue Africam, siue Asiam, siue quod mireris, Boreales Barbarorum regiones peragraueris; nec pauci post Hilarium, & alios paulo priores, Monachorum patrem Martinum constituunt; secundùm quem vno deinde plus minus sæculo Benedictus dispersos coegit, & ad normam viuendi stabilem reuocauit. *Dial. 1. cap. 16.*

Cerè

Certè nomen Martini religiosum Attilæ fuisse, non tam generis necessitudine, quàm opinione sanctitatis, norunt qui pluribus Galliarum Vrbibus eum pepercisse tradunt, nisi quas iuxta dictum Nicasij, Deus ob peccata flagellandas tradidisset. Nam qui se *Flagellum Dei*, & vocitari, & formidari amabat, viros Deo plenos æstimare, & honorare didicerat. Ita eremicolam illum, (Martini fuisse discipulum facile credas) qui in Cathalanicis campis, ipsum sæuitiæ arguerat, & Romanis victoribus pœnas daturum minatus fuerat, non solum nulla affecit iniuria, sed eximia cultum veneratione dimisit. Ita honorauit & Lupum Trecensem, ducto per mediam vrbem sine cuiusquam iniuria exercitu, siue ita exigente Episcopi humanitate, quòd obuiam illi procedens apertis portis venientem excepisset, siue potius id faciente diuina virtute, ne ob merita Lupi, Ciuium quispiam læderetur. Ita non solum honorauit, verùm etiam adorauit Leonem Papam, sacro quodam ad eius aspectum horrore tactus, vnde præsentia Dei in Sanctis suis reuerenter obseruaret, & illico vastitati modum poneret. Prorsus in tam fero pectore, tantum religio pondus habuit, vt quamuis in immenso exercitu, militantium insolentia perinde in sanctitatem sæuire solita esset, nemo tamen non immunis abiret, cuius ipse à sanctitate commendationem vel obiter accepisset. A B C

VRSVLÆ, ET SOCIARVM MARTYRIVM. Nam quod non pauci, immanitate Attilæ in vndecim millia Virginum ad Vbios sæuitum narrant, longe à vero aberrant; quando non nisi quinquaginta plus minus annis postquam Vrsula cum eo Virginum collegio, huc appulisset, Attila regnare cœpit, & aliquanto serius in Vbios ducere. Sed fuere illi Hunni, quos Gaunus pirata, comparata classe, icto cum Gratiano Imperatore fœdere, aduersus Maximum ducebat: qui cùm ad infestandam Britanniam tenderet, in has ad litus iactatas Virginum naues incidit, & Britannas Virgines, vel solo nomine inuisas, cùm illæ suæ pudicitiæ illudi nollent, & hortante Vrsula mori mallent quam fœdari, crudeliter obtruncarunt, & mox in Britanniam, inde pulsi, in Hiberniam soluerunt. D

De reb. Maxim. Rem gestam pluribus describit Gaufridus Asaphensis, ex quo partem in suis ad Martyrologium notis intulit Baronius. Quanquam nec veros fuisse Hunnos, siue Hungarorum, de quibus agimus, Maiores, qui Gauno militabant; sed Dacos potius ab Hunnis ex Pannonia pulsos; & successu temporis errore quorundam Hunnos appellatos, quòd occupatam ab his sedem priùs illi tenuissent, constans apud eruditos est assertio, quam & Ioannes Thuroczius insinuasse videtur, vbi de Regno Pannoniæ agens: *Hanc regionem*, inquit, *plurimæ nationes incoluisse feruntur, & semper potentior superueniens generatio, agri fertilitate allecta, infirmiorem aut expellebat nationem, aut subdebat. Nam & Dacorum populus certam eiusdem regionis partem olim inhabitasse, tandem non sine turbatione secessisse, ac relicto pingui Pannoniæ tellure, maritima loca Noruegiæ proxima occupasse, & sibi ibidem perpetuam fixisse sedem perhibetur.* Hæc Thuroczius. (In Chr. part. 1. cap. 11.) E

Quæ non inepte cum dictis Gaufridi, Hunnos eos vocantis, comparari possunt, qui fixis sedibus in Hibernia, Noruegia, alijsque circum locis, piraticam deinde exercere cœperunt maritimis expeditionibus assuefacti. Atque hanc ob causam Martyrologium Romanum, Vrsulæ, & sociarum insigne

gne

A gne facinus ſignans, non eas ab Attila, ſeu Hunnis ab eo ductis neci datas, quod erat faciendum, memorat: ſed duntaxat, pro Chriſtiana religione, & virginitatis conſtantia ab Hunnis interfectas; tametſi non hi ſolum, ſiue Daci, immanitatem hanc perfeciſſent, verùm & Picti, Melga Duce, in idem cum Gratiano fœdus conſpirantes. Qua de re plura in Hiſtoricis notationibus ſcitu digna tradituri hoc loco ſuperſedemus.

Iam quod ad regionem Pannoniæ tot nationibus pugnatam, ac tandem ab Hungaris obtentam attinet, vnde id nominis ſortita ſit incertum eſt: & friuole à quibuſdam exiſtimatur, eo ſic dici, quòd pane atque omnibus B ad victum humanum pertinentibus abundet. Ob quam etiam cauſam, & præcipue propter ſoli, pecorumque fœcunditatem, alij à Pane, quem vetuſtas Deum Paſtorum dixit, appellatam affirmant. Nam, vt rara ſub cælo tellus, Hungaricæ facile comparari queat, recentius tamen eſt Latinis nomen panis, quàm Hungarico Regno nomenclatura Pannoniæ; tametſi etiam olim à Græcis Pæonia audiuerit. Præſtat hic noſſe, regionem Europæ latiſſimam, Danubio à Germania ad Septentrionem diremptam, ab Oriente proſpicere Mœſiam, quæ & Seruiæ, & Bulgariæ nomen tulit; ab Occidente habere Noricum, hodie Bauariam; denique à Meridie in Iſtrum vſ-
C que, & Illyricum eſſe extenſam.

PANNONIA VNDE DICTA.

Petrus Ranzan. In Epit. Rerum Hung. Ind. 1. Thuroczius in Chron. Hung. cap. 11.

Diuiſa porro fuit initio, (vt, quæ ſupra paucis perſtrinximus, hic latius explicemus) in Superiorem, & Inferiorem. *Superior* ab Occaſu, Norico; à Septentrione, Germania, & Iſtro terminatur; ab Oriente habet Pannoniam Inferiorem, à Meridie Illyrim; hodie hæc Pannoniæ pars Stiria, & Auſtria, cuius Vienna celeberrima Vrbs caput eſt, continetur. *Inferior* verò Pannonia à Septentrione Germaniam, ac Danubium; ab Occaſu Pannoniam Superiorem, à Meridie Liburniam, quam hodie Slauoniam appellant, proſpicit, ab Ortu Iaziges Metanaſtas, qui tractus hodie *Septem castra*, nonnullis
D *Tranſyluania* dicitur. Atque hæc Pannoniæ Inferioris pars hodie fere vno nomine Hungaria appellatur, eademque Stephano Primo, Hungarorum Regi, primum Regnum fuit; ſed ſucceſſoribus poſtea vario euentu, & aliorum acceſſione Regnorum feliciter auctum. Acceſſere nimirum Dalmatia, Croatia, Rama, Seruia, Gallicia, Lodomeriæ, quarum omnium Regem ſe ſcribit in Decreto Andreas II. Rex, dictus Hieroſolymitanus. His deinde additæ Comania, & Bulgaria; quarum titulo Ludouicum Primum vſum fuiſſe legimus. Denique acceſſit & Boſnia, ſeu vt alij loquuntur, Boſsyna: de quibus omnibus in loco, quantum ad inſtitutum Annalium Eccleſiaſti-
E corum refert, dicturi ſumus: Illud interim animaduertentes, eam ipſam Hungariæ Prouinciam, quæ Stephano primum Regnum fuit, ſucceſſu temporis diuiſam in Hungariam Superiorem, & Inferiorem; vt Superior diceretur, quicquid ditionis vltra citraque Iazyges eſſet: reliqua Inferior, excluſa ea portione, quæ olim Pannoniæ Superioris nomen tulit. Plura quæ de diuiſione Pannoniarum in rem venire queant, ex Strabone, Ptolemæo, & Plinio, facilè repetuntur; ex quibus Ranzanus in Epitomen tranſcripſit, vetuſtis locorum appellationibus memoratis.

EIVS DIVISIO.

Quod his inceſſit, vtraque olim Pannonia Romanis Imperatoribus paruit, varijſque vocabulis diſtincta eſt: vt altera diceretur Pannonia Prima,

altera

altera Secunda; Illam aliqui Superiorem, hanc Inferiorem existimant. Item A aliqua pars ferret nomen Pannoniæ Sabariæ, seu Sauiæ, à Sauo flumine; & Ripensis, seu Ripariensis: aliqua verò Bubaliæ à Bubali Ciuitate appellata. Rursum alia diceretur Cibaliensis à Cibali Vrbe; quam Ptolemæus in Inferiori Pannonia locat: alia Sirmiensis, quæ quondam Cassiodoro Gothorum sedes fuit. Denique alia vocaretur Valeria, quæ nonnullis Croatiam, alijs Stiriam, Carniolam, & Carinthiam complectitur; quibus si addas Austriam, Pannoniæ Superioris spatia hodie exæquabis: Nec inanis est aliorum diuisio, qua primam in Superiorem, & Sabariam, alijs Sauariam, siue Valeriam partiuntur; quæ & Ripariensis dicta, quòd multis fluuijs irrigua esset, Sauo ni- B mirum, Drauo, Arrabone, & Sauaria triplici: quorum primum hodie Mueram, à veteri municipio Muroëlæ ad ripam eius posito, Styri vocant. Alterum in hunc vsque diem Sauum Cilenses appellant: Tertium autem Sabariam præterfluere, diuini Quirini historia docet, quem hodie Guntium, Hungari verò Giongiosium, quasi vnionem feracem dicunt. Vt verisimile quibusdam videatur, minores fluuios eius Prouinciæ, Sauarias à vocabulo Prouinciæ appellari; & locum apud istos habeat coniectura eorum, qui Sauariam, ceu Sauum minorem, ita nominatum fuisse putant, à quo & Prouincia ipsa, & Vrbs Prouinciæ caput nomina sortita sunt. Hæc de Primæ C Pannoniæ diuisione.

Simile quid euenit Secudæ, quàm in Inferiorem, & Sirmiensem tribuerunt; cuius Bubalia quondam portio, contra Dardaniam, vbi hodie Bosniæ Regnum situm est, extendebatur: atque illa quidem à situ, hæc verò à Triballone Rege Sirmo, cuius Strabo meminit, dicta creditur, nomenque Vrbi Sirmij dedisse. Quare & Cassiodorus, Colosseum Præsidem, Sirmiensis Prouinciæ appellat: & Aurelius Victor Diocletianum in Pannonia Bubalia natum; ijdemque, & Seuerum in Pannonia Sabaria Romanorum Imperatorem creatum affirmant. D

Lib. 7.
Lib. 4. cap. 13. Var.
In Dioclet.

Porrò sub Imperatoribus Romanis singulæ Pannoniæ, Duces habebant limitaneos; quo factum, vt subinde nomina Prouinciarum mutarentur, & quæ sibi inuicem limites erant, eadem & vocabulum cognatum sortirentur. Ita Dux limitis Illyrici idem fuit, qui Pannoniæ Primæ, vbi nunc Austria Inferior; tametsi alioqui Pannonia Prima, siue etiam Superior, Prouincia Consularis esset, eademque Augustalis, cui scilicet Præfectum, & Legatum non nisi Imperator destinabat, cùm reliquæ Pannoniæ Proconsulares fere essent. Hæc eò spectant, vt iuxta dignitatem, potestate Romana Prouincijs olim collatam, illustratis deinde Christi Euangelio regionibus, Ecclesias E quoque primæ sedis fuisse institutas cognoscamus, iuxta ea quæ de Romana, alijsque Patriarchalibus, & Metropolitanis sedibus alibi fusè disputauimus.

In Coniect. Ep. B. Virg.

Hinc factum, vt in Pannonia Prima, seu Superiori, tanquam Prouincia Consulari, Laureacum delectum sit, vnde velut specula primus Antistes prospiceret. Fuit Laureacum splendida quondam, & populorum frequentia celeberrima Vrbs ad Danubij, & Anasi confluentem extructa, quo tempore Troiani, deinde Sicambri dicti, Pannoniam obtinuerunt, Metropolis Archiflaminum, vnde fusis late areolis sacrum ius dicebant. Postea

vero

A vero condita Christi Ecclesia Euangelium suscepit, à Syro & Iuuentio Hermagoræ, qui post Marcum Aquileiæ sedit, discipulis; non multo postquam Princeps Apostolorum, circa annum salutis septimum supra quadragesimum Roma complures in Orbem emisit Euangelij præcones. Ab his igitur, vel saltem altero horum, edoctum Laureacum, abrogata Idololatria, vexillum Christi erexit, & ex Protoflaminum sede, Religionis veræ Cathedra designata est; vnde postea tanquam ex Metropoli, plures sanctitate insignes viri, ad proferendam in Pannonias, & alias regiones adiacentes Euangelij regnum prodierunt. Quanquàm alijs merito probabilius videtur, eo ipso tempore,
B quo missus à Petro Marcus Aquileiam venit, Laurentium quoque raræ pietatis, & doctrinæ virum, aliquot socijs comitatum concessisse in Noricum, & populis ad Danubium, & Anasum sparsis annunciasse Christum. Hunc vero eundem plerique primum Laureacensis Vrbis, & Ecclesiæ habent Apostolum, cuius nomine primaria Ecclesia nuncupata hodieque primi sui Christiani Doctoris, & Antistitis memoriam seruat. Quis eidem postquam vixit, successerit, ignotum est. Tradunt tamen, Florianum equitem Pannonium, & Noricorum militiæ Præfectum, inter primos Fidei sanguine tandem signatæ illuxisse promotores; sed deinde Ierardum circa annum Christi ducente-
C simum quinquagesimum Religioni præfuisse; & decennio post Eutharium, siue vt Concilium Sardicense vocat, Eutherium, successisse Pannoniarum Episcopum: cuius defuncti vices Quirinus Martyr, de quo superius dictum, creditur à quibusdam excepisse; ab eiusque martyrio Maximilianus de Pannonijs excellenter meritus, & ipse tandem Martyr, subrogatus esse: cuius deinde successores, sat longa ætas non nouit.

Alij, vt concedant illico fere à condita Romana Ecclesia, Pannoniam suos habuisse Pastores, & suos Laureacum Antistites; serius tamen hic primariam quaqua de causa institutam sedem, nec nisi cùm seriò bellum Idololatriæ fuis-
D set indictum, contigisse id putant circa annum salutis trecentesimum, Marcellino Romano Pontifice, Diocletiano, & Maximiano Romanorum Imperatoribus: non nemo quinquaginta præcipit annos, Fabiano Romanæ Ecclesiæ, Philippo Romano Imperio moderantibus. Quanquam postea gliscente persecutione viduata sedes, multa ætate, aut nullos aut occultos numeraret successores; donec tandem à Simplicio Pontifice Seuerinus Abbas in Noricum ablegatus Apostolus, (ex partibus Orientis venisse, scribit Eugippus) rem Christianam restituisset: Tum enim Constantius quispiam inter Sanctos postea censitus, Laureacensi iterum Ecclesiæ præpositus est. Er- Cap. 1. In Vita S. Seuer.
E rant verò, qui id factum temporibus Gelasij Primi, imperante Iustiniano Primo, tradunt, anno salutis quadringentesimo septuagesimo: quando Gelasius decem & octo post annos Pontificatum adeptus, & quintum agens annum, tricenis antequam Iustinianus imperaret, obijt; sed & Seuerinus Noricorum Apostolus, quem itidem falso Rauennatem Episcopum fuisse dicunt, antequam Gelasius Romanus Pontifex esset, in humanis esse desijt, anno quarti seculi supra octuagesimum secundo; ac proinde ab ipso mitti nequaquam potuit, sed à Simplicio: cuius tempora Imperatores in Occidente æquarunt Olibrius, Glicerius, Iulius Nepos, Momyllus Augustulus; Odoacer verò Rex Italiæ, superauit.

Rectiùs alij à Theódoro Constantij successore dignitatem auspicantur. A
Hic nimirum primus Norici initiatur Metropolitanus, ad quem Symmachus Romanus Pontifex misso Pallio literas dedit, & Primatem Sedis Prouinciæ Pannoniorum Antistitem instituit. Durauit autem huius Sedis authoritas, etsi interdum interrupta, vel turbata Præsulum serie, vsque dum Pannonia Inferior, cum primo Rege Stephano sui iuris effecta, peculiares Cathedras erexit, suumque Metropolitanum aliena, præterquam Summi Pontificis, authoritate, eximium vidit. Ita tandem, quæ olim Sirmiensi Metropolitano, postea Laureacensi parebat, cum admisso Euangelio, acceptaque regia Corona, caput inter alias Ecclesias altiùs extulit; quando ipsa non B
Metropolitani duntaxat olim, sed & Imperatorum sedes, & altrix, Colocensi deinde, mater filiæ, cum cæteris parere cœpit.

Quæ dum dicimus, vnà etiam ostendimus, tot bellis conflictatam, ad tot Dominos, & diuersarum gentium incolas Christo aduersas, gladio, & sanguine deerrantem Pannoniam, nunquam tamen à condita fere Ecclesia, adeo religione Christi fuisse vacuam, vt in ea non aliqua in parte Romana sanctitas & vigeret, & cum authoritate splendesceret. Quippe non longe ab initio, in Illyri Occidentali institutas fuisse legimus Ecclesias; quæ, vt dicebamus, à Sirmiensi Metropolitano iura capiebant. Et quidem in Pannonia C
Inferiori, seu Secunda, numeramus *Mursianam*, cuius Valens in Tripartita historia Episcopus celebratur, postea Ariana labe infectus: *Singidunensem*, cui præfuit Vrsacius Valenti obnoxius: *Cibalensem*, quam Decio imperante rexit Donatus: *Carpensem*, cui Secundus: denique *Curtensem*, cui moderatus est Crescens.

In Pannonia verò Superiori recensebatur, *Sabariensis* præcipuo Romani Præsidis loco: *Scarbantinas*, vel *Sacarbantinas*: *Unidobonensis*, hodie *Viennensis*, cui præfuisse Mamertinũ, sub Agapito Romano Pontifice, & Iustiniano Imperatore, ex veteri Chronico affirmat Lazius; postquam nimirum Seuerinus D
Noricorum Apostolus isthic inclaruisset, nec longè inde Cœnobiũ instituisset, cuius meminit Eugippus, alijque ex ipso mutuati; quanquam Eugippus Mamertinum ex Tribuno Episcopũ duntaxat ordinatum referat, haud memorato loco, cui præfuisset. Accedunt alij, plures etiã Mamertini successores numerantes, errore tamen haud leui, quòd Mamertinũ primum à Seuerino, qui duntaxat Abbas, non vt ipsi existimant, Episcopus fuit, consecratum ponant. Interruptam porrò Barbarorum dominatu seriem, à Gisalarico S. Ruperti discipulo, circa finem sexti seculi restitutam volunt; iterumque vicissitudine, & iniuria temporum intercisam, ab anno tandem duodecimi seculi octuagesimo, perpetua successione deductam affirmant. Quæ cuiusmodi sint, non E
est huius loci expendere. Denique in Pannonia Sauia numerabatur *Nouidunensis*, quem locum nonnulli, deformato in Germanicum vocabulo, *Neomarchum* appellant. *Scissianus*, cuius Episcopum aliqui dicunt fuisse Marcum ab Asia, qui in Concilio Sardicensi, sub Iulio Primo, egregiam nauauit operam; Alijs non Sciffiam, sed Cilliam legentibus. *Aemonensis*, cuius Antistes Maximus, in Concilio Aquileiensi, sub Damaso Pontifice, vna cum cæteris Palladium, & Secundianum Arij discipulos damnauit. Laudatur, & Castus in Decretis Damasi, falsò à quibusdam Decij nomine appellati.

Laz. lib. 12. de Republ.
Eugip. l. 4. Vita Seuer.
Munster. lib. 3. Geogr. in Vienna.
al. Eugippius.
Ann. 347.

Has

A Has quoque Superioris Pannoniæ Ecclesias, Sirmiensi Metropolitano subiectas fuisse tradunt nonnulli: quod tamen alijs vix videtur simile vero, ne tam longo à Capite traiectu dissitas ponant; quando nihil facilius fuit, quam Viennensem, & quæ bidui itinere hinc distant, Sabariensem, & Sacarbantinam, (hodie *Kormendum* Hungaris, vel potius coniectura Lazij *Chiepreghum*) Laureacensi pendere Antistite: eademque ratio fuerit de Æmoniensi, seu mauis Æmonensi Pannoniæ Sauiæ Ecclesia, siue ea sit, quam Ptolemæus Æmonam, Iulius Capitolinus Hæmonam, Plinius Æmoniam vocant; & Plinius Pannoniæ oppidum, Iulius in Noricis, Ptolemæus inter B Italiam, & Noricum statuunt: hodie recentiores Metropolim Carniolæ, Lubianam siue Labacum nuncupant: Quamquam alij maritimam Histriæ Vrbem censentes, cum Volaterrano, alijsque recentioribus aliò abeant, sed nullo, quod sciam, ex veteribus authore. Lib. 12. de Repub. cap. 2.

Sed erit qui opponat, Laureacensem Antistitem, vtriusque Norici, & præterea Vindeliciæ, immo & Bohemiæ, Marauięque deinde Ecclesijs intentum, sat habuisse intra hos limites curarum, quas vlterius extendere, nec operæ, nec fructus precium ferebat. Erant vero Norici Ecclesiæ, præter Laureacensem, Ouilabensis haud procul Laureaco, cuius Episcopus Moderatus C claruisse fertur sub Iustiniano; Iuuauiensis, Maximo suo inclyta; Soluensis, in Mediterraneis, vbi hodie Carinthia sita est, suo etiam Modesto gloriosa; vt nihil dicamus de Sedibus Vindelicitæ, Patauiensi, Quintaniensi, Tiberiensi, Augustana Ciuitatis nouæ, quæ Ratisponam translata est. In quarum prima S. Valentinus, sub Zenone; in altera Syluinus, sub Iustiniano; in tertia S. Paulinus sub eodem; in postrema S. Fortunatus, mira sanctitate floruere.

Adhuc etiam quæri potest de *Pannoniæ Valeriæ* Ecclesijs, de quibus perinde quis senserit, ac de alijs, vt eas adscribat quò vel iure, vel argumento D libuerit. Fuere autem duæ illa tempestate non minus insignes, quam necessariæ; *Petouiensis* altera, cui præfuit Valens in Aquileiensi quondam Synodo, de qua superius diximus, laudatus; altera *Celeiena*, quam Tenax in eadem Concilio memoratus illustrauit.

Cur verò *Sabariam*, quæ Ciuitas non minimæ Pannoniæ parti nomen dedit, ea prærogatiua præterierit, vt Ecclesiarum illic caput esset, merito in quæstionem venit. Fuit enim, & nobilis in primis Romanorum Colonia, vetustis authoribus laudata, & assumpti isthic ad Romanum Imperium Seueri memoria celebris: sed multo nobilior, si spectemus Quirinum isthic il-E lustri Martyrio functum, loco sanctitatem conciliasse: prorsus autem præclarissima, si attendamus sanctissimi Præsulis illius, & gemmæ Sacerdotum Martini Turonensis Episcopi patriam, & natale solum. Quemadmodum enim huius gestis, & laudibus haud aliquis scribendo par est, ita Sabariæ, quæuis Vrbium prærogatiua infra meritum erit. Proinde quod factitatum subinde legimus, Ciuitates non paucas, Ciuium insignium merito, sed præsertim sanctitatis argumento, capita extulisse, interdum etiam vocabulis eorundem insignitas; id quoque Sabariæ congruisse nemo inficias ibit, vt vel honorem Metropolitanæ Vrbis Pannoniarum ferret, vel certo singulari aliqua prærogatiua, quæ capitis ornamento par esset, emineret.

Cæterùm, quod illis temporibus, splendidis quibusque Ciuitatibus euenit, vt dominatu Principum alienorum, religio non facile in illis exurgeret; eadem quoque sors Sabariæ fuit. Quippe ob honoris prærogatiuam, quòd sedes dominantium esset, plurimorum ambitione conflictata; vel si de religione sermo sit, in Euangelium haud propensa, spatium sanctitati non ita laxum dedit, vt vel emergere, vel dilatare se posset. Satagebat eius rei Carolus Magnus, satagebat & postea Ludouicus Pius eiusdem natus; ac vt ille circa Albam, sic iste Sabariæ fundando Christi Regno, locum metatus est; neque tamen stabilem Religioni sedem nactus fuit, tametsi Lyndeutum Pannoniæ Sabariæ Præsidem, armis exegisset, continuò rursum nouos ebulliente Principes infidelitate. Donec tandem Stephanus Rex Diuus, ad id factus à Deo, in suam, & Euangelij lucem venisset; qui velut obliterata, seu ipsa potius suis laboribus defuncta antiquitate, nouas Ecclesiarum sedes fundauit; quarum caput natalem sibi Vrbem Strigonium esse meritò iussit, hinc initia parans successuræ sanctitati, quando cæteræ Ciuitates iam fecissent, vnde sibi ad æternam famam transitus esset. Sic planè mansit sua dignitate circumscripta Sciscia, tribus alioqui præcipuis ornamentis, supra Vrbes efferenda: quod Colonia Romanorum extiterit: quòd Christianæ Catholicæque doctrinæ asylum fuerit: quòd antiquissima isthic Episcopi Sedes posita ante annos circiter nongentos esse desierit. Addi potest habuisse Quirinum, (de quo iam diximus) & Doctorem, & Episcopum, & tandem Martyrem: Nam etsi martyrium Sabariæ consummauit, hic tamen cœpit.

A (beside line 1), B (beside "Pannoniæ Sabariæ Præsidem"), C (beside "catholicæque doctrinæ")

Idem de *Nitriensi* Cathedra considerandum erit: fuisse hanc, & antiquitate, & nobilitate præstantem, à quo tempore post Methodium Morauorum Apostolum, Pannonicæ quoque Ecclesiæ pro re nata satagentem, missus est à Romano Pontifice Ioanne Octauo Vvichindus, qui cum authoritate Antistitis religioni Hungarorum præesset: mansitque ea loco dignitas, quoad vicissitudine temporum commissis populis, Reipublicæ status mutationem exigeret. D

Quæ omnia eò à nobis dicuntur, vt cogitemus, vel in media infidelitatis caligine, semper aliquem veræ Religionis splendorem radiasse in Pannonia apud Hunnos, atque Hungaros; quasi fieri non potuisset, Prouinciam aliquando Deiparæ Virgini sacrandam, Regnumque Romanæ Ecclesiæ peculiari iure tribuendum, omni luce priuatam diutius manere: neque interim quoad vniuersis Christi Fides affulgeret, aliquos velut è gremio fusos mittere sanctitatis radios, qui Ecclesiam illustrarent. Talis fuit *Martinus Turonensis*. Talis & alter *Martinus Galliciensis*, dictus *Iunior*, quòd centum plus minus annis illum secutus sit, & Pannonem Pannon pèrinde nomine, & munere, quàm sanctitate expresserit; vt interim mittam magnum illum Hiberniæ Apostolum *Patritium*, ex sorore Martini Turonensis natum, eoque nonnihil ad Hungaros spectantem. Tales denique plures, quos Pannonia nondum tota Christiana, sed semper Christianorum alumna, viros in media gentilitate protulit planè illustres. Hi cùm apud suos Religioni commodam operam nauare haud possent, ad remotissimas in Orbis finibus nationes Christum exportantes, minime pœnitendo fructu in Vinea Domini laborarunt. De quibus singulari, & loco, & studio dicendum erit. E

Thom. Messingam, in Vita S. Patritii.

Quod

A Quod hic modo refert, à primo Hunnorum seu Hungarorum egressu, & Pannonia occupata, fuisse semper ex iisdem, qui Deum rite, & ordine ex instituto Romanæ Ecclesiæ colerent, satis argumenti sufficit, vel Martinus adhuc puer, Sabariæ ad Ecclesiam confugiens, & in Catechumenorum numerum adscriptus; ne plura hic repetamus, siue à primis adolescentis Ecclesiæ seculis, cùm Laureacensis Sedes Pannonijs quoque ius dicebat; siue ab ætate Seuerini, quæ paulo recentior est. Nam etsi toties vastitatem Ecclesijs ipsi intulissent, nunquam tamen omnibus penitus excisis, nullum Religioni locum reliquerunt; sed duntaxat illis grassantibus, ordo rerum gerendarum aut intercidit, aut turbatus est. Qua de causa Laureacensis Ecclesia ante eorum inundationem, honore, & dignitate primæ Sedis florens, diu deinde vacua fuit, vtraque Pannonia direptioni patente; donec compositis vtcunque rebus, & limitibus præsidio firmatis, pristino statui restituta est. Fertur ea de re Agapiti Romani Pontificis ad Gerardum Archiepiscopum Laureacensem epistola, quam in Annalibus, Authorũ ex quibus descripsimus, fide referimus, appositam ad ostendendum, etsi feroces semper habiti sint Hungari, quòd bellis assueuissent, non ita tamen eos ab omni humanitate fuisse alienos, quin si quispiam rudes animos tentaret, ad pietatis sementem recipiendam idoneos experiretur. Certe antequam ad Fidem Christi accessissent, in ipsa superstitione cautiores erant, quàm vt cum plerisque Barbaris animantia muta, aut res sensu carentes adorarent. Quamquàm id præcipue Dæmon satagebat, vt Harioli sanctitatem mentientes, & vero lumini tenebras offunderent, & vnius veri Dei cognitionem longe submouerent. Religioni illis fuit Zeutæ cuiusdam, deinde Dicenei, mox Comosici, ac tandem Zamolxis cultus; quos fama sapientiæ passim audientes, Legislatores habuerunt, adeoque temporum opinione velut inter Deos receptos venerati sunt. Quin etiam assueti venationibus, & rapinis vicinarum gentium, quia continuò bellandum cum his erat, Martem belli Ducem atque Deum asciuerunt. Huius auspicijs totum Orbem, vt rebantur, sub iugum missuri, eidem cruenta sacrificia vouebant; atque iccirco Victoriæ, quam Martis coniugem existimauere, sanguine deuictorum litare consueuerant. Id præcipue procurantibus Hariolis; quos ipsi, vt Persæ Magos, in consilia adhibere soliti, nihil ardui indipiscebantur, nisi illis prius in rem vocatis deliberassent. HVNGARI QVOS DEOS COLVERANT ANTE CONVERSIONEM.

Atque horum præcipue suggestione in spem potiundi Orbis venit Attila, cùm Martis gladium à Pastore quodam inter arandum inuentum accepisset. Quippe hoc omine sibi gratulatus, vt erat magnanimus, potestatem sibi concessam esse bellorum, adeoque totius Orbis Principatum delatum arbitrabatur. Creuere sanè per huius gesta, fortunæ Hungarorum magis, quàm qui præcessissent, alioqui non infelici successu, in ditiones aliorum sua signa inferentes: nec vnquam magis in acie nouaculæ res Romani Imperij stetit, quàm cùm Attila, *Metus Orbis, Deique Flagellum* dici amauit. Neque enim dubium, innotuisse Hunnis morem Dei antiquum, peccata populi præuaricantis, immissione gladij, & terrarum vastitate castigare non insolentis: quod etiam Achior ille gentilis, dux filiorum Aman, religiosè testatum reliquit; cùm de Hebræis ad Holofernem dixit: *Vsque dum non peccarent* Iudith. cap. 5.

B, C, D, E (margin letters at successive parts of the text)

carent in conspectu Dei sui, erant cum illis bona. Deus enim illorum odit iniquitatem. Quod autem fuit istud peccatum, nisi cùm recesserunt à cultu Dei sui? *Tunc*, inquit ille, *dati sunt in prædam, & in gladium, & in opprobrium.* A

Quo in genere cùm plerunque gentes exteræ, & ignotæ, & immanitate barbaræ immittantur, quemadmodum experientia seculorum didicimus, interdum tamen, & ipsi inter se vnius religionis, & prope sanguinis populi committuntur ad exigendas pœnas, occulto Dei iudicio; vt nunquam desint Philistæi, qui arcam Dei capiant, hoc est, religionem perturbent, & Israelitas exerceant, donec Deus faciat salutem magnam in populo suo.

Quæ verò tum mala in Orbe viguerunt, ad quæ castiganda Deus Attilam excitauerit, non est huius loci memorare. Populum in sectas diuisum plerique putant, & Principum scelus, post Constantinum, hæresibus fauens. Liberati quippe à Gentilium Tyrannide Principum populi, cùm meritas Deo gratias referre debuissent, tum inter se contrarijs sanctitati studijs discesserunt; & Christiani Principes vnitate religionis, quæ maxime curanda erat, neglecta, ipsi capita schismatum sunt effecti; & rectè sentientes, propemodum immaniùs quàm vnquam ab alijs factum, sunt persecuti. Qui duo malorum fontes, quot scelerum riuis Orbem Christianum inundarint, facile est coniectari. Illud constat ex prædictione serui Dei, (Eremitam fuisse scribunt Martini discipulum) Attilam *Flagelli Dei* cognomentum sibi sumpsisse, quasi alter Assur virga furoris Domini, in manu sua eius indignationem ferens, peccata Christianorum vlcisceretur; vt iccirco non Galliæ tantum, sed vniuersus planè Occidentalis Orbis ad nomen Attilæ contremisceret, ipsaque Roma expauesceret, ruitura fortasse, nisi sanctitas Leonis Magni Pontificis obstitisset. B C

Isaia 10.

Hinc factum primò, vt Attilæ fortunam sequerentur plurimæ nationes, partim deuictæ, partim ac potius religione tactæ, quòd diuino consilio ac ductu in omnes pugnare crederetur: Andaricus nimirum Rex Gepidarum fama clarus: Vvalamir Rex etiam Gothorum; fortissimæ tum gentes Marcomanni, Sueui, Quadi, Heruli, Turcilingi, siue Rugi, cum suis Regulis, alijque barbari Aquilonem incolentes; denique, & Theodosius Imperator tributum penderet. Deinde vero eadem religio ad posteros manabat, existimantes cælesti instinctu se militare, & quocunque pergerent certam victoriam circumferre. Qua opinione pleræque nationes imbutæ manus dabant; nec paucæ, quò furorem, & vastitatem auerterent, ad frugem se reuocabant. His enimuerò ob oculos versabatur, & Lupi Trecensis facinus, qui Attilæ obuiam progressus, admisso vltro blandè *Flagello Dei*, direptioni patriæ intercessit: & præterea Leonis Magni factum, qui eidem ardenti furore ad Vrbem properanti, iamque copias vbi Mincius in Padum influit, traijcere paranti, occurrit, diuinaque eloquentia pedem vt referret persuasit, Apostolorum Principe, nisi paruisset, interitum comminante. Nimirũ, & Lupi Trecensis apposita confessio, & Leonis Romani Pontificis sacratior authoritas, religionem augebat, maiore quàm humano nutu regi Attilam, qui perinde scelera mortalium vt Flagellum Dei plecteret, & nihilominus Deo per Leonem loquente præter consuetudinem morem gereret; vt cuncti necessitudinem quandam diuini consilij inter flagellantem, & parcentem intercedere suspica- D E

Paulus Diac. In App. ad Eutrop.

A carentur. Atque ita deinceps inualuit ea apud posteros opinio, vt palam
crederent Hunni, si quid immanius in Deum peccassent nationes, se vnos
ad vindictam in eos exercendam peti; vicissimque illæ, si luerent, certis se
sceleribus obstrictos teneri, ideoque pœnam flagellatione solita pendere fa-
terentur.

Ac tale fuit illud à Sangallensi Historia proditum, cùm Reges Gallorum *Lib. 2. de reb. gest. Caroli Magni.*
Francorumue ob interfectum Desiderium Viennensem, & expulsos sanctis-
simos aduenas Columbanum, & Gallum, nonnihil à pietate deflexissent;
gentem Hunnorum, restrictis antea Galliarum Hispaniarumque spatijs,
B latrocinari solitam, ea tempestate simul vniuersam erupisse, & quasi latissi-
mè fusum incendium cuncta deuastasse, paucis reliquijs ad tutissima latibu-
la comportatis. Hæc ex ea Historia, quæ præterea de terra Hunnorum septẽ
circulis munita, miraculo ostensum narrat, munitiones longe lateque pa-
tentes, fuisse significatas, in quas ipsi spolia detracta congessissent. Contigit
id ducentis post Attilam extinctum circiter annis, durauitque totidem & plu-
ribus annis. *Ad has*, inquit, *munitiones per ducentos, & eo amplius annos, qua-
lescunque omnium Occidentalium diuitias congregantes, Orbem occiduum pene vacuum
reliquerunt.*

C Quæ demum vastitas extremis rem Christianam calamitatibus inuoluisset,
nisi tandem Carolus Magnus Imperator diuinitus excitatus, Hunnos, & ar-
mis, & religione, quemadmodum in loco dicemus, domuisset. Nimirum
hactenus illos sæuisse, & flagellum Dei circumtulisse satis fuit, vt tandem
& ipsi, Deo miserante, religionem Christi respicerent, & illata alijs mala su-
binde ferre ex sanctitate condiscerent. Tanta quippe domitoris gentium
potentia, Deo disponente, huc demum spectabat, vt quemadmodum antea
Romanum Imperium, Principibus haud cogitantibus, Euangelio Christi tan-
to molimine parabatur; ita ingens Attilæ, eiusdemque posterorum, subiu-
D gandi Orbis conatus, Romanæ Ecclesiæ, & religioni, in vastissima gente
propagandæ, militaret. Quod quemadmodum factum sit, in his Annalibus
describemus, à prima Hungarorum conuersione, quoad fieri potest, ritè au-
spicati.

Nam quæ rerum fuerit imago, antequam Christo nomen dedissent, qui-
busque successibus domi atque militiæ fortunam ipsi suam, sua, ducumque
suorum virtute extulerint; aliorum industria pridem famæ commendauit;
vt *mirum sit gentem*, quod ait Ammianus, *monumentis veteribus leuiter notam, & vltra paludes Mæoticas, glacialem Oceanum accolentem, tot habuisse deinde re-* *Lib. 31. in princ.*
E *rum suarum illustres Scriptores*; Ammianum puta ipsum, Ambrosium, Hiero- *Ambr. de Tob. cap. 11.*
nymum, Prosperum, Marcellinum, Saluianum; aliosque his posteriores, plus *Prosper in Chr.*
æquo bellicæ fortitudini, alijsque gestis profanis, quam religioni, & sancti- *Marcel. in Chr. Salu. de prouid. lib. 4.*
tati describendæ intentos; qua tamen non minus valuisse nationem Hun-
garam, quæ in loco dicturi sumus, testabuntur; Vt hinc cum Baronio ad- *Tom. 6. ad an. 444.*
mirari libeat, *Crucis potentiam, quæ omne genus perdomuit Barbarorum: qui enim
adeo feri, & indomiti, truculenti, & omnis prorsus humanitatis expertes fuere, sub
iugo tandem Christi redacti, pij, mansueti, humani, benigni, modesti, omnique ex parte
sanctissimi euasere, enituereque ex ijs Reges, qui maximo Christianæ religionis decori
fuerunt, & ornamento. Porro talia potuisse præstari, nonnisi Legis Euangelicæ esse,*

Theo-

Theodoretus libro de Legibus, pluribus disputat. Hæc Baronius, de Hungaris ante conuersionem, perinde ac de Barbaris infimis sentiens. A

HVNGARIÆ REGNI OPVLENTIA.

Quare illa sanè Hungarorum prima felicitas dici queat, non duntaxat, à suscepto Euangelio, nactos esse cum cælo salubri solum in paucis Orbis plagis fertile, vt quod Tullius de Sicilia dixit, *Horreum* esse *Italiæ*: rectè quispiā de Hungaria affirmarit, Penuarium esse pluribus Europæ Regnis, nec deficere Asiæ. Quæ ne exaggerate dicta videantur, testem inter alios laudo Petrum Bizarrum, minime Pannonium Scriptorem, qui in suo de bello Pannonico libro, de Hungaria loquens. *Nulli* inquit, *regioni terrarum cedit hominum robore, pecorum fœcunditate, vbertate soli, ac metallorum copia: Cæli præterea benignitate, ac pulchritudine situs, omnibus orbis regionibus suo iure potest anteferri. Tellus rerum omnium copia à natura donata, vbi aurum, argentum, sal, lapillos, colores effodere liceat; frumenti, pabuli, leguminis, & pomorum abundantia præstat. Neque deest copia piscium, & cupri confectura: in plerisque fluminibus auri optima ramenta inueniuntur; quin & in vitibus in aurifero solo satis aurum quandoque legunt.* B Hæc iste obiter de Pannonia: Quem fortasse Georgius Vuernherus in libro de Admirandis Hungariæ aquis, parciùs locutum arguat. Vt etiam Callimachus, Amurathum Turcarum Imperatorem suos ad debellandam Hungariam concitantem his inducens: *Hactenus cum natura luctati sumus in confragosis præruptisque Bulgariæ, & Rasciæ montibus; fames, sitis, labor, desperatio, vincenda fuit: vicimus non alia mercede illecti, quàm vt beatæ Hungariæ opulentiam aliquando attingeremus. Hinc iam militiæ nostræ præmia, hinc gloria initur. Ad portas peruentum est: quibus patefactis, non saxa inaccessa, non inuiæ solitudines emetiendæ nobis, sed per loca natura ipsa, & humano cultu longe amænissima ingredimur. Hominum iumentorumque omnis generis alimenta passim, non ad necessitatem, sed ad luxuriam, cum vbertate soli temperies cæli, aquarumque abundantia suppeditat. Quicquid alibi operosa cura vix educat, illic sponte fert sua terræ benignitas; vt credi possit naturam colendi agri cęteris regionibus exemplum daturam, precipuo quodam cultu Hungariam excoluisse. Sed neque vsquam liberaliorem indulgendis diuitijs fuisse constat. Aurum enim, quod alij mortales rarissimis in locis laboriosissime effodiunt, Hungari velut quoddam virgulti genus, etiam pullulans, beatissimę fortunæ opulentia decerpunt.* Hæc iste: Quid dicturus, si de nuperrime inuentis ad Kesmarkum in comitatu Sepusiensi, montibus seu fodinis Adamantum feracibus, suo tempore audiuisset? Et quidem huius rei fama, dum hæc scribimus, iam maiorem Orbis Christiani partem impleuit, nescio an cupiditatem mortalium repressit magis quàm acuit, vt hoc propter, rei alias preciosæ contempto luxu, vilem faciat æstimationem. Cęterum, non hæc prima felicitas Hungarorum, vt aiebam, dici queat; verùm etiam indolem suscepisse ad omnia summa idoneam, ingeniumque scientijs aptum, & quæ quodammodo sponte illud sequantur, si lubeat attendere. Quin à principio quicquid in Scythia boni habuerunt, videntur ipsi secum exportasse; & alieno cælo felicius commisisse, vt temperatæ naturæ signa præferrent, magnanimi, victu mundo, consuetudine honesta vtentes, rerum diuinarum amantes, moribus ad libertatem, & iustitiam compositi, osores improbitatis, turpi Veneri non indulgentes. Qui quidem mores hodie longe à reliquis Scythis exulant, non vitio Cæli, sed religionis corruptela, fauente alioqui indoli, cælesti pla-

Lib. 2. de reb. gest. ab Vladislao Rege.

C D E

A plaga, & Orientalibus, quod aiunt, Trigonocratoribus Saturno ac Ioue.

Certe Hungaros non adeo barbaros fuisse, vt legum insolentes essent, qui historias legerit, ex tractabili ingenio facile deprehendet, nunquam vt omnino, quemadmodum initio insinuauimus, Dei expertes essent; verum ad eius cognitionem religionem suam, etsi sanctitate defectam, vtcunque dirigerent: vt nunquam vel multis erroribus obductam, penitus ex pectoribus exuri permitterent. Idque satis innuit superbus ille quidem, sed non sine peculiari quodam instinctu, fastus Attilæ, de quo sæpe diximus, vt se *Flagellum Dei* cognominatum vellet; quod sanè plurium, & falsorum Deorum inani re-
B ligione procul, proficisci non potuit, nisi ex vnius veri Dei cognitione, quem is scelerum Vindicem, & æquum humanarum rerum Arbitrum, non ignorauit, eoque se quaqua tandem authoritate, an præsensione, vicem Dei, vlciscendo, occupasse præferebat. Nec prætereundum hoc loco quod tradit Ioannes Thurocius, suscepta ex Scythia migratione, constituisse eos Rectorem gentis, virum sapientem, & idoneum, qui lites sopiret dissidentium, furta ac latrocinia castigaret. Vt mittam Edictum illud martiale, quoties bellum decernendum, aut castra mouenda erant, toties circundato mucrone cruento, moneri solitos vniuersos, vt *Voci Dei, & præcepto* (verbo vtar) *Com-*
C *munitatis obedientes, destinatum in locum armati coirent, consilia simul, & iussa capturi*. Quæ consuetudo vsque ad tempora Geysæ Ducis, qui Diuum Stephanum edidit, inuiolate seruata fuit. Hæc vtique indicia non incerta fuerant diuinæ cognitionis, & vestigia quædam, per quæ posteris, Deo mirabiliter deducente, iter esset planum ad regnum veræ Fidei, sanctitatemque capessendam; vt qui olim Attilæ sæuientis, & Ecclesiæ Romanæ vastitatem spirantis, mentem inflexit, idem paulatim alio atque alio euentu, posterorum quoque animos attemperaret, ac tandem Reges, & populos sibi formaret veræ Fidei sanctos cultores, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ non minus fortis-
D simos, quàm obsequentissimos propugnatores. Quorum exemplo manifestum euadet, cum religionis concordia creuisse semper felicitatem Hungarorum cunctis admirandam; eandem verò discordia sectarum, quod in plerisque Regnis florentissimis euenit, maxime semper decreuisse.

Part. 1. Chron. cap. 10.

Fuit enimuero quondam Deo, ac Deiparæ fauorabilis Hungaria Catholica, tot florentissima bonis, quòt mortalibus in hac vita super vota meritaque concedi possunt. Hinc in primis Hungaria *Ecclesia Romanæ*, deinde augustiori quodam titulo, *Regnum Mariæ* dictum, quod Stephano primo Regum, feudali velut ritu vt iure, Deiparæ gratia consignatum, iccirco re-
E gio voto ac voluntate perpetuum Virgini pendit vectigal, ne suum, vel cuiusuis Regis, sed Reginæ Cæli Regnum diceretur, & haberetur. Hinc Albæ Regia Sede, princeps Mariæ Templum, opus admirabili structura, & sumptu sacratum: In quo nullo non tempore Clerus omnis ac populus vota precesque fundebant; Reges ac Pastores noctu diuque pro salute populi supplicabant; confluentes vndique pauperes, erogandis opportuni subsidijs, excubabant, ob id *Mariæ* dicti *Milites*, quòd velut ad tutandam Regni, Regisque salutem auctorati, stipendia eleemosynarum capiebant; Sed prætera in toto Regno ex institutis ab Ecclesia Virgini festis honoribus, sacro Sacerdotiorum, ac Templorum luxu, Episcopatus, profanas super Princi-

HVNGARORVM SVMMA RELIGIO IN B. VIRGINEM.

pum

pum diuitias ex Mariæ dote se se efferebant. Nulla hic cymelia feminis, nullum maribus ornamentum, quod Effigiem Virginis haud referret: pro monilibus, è collo Coronæ pendebant precariæ; pro coronamentis ac stemmatibus, Icones vbique Mariæ Matris, ex parastatis prominebant: illis omne splendebat aurum, argentū, omnis nummus, arma omnia, vestesque omnes, stipulationes omnes ac tabellarum pacta signabantur; quin etiam menses, & feriæ solemnes, Mariæ nomine dicebantur: denique ex hac religione, veluti traducta ad heredes sanctitate, regia soboles non rarò Cælo Diuos inserebat. A

SANCTI REGIÆ STIRPIS HVNGARICÆ.

Ex his post Stephanum patrem, Emericus, deinde Ladislaus Regum sanctissimus, Elisabetha Andreæ Regis, Margarita Belæ Quarti Regum Filiæ; plerosque taceo in loco referendos sanctioris notæ (sed quibus decernenda solennitas in votis hæsit) Principes Cælo dignos; Quamquam obseruatum est subinde intercisam fuisse successionem, diuino opinor consilio, ne certior alius haberetur heres, quam cui ab initio Regnum dicatum, & sacrum fuit. B

Velat. in Pann.

Qua de causa narrant aliqui, Diuum Ladislaum, quòd successoris ex sanguine expers esset, heredem Regni scripsisse Dei Genitricem, cui pridem Stephanus deuouerat; eiusque supremæ voluntatis attestationem numismate cudendo in perpetuum signari iussisse: quod hodieque ita sanctum Reges habent, vt altera ex parte Deiparæ Virginis sedentis, altera Regis Ladislai stantis, Imaginem exhiberi velint; additis in scuto trium Sceptrorum apicibus, qui Regnorum Hungariæ, Croatiæ, Dalmatiæ notam ferrent, eadem religione, & voto Matri Virgini, & Apostolicæ Sedi adscriptorum. Enimuero quod pridem ante Branimirus, Croatiæ, ac Dalmatiæ Princeps, Maiorum suorum pietate reuocata, Romanæ Ecclesiæ, & Apostolorum Principi, Ioanne Octauo Pontifice, cuius ad eundem Branimirum, tantę religionis testis extat Epistola; quod inquam Branimirus professus fuit, ijsdem Regnis deinde ad Ladislaum deuolutis, sanctiùs integratum est. C D

Sic enimuero bene constituta Religione, in cęteris quoque felix Hungariæ fuit, vix alteri sub cælo secunda Regno; donec admissa per negligentiam Hæresi, quæ Principum discordiæ mater est, & carnis prudentiæ, contra Deum, & spiritum militantis cognata; communi cæterorum Regnorum fato à seipsa discederet, ac paulatim sub iugum alienum mitteretur. Non hæc ita assero, quasi nesciam, hodieque indistrictam in paucis esse Hungarorum pietatem, & vbi Hæresis, vigilantia bonorum Pastorum, non inualuit, suo loco stare sanctitatem: sed cùm suapte natura semper ad peiora tendit humanarum inconstantia rerum, merito ex interitu aliorum Regnorum, suspensum quiuis in omnia ferat cogitatum, ne peregrini casus formido, si religione vacet, stantem in Orbe volubili fortunam incessat. E

Occurrit porrò quæ arcano in supernis consilio, rebus sub Sole positis sublimis potentia moderatur. Hæc enimuero, etsi interdum vel nullo criminis sensu, versat mortalia, plenoque mancipij iure cuncta disponit, nulla cuiquam potestatis explicata ratione, ipsa sui ratio facti, suæ præscriptio voluntatis; sæpius tamen noxis hominum exigentibus, Hæreses (quod malorum summum est) grassari in Religionem permittit, Principumque, & potentiorum peccata, qui neglectu pietatis, sacra iura, sua metiuntur cupiditate,

A rate, hoc flagello vindicat, adeoque pœnam in posteros, non animaduersa, persæpe ab his mali causa, deriuat. Vbi porro Hæreses semel pedem fixere, cur cætera mala eueniant superflue disceptatur; veluti si quæramus vnde riui manent, si fontem vel scaturiginem intueamur.

Nam quòd augustissima quondam Regna, & Prouinciæ sanctitate præcipua venerabiles, hodie sub profano iugo gemunt, hoc solum fortasse felices, quòd non planè in solitudinem deformatæ, bestias an homines patiantur ignorent; non aliunde prouenit, nisi quòd auita Religione relicta, immò longe exacta, Schismatibus, & quæ ex his gignuntur, Hæresibus forum de- SCHISMA IN RELIGIONE. POTISSIMA EXCIDII REGNORVM CAVSA

B derunt. Quanquam Vrbes florentissimæ haud paucæ solo æquatæ, rudera pro signo habent; plures vero non plane dirutæ, formam eatenus seruant, vt vetustates, & ruinæ pro Templis, & sacrorum cultu abolito, hanc emittere vocem queant: *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam: polluerunt templum sanctum tuum, altaria tua profanauerunt.* Psalm. 78.

Vbi enimuero nunc augusta illa florentis Asiæ, atque Africæ Templa, quæ Principum opes hauriebant, vicissimque Deo fauente cumulabant, Religionem ad omnem sanctitatis speciem excitatam seruabant, vt nihil esset in Orbe terrarum, vel structura magnificentius, vel cerimonia religiosius, quàm

C quæ passim, vel solius Deiparæ Virginis honori, super Regum tecta Basilicæ exurgebant? Loquimur enim interim de Dei Genitricis cultu; quem præcipuè ab antiquo Hæretici omnes impugnarunt, docti à serpente illo, qui à condito Orbe, calcaneis eiusdem insidiari cœpit. Quæ cùm Aduocata sit peculiaris, Ecclesiæ per sanguinem Filij redemptæ; si eius veneratio aboleri queat, de Catholica religione actum esse non sine causa, omnes impugnatores facile sibi persuadeant. Scilicet Magnetiæ Sosandra, Ioannis Ducæ Constantinopoli Chalcoprateium, Hodegetria Blachernarum, Pulcheriæ monumenta. In Blachernis item Aurea porta, Leonis opus: Vt interea mitta-

D mus quas, vel Iustinus in eadem Vrbe, vel Helena Constantini mater, apud Bethlehem, ac Hierosolymis; Iustinianus præterea Antiochiæ, Carthagini denique, quicunque fuerit author, in Paro Insula maris Ægæi: quarum sanè splendorem, ac magnificentiam, sicuti oratione explicari non posse nonnulli existimarunt; ita nec cuiusuis alterius Templi pulchritudine exæquari; vt in tanta substructionum præstantia, non iam maiestas Imperatorum conata, sed diuinæ magnitudo sapientiæ fuisse architectata credi posset: (sic de Sophiæ Templo à Iustiniano restituto, quidam verè dictum volunt,) quæ sicut in figura Templum illud à Salomone conditum, re ipsa in Virginis vtero sa-

E pientissime perfecit: ita Virgini quoque domicilium inter mortales non vnum, vbi piè culta nihil non cælitus efficeret, existere voluerit. Steterunt ista quidem eximia monumenta satis diu; fuit & Religionis honos cum Deiparæ, & Sanctorum cultu preciosus, vnde in Ciuitates, & Regna perpetui gratiarum fontes effluebant. Hodie sine honore manent inculta, pleraque etiam prostrata, suis duntaxat ruinis extant, memoriam animis, lacrymas oculis innouantes.

Hæc si remota sunt; luberet hoc loco memorare, florentem nuper in Anglia, vt vsquam & vnquam alibi, Religionem orthodoxam, tam inopina mutatione, leui de causa versam, & obrepente, quam non nouerat, ex discordia

pauco-

paucorum hæresi, cultu Superis inuiso pallere cœpisse Ecclesias deformatas, A
quarum splendor, & pulchritudo inter cæteras naturæ & artis prærogatiuas super omnia Regna ipsam efferebat; Vt dolendum foret, gentem Deo quondam caram, emortua sanctitate, natiuæ quoque indoli supremam perniciem attulisse, cui nullæ vnquam Historicorum lacrymæ satis parentarent, nisi spes superesset tot Sanctorum meritis, quos adeo insignes protulit, totq. illustrium Martyrum intercessionibus, quorum sanguine nondum rubere desijt, aliquando rursum auitæ sanctitati restituendam.

Sed recentissimum est vulnus, quo dum hæc scribimus, non minus florentissima nuper, quàm potentissima Imperij sedes Germania, factione male B
feriatorum capitum hiat; & oblita sui, dum in propria viscera grassatur, inuisæ, Deoque ingratæ libidini præda cedit. Vbi antiqua illa, dum prisca fides staret, cum felicitate coniuncta sanctitas? vbi potentia illa, toti Orbi formidabilis, quæ Romanam tuebatur Ecclesiam, & aduersas Religionis Catholicæ potestates, aut flectebat, aut perdomabat? Vt primum admissa hæresi à Religione se auertit, in plures factiones scissa, terga singulis dedit, tantamque sui stragem in paucis annis edidit, quantam si Mahumetanis intulisset, (inferre autem, viribus Religionis consensu vnitis, poterat) hodie Asia, & Africa Christiana esset, & Romanæ, adeoque Catholicæ Ecclesiæ pareret. C

Quorsum hæc, & quid ad Hungaricæ Ecclesiæ Annales, nisi vt præteritorum præsentiumque exemplo, liquidum euadat, vnde Catholicissima olim, florentissima, nec minus toti Orbi venerabilis, quàm hostibus Fidei formidabilis Prouincia, ad eas quæ hodie cernuntur, redacta sit angustias, siue suo, siue tandem alieno conflictata malo? Vt meritò perquamcauta debeat esse cuiusque Regni in præsenti felicitatis cursu fidentia; nec si vnquam alea deerrauit, icciico perpetua constansque censenda sit fortuna; quando nec animorum status, quandiu sub Sole res inter caducas alligata versatur, stabilis semper esse potest, nisi diuinitus iniecta constantia, qua supra vicissitudinem fertur, raro inter mortales gressu, dirigatur. D

Itaque si Gentes aliquando religione florentissimas, Regnaque, & Vrbes sanctitatibus ornatas, hodie calamitatibus afflictas decidisse penitus miramur, ac deploramus; ad animum ducere debemus, non eo loco Regna sedere absque pietate, vnde moueri non possint, ac in imum, fortunæ quoquo tandem impulsu, recidere. Nam quòd vbique religiones, & sanctitates ex obrepentibus satiscere cœperunt Religionis discordijs, ac demum conciderunt, tametsi æternam constantiam promittere viderentur: eam quidem in promptu causam habet, quòd nunquam luci cum tenebris conuenire potest; cur E
tamen hæreses in medijs pene Fidei complexibus intercedere solitæ sint, ex scelerum in primis impunitate, qua libertas libertatem parit: deinde ex non necessario minorum malorum permissu, quo maiora falso vitari creduntur: denique ex nimio terrenorum amore, cui cælestia postponuntur, & iustitia non administrata progressum habet; Vt iam hinc facile sacræ leges contemnantur, noua iura confingantur: obedientia eneruetur, & religioni potius, quàm ambitioni nuncius remittatur. Atque hæc omnium causa malorum, quæ humanitus cognosci potest; & verum semper est, quod ille dixit: *Radix*
1. Timoth. 6. *omnium malorum cupiditas; quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruierunt*

A *runt se doloribus multis*. Quòd si præter hanc, aliæ sunt occultiores causæ, ob quas diuina potentia res versat humanas, de ijs apud Album omnia cognoscentis Iudicij transigendum erit.

Profectò enim quod ex vanis Chaldæorum decretis, haud pauci nugarum fabri, sicut Monarchiarum demutationes, Regnorum translationes, ita Religionis casum, ac sectarum ingressus, ex syderum positu, varijsque cælestium Orbium conuersionibus hariolentur; æque sane mentiuntur ac dementiunt: ipsi nequitiarum diuinaculi, prorsus etiam factionum aurigæ sunt. Non nescimus interdum, Deo faciente, sydereos paratus, rerum eue-
B nientium esse signa, quæ mortalium animos terrore suspensos ad frugem vertant; imminentia pericula, vitæ sanctitate moneant declinare: sed enim causas esse malorum à libertate mentis pendentium, vt fortasse nonnihil momenti afferant ad propensionem; ita si rectè philosophamur, erit pernegandum, vt non solum à sanctitate, verum etiam à sanitate mentis proscriptus habeatur, qui tam dementer, & peruersè putet opinandum.

Tum enimuero tot admirabilium inter mortales euentuum patebunt causæ, cùm Deo, sceleris Orbem coarguente, Liber ille scriptus intus, & foris, reuultis septem sigillis, abscondita rerum resignabit, imperuias omnium
C origines, redacto velut scenæ sipario, pandet; ac, vt ita dicam, in meditullio lucis locabit. Tum cessabunt anxiæ quæstiones hominum, sopientur admirabilitates, cur affligitur iustus, prosperatur impius, deijcitur sanctus, erigitur noxius; hic de summo cadit, ille ex imo surgit; hic condit, ille promit, nec tam gaza in hæredes, quàm inanis fama transit ad afflictos nepotes; familia familiam trudit, & dignitates deerrant ad inopinos: cur benemerita nonnunquam Regna, scelestos impetrant Dominos, & insontia membra, noxij Capitis malum ferunt: cur lectissimæ Orbis Prouinciæ, mutata Christi seruitute, cum Hæresibus pepigerunt; & Ecclesiæ defensores, in Religionis
D hostes desciuerunt; & florentissimi Deiparæ, Sanctorumque cultu Populi, in crudelissimos omnis pietatis persecutores euaserunt: ac denique clarissima Religione, scientia, rerum potestate, Nationes, proiecta sanctitate, in Cimmerias ignorantiæ tenebras præcipitarunt; nec non habenis Orthodoxæ Ecclesiæ manus exutæ, corpora tota Tyrannorum iugis, animos verò inexplicabilibus errorum, & malorum vinculis innexuerunt.

Quare, sicut nullum olim Regnum, quantauis sanctitate florens, ac deinde cadens, de sanctitate gloriari potest; ita neque Hungaria, cuius religionem scribimus, hactenus extra aleam fuit. Luberet, si opus esset, innu-
E meras recensere regiones, quibus aliquando lux Euangelij, per Viros sanctissimos, Nationum dictos Apostolos, ingentibus illata splendoribus, non vno sæculo sulsit ad salutem; sed demum accedente corruptioris doctrinæ caligine, cassisque virtute moribus, ne tenuis quidem serenæ lucis radius relictus est. Ac mirum plane est, vbi quondam æmulæ Cælo sanctitates effloruerant, ibi deinde vitiorum omnium semina, nec non efferatiores odio Religionis, animos germinasse. Et tolerari posset, si tantum cæci essent, nisi etiam absque luce feliciores videri mallent; quasi collatis priscis ætatibus, tunc ærumnosi fuissent; à pulsa Religione secundè haberent; vt iam deuocandi sint Manes Augustini, qui nouis de Ciuitate Dei

procusis operibus, circumeuntem prorsus exoculent impietatem. A

Sed enim inanis est ista deploratio, si cogitemus nihil illis terris in Orbe fuisse sacratius, quæ Christi prædicatione primas Euangelij gemmas protulerunt, eiusdem sudore maduerunt, sanguine rubuerunt: & tamen illæ impietatis obtritæ vestigijs, nefandis temeratæ superstitionibus, viluerunt: neque solum, sed loca circumquaque omnia, quæ à fusi cruoris calore vitam vtcunque conceperant, exortis primum dissensionum pruinis, mox infidelitatis gelu refrixerunt. Vt nullius vnquam gentis secura queat esse gloriatio, quasi duraturam super humanorum aleam felicitatem ex eo ferat, quòd eam vel Petri, vel Pauli, vel cuiusuis alterius Apostoli prædicatione susceperit, si in Fide non steterit. B.

Proinde, si rerum omnium talis sub Sole est conditio, magnum Hungaris diuinæ protectionis est argumentum, inconcussam per tot secula inter medios infidelitatis scopulos seruasse Religionem; vt quamuis Regno maiori ex parte occupato, incolisque sub iugum Tyrannidis Ottomanicæ, Christianorum maxime Principum factione, missis, ab orthodoxa Fide semel suscepta non omnes discesserint, multis seruitute duntaxat corporum pressis, non animorum libertate subditis; quam tamen gentilis impietas, à qua ruina Regni cœpit, incassum conatur expugnare; frustra etiam adlaborantibus ijs, quibus præ Religione Christi est, impiorum gladijs, Catholicorum sanguinem haurire; Catholicamque Fidem, si possint, abolere. C

Cæterùm, quòd hactenus in tanta rerum vicissitudine tot turbinibus conflictata, tot seculis à potentissimis Tyrannis impugnata Hungaria, non tota penitus euersa sit: id equidem, si recte conijcio, vnicæ post Deum, erga Deiparam, cui Stephanus Rex primus Regnum sacrauit, religioni tribuendum censeo; Vt hinc reliquæ felicitatis tenor, tutaque esse constantia in pusillo grege queat, si vel in medijs fluctibus, hanc certissimam spei anchoram fidentibus animis apprehendant. Quod sane præclarum inter reliqua, Religionis Hungaricæ argumentum, omni ex parte securam habuisset sanctitatem, nisi emersissent discordiæ Magnatum, & vltro noxas admisissent; quarum offensa prouocatum Numen, felicem adeo rerum Hungaricarum cursum calamitati subiecit. Neque enim timendum erat, ne recepta Deiparæ Virginis protectio, vota, ratamque fidem falleret, sed ne in crimina subditi cum Principibus acti, Religionem redderent inanem, gratiam præciderent. D

Tria fere sunt flagellorum genera, quibus in mortales, sed clementer sæuit ira cælestis, pestilentia, fames, & bellum: cùm irritatur magis, Principes imponit vel ineptos, vel pessimos, nec semel Regna Regesque mutat, iugo externo premit: interdum exigente morum peruersitate, maiora peccata permittit; ac tum vbi malitia conscendit ad culmen, nouissimo formidabili exemplo, animorum prædatrices, velut dentes bestiarum immittens, irrepere sinit Hæreses, quæ omnem trahunt impietatem, ac potissimùm Sanctorum auertunt Religionem; ne colantur, qui apud Principem mediatorem, causas peccatorum agant, ruantque præcipites, quibus hæc Religionis cura semel euanuit. Et quidem, si pestilentia, & fame persæpe conflictata est alioqui cælo, & solo felix Hungaria; quæ (nisi Deus E

Vir-

A Virginis intercessione Matris, Sanctorum tutelarium patrocinio auertisset, maiorum malorum erant præludia) bellorum tamen fluctibus eò sæpissime agitata est, quòd non deessent, qui libertate opinandi, Religioni aduersum irent, adeoque Regnum Deiparæ sacrum, diuersis factionum studijs labefactarent. Est quippe libertas opinandi, mater hærosum, habetque magistram illam subæratæ prudentiæ sagacitatem, quam plerique Atheismo saginati, *Rationem Status* vocant, & ex ea politicè arbitrantur: Hinc in sacra rerum adrepentes, & ex Religione, vt videtur, fucatas scelerum causas ducentes (scilicet ne quid vspiam aduersus exulceratam conscientiam venire

B possit,) suas præceptiones ex sanctionibus Scripturarum pingunt; quasi quæ hactenus Ecclesiam latuere, cælitus ipsi conceperint: quin parati, si sacræ Scripturæ abdicant, nuncium ijsdem remittere, dum foro vtantur suo. Duces vtique cæcorum, sed qui Potentes illaqueatos, ad postomidem (quod dicitur) regunt; vt iam è Religione fit, bella ex bellis serere, ius fasque ex libidine accersire, ex occasione conscientiam, vel apud hostes Fidei æstimare; lites, quod aiunt, ex ala muscæ in perniciem humani generis agitare, leges pro prætextu figere ac refigere; denique decreta sanctitatum insuper habere, vel certe Religionis causam præ iure Status inter postrema

C ducere. Quæ qui faciunt, rationem factitandi vnicam habent, *Bonum odisse*. A quibus vtique malis exemplo aliorum Regnorum quæ præcoci caducitate interierunt, longe, quod superest Europæ, velim esse; *ne quæsitis in puncto spatijs*, vt Arnobius ait, *amplitudo Cæli temere negligatur*. Vt non immerito Plinius humanam stoliditatem rideat, quòd in hoc puncto domicilium gloriæ suæ figat. Postquam enim enumerasset habitabiles Terræ partes, *Hæ*, inquit, *tot portiones terræ, immo vero, vt plures tradidere, mundi punctus; neque enim est aliud terra vniuersa: hæc est materia gloriæ nostræ, hæc sedes, hic honores gerimus, hic exercemus imperia, hic opes cupimus, hic tumultuatur humanum genus,*

D *hic instauramus bella etiam ciuilia, mutuis cædibus laxiorem facimus terram. Et vt publicos gentium furores transeam, hæc, in qua conterminos pellimus, furtoque, vicini cespitem nostro solo affodimus, vt qui latissimè rura metatus fuerit, vltraque fines exegerit accolas, quota terrarum parte gaudeat, vel cum ad mensuram auaritiæ suæ propagauerit, quam tandem portionem eius, defunctus obtineat.* Hæc Plinius, ad Christianorum confusionem.

Atque ex hactenus dictis facilè constat, vnde felicitas Hungariæ, sicut & cæterorum Regnorum, vicissimque calamitas sit æstimanda. Plures sanè viri eruditi, & ingeniosi laborant in eius felicitate, velut omnis voluptatis

E prono alimento, describenda; quam nos qui sacra præcipuè consectamur, e Religione expendimus, vt ab initio, futuræ Hungarorum sanctitati paratam fuisse cogitemus, non secus ac quondam populo electo terram promissionis; perinde quasi egressus ex Scythia, cum exitu de Ægypto, & vicissim vtrobique tot gentium, & nationum expugnationes quodammodo comparari queant; nec aliud debebatur Principibus tam religiosis, ad Regnum, quod Deo, Deiparæ, & Romanæ Ecclesiæ sacrandum erat, gubernandum destinatis. Quibus etiam addo: Coronam, quæ ideo *Sacra* dicitur, & habetur, diuina quodammodo manus, vt in loco dicturi sumus, præparauit. Scio quamplurimos esse, qui Regnorum populorumque defectio-

 nes,

.ies, & euersiones, in mutationes absidum Planetarum, eccentricitatis Solis, obliquitatis Zodiaci, denique in variationes coniunctionum superiorũ Planetarum coniecere. Et isti quidem faciunt, quod vulgares Medici solent, morborum rationes aut in Cæli aërisque intemperiem, aut in ipsius ægri corporis constitutionem conferentes. Neque exemplis hic opus frequentium vicissitudinum, quæ nec apte nec ex genuina origine repetuntur. Mihi semper præclare sentire visi sunt, qui Regnorum omnium Christianorum felicitatem Religioni sanctè cultæ, calamitatem eidem temeratæ adscripserunt. Catholica sane Religione constat, eò laudis, & gloriæ euasisse Hungaros, vt nomen ipsum quodammodo sanctitatis, & religionis esset, nec sua tempestate quicquam admirabilius haberet Orbis, quam Regnum Hungariæ, opibus, splendore, diuino cultu, felicitate, & victorijs in paucis florens. Vt contra, obrepente Hæresi, & paulatim decedente Religione, hæc quoque sensim ferè decessere; ijs in parte relictis vestigijs, quæ in medijs adhuc calamitatibus, velut in medijs fluctibus extantia, naufragium factum ostentant. Quæ si in animum demittant, qui priscorum Hungarorum nomine tantum retento, pietatem exuerunt, non est cur alias malorum causas, quibus Hungaria deformata est, quærant.

A B

Quo minus itaque calamitate eximamus Hungariam, ipsa pro se clamat, vel si Achiorem in simili coram Holoferne, de gente Israelitarum perorantem, minime audiamus. Possent singula paribus, & demensis Græcanici Imperij argumentis declarari; quadam enim velut corporum sympathia, similes prodiderunt affectiones. Quoties Græcis cum Romana Ecclesia conuenit, toties extra aleam floruerunt res Græcorum: quoties ab eadem discesserunt, calamitas in loco fuit. Idem plane diuersa tempestate, rerum euentus Hungaricarum, hoc vno felicior, quòd non pauci, manus Hæresi nunquam dederunt; Ecclesiæ Romanæ, nuncium nunquam remiserunt: vt inde fieri credam, non totam hactenus Tyranni potentis iugum subijsse, cùm Græcia ducentis iam propemodum annis sub eo gemere assueuerit: sed neque metuo aliquando subituram, nisi peccata populi, & Principum potiora, aliud exegerint.

C D

HVNGARIA SANCTITATE, ET ERVDITIONE FLORENS.

Inter omnia porro Hungariæ felicitatis argumenta, quæ Religio protulit, non postremũ locum sibi vendicat *Sanctitas*, & *Eruditio*. Quantum enim vero in illa effloruerit, cum ex hactenus dictis, tum ex dicendis in Annalium serie constabit: nec inepte dixeris velut Sanctuarium quoddam esse Ecclesiæ Catholicæ, vnde tot non vnius ordinis Sancti prodierunt, vniuersum Orbem Christianum exemplo, & rerum gestarum gloria illustrantes. Quod spectat ad eruditionem, hic quoque hallucinatur Volaterranus: *Hungaros omnium artium indociles, præterquam militaris*, affirmans. Excidit opinor nõ paucas Hungariæ Ciuitates, ipsamque adeo Hungariam, eidem Signo cælesti Sagittario subesse, ac Patriam suam Volaterras, vnde solida, & beneficio Mercurij versatilia isthic ingenia gigni, libenter ex ore iactantium excipiebat. Omnino vero Hungaros ad omnia literarum summa natos, si attendant, siue indulgentia cæli, siue industria, & indole animi, nemo nisi inexperiens inficiabitur. Quam laudem fortasse ex Hieronymo quoque, Doctore Ecclesiæ maximo, repetent Hungaricarum rerum Scriptores illi,

E

Lib. 7. Geogr. in Pannonia.

Petr. Bizar. lib. de Bel. Pann.

A qui Stridonem, beati viri natale solum inter oppida Hungariæ non longè Sabaria Diui Martini patria locant. Ipse Hieronymus, *Oppido Stridonis, quod à Gothis euersum, Dalmatiæ quondam Pannoniæque confinium fuit*, ortum suum adscribit. Ex qua attestatione, quid in rem Hungarorum venire queat, in ingressu ad Annales Chronico damus. Interim extant æterna plurimorum monumenta; quæ altero millenarij currentis seculo, posterior ætas mirata est; plurium vero, temporum incuria, & barbarorum direptiones, toties vastata Hungaria, euerterunt. Fuere certè non ordinis duntaxat claustralis viri, qui Theologiam in summo locarent, nec duntaxat Ecclesiæ Proceres, Car-
B dinales, Episcopi, reliqui Prælati, cæterique ex Clero, qui quauis literaturà explendebant; sed Reges in paucis, Principes, & plurimi Regni Optimates, quibus perinde fuit armis, & literis excellere, quod in alijs rarum est, vt continuo in vmbraculis Gymnasiorum nutriti, & nihilominus in Campis Martijs exercitati viderentur. De his singulis in serie dicturi sumus.

De Script. Eccl. in fine.

Alibi ostendimus, nulli quam Hungarorum nationi magis familiarem esse linguæ Latinæ vsum, non qui illis natiuus sit, vt quidam inepte existimarunt, Vualachos cum Hungaris confundentes, antiquam Romanorum Coloniam, quæ hodieque Romanæ, hoc est Latinæ, quamuis corruptè ser-
C monem edit; sed quem indolis propensione, & animi voluptate in scholis à tenera ætate capit. Quantum verò hinc existat ad omne genus doctrinæ præsidij, superfluum est pluribus ostendere, quando palam est, Latinè loquentes in foro scientiarum versari, & foro vti, alijs interim circumspectantibus duntaxat, velut baiulis literarum. Et licebit in loco plane illustres ordine percensere Viros, qui ex Hungaris omni doctrinæ genere instructissimi, theatrum, & coronam apud doctos meruerunt, semper in admiratione versati. Satis interea sit addidisse, nunquam Maiorum suorum exemplo facturum fuisse Matthiam Primum, Regem Hungarorum, vt Budæ in sua
D Regia celeberrimam totius Orbis Bibliothecam instrueret; nisi quemadmodum plures olim extitisse, suaque ætate esse in Hungaris, futurosque semper celeberrimos viros, qui ea vti nossent, probe perspexisset. Id propter eam non in Ædibus regijs, sed in peculiari Templo consecratam volebat, vt non solum publicæ omnium commoditati consuleret, sed amorem studij, cum sanctitate, & religione coniunctum vellet.

In hist. S. Latinitatis.

BIBLIOTHECA A MATTHIA CORVINO REGE CONSTRVCTA BVDÆ.

Scribit de ea luculenter Ioannes Alexander Brassicanus; ita tamen, vt eius vastitate Turcarum excisæ, sine lacrymis haud meminerit, illud Virgilianum identidem secum reputans;

Praef. in Salu.

E ———*Quis talia fando,*
Temperet à lacrymis?

Qua etiam de causa laudes non semel interrumpit, vt malit obliuisci quam meminisse. Vno verbo: Tantum erat hic antiquorum Græcorum simul, & Hebraicorum voluminum, quæ Matthias ille Rex, capta iam à Turcis Constantinopoli, euersisque multis alijs amplissimis Græciæ Vrbibus, ex media Græcia inæstimandis sumptibus coëmerat, ac tanquam mancipia ex Barbarorum catastis, atque compedibus receperat: Tantum præterea Latinorum librorum, & veterum, & recentiorum, vt nusquam alibi, quod Brassicanus scire potuerit, in omnibus alioqui Italiæ Bibliothecis vet-

ſatus: Vt hinc facilè conijcias, vix vllam huic comparandam fuiſſe Bibliothecam, quæ totius fere Græciæ lectiſſimos libros condiderit. Neque tamen his contentus Rex Matthias, quem *librorum helluonem* appellat, quatuor inſignes Florentiæ Librarios, magnis impendijs alebat; quorum is vnus & vnicus labor erat, vt omnes melioris notæ authores Græcos, & Latinos, qui in Italia inuenirentur, exſcriberent: nam ipſa typographice (vt exigua ſunt omnium rerum principia) nondum tam late patebat, vt regijs votis Regis omnium excellentiſſimi ſatisfacere poſſet. Hinc factum, vt cùm nihil ibi non eſſet librorum lectiſſimorum, ſinguli, ſingulis theſauris ab eodem Braſſicano conferantur. Plures vero recenſet, quorum vocabula hodie Vaticanis etiam ſunt peregrina. Sed hæc ſatis, quæ & Volaterrano cognita erant. A B

Plura ſi addam, præmature in laudes Matthiæ Regis ſuo loco celebrandi effundar; qui, ſi omnibus & ſuæ & poſteræ ætatis Scriptoribus argumentum præbet, potentiæ, felicitatis, opum, fortitudinis, & quicquid naturæ dotes, cum virtutis, & fortunæ cenſu Regum maximo conferre potuerunt; tum vero Heris Heroibuſque Palatinis ſemper auſpicatum fuit, inter celebres Orbis hiſtorias, & maximorum virorum Icones, Matthiæ Regis geſta, & Imaginem Ædibus ſuis ornandis præpingere; vt & prætereuntibus ſpectaculo eſſet tanti ſuper famam Herois, ex vultu maieſtatis, & domus ipſæ, tanti exempli, & memoriæ indices haberentur fortunatæ. Id ſi per omnes Europæ Vrbes præcipuas ſolenne fuit, tum hodieque Romæ in Orbis theatro, viſitur elegans pictura, & vt verbis Pauli Iouij, qui rem inter ſua monumenta extare voluit, vtar, *Effigies Matthiæ armata equeſtris, luculentiſſime depicta ſpectatur in campo Floræ, contra podium cubiculi in angulo Laurentianæ domus*, hoc eſt, Palatij Diui Laurentij, Ædi à Damaſo Papa excitatæ coniuncti, in quo tum manebat Iouius; cui & ipſe perſimilem in ſuo Muſæo habebat Andreæ Manteniæ celebri manu factam. Et fortaſſe eiuſdem exempli fuerit, quam Solymanus Turcarum Imperator, Italo penicillo ad viuum expreſſam eiuſdem Regis inequitantis Imaginem, & ex aduerſo poſitam ad dexteram Alexandri Magni collocatam continuo oculis obuerſari voluit: gaudens præuixiſſe eum ſibi, quem Turcarum Imperium formidare didicerat, prorſus excindendum, niſi malo Chriſtianorum in fata conceſſiſſet. Verum de his ſatis: nam hoc loco, inſtar omnium eſſe queat, Matthiam Regẽ, literarum tractationem, iuxta ac reliquam gloriam habuiſſe, nunquam certe infra dignitatem, & nomen Regium poſuiſſe. C D

MATTHIÆ CORVINI EFFIGIES ROMÆ.

Quod vlterius huc ſpectat, operæ pretium erit, quam late Religio Regnũ Hungariæ protulerit, ob oculos ponere; quibus item de cauſis fortuna tantum potuerit, vt coarctatis limitibus, ipſam quoque Religionem quodammodo in anguſta conijceret. Sed enim horum cognitio, cùm ex varijs viciſſitudinibus pendeat, in quibus bella cum pace, ſtatus Eccleſiarum cum iure politico, fœdera denique cum affinitatibus commiſſa, acceſſiones fecere, & ſucceſſiones, nec minus interdum inopinas mutationes, ſuis locis ex ordine, quantum ad Annales Eccleſiaſticos ſpectare videbitur, explicanda erit. Hic ſatis ſit de Hungarorum priſcis Regibus ſingulatim dici potuiſſe illud Dauidis: *Dominabuntur à mari vſque ad mare, & à flumine vſ-* E

Pſalm. 71.

que

A *quæ ad terminos Orbis terrarum*: quando eorum dominatus ab Adriatico Mari, vsque ad Euxinum protensus, quicquid etiam inter Danubium, vsque ad montes Macedonicos terrarum esset, ditione continebat; quo quidem spatio Mœsiam Superiorem olim, deinde Bosnam, Rasciam, Seruiam, recentiores definiuerunt, paruam nimirum Pannonici Regni portionem, sed magnis suorum perfidia malis, quo ad penitus deficeret, conflictatam.

Nam quòd tota hactenus Hungaria suam moratur ruinam, id iterum, atque iterum peculiari Dei prouidentiæ est adscribendum; quòd vt non semel diximus, Regnum ab initio Deiparæ Virgini sacrum, & Romanæ Ecclesiæ deuotum, subire iugum impietatis minime oportuit, nisi peccata B exiorsissent. Vt qui hæc ad animum demittant, minimè mirentur, nullum in Oriente fuisse Regnum, quod non citiùs excidisset, ipso Orientis Imperio Turcis succollante, cùm interea tribus pene seculis, ingentibus lacessita bellis, paruaque defensa manu Pannonia, non tota corruerit, tota alioqui mansura, nisi singularis fera hereditatem Domini vastare cœpisset, immissa paulatim dissensione partium; vnde Religionis discessione facta, Turcicæ Tyrannidis iugum non pauci præoptarunt, ex Ecclesiæ Romanæ filijs, serui impietatis effecti. Hinc illa mala, quæ Christianus Orbis gemit; C & nisi piæ paucorum lacrymæ, qui coram Baal genua nondum flexerunt, Sanctorumque tutelarium, & quos præcipue Hungaria Cęlo peperit, intercessiones morarentur, non iam ipsam duntaxat, sed ea euersa, Europam vniuersam obruissent.

Atqui ex hactenus dictis, qui nobis in his Annalibus Ecclesiasticis scribendis propositus sit præcipuus finis, satis elucescit. Pietati nimirum, & Religioni Orthodoxæ velificamur, nec pœnitendo, si rectè opinamur, Reipublicæ Christianæ fructu, ac saltem, quod fidenter præcipimus, conatu apud Superos non improbando.

D Porrò Ecclesiasticos Annales placuit scribere, quòd alterum genus, etsi fortasse ab instituto non alienum, Religioni tamen, & pietati nihil admodum conducere certum erat: Et sunt non pauci, qui in his vane desudantes meliora neglexerunt, de Religione Hungarorum, Ecclesiæ Hungaricæ initijs, progressu, magnificentia, vix cogitantes; quanquam, & in illis pleraque, nec rectè, nec ordine persecuti, persæpe incerta, & falsa sunt sectati, & interdum planè in fabulosa abierunt; sed quod historiæ plurimum obest, plurima etiam ex veris, nulla temporum seruata ratione, præpostere narrarunt, & aliorum illuminatæ alioqui diligentiæ tenebras offuderunt; E interdum quæ ab vno aliquo præclare gesta sunt, alteri cuipiam adscribentes, obliuione illius, gloriam huius nundinati.

His vt aduersum iremus, Annales Ecclesiasticos ordine digessimus, ea ratione, vt reliquis etiam ad res Hungaricas spectantibus lucem afferremus, & quo tempore, quibusue ex occasionibus singula gesta essent, ostenderemus: Non minimo quidem, sed necessario labore, si quid conducere optaremus. Quo factum vt cùm inopia Scriptorum magis, quam rerum, interdum non suppeteret quod suis annis tribuendum foret, ex connexis, vt solet, seriem duceremus, nihil omittentes eorum, quæ ad Ecclesiæ statum pertinere viderentur. Nec dubitamus multa hìc inuenturum lectorem,

quæ

quæ secus atque opinabatur, gesta fuisse mirabitur: intelliget autem ex rerum veritate, vulgato errori præiudicium faciendum. Si porro nouerit, eiusce modi esse Hungaricæ Ecclesiæ notitiam, quæ nullius non sapientissimi calamo dignum perinde, ac copiosum sufficiat argumentum, ad hos Annales euoluendos bene feriatum appellet animum; & animaduertet damnandam iure multorum incuriam, qui hinc de Religione bene mereri neglexerunt. Quin etiam vnà nobiscum agnoscet, inter Orbis Christiani Prouincias, de tanto Religionis suæ splendore, tot diuinis prærogatiuis ornatæ, Hungariam perçque gloriari posse, etsi Scriptores aliarum, vel minima quçque, verbis amplissimis extulerint. Nobis sane ea ratio incessit, vt cùm res ipsa pro se digne loqueretur, simplici & candida oratione contenti, procul omni lenocinio, stylo temperaremus.



PRAEVIVM CHRONICON.



A PRAEMISSO Apparatu, qui ad res Hungaricæ gentis generatim cognoſcendas viã quandam aperiret, viſum eſt operæ precium, multorum in ſpecie notitiam, annis ab Orbe redempto repetitis, ob oculos ponere; quouſque ſeriem Annalium tempore certo, & præfixo liceret initiare. Ne enimuero à præ-
B ſentium tractatione ſæpius neceſſe foret ad præterita regredi, quæ tametſi ante conuerſionem Hungarorum geſta, non oblique futura ſpectabant; opportunum exiſtimauimus, eadem, locis & temporibus ſuis, quantum aſſequi potuimus, diſponere. Nempe vt legentis animum eò reuocaremus, vnde & inſtructior ad conſecuta rerum momenta reliquum ſtudium afferret, & geſtorum ratio-
C nes ad Pietatis, & Religionis argumenta expenderet. In quo genere eatenus progreſſi ſumus, vt non annum ex anno duceremus, ſed interciſo interdum numero, vbi opus eſſet, diuerſas velut metas figeremus; quouſque in campum ingreſſi, ab initio ſuſceptæ Religionis, Annales deinceps continuis temporibus digerendos ordiremur.

que ratione Stolam Pontificiam, quasi Regni hereditariam, in suam potestatem redegerant. Proinde Herodes Regnum adeptus, turrim quidem Hyrcani opportuno loco sitam, magno sumptu exædificatam, denominauit Antoniam ab amico Antonio; Stolam vero vt ibi reperta est detinuit, ratus eo magis obnoxium se habiturum populum. Idem fecit & Archelaus filius, & successor; cuius Regno iterum in Prouinciam mutato, Romani simul, & Pontificiæ Stolæ possessionem nacti sunt, in cella ad hoc ipsum structa repositæ, & obsignatæ sigillo Pontificum, atque custodum sacri ærarij, Præfecto castelli accendente ibi lucernam quotidie. Porro licet Vitellius potestati Sacerdotum Stolam reddidisset, cauit nihilominus securum esse Præfectum, quonam illa reponeretur, aut quomodo conferretur in vsum Pontificum: Ita genti Iudæorum gratificatus. A B

Hoc exemplo Herodes Politicorum Antesignanus, argumentum sequacibus reliquit, ius sibi in Sacra etiam asserendi, & in vna Monarchia gladij potestatem vtriusque confundendi, mire perturbato sacrarum Coronarum splendore: vt inde minus fulgerent, vnde magis radiare oportuit; Et locum habeat illud Iosephi, de Rationali siue oraculo: *Desijt tam Rationale, quam Sardonyx fulgorem emittere annis ducentis, antequam hac commentaremur, irato Deo propter legum suarum præuaricationem.* C

De Antiq. lib. 3. cap. 9. vel 12.

Caiphæ Pontificatus ad hunc annum perdurauit. Nec multo post qui Authorem vitæ morti adiudicandum censuit, ipse vitæ suæ pertæsus, mortem sibi consciuit.

Clem. lib. 8. Const. cap. 1.

Indict. 1.

IESV CHRISTI ANNVS	CLAVDII IMP. ANNVS
43.	1.

D

Caius coniuratione Cassij Chereæ, & Cornelij Sabini Tribuni prætorianorum interficitur, Ianuar. 24. feria 5. Ita qui non multo ante vt Deus coli voluit, cum titulo *Noui Iouis, illustris Cay.* morte ne homine quidem probo digna interijt. Recte cùm deprecaturus accessisset Philo, ne diuinos honores sibi vsurparet, eaque de causa ab irato repulsus fuisset, conuersus ad suos: *Nunc oportet bono esse animo, quando Caius iratus est: nunc enim Deus contra illum aderit.* Succedit Claudius.

Dio lib. 58. Sueton. in Caio.
Ioseph. l. 18. Antiq. c. 10. vel 12.

In Ecclesia Antiochena à Petro erecta, à discipulis aucta, à Barnaba multiplicata, & Pauli prædicatione cumulatissimè fœcundata, felicissimum Christianorum nomen cœpit, vt fideles *Christiani* appellarentur, qui aliàs vocati sunt varijs nominibus, *Fratres, Sancti, Fideles, Nazareni:* denique cùm multi etiam Hæretici, inter quos Carpocratiani, se Christianos dicerent, ad discrimen, *Catholici* audiuerunt. Vnde illud Paciani, *Christianus mihi nomen est, Catholicus vero cognomen.* E

Actor. 11. Ignat. epist. 6. Chrysost. hom. 3. ad Popul. Epiphan. hæres. 27. & 29.
Ad Sympb. Nouat.

Abagarus Rex Edessæ, misso ad eum Thaddæo Apostolo, sicut eidem Christus per literas promiserat, à lepra curatur, & cum toto populo suo in Christum credit.

Euseb. lib. 1. cap. 13. Hieron. in Matt. cap. 10.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS	PETRI PAP. ANNVS	CLAVDII IMP. ANNVS	
45.	1.	3.	*Indict. 3.*

ROmana Ecclesia instituitur, & sedes Pontificia erigitur, die decima-octaua Ianuarij, feria secunda, durante adhuc anno Claudij secun- *Georg. in Sacrament.* *Breuiar. Vet. Rom.*
B do, quo Petrus Romam venit: eoque satagente paulatim adiunctis alijs, *Paulus Fr. in diplom.*
deinde Ecclesia Christi coalescere cœpit.

Andreas Apostolus Scythis, Sogdianis, Saceis, alijsque prædicat. Hinc etiam nonnihil ad Hunnos spectasse prædicationem Andreæ, diximus in Apparatu. *Sophron. apud Hier. de Script. Eccl.* *Doroth. in Syn.* *Niceph. lib. 2. cap. 39.*

IESV CHRISTI ANNVS	PETRI PAP. ANNVS	CLAVDII IMP. ANNVS	
C 47.	3.	5.	*Indict. 5.*

LAureacum nobilis, & peruetusta Norici Ciuitas, super Danubij, & Anasi confluentem, (vbi hodie Archiducale oppidum, vulgo Ens.) Archiflaminum Metropolis, missis à Principe Apostolorum discipulis, qui Christum annunciarent, Euangelium suscepit. Primus loci Episcopus creditur fuisse Laurentius, doctrina, & sanctitate clarus, vt etiam Templum apud posteros meritus sit, quod hodie extra Anasianum oppidum Parochialis Ec-
D clesiæ titulo ostenditur. *Brusch. lib. 1. de Patav. in proœm.*

IESV CHRISTI ANNVS	PETRI PAP. ANNVS	CLAVDII IMP. ANNVS	
48.	4.	6.	*Indict. 6.*

CVspius Fadus Iudææ Procurator, Stolam Pontificiam Iudæis à L. Vi- *Ad an. 37.*
E tellio redditam, vt supra dictum est, repetit. Iudæi permittente eodem Fado, obsidibus datis, legationem ad Claudium mittunt; & à Claudio, intercedente Agrippa iuniore, defuncti filio, facile impetrant, vt ius sacræ Stolæ seruandæ apud eos maneret; *Primum motus,* inquit, *pietate propria, & quia placet religiosum esse more patrio.* *Ioseph. lib. 20. Antiq. cap. 2.*

A

IESV CHRISTI ANNVS	PETRI PAP. ANNVS	CLAVDII IMP. ANNVS
49.50.	5.6.	7.8.

Tacit. lib. 11. Actor. 18. ROmæ in dies magis magisque propagata Christi religione, Claudius ex S.C. Aruspicum disciplinam restituendam curat. Nec ea re contentus, Christianos vnà cum Iudæis, impulsore Chresto, ex Vrbe pellit. Ita B nunquam Hæresi cum fide Catholica conuenit, præsertim si principatum nanciscatur, vt neque pseudopoliticorum opinioni, & consilijs cum Religione. Et hinc robur ab exemplo sibi sufficiunt.

Parthi Regem Meherdaten à Claudio postulant contra Gotarzen, à quo ille vincitur, & interficitur. *Anno* 49. *Indict.* 7.

Tacit. lib. 12. Iussu Claudij lustro condito, censa sunt Romæ ciuium sexaginta nouem centena, & centum quadraginta quatuor millia. Ecquod Regnum hodie tam populosum? Tanta messis paucis cum Petro operarijs! Vt merito miretur Baronius, in quantæ vastitatis pelagus Galilæus piscator rete prædicationis immiserit. *Anno* 50. *Indict.* 8. C

Induct. 14.

IESV CHRISTI ANNVS	PETRI PAP. ANNVS	CLAVDII IMP. ANNVS
56.	12.	14.

Suet. in Claud. cap. 45. Dio lib. 60. CLaudius moritur, decima tertia Octobris, feria quarta, anno ætatis sexagesimo quarto, Imperij decimo tertio cùm mensibus octo, & diebus viginti. Eo extincto, vnà edictum aduersus Iudæos, & Christianos, ne in Vrbe agerent, ante septennium promulgatum euanuit, potestate à Nerone qui successit, facta, vt redirent. D

Tacit. lib. 12. & 13. Volater. lib. 13. in Persia. Parthi, qui anno Christi quinquagesimo primo Armeniam inuadentes, hyeme appetente deserere coacti sunt; deinde vero anno quinquagesimo quarto, Domitio Corbulone in eam Prouinciam misso: cum quo Vologeses Rex eorum composuit obsidibus datis; hoc anno quieuere non diu duraturi. E

IESV CHRISTI ANNVS	PETRI PAP. ANNVS	NERONIS ANNVS
58.59.63.	14.15.19.	2.3.7.

Tacit. lib. 13. PArthi cum Romanis de Armenia obstinate contendunt. Corbulo milites longa desidia corruptos, militari disciplina firmat. Tum Arme-

b

A meniam ingressus multa castella expugnat. *Anno 58. Indict. 1.*

Paulus Apostolus hoc anno Romam venit, sexta Iulij, vt Bedæ, & Vsuardo placet, feria sexta. De qua re nos plura in coniectationibus. *Anno 59. Indict. 2.* *In Martyrolog.*

Iacobus Iustus, frater Domini dictus, glorioso martyrio defungitur Hierosolymis, prima Maij, die Dominica. Huic communiter tribuitur Epistola, quæ est vna ex septem Catholicis. Cui tamen opinioni quidam pro Iacobo Hispaniarum Apostolo contradicunt, & huic istam tribuunt, quem etiam Fratrem Domini vocatum contendunt. *Ioseph. lib. 20. Antiq. cap. 8. Euseb. in Chron. Hier. de Script. Eccl. in Iacobo. Franc. Einar. ad an. 37. Chri. Dextri.*

B Postquam Corbulo triennio ante Romanis Armeniam subiecisset, imposito Rege Tigrane, Archelai quondam Cappadociæ Regis nepote: Vologeses Parthorum Rex Tiridatem fratrem Armenia pulsum conatus est restituere, nequicquam Corbulone Tigrani contra illum auxilium ferente, & Cæsennio Pæto tuendæ Armeniæ præposito: quem tamen infami pactione se liberantem Vologeses (Pacorum alij dicunt) oppressit. Sed tandem hoc anno Corbulone duce prælium feliciter confectum est, & Tiridates in castra Romana venire, detractumque diadema, Neronis imagini subijcere coactus est. *Tacit. lib. 14. & 15. Dio lib. 62.*

C Hoc anno cœpisse Laurentium primum Laureacensis Ecclesiæ Apostolum, & Antistitem, de quo supra ad annum 47. diximus, suæ Ecclesiæ præesse, testatur manuscriptum vetus, quo vtimur. *Anno 63. Indict. 6.*

IESV CHRISTI ANNVS	PETRI IMP. ANNVS	NERONIS ANNVS
65.	21.	9.

Ind. 8.

D AB hoc anno venturam Hierosolymis cladem, volens Deus innotescere, si forte pœnitentiam egisset populus, suscitauit Iesum quendam, filium Anani, plebeium, & rusticum, qui quadriennio ante quàm bellum geri cœptum esset, in summa Ciuitatis pace, atque opulentia, cùm ad festum diem venisset, quo ategias in honorem Dei componi ab hominibus, vt inquit Iosephus, mos est, repente clamare cœpit: *Vox ab Oriente; Vox ab Occidente: Vox à quatuor ventis; Vox in Hierosolymam, & Templum; Vox in maritos nouos, nouasque nuptas; Vox in omnem hunc populum, Atque* E *interdiu noctuque clamitans, omnes Ciuitatis vicos circuibat.* Plura, & admiranda de hoc homine Iosephus. *Ioseph. lib. 7. de Bello Iudaico cap. 12.*

Obseruauimus, plerisque Regnis, & populis, imo etiam præcipuis Vrbibus, antequam desolarentur, vel sub iugum irent, præiuisse prodigia, quasi monentis Dei vocem ad resipiscendum. Idque in loco, quod ad rem nostram spectat, ostendemus.

 A

Indict. 9.

IESV CHRISTI ANNVS	PETRI PAP. ANNVS	NERONIS ANNVS
66.	22.	10.

Tacit. lib. 15. Descriptio vet. apud Ald. l. de Ortograph. pag. 312.

PRima in Christianos à Nerone persecutio mota; quam aliqui biennio
ante notant. Quinquennio priùs Matrem Nero sustulerat, triennio
post, Octauiam coniugem, & ditissimos quosque libertorum; mox Vrbem B
incendit, vt ardentis Troiæ similitudinem spectaret. Durauit incendium
vehemens sex dies, noctes septem; biduo deinde leuius grassatum, vt non
ante nonum diem extingueretur. Eius facti in Christianos deriuauit inui-
diam: hinc illi varijs, & horrendis supplicijs affecti, vt quidam illorum
instar facium in vsum nocturni luminis sint deusti. Agitur horum om-
Martyrol. Rom. nium memoria in Ecclesia Romana die vigesimo quarto Iunij, vbi *Pri-
mitiæ Martyrum*, quòd passi essent Romæ primi, appellantur.
Dio lib. 63. Tiridates, de quo supra ad Ann. 63. Romam veniens, Neroni seruilem
in modum se subiecit, & ab eodem diadema accepit. Domitius Corbulo, C
tantarum Dux victoriarum perhonorificè reuocatus, Cenchreas cùm appu-
lisset, occidi iussus, sibimet ipsi manus intulit. Talis est fortunæ iactus, &
mundi ludus.
Hoc anno Helenam Adiabenorum Reginam Christianam floruisse Hie-
In Chron. rosolymis, scribit Flauius Dexter, prædicatione Apostolorum conuersam.
Ex Annalibus Hierosolymitanis. Hæc; in ea fame, quæ vniuersum terra-
Actor. 11. rum Orbem afflixit, ab Agabo Propheta denunciata apud Lucam Euan-
Ioseph. lib. 20. gelistam, cùm multi perirent alimentorum inopia, ex suis alios misit Ale-
Antiq. cap. 2. xandriam vim magnam comparaturos tritici, alios in Cyprum, qui co- D
piam ficuum passarum inde adueherent. Quæ omnia in egenos distri-
buens, tanto beneficio memoriam sibi immortalem apud Iudæos peperit:
sed & filius eius Izates comperto quanta fame laborarent Hierosolymitani,
multum pecuniæ misit Vrbis primatibus. Eam deinde vnà cum filio ad
Iudæorum Religionem transiuisse, prolixe recenset Iosephus; cuius narra-
Ad ann. 44. tionem expendens Baronius, non audet affirmare fuisse Christianos; præ-
lib. 2. cap. 6. sertim cùm non inuenerit, vnde id asserat Orosius; nec Eusebius aliud
lib. 2. Hist. c. 11. quam quod à Iosepho dictum est, ad hoc confirmandum afferat; & idem
lib. 2. cap. 11. dicere poterat de Nicephoro. E
Cæterùm, Francisco Biuario, Flauius Dexter quæstionem dirimit: non
Com. 2. ad ann. 66. Chron. Flauii Dextri. solùm enim Christianam fuisse, verùm id constare ex Annalibus Hieroso-
lymitanis, qui dum esset Præses Prætorio Orientis, ipsi præsto fuerunt, as-
In Chron. serit. Idem sentit Orosius, vt diximus, Ado & alij. Eusebius tantum re-
fert Iosephi narrationem, nihil præterea affirmat. Iosephus facile in gratiā
suæ gentis Iudaicæ fingere potuit. Verisimile non est, piam Reginam, in-
numera ab Apostolis videntem patrari miracula, Synagoga iam omnibus
fere tum exosa, non ad Christum potius respexisse, quàm ad Iudaicam per-
fidiam; Neque id permiserit diuina prouidentia, tum ob insignem Re-
ginæ,

A ginæ, & filij pietatem; tum quia ſtabilire potius voluit eiuſmodi conuerſione, noui Teſtamenti exordia, quàm legis Moſaycæ ruinas erigere. Sed etiam Baronius deinde adhæret Oroſij opinioni, argumento S. Auguſtini. *Ad ann. 72. Epiſt. 8.*

De eadem Helena ſcribit Ioſephus, ſtruxiſſe ſibi ac filio ſuo honorificum Mauſoleum tribus pyramidibus nobilitatum, tertio ſtadio ab Vrbe Hieroſolymitana diſſitum; quæ poſt tot clades, & funera Hieroſolymorum, adhuc temporibus Conſtantini, immo & Theodoſij, extabant integræ, vt colligitur ex Euſebio, & Hieronymo. Ita Deo conſeruante memoriam pietatis ad exemplum poſterorum, qui etiam oſſa Sanctorum ſuorum cuſto- *lib. 2 Hiſt. c. 12. Epiſt. 27.*
B dit. Cui pietati hoc etiam largita eſt diuina prouidentia, vt Helena, & Izate iam pie defunctis, huius filij, & Reginæ fratres cum multis alijs, incenſo iam Templo, & data etiam Ciuitatis inflammandæ militibus licentia, ad Titum venientes ab eo ſuſciperentur, atque ſeruati Romam poſtea ducerentur.

IESV CHRISTI ANNVS	PETRI PAP. ANNVS	NERONIS ANNVS
67.68.69.	23.24.25.	11.12.13.

C

Romæ detecta in Neronem coniuratio plurium nobilium. Ea de cauſa Seneca occidi iuſſus; conceſſa tamen morte, quam ipſe ſibi parare vellet. Occiſus & Anneus Lucanus Senecæ nepos; deinde Plautius Lateranus Conſul deſignatus, cuius erat Palatium, quod in primam poſtea conuerſum Baſilicam, adhuc Lateranenſis nomen obtinet: ſed & Poppæa Auguſta ictu calcis exanimata. Innumeri alij ſublati. *Anno 67. Indict. 10.* *Hier. ad Ocean. epiſt. 30.*

D Petrus, & Paulus diuino conſilio vt laboranti Neronis gladio Eccleſiæ Romanæ ſuccurrant, diuerſis Orbis partibus Romam veniunt. Et mox occaſione Simonis Magi, glorioſe proſtrati, in carcerem detruduntur, & nouem menſibus detinentur. Paulo ante tamen, Simone licet extincto, hoſtis humani generis nouum intulit in Vrbem Magum Apollonium Tyaneum, qui Philoſophum Pythagoreum ſe oſtentabat, ne in odium Neronis incurreret, qui ex quo deluſus à Simone fuit, omnes Magos implacabili odio eſt proſecutus. *Metaphr. & alij Iunij 29.* *Philoſt. lib. 4.*

E Interim Ceſſij Flori Præſidis Iudææ Tyrannide, Iudæi à Romanis deficiunt, & hinc ſeminarium belli Iudaici. Et cùm vndique Iudæi Hieroſolymam ad diem feſtum conueniſſent, octaua Aprilis (feria ſexta) magna iterum prodigia futuræ cladis apparuere, quæ imperitis bona auguria eſſe videbantur; ſed vigeſimo primo die Maij (Sabbato) ante Solis occaſum per inane ferrei currus totis regionibus, & armatæ acies tranantes nubila, Ciuitati circumfundi. Feſto autem die Pentecoſtes, nocte, Sacerdotes intimum Templum ingreſſi ad res diuinas faciendas, primo audiuere ſtrepitum, poſtea vero ſubitam vocem, *Migremus hinc*. De omnibus ſingulatim Ioſephus: de nonnullis Tacitus. *Anno 68. Indict. 11.* *Ioſeph. lib. 20. Ant. c. 19. Et de Bello Iuda. l. 2. cap. 13. & 14.* *Ioſeph. lib. 7. de Bello, cap. 12. Tacit. lib. 5. Hiſt.*

Hoc anno poſtquam Nero ex Achaia Romam rediiſſet, Petrus & Paulus, Apo-

ſatus; Vt hinc facilè conijcias, vix vllam huic comparandam fuiſſe Bibliothecam, quæ totius fere Græciæ lectiſſimos libros condiderit. Neque tamen his contentus Rex Matthias, quem *librorum helluonem* appellat, quatuor inſignes Florentiæ Librarios, magnis impendijs alebat; quorum is vnus & vnicus labor erat, vt omnes melioris notæ authores Græcos, & Latinos, qui in Italia inuenirentur, exſcriberent: nam ipſa typographice (vt exigua ſunt omnium rerum principia) nondum tam late patebat, vt regijs votis Regis omnium excellentiſſimi ſatisfacere poſſet. Hinc factum, vt cùm nihil ibi non eſſet librorum lectiſſimorum, ſinguli, ſingulis theſauris ab eodem Braſſicano conferantur. Plures vero recenſet, quorum vocabula hodie Vaticanis etiam ſunt peregrina. Sed hæc ſatis, quæ & Volaterrano cognita erant. A B

Plura ſi addam, prematurè in laudes Matthię Regis ſuo loco celebrandi effundar; qui, ſi omnibus & ſuę & poſterę ætatis Scriptoribus argumentum prębet, potentię, felicitatis, opum, fortitudinis, & quicquid naturę dotes, cum virtutis, & fortunę cenſu Regum maximo conferre potuerunt; tum vero Heris Heroibuſque Palatinis ſemper auſpicatum fuit, inter celebres Orbis hiſtorias, & maximorum virorum Icones, Matthiæ Regis geſta, & Imaginem Ædibus ſuis ornandis præpingere; vt & pręterreuntibus ſpectaculo eſſet tanti ſuper famam Herois, ex vultu maieſtatis, & domus ipſæ, tanti exempli, & memoriæ indices haberentur fortunatæ. Id ſi per omnes Europæ Vrbes præcipuas ſolenne fuit, tum hodieque Romæ in Orbis theatro, viſitur elegans pictura, & vt verbis Pauli Iouij, qui rem inter ſua monumenta extare voluit, vtar, *Effigies Matthiæ armata equeſtris, luculentiſſime depicta ſpectatur in campo Floræ, contra podium cubiculi in angulo Laurentianæ domus*, hoc eſt, Palatij Diui Laurentij, Ædi à Damaſo Papa excitatæ coniuncti, in quo tum manebat Iouius; cui & ipſe perſimilem in ſuo Muſæo habebat Andreæ Manteniæ celebri manu factam. Et fortaſſe eiuſdem exempli fuerit, quam Solymanus Turcarum Imperator, Italo penicillo ad viuum expreſſam eiuſdem Regis inequitantis Imaginem, & ex aduerſo poſitam ad dexteram Alexandri Magni collocatam continuo oculis obuerſari voluit: gaudens præuixiſſe eum ſibi, quem Turcarum Imperium formidare didicerat, prorſus excindendum, niſi malo Chriſtianorum in fata conceſſiſſet. Verum de his ſatis: nam hoc loco, inſtar omnium eſſe queat, Matthiam Regẽ, literarum tractationem, iuxta ac reliquam gloriam habuiſſe, nunquam certe infra dignitatem, & nomen Regium poſuiſſe. C D

MATTHIÆ CORVINI EFFIGIES ROMÆ.

Quod vlterius huc ſpectat, operæ pretium erit, quam late Religio Regnũ Hungariæ protulerit, ob oculos ponere; quibus item de cauſis fortuna tantum potuerit, vt coarctatis limitibus, ipſam quoque Religionem quodammodo in anguſta conijceret. Sed enim horum cognitio, cùm ex varijs viciſſitudinibus pendeat, in quibus bella cum pace, ſtatus Eccleſiarum cum iure politico, fœdera denique cum affinitatibus commiſſa, acceſſiones fecere, & ſucceſſiones, nec minus interdum inopinas mutationes; ſuis locis ex ordine, quantum ad Annales Eccleſiaſticos ſpectare videbitur, explicanda erit. Hic ſatis ſit de Hungarorum priſcis Regibus ſingulatim dici potuiſſe illud Dauidis: *Dominabuntur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque* E

Pſalm. 71.

A *quæ ad terminos Orbis terrarum:* quando eorum dominatus ab Adriatico Mari, vsque ad Euxinum protensus, quicquid etiam inter Danubium, vsque ad montes Macedonicos terrarum esset, ditione continebat: quo quidem spatio Mœsiam Superiorem olim, deinde Bosnam, Rasciam, Seruiam, recentiores definiuerunt, paruam nimirum Pannonici Regni portionem, sed magnis suorum perfidia malis, quo ad penitus deficeret, conflictatam.

Nam quòd tota hactenus Hungaria suam moratur ruinam, id iterum, atque iterum peculiari Dei prouidentiæ est adscribendum; quòd vt non semel diximus, Regnum ab initio Deiparæ Virgini sacrum, & Romanæ Ec-

B clesiæ deuotum, subire iugum impietatis minime oportuit, nisi peccata extorsissent. Vt qui hæc ad animum demittant, minimè mirentur, nullum in Oriente fuisse Regnum, quod non citiùs excidisset, ipso Orientis Imperio Turcis succollante, cùm interea tribus pene seculis, ingentibus lacessita bellis, paruaque defensa manu Pannonia, non tota corrueirt, tota alioqui mansura, nisi singularis fera hereditatem Domini vastare cœpisset, immissa paulatim dissensione partium; vnde Religionis discessione facta, Turcicæ Tyrannidis iugum non pauci præoptarunt, ex Ecclesiæ Romanæ filijs, serui impietatis effecti. Hinc illa mala, quæ Christianus Orbis gemit;

C & nisi piæ paucorum lacrymæ, qui coram Baal genua nondum flexerunt, Sanctorumque tutelarium, & quos præcipue Hungaria Cęlo peperit, intercessiones morarentur, non iam ipsam duntaxat, sed ea euersa, Europam vniuersam obruissent.

Atqui ex hactenus dictis, qui nobis in his Annalibus Ecclesiasticis scribendis propositus sit præcipuus finis, satis elucescit. Pietati nimirum, & Religioni Orthodoxæ velificamur, nec pœnitendo, si rectè opinamur, Reipublicæ Christianæ fructu, ac saltem, quod fidenter præcipimus, conatu apud Superos non improbando.

D Porrò Ecclesiasticos Annales placuit scribere, quòd alterum genus, etsi fortasse ab instituto non alienum, Religioni tamen, & pietati nihil admodum conducere certum erat: Et sunt non pauci, qui in his vane desudantes meliora neglexerunt, de Religione Hungarorum, Ecclesiæ Hungaricæ initijs, progressu, magnificentia, vix cogitantes; quanquam, & in illis pleraque, nec rectè, nec ordine persecuti, persæpe incerta, & falsa sunt secuti, & interdum planè in fabulosa abierunt; sed quod historiæ plurimum obest, plurima etiam ex veris, nulla temporum seruata ratione, præpostere narrarunt, & aliorum illuminatæ alioqui diligentiæ tenebras offuderunt;

E interdum quæ ab vno aliquo plæclare gesta sunt, alteri cuipiam adscribentes, obliuione illius, gloriam huius nundinati.

His vt aduersum iremus, Annales Ecclesiasticos ordine digessimus, ea ratione, vt reliquis etiam ad res Hungaricas spectantibus lucem afferremus, & quo tempore, quibusue ex occasionibus singula gesta essent, ostenderemus: Non minimo quidem, sed necessario labore, si quid conducere optaremus. Quo factum vt cùm inopia Scriptorum magis, quam rerum, interdum non suppeteret quod suis annis tribuendum foret, ex connexis, vt solet, seriem duceremus, nihil omittentes eorum, quæ ad Ecclesiæ statum pertinere viderentur. Nec dubitamus multa hìc inuenturum lectorem,

quæ

quæ secus atque opinabatur, gesta fuisse mirabitur: intelliget autem ex rerum veritate, vulgato errori præiudicium faciendum. Si porro nouerit, eiusce modi esse Hungaricæ Ecclesiæ notitiam, quæ nullius non sapientissimi calamo dignum perinde, ac copiosum sufficiat argumentum, ad hos Annales euoluendos bene feriatum appellet animum;& animaduertet damnandam iure multorum incuriam, qui hinc de Religione bene mereri neglexerunt. Quin etiam vnà nobiscum agnoscet, inter Orbis Christiani Prouincias, de tanto Religionis suæ splendore, tot diuinis prærogatiuis ornatæ, Hungariam pereque gloriari posse, etsi Scriptores aliarum, vel minima quęque, verbis amplissimis extulerint. Nobis sane ea ratio incessit, vt cùm res ipsa pro se digne loqueretur, simplici & candida oratione contenti, procul omni lenocinio, stylo temperaremus.



PRAEVIVM CHRONICON.



A PRAEMISSO Apparatu, qui ad res Hungaricæ gentis generatim cognoſcendas viã quandam aperiret, viſum eſt operæ precium, multorum in ſpecie notitiam, annis ab Orbe redempto repetitis, ob oculos ponere; quouſque ſeriem Annalium tempore certo, & præfixo liceret initiare. Ne enimuero à præ-
B ſentium tractatione ſæpius neceſſe foret ad præterita regredi, quæ tametſi ante conuerſionem Hungarorum geſta, non oblique futura ſpectabant; opportunum exiſtimauimus, eadem, locis & temporibus ſuis, quantum aſſequi potuimus, diſponere. Nempe vt legentis animum eò reuocaremus, vnde & inſtructior ad conſecuta rerum momenta reliquum ſtudium afferret, & geſtorum ratio-
C nes ad Pietatis, & Religionis argumenta expenderet. In quo genere eatenus progreſſi ſumus, vt non annum ex anno duceremus, ſed interciſo interdum numero, vbi opus eſſet, diuerſas velut metas figeremus; quouſque in campum ingreſſi, ab initio ſuſceptæ Religionis, Annales deinceps continuis temporibus digerendos ordiremur.

IESV

 A

IESV CHRISTI ANNVS	AVGVSTI IMP. ANNVS
6.7.8.9.10.vel 11.	47.48.49.50.51.vel 52.

AVGVSTVS Tiberium in Germanos mittit, Vnde, is in Illyricum
Dio. lib. 59. profectus, quòd Batone Duce Dalmatæ rebellassent. *Anno 6. Indict. 9.*
Augustus suspicatus Tiberium de industria bellum in Pannonia, & Il-
lyrico trahere, Germanicum eò mittit, qui contra Dalmatas feliciter pu- B
Dio. lib. 55. gnat. *Anno 7. Indict. 10.*
Dalmatia partim bello, partim compositione, in Romanorum potesta-
Dio. lib. 55. tem rediјt. *Anno 8. Indict. 11.*
Dio. lib. 56. Bellum Dalmaticum à Tiberio confectum, deditione à Batone facta.
Herold. in Chr. Tum etiam Pannoniam Romano Imperio cessisse notant aliqui. Imo &
Herm. in Chr. Dio. lib. 56. Sarmatas à Tiberio subactos. Quo minus autem Tiberius de Dalmatis
triumphum ageret, obstitit clades Variana, hoc eodem anno in Germa-
nia accepta, Quintilio Varo cum tribus legionibus ab Arminio Germa-
norum Duce oppresso. Qua de causa Varus necem sibi consciuit. *Anno 9.* C
Indict. 12.
Dio. lib. 56. Tiberius, & Germanicus Procoss. vt cladem Varianam vindicarent, in
Sueton. in Tibe. rio. Germaniam profecti, eam longe lateque populantur. *Anno 10. vel 11.*
Indict. 13. vel 14.

Ind. 4.

IESV CHRISTI ANNVS	AVGVSTI IMP. ANNVS
16.	57.

D

Tacit. lib. 1. Dio. lib. 58. AVgustus Nolæ in Campania moritur xiv. Kal. Septemb. hoc est die 19.
Aug. in Dominica. Vixit annis paulo minus 76. Post eius obitum,
Pannonicæ legiones ingenti seditione concitatæ, subita defectione Lunæ ad
Tacit. lib. 2. officium redeunt. Idem ferè accidit Germanicis legionibus, quas Ger-
Isidor. lib. 14. cap. 2. manicus Cæsar, paulo post fudit. Idem etiam contra Parthos in Oriente
tumultuantes, ampla extra ordinem potestate destinatur. Sunt Parthi &
Volater. lib. 12. ipsi genus Scytharum. Imo lingua Scythica *Parthi* exules Scytharum di-
Geogr. in Persia. cti. Regnum eorum ab Occasu Mediam, à Septentrione Hyrcaniam, ab
Oriente Aream, ab Austro Carmaniam spectabat montibus cinctam. Finis E
Plin. lib. 6. cap. 15. inter eos, & Romanos, Euphrates: Regni caput Hecatompylos.

IESV CHRISTI ANNVS	TIBERII IMP. ANNVS
19.21.25.35.	3.5.9.19.

Tacit. lib. 2. ARminius Germanicæ libertatis vindex, à suis interficitur anno ætatis
trigesimo sexto. *Anno 19. Indict. 7.*

Qua-

A Quatuor millia Iudæorum libertini generis,in Sardiniam mittuntur specie coercendorum latrociniorum; re ipsa tamen, vt ob aëris grauitatem interirent. Causa fiut Iudæus nequam, qui ne legibus pœnas daret, metu solum verterat. Romæ se pro legis Mosaycæ interprete gerens, ascitis in societatem tribus alijs sui similibus, Fuluiam Matronam ad Iudaismum traduxit, eique persuasit vt purpuram, & aurum in Hierosolymitanum Templum mitteret; quæ accepta is cum socijs in proprios vsus vertit. Saturninus de iniuria Fuluiæ, quam tutabatur apud Tiberium questus, vt Vrbe omnes pellerentur, aut pœnis grauissimis afficerentur effecit, exceptis il-B lis, qui delectu habito in Sardiniam missi sunt.

Tacit. lib. 2. *Ioseph. lib. Antiq. 18. cap. 5.*

Hoc eodem anno contigit, à Mundo equestris ordinis iuuene illudi pudicitiæ Paulinæ nobilis Matronæ in Templo Isidis; illo Anubim Deum Ægyptiorum mentito. Factum id astu libertæ cum Sacerdotibus Templi colludentis. Ob quod facinus Sacerdotes in crucem acti, Templum dirutum, Isidis statua in Tiberim mersa, Mundus exilio duntaxat mulctatus, quòd amore victus peccasset. *Anno 21. Indict. 9.*

Ioseph. ibid.

Pannonia Romana Prouincia facta. *Anno 25. Indict. 13.* *Herold. in Chr.*

Parthi Regis sui Artabani pertæsi, Phraaten à Tiberio poscunt. Ve-C rùm eo in itinere mortuo, Tiberius Tyridatem sufficcit. Fuit Artabanus vltimus Rex Arsacidarum; ita ob res præclare gestas dicti sunt Parthi, Regesque eorum Arsaces. Deinde tamen Persarum vocitati Reges, non Parthorum, Tyridate etiam ad Regnum Armeniæ, sub Nerone à Vologeso, translato. *Anno 35. Indict. 8.*

Tacit. lib. 6. *Dio lib. 58.* *Volat. lib. 12. Geogr. in Persia. ex Strab. Trog. Herod.*

IESV CHRISTI ANNVS	TIBERII IMP. ANNVS	
D 37.	21.	*Indict. 10.*

MOritur Tiberius, Martij 16. in Sabbato. Ægrotanti Thrasyllus Mathematicus vitam ad decem annos falso spondet. Succedit Caius.

Tacit. lib. 6. *Dio lib. 58.*

L. Vitellius Proconsul in Syriam missus, Hierosolymam veniens à Iudæis honorifice excipitur, vt nemo alius. Quibus vicissim studens ille, & vectigal fructuum venalium remittit, & Stolam cum ornatu Pontificio permisit à Sacerdotibus in Templo asseruari, secundùm ius antiquum. Hanc E Herodes abstulerat, seu potius retinuerat, vt sibi ius omne, & ornamentum summi Sacerdotij prorsus arrogaret, & in potestatem suam redigeret, eoque in loco munitissimo custodiri iussit. Nam cùm Hyrcanus Pontifex eius nominis Primus, extructa prope Templum turri, maximam partem degere solitus, illic etiam haberet Stolam in custodia, qua nemo præter ipsum vtebatur, ita vt recepturus habitum priuatum, eodem in loco illam deponeret; eundem morem & successores eius seruabant. Redacta porro Iudæa in Prouinciam, Præsides, qui illac mittebantur ab Imperatoribus, veluti rerum domini, sibi etiam in Sacra ius vendicabant, atque ex animi sententia summum Sacerdotium tribuebant, itidem & auferebant; eademque

Ioseph. lib. 18. Antiq. cap. 3. 6.

que ratione Stolam Pontificiam, quasi Regni hereditariam, in suam potestatem redegerant. Proinde Herodes Regnum adeptus, turrim quidem Hyrcani opportuno loco sitam, magno sumptu exædificatam, denominauit Antoniam ab amico Antonio; Stolam vero vt ibi reperta est detinuit, ratus eo magis obnoxium se habiturum populum. Idem fecit & Archelaus filius, & successor; cuius Regno iterum in Prouinciam mutato, Romani simul, & Pontificiæ Stolæ possessionem nacti sunt, in cella ad hoc ipsum structa repositæ, & obsignatæ sigillo Pontificum, atque custodum sacri ærarij, Præfecto castelli accendente ibi lucernam quotidie. Porro licet Vitellius potestati Sacerdotum Stolam reddidisset, cauit nihilominus securum esse Præfectum, quonam illa reponeretur, aut quomodo conferretur in vsum Pontificum: Ita genti Iudæorum gratificatus. A B

Hoc exemplo Herodes Politicorum Antesignanus, argumentum sequacibus reliquit, ius sibi in Sacra etiam asserendi, & in vna Monarchia gladij potestatem vtriusque confundendi, mire perturbato sacrarum Coronarum splendore: vt inde minus fulgerent, vnde magis radiare oportuit; Et locum habeat illud Iosephi, de Rationali siue oraculo: *Desijt tam Rationale, quam Sardonyx fulgorem emittere annis ducentis, antequam hæc commentaremur, irato Deo propter legum suarum præuaricationem.* C

De Antiq. lib. 3. cap. 9. vel 12.

Caiphæ Pontificatus ad hunc annum perdurauit. Nec multo post qui Authorem vitæ morti adiudicandum censuit, ipse vitæ suæ pertæsus, mortem sibi consciuit.

Clem. lib. 8. Const. cap. 2.

IESV CHRISTI ANNVS	CLAVDII IMP. ANNVS
43.	1.

Indict. 1. D

Caius coniuratione Cassij Chereæ, & Cornelij Sabini Tribuni prætorianorum interficitur, Ianuar. 24. feria 5. Ita qui non multo ante vt Deus coli voluit, cum titulo *Noui Iouis, illustris Caij*, morte ne homine quidem probo digna interijt. Rectè cùm deprecaturus accessisset Philo, ne diuinos honores sibi vsurparet, eaque de causa ab irato repulsus fuisset, conuersus ad suos: *Nunc oportet bono esse animo, quando Caius iratus est: nunc enim Deus contra illum aderit.* Succedit Claudius.

Dio lib. 58. Sueton. in Caio. Ioseph. l. 18. Antiq. c. 10. vel 18.

In Ecclesia Antiochena à Petro erecta, à discipulis aucta, à Barnaba multiplicata, & Pauli prædicatione cumulatissimè fœcundata, felicissimum Christianorum nomen cœpit, vt fideles *Christiani* appellarentur, qui aliàs vocati sunt varijs nominibus, *Fratres, Sancti, Fideles, Nazareni*: denique cùm multi etiam Hæretici, inter quos Carpocratiani, se Christianos dicerent, ad discrimen, *Catholici* audiuerunt. Vnde illud Paciani, *Christianus mihi nomen est, Catholicus vero cognomen.* E

Act. 11. Ignat. epist. 6. Chrysost. hom. 3. ad Popul. Epiphan. hæres. 27. & 29. Ad Symph. Nouat.

Abagarus Rex Edessæ, misso ad eum Thaddæo Apostolo, sicut eidem Christus per literas promiserat, à lepra curatur, & cum toto populo suo in Christum credit.

Euseb. lib. 1. cap. 13. Hieron. in Matt. cap. 30.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS	PETRI PAP. ANNVS	CLAVDII IMP. ANNVS	
45.	1.	3.	*Indict. 3.*

ROmana Ecclesia instituitur, & sedes Pontificia erigitur, die decima-octaua Ianuarij, feria secunda, durante adhuc anno Claudij secundo, quo Petrus Romam venit: eoque satagente paulatim adiunctis alijs, deinde Ecclesia Christi coalescere cœpit. *Gregi. in Sacrament. Breuiar. Vet. Rom. Paulus IV. in diplom.*

B

Andreas Apostolus Scythis, Sogdianis, Saceis, alijsque prædicat. Hinc etiam nonnihil ad Hunnos spectasse prædicationem Andreæ, diximus in Apparatu. *Sophron. apud Hier. de Script. Eccl. Doroth. in Syn. Niceph. lib. 2. cap. 39.*

IESV CHRISTI ANNVS	PETRI PAP. ANNVS	CLAVDII IMP. ANNVS	
47.	3.	5.	*Indict. 5.*

C

LAureacum nobilis, & peruetusta Norici Ciuitas, super Danubij, & Anasi confluentem, (vbi hodie Archiducale oppidum, vulgo Ens.) Archiflaminum Metropolis, missis à Principe Apostolorum discipulis, qui Christum annunciarent, Euangelium suscepit. Primus loci Episcopus creditur fuisse Laurentius, doctrina, & sanctitate clarus, vt etiam Templum apud posteros meritus sit, quod hodie extra Anasianum oppidum Parochialis Ecclesiæ titulo ostenditur. *Brusch. lib. 1. de Patau. in proœm.*

D

IESV CHRISTI ANNVS	PETRI PAP. ANNVS	CLAVDII IMP. ANNVS	
48.	4.	6.	*Indict. 6.*

E

CVspius Fadus Iudææ Procurator, Stolam Pontificiam Iudæis à L. Vitellio redditam, vt supra dictum est, repetit. Iudæi permittente eodem Fado, obsidibus datis, legationem ad Claudium mittunt; & à Claudio, intercedente Agrippa iuniore, defuncti filio, facile impetrant, vt ius sacræ Stolæ seruandæ apud eos maneret; *Primum motus,* inquit, *pietate propria, & quia placet religiosum esse more patria.* *Ad an. 37. Ioseph. lib. 20. Antiq. cap. 2.*

 A

IESV CHRISTI ANNVS	PETRI PAP. ANNVS	CLAVDII IMP. ANNVS
49.50.	5.6.	7.8.

Tacit. lib. 11. Romæ in dies magis magiſque propagata Chriſti religione, Claudius ex S.C. Aruſpicum diſciplinam reſtituendam curat. Nec ea re contentus, *Actor. 18.* Chriſtianos vnà cum Iudæis, impulſore Chreſto, ex Vrbe pellit. Ita B nunquam Hæreſi cum fide Catholica conuenit, præſertim ſi principatum nanciſcatur, vt neque pſeudopoliticorum opinioni, & conſilijs cum Religione. Et hinc robur ab exemplo ſibi ſufficiunt.

Parthi Regem Meherdaten à Claudio poſtulant contra Gotarzen, à quo ille vincitur, & interficitur. *Anno 49. Indict. 7.*

Tacit. lib. 12. Iuſſu Claudij luſtro condito, cenſa ſunt Romæ ciuium ſexaginta nouem centena, & centum quadraginta quatuor millia. Ecquod Regnum hodie tam populoſum? Tanta meſſis paucis cum Petro operarijs! Vt merito miretur Baronius, in quantæ vaſtitatis pelagus Galilæus piſcator rete prædicationis immiſerit. *Anno 50. Indict. 8.* C

Indict. 14.

IESV CHRISTI ANNVS	PETRI PAP. ANNVS	CLAVDII IMP. ANNVS
56.	12.	14.

Suet. in Claud. cap. 45. Dio lib. 60. Claudius moritur, decima tertia Octobris, feria quarta, anno ætatis ſexageſimo quarto, Imperij decimo tertio cùm menſibus octo, & diebus viginti. Eo extincto, vnà edictum aduerſus Iudæos, & Chriſtianos, ne in Vrbe agerent, ante ſeptennium promulgatum euanuit, poteſtate à Nerone qui ſucceſſit, facta, vt redirent. D

Tacit. lib. 12. & 13. Volater. lib. 12. in Perſia. Parthi, qui anno Chriſti quinquageſimo primo Armeniam inuadentes, hyeme appetente deſerere coacti ſunt; deinde vero anno quinquageſimo quarto, Domitio Corbulone in eam Prouinciam miſſo: cum quo Vologeſes Rex eorum compoſuit obſidibus datis; hoc anno quieuere non diu duraturi. E

IESV CHRISTI ANNVS	PETRI PAP. ANNVS	NERONIS ANNVS
58.59.63.	14.15.19.	2.3.7.

Tacit. lib. 13. Parthi cum Romanis de Armenia obſtinate contendunt. Corbulo milites longa deſidia corruptos, militari diſciplina firmat. Tum Arme-

A meniam ingressus multa castella expugnat. *Anno 58. Indict. 1.*

Paulus Apostolus hoc anno Romam venit, sexta Iulij, vt Bedæ, & Vsuardo placet, feria sexta. De qua re nos plura in coniectationibus. *Anno 59. Indict. 2.* *In Martyrolog.*

Iacobus Iustus, frater Domini dictus, glorioso martyrio defungitur Hierosolymis, prima Maij, die Dominica. Huic communiter tribuitur Epistola, quæ est vna ex septem Catholicis. Cui tamen opinioni quidam pro Iacobo Hispaniarum Apostolo contradicunt, & huic illam tribuunt, quem etiam Fratrem Domini vocatum contendunt. *Ioseph. lib. 20. Antiq. cap. 8. Euseb. in Chron. Hier. de Script. Eccl. in Iacobo. Franc. Eluzer. ad an. 37. Chron. Dextri.*

B Postquam Corbulo triennio ante Romanis Armeniam subiecisset, imposito Rege Tigrane, Archelai quondam Cappadociæ Regis nepote: Vologeses Parthorum Rex Tiridatem fratrem Armenia pulsum conatus est restituere, necquicquam Corbulone Tigrani contra illum auxilium ferente, & Cæsennio Pæto tuendæ Armeniæ præposito: quem tamen infami pactione se liberantem Vologeses (Pacorum alij dicunt) oppressit. Sed tandem hoc anno Corbulone duce prælium feliciter consertum est, & Tiridates in castra Romana venire, detractumque diadema, Neronis imagini subijcere coactus est. *Tacit. lib. 14. & 15. Dio lib. 62.*

C Hoc anno cœpisse Laurentium primum Laureacensis Ecclesiæ Apostolum, & Antistitem, de quo supra ad annum 47. diximus, suæ Ecclesiæ præesse, testatur manuscriptum vetus, quo vtimur. *Anno 65. Indict. 8.*

IESV CHRISTI ANNVS	PETRI IMP. ANNVS	NERONIS ANNVS	
65.	21.	9.	*Ind. 8.*

D

AB hoc anno venturam Hierosolymis cladem, volens Deus innotescere, si forte pœnitentiam egisset populus, suscitauit Iesum quendam, filium Anani, plebeium, & rusticum, qui quadriennio ante quam bellum geri cœptum esset, in summa Ciuitatis pace, atque opulentia, cùm ad festum diem venisset, quo ategias in honorem Dei componi ab hominibus, vt inquit Iosephus, mos est, repente clamare cœpit: *Vox ab Oriente; Vox ab Occidente: Vox à quatuor ventis; Vox in Hierosolymam, & Templum: Vox in maritos nouos, nouasque nuptas: Vox in omnem hunc populum, Atque* E *interdiu noctuque clamitans, omnes Ciuitatis vicos circuibat.* Plura, & admiranda de hoc homine Iosephus. *Ioseph. lib. 7. de Bello Iudaico cap. 12.*

Obseruauimus, plerisque Regnis, & populis, imo etiam præcipuis Vrbibus, antequam desolarentur, vel sub iugum irent, præiuisse prodigia, quasi monentis Dei vocem ad resipiscendum. Idque in loco, quod ad rem nostram spectat, ostendemus.

 A

Indict. 9.

IESV CHRISTI ANNVS	PETRI PAP. ANNVS	NERONIS ANNVS
66.	22.	10.

Tacit. lib. 15. Descriptio vet. apud Ald. l. de Ortograph. pag. 312.

PRima in Christianos à Nerone persecutio mota; quam aliqui biennio ante notant. Quinquennio priùs Matrem Nero sustulerat, triennio post, Octauiam coniugem, & ditissimos quosque libertorum; mox Vrbem B incendit, vt ardentis Troiæ similitudinem spectaret. Durauit incendium vehemens sex dies, noctes septem; biduo deinde leuius grassatum, vt non ante nonum diem extingueretur. Eius facti in Christianos deriuauit inuidiam: hinc illi varijs, & horrendis supplicijs affecti, vt quidam illorum instar facium in vsum nocturni luminis sint deusti. Agitur horum omnium memoria in Ecclesia Romana die vigesimo quarto Iunij, vbi *Primitiæ Martyrum*, quòd passi essent Romæ primi, appellantur. *Martyrol. Rom.*

Dio lib. 63. Tiridates, de quo supra ad Ann. 63. Romam veniens, Neroni seruilem in modum se subiecit, & ab eodem diadema accepit. Domitius Corbulo, C tantarum Dux victoriarum perhonorificè reuocatus, Cenchreas cùm appulisset, occidi iussus, sibimet ipsi manus intulit. Talis est fortunæ iactus, & mundi ludus.

Hoc anno Helenam Adiabenorum Reginam Christianam floruisse Hierosolymis, scribit Flauius Dexter, prædicatione Apostolorum conuersam. *In Chron.* Ex Annalibus Hierosolymitanis. Hæc; in ea fame, quæ vniuersum terrarum Orbem afflixit, ab Agabo Propheta denunciata apud Lucam Euangelistam, cùm multi perirent alimentorum inopia, ex suis alios misit Alexandriam vim magnam comparaturos tritici, alios in Cyprum, qui copiam ficuum passarum inde aduehèrent. Quæ omnia in egenos distribuens, tanto beneficio memoriam sibi immortalem apud Iudæos peperit: D sed & filius eius Izates comperto quanta fame laborarent Hierosolymitani, multum pecuniæ misit Vrbis primatibus. Eam deinde vnà cum filio ad Iudæorum Religionem transiuisse, prolixe recenset Iosephus; cuius narrationem expendens Baronius, non audet affirmare fuisse Christianos; præsertim cum non inuenerit, vnde id asserat Orosius; nec Eusebius aliud quam quod à Iosepho dictum est, ad hoc confirmandum afferat; & idem dicere poterat de Nicephoro. E

Actor. 11. Ioseph. lib. 20. Antiq. cap. 2. Ad ann. 44. lib. 2. cap. 6. lib. 2. Hist. c. 11. lib. 2. cap. 11.

Cæterùm, Francisco Biuario, Flauius Dexter quæstionem dirimit: non solum enim Christianam fuisse, verùm id constare ex Annalibus Hierosolymitanis, qui dum esset Præfes Prætorio Orientis, ipsi præsto fuerunt, asserit. Idem sentit Orosius, vt diximus, Ado & alij. Eusebius tantum refert Iosephi narrationem, nihil prætetea affirmat. Iosephus facile in gratiā suæ gentis Iudaicæ fingere potuit. Verisimile non est, piam Reginam, innumera ab Apostolis videntem patrari miracula, Synagoga iam omnibus fere cum exosa, non ad Christum potius respexisse, quàm ad Iudaicam perfidiam; Neque id permiserit diuina prouidentia, tum ob insignem Reginæ,

Com. 2. ad ann. 66. Chron. Flauii Dextri. In Chron.

A ginæ, & filij pietatem; tum quia stabilire potius voluit eiusmodi conuersione, noui Testamenti exordia, quàm legis Mosaycæ ruinas erigere. Sed etiam Baronius deinde adhæret Orosij opinioni, argumento S. Augustini. *Ad ann. 72. Epist. 8.*

De eadem Helena scribit Iosephus, struxisse sibi ac filio suo honorificum Mausoleum tribus pyramidibus nobilitatum, tertio stadio ab Vrbe Hierosolymitana dissitum; quæ post tot clades, & funera Hierosolymorum, adhuc temporibus Constantini, immo & Theodosij, extabant integræ, vt colligitur ex Eusebio, & Hieronymo. Ita Deo conseruante memoriam pietatis ad exemplum posterorum, qui etiam ossa Sanctorum suorum custo- *lib. 2. Hist. c. 12. Epist. 27.*
B dit. Cui pietati hoc etiam largita est diuina prouidentia, vt Helena, & Izate iam pie defunctis, huius filij, & Reginæ fratres cum multis alijs, incenso iam Templo, & data etiam Ciuitatis inflammandæ militibus licentia, ad Titum venientes ab eo susciperentur, atque seruati Romam postea ducerentur.

IESV CHRISTI ANNVS	PETRI PAP. ANNVS	NERONIS ANNVS
67.68.69.	23.24.25.	11.12.13.

C

Romæ detecta in Neronem coniuratio plurium nobilium. Ea de causa Seneca occidi iussus; concessa tamen morte, quam ipse sibi parare vellet. Occisus & Anneus Lucanus Senecæ nepos; deinde Plautius Lateranus Consul designatus, cuius erat Palatium, quod in primam postea conuersum Basilicam, adhuc Lateranensis nomen obtinet: sed & Poppæa Augusta ictu calcis exanimata. Innumeri alij sublati. *Anno 67. Indict. 10.* *Hier. ad Ocean. epist. 30.*

D Petrus, & Paulus diuino consilio vt laboranti Neronis gladio Ecclesiæ Romanæ succurrant, diuersis Orbis partibus Romam veniunt. Et mox occasione Simonis Magi, gloriose prostrati, in carcerem detruduntur, & nouem mensibus detinentur. Paulo ante tamen, Simone licet extincto, hostis humani generis nouum intulit in Vrbem Magum Apollonium Tyaneum, qui Philosophum Pythagoreum se ostentabat, ne in odium Neronis incurreret, qui ex quo delusus à Simone fuit, omnes Magos implacabili odio est prosecutus. *Metaphr. & alij Iunij 29.* *Philost. lib. 4.*

Interim Cessij Flori Præsidis Iudææ Tyrannide, Iudæi à Romanis defi-
E ciunt, & hinc seminarium belli Iudaici. Et cùm vndique Iudæi Hierosolymam ad diem festum conuenissent, octaua Aprilis (feria sexta) magna iterum prodigia futuræ cladis apparuere, quæ imperitis bona auguria esse videbantur; sed vigesimo primo die Maij (Sabbato) ante Solis occasum per inane ferrei currus totis regionibus, & armatæ acies tranantes nubila, Ciuitati circumfundi. Festo autem die Pentecostes, nocte, Sacerdotes intimum Templum ingressi ad res diuinas faciendas, primo audiuere strepitum, postea vero subitam vocem, *Migremus hinc*. De omnibus singulatim Iosephus: de nonnullis Tacitus. *Anno 68. Indict. 11.* *Ioseph. lib. 20. Ant. c. 9. Et de Bello Iud. l. 2. cap. 13. & 14.* *Ioseph. lib. 7. de Bello, cap. 12. Tacit. lib. 5. Hist.*

Hoc anno postquam Nero ex Achaia Romam redijsset, Petrus & Paulus,

Apoſtolorum Principes vna eademque die, nempe vigeſima nona Iunij, (feria quinta) inuicta conſtantia glorioſo martyrio vitæ mortalis finem fecerunt. Succedit Petro Linus. *Anno 69. Indict. 12.* A

Ind. 3. 13.

IESV CHRISTI ANNVS	LINI PAP. ANNVS	NERONIS ANNVS
70.	1.	14.

B

Sueton. in Ner. c. 43. vſque 49. Dio in Nerone. DEficientibus à Nerone, C. Iulio Vindice qui Galliæ, Galba qui Hiſpaniæ præerat, is ab omnibus etiam Prætorianis militibus paulatim deſtitutus; præ deſperatione fugam arripuit cum paucis libertis, & in prædium vnius ex his nomine Phaontis, inter viam Salariam, & Nomentanam quarto ab Vrbe lapide, veniens in ſpeluncam ſe abdidit: ſed vt equites ſuperuenientes ſe quærentes cognouit, ſibiipſi manus intulit: ægre morientem vnus ex libertis Epaphroditus confecit, decimo Iunij (Dominica) qua die ante ſexennium Octauiam coniugem interfecerat. In eo extincta progenies Cæſarum. Succeſſit Galba. C

Mirum quàm variæ de Nerone, Scriptores alioqui non ignobiles ſenſerunt: fuiſſe eum nempe Antichriſtum, expreſſum illis verbis, *Myſterium operatur iniquitatis.* Hinc alij adhuc ſuo tempore viuere crediderunt, vel ſi mortuus fuiſſet, reſurrecturum, & futurum Antichriſtum ſuſpicati; quorum opinionem refert S. Auguſtinus. Inter alios refert Seuerus, quorundam ſententiam dicentium, eum ſubtractum, non occiſum, donec reueletur, & reſtituatur in Regnum; & licet ipſe gladio ſe transfixerit, curato tamen vulnere eſſe ſeruatum, ſecundum quod de eo ſcriptum eſt, vt *plaga mortis eius curata eſt, ſub ſæculi finem mittendus, vt myſterium iniquitatis exerceat.* Eandem impingit S. Martino, immeritò, niſi ſanctus vir ea dixerit ex aliorum mente: at Seuerus affirmantem inducit: ſed eius Dialogi vel hac ſola de cauſa cenſentur inter apocrypha, hoc titulo *Opuſcula Poſtumiani, & Galli apocrypha:* quia in illis Dialogis Poſtumianus, & Gallus interloquuntur. D

2. ad Theſſ. 2. Chryſoſt. ſerm. de Eleemoſ. & collat.

lib. 20. de Ciuit. cap 19

lib. 2. Hiſt.

lib. 2. Dial. in fine.

Diſt. 15. Sancta Romana.

Sueton. in Ne. cap. 57. Sed etiam Gentiles non occiſum, ſed ſubductum ſenſerunt. Vnde, & Vologeſes Parthorum Rex, miſſis ad Senatum Legatis de inſtauranda ſocietate, hoc magnopere orauit, vt Neronis memoria coleretur. Multi per longum tempus vernis æſtiuiſque floribus tumulum eius ornarunt, imagines prætextas in Roſtris, & edicta quaſi viuentis præferentes. Imo poſt viginti annos quidam ſe Neronem iactans, apud Parthos gratiſſimus fuit. E

Tacit. lib. 2. Hiſt. Denique ſeruus quidam arte, & vultu ſimillimus, Neronem ſe eſſe fingens, & flagitioſos colligens, cùm cæteros ad defectionem ſolicitaret, à Calphurnio Aſprinate, qui ſub Galba Galatiam, atque Pamphiliam regebat, occiſus eſt, & ita paulatim abolita falſa opinione Prouinciæ liberatæ.

Hoc eodem anno in Arabia Felice Seſſaniæ Adrumetorum, martyrium obiuiſſe tres Sanctos Reges Magos, primos ex Gentibus Chriſti recens nati adoratores, Gaſparem, Balthaſarem, & Melchiorem, notat Flauius Dexter

lib. de Tribus Magis. in ſuo Chronico. De his nos peculiarem librum edidimus.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS	LINI PAP. ANNVS	OTHONIS IMP. ANNVS
71.	2.	1.

Indict. 14.

Galba, deficientibus à se Germaniæ legionibus, Pisonem adoptat. Id indigne ferens Siluius Otho, vtrumque occidit, postquam Galba septem fere menses Imperium tenuisset. Succedit Otho decima sexta Ianuarij, & post tres menses, vigesima Aprilis, apud Bebriacum ab exercitu Vitellij, quem Galba Germaniæ Inferiori præfecerat, victus seipsum interimit. Imperium excipit Vitellius: sed turpissime se gerens, Senatui, Populo, militique rerum nouandarum occasionem dedit. Interim Vespasianus, qui à Nerone in Iudæam missus fuerat, rebus praclare gestis, dum de liberanda Romana Vrbe deliberat, Imperator acclamatur. Renuentem milites gladijs circumfusi, si recusare pergat, moriturum, flectunt. In eius verba Tiberius Alexander Ægypti Præfectus, ex Iudæo Gentilis, legiones adigit. Idem fecere legiones in Mysia, & Pannonia; quorum Præfectus Antonius, in Italia aduersus Vitellianos pugnans, exercitum oppressit. Vitellius sæpius fugam captans, & se occultans, tandem inuentus sæuissime trucidatur, lenis carnificis manibus confossus.

(B, C in margin) *Tacit. lib. 1. & 2. Hist.* — *Sueton. in Othone.* — *Dio lib. 56.* — *Ioseph. lib. 5. de bello Iud. c. 10. 11. 12.* — *Suet. in Vespas.*

IESV CHRISTI ANNVS	LINI PAP. ANNVS	VESPAS. IMP. ANNVS
72. 73.	3. 4.	1. 2.

D

Vespasianus Tito filio bellum Iudaicum demandat, vt quod reliquum est absoluat. Is reuersus in Iudæam, collectis vbique legionibus, decima quarta Aprilis (feria tertia) prope Hierosolymam castra posuit in Monte Oliueti, vnde Dominus olim respiciens Ciuitatem fleuit super illam. Augusti quinta (Dominica) Templum succendit: Vrbem vero, die Augusti trigesima prima (Sabbato) cepit.

Ioseph. lib. 6. — *Tacit. lib. 1. Hist.*

Andream Apostolum Russis, seu Ruthenis prædicasse tradit inter alios
E Maurus Ragusæus, eiusque iter ex Græcia per fauces Boristhenis, aduerso flumine nauigantis pluribus describit. Itaque Russi ab antiquo se recepisse Euangelium à tanto Apostolo gloriantur. Idem de Thaddæo Apostolo tradunt Ioannes Giambulanus apud eundem: Matthæus Michael, qui idem de Bartholomæo scribit. Et assentitur Baronius, qui Ruthenorum Episcopum Concilio Antiocheno, tempore Iouiani Imperatoris interfuisse notat. Iterum vero deficientes, quando, & quomodo postea conuersi denuo sint, dicemus in Annalibus. Miraberis fortasse hucusque Apostolos produxisse vitam, atque etiam serius, centenario maiores Martyrio defunctos. Sed facile respondebit Simeon Cleophæ, qui sub Traiano Imperatore, cen-

lib. de Regno Slau. — *lib. 1. cap. 1. Tom. 7. Annal. in Append.*

centum viginti annos numerans fortiter decertauit: Et nos plures etiam A
numeramus supra eam ætatem in Historicis Martyrum notationibus.
Anno 72. Indict. 15.

Ioseph. lib. 7. de Bello Iud. c. 24. Titus cum manubijs Iudæorum ex Ægypto reuersus Romam, de parta victoria nobilissimum triumphum egit, ductis Ioanne, & Simone factionum ducibus, & septingentis alijs Iudæis robore, & forma præstantibus, ad hoc electis, & seruatis. *Anno 73. Indict. 1.*

IESV CHRISTI ANNVS	LINI PAP. ANNVS	VESPAS. IMP. ANNVS
77.80.	8.11.	6.9.

B

Dio lib. 66. Ioseph. lib. 7. cap. 24. in fine. TEmplum Pacis Romæ augustissime ædificatum, & mira, vt inquit Iosephus, celeritate, quæ hominum cogitationem superaret, confectum est; Hierosolymitani Templi spolijs in eo collocatis, præter Legem, & Penetralium vela purpurea, quæ in Palatio condita seruari præcepit Vespasianus. Hic primus Paci Templum condidit, ex gloria affectata, & quòd C
Messiæ nomini ab adulatoribus sibi tributa consentiret: quæ enim de vero Messia Prophetæ prædixerant Rege Pacis, ea isti, siue ignorantia siue adulatione, de Vespasiano tot victorijs, quasi fortunam in manu ferret, claro, interpretati sunt. Quomodo autem ex Templi vasis nonnulla à Genserico Vvandalorum Rege, cùm Vrbem deprædatus esset, in Africam deuenerint, & inde ad Hierosolymitanam Ecclesiam, in loco insinuabitur. *Anno 77. Indict. 5.*

Linus Romanus Pontifex martyrio coronatur, vigesima tertia Septembris, in Sabbato. Præfuit Ecclesiæ ann. 11. mens. 2. dies 23. Successit D
Cletus, à Petro Tertius.

S. Hier. de viris illust. in Thom. Doro. in synop. Godefr. Viterb. in Chr. Part. 14 Spirens. cent. 1. part. 5. dist. 7. Ad hunc annum reuocant aliqui, Thomæ Apostoli apud Scythas, & Germanos Fidei Christi causa peregrinationem. *Anno 80. Indict. 8.*

Indict. 9.

IESV CHRISTI ANNVS	CLETI PAP. ANNVS	TITI IMP. ANNVS
81.	1.	1.

E

Dio lib. 66. Sueton. in Vesp. cap 6. VEspasianus Imperator moritur, die vigesimaquarta Iunij, Dominica. Imperauit annos decem, minus sex diebus, ex quo primum in Ægypto acclamatus à militibus auspicatus est Imperium. Vixit annos 69. mens. 1. dies 7. Succedit Titus filius.

Facta est in Monte Vesuuij in Campania prope Neapolim, admiranda & immensa flammarum eruptio, quæ cœpit primo Nouembris, feria quinta, hora septima; creditum mundi mox casuri, & vt loquitur Dio, in Chaos
Dio in Tito. redigendi prodigium. Quod pluribus describunt ad admirationem Dio,
& Pli-

A & Plinius iunior. Mons iste à Christo nato, vt superiora his tempora mittam, duodecim fere clarus incendijs, & semper in calamitatem erumpens, nuper, anno videlicet huius sæculi trigesimo primo, decima sexta Decembris, imminente hora post Solis Occasum decima quarta, si vnquam alias, formidabilem aliquot diebus flammam eructauit, varijsque, & portentosis cladibus terruit mortales, nec vni Scriptori illustre obtulit argumentum; quos inter non postremas meretur Iulius Cæsar Recupitus Neapolitanus, qui omnia præsens spectauit. Viua his, & id genus prodigijs exempla data esse hominibus ignis æterni, quibus peccantes in inferis puniren-
B tur, tradunt Tertullianus, Minutius Felix, Pacianus.

Plin. ep 7. ad Tacit. lib. 6.

lib. de Vesuuiano incendio.

Tert. in Apolog. cap. 48. Min. in Octauio. Pac. De Pænit. & Confess.

IESV CHRISTI ANNVS	CLETI PAP. ANNVS	TITI IMP. ANNVS
82.	2.	2.

Indictio 10.

Tito ad visendam ex supradicto incendio calamitatem Campaniæ pro-
C fecto, interim Roma tribus diebus totidemque noctibus pene tota conflagrauit. Id malum diuinum potius, quam humanum fuisse, scribit Dio. Miratur hoc loco Baronius de inscrutabilibus Dei iudicijs, cur sub æquissimo Principe, & Roma, & finitimæ regiones tot malis fuerint conflictatæ, cùm interim scelestissimi omnium Imperatoris, nimirum Caij Caligulæ, omnibus bonis Romana abundarit Respublica, quàmuis inuito Principe, qui palam conquerebatur de conditione temporum suorum, quòd nullis calamitatibus insignirentur: quemadmodum Augusti Principatum signauit clades Variana, Tiberij ruina spectaculorum apud Fidenas; at-
D que identidem exercituum cædes, famem, pestem, incendia, hiatum aliquando terræ optabat.

Sueton. in Tito. cap. 8.

Dio in Tito.

Sueton. in Caio. cap. 31.

Eadem admiratio vt plerunque, ita & nostra hac ætate locum habet. Dici tamen posset, hanc ipsam felicitatem Principum *contrarijs*, vt loquitur Baronius *moribus imbutorum*, ingentis, & duraturæ calamitatis esse prænunciam: vt contra, calamitates bonorum, si ferre norint, secuturæ felicitatis tesseram. Nec ab re est sentire, monitum his fuisse Titum, vt post insignem de Hierosolymis triumphatis gloriam, oculos in Authorem victoriæ converteret, & eiurata falsorum Deorum superstitione, Religioni ve-
E ri Dei pectus consecraret. Id namque videbantur voce quadam testari, Serapium, Septa, Isium, Templum Neptuni, Balnea Agrippæ, Pantheon, Deribitorium, Theatrum Galbæ, Scena Pompeij, Octauiana ædificia vnà cum libris, Templum Iouis Capitolini, cum proximis Templis eodem igne consumpta.

A

IESV CHRISTI ANNVS	CLETI PAP. ANNVS	TITI IMP. ANNVS
83.	3.	3.

Indict. 11.

Dio in Tito. Sueton. in Tito cap. 11. Euseb. in Chr.

TItus Imperator, humani generis deliciæ, magno sui omnibus bonis desiderio relicto, moritur, decima tertia Septembris (Sabbato) veneno, vt fama fuit, per Domitianum fratrem sublatus, anno ætatis quadragesimo nono. Imperauit post patrem annos duos, menses duos, dies viginti. Succedit Domitianus. B

IESV CHRISTI ANNVS	CLETI PAP. ANNVS	DOMIT. IMP. ANNVS
90.91.92.	10.11.12.	7.8.9.

C

Dio lib. 3. Euseb. in Chr.

ANno superiori exortum bellum Dacicum contra Decebalum Regem, hoc anno Domitianum euocauit pugnaturum. Qui victus à Marcomannis, (hodie Morauis) ignauia, & torpore animi cum Decebalo pacem fecit. Nihilominus Romam reuersus triumphum ridiculum de eis egit. *Anno 90. Indict. 3.*

Euseb. in Chr. Philost. lib. 7. & 8.

Domitianus ab expeditione Dacica post triumphum, vt dicebamus, ridiculum, in Ciues gladium vertit; multos occidit, plures in exilium mittit; inter hos Cocceium Neruam, quòd commercium haberet cum Apollonio Tyanæo Mago, de futuro Neruæ Imperio vaticinante. Vt semper metuunt suos successores, Principes, quasi semel moriendum non esset. Quare Apollonius Romam accersitus, & ignominiæ causa, barba comaque rasus, inter sceleratos vinciri iussus est; Iterum ad causam dicendam vocatus, defensione peracta, cùm eum Domitianus inuitum retinere vellet, inuisibilis factus euanuit, & Puteolis, vbi socij expectabant, improuisus apparuit. *Anno 91. Indict. 4.* D

Euseb. in Chr. Hier. de Script. Eccles.

Secunda in Christianos à Domitiano persecutio excitata, qua etiam Ioannes Apostolus, postquam e dolio feruentis olei pleno illæsus exiuisset, in Patmon Insulam relegatus est. *Anno 92. Indict. 5.* E

IESV CHRISTI ANNVS	CLEM. PAP. ANNVS	DOMIT. IMP. ANNVS
93.98.	1.6.	10.15.

CLetus Pontifex, postquam Ecclesiæ præfuisset annos duodecim, menses septem, dies duos, martyrio coronatur, die vigesima sexta Aprilis (feria

A (feria sexta). Succedit Quartus à Petro Clemens. *Anno* 93. *Indict.* 6.
Domitianus ob nimiam in omnes sæuitiam, à Stephano Domitillæ Procuratore, quam superiori anno ob Christianam Fidem relegauerat, aliisque coniuratis occiditur, anno ætatis quadragesimo quinto: postquã imperasset annos quindecim, menses sex Septembris, die decima octaua (feria tertia). Succedit Nerua. *Anno* 98. *Indict.* 11.

IESV CHRISTI ANNVS	CLEM. PAP. ANNVS	NERVAE IMP. ANNVS	
100.	8.	2.	*Indict.* 1

B

NErua morbo consumptus moritur, vigesima septima Ianuarij, *feria tertia*, annos ætatis agens sexaginta quinque, menses decem, dies totidem, cùm imperasset annum vnum, menses quatuor, dies circiter decem. Succedit Traianus, quem ille nulla habita ratione sibi sanguine coniunctorum, quòd nouerat aptum ad habenas Imperij moderandas, in expeditione Germanica agentem, in filium adoptauit, ac Cæsarem nominauit. *Dio in Nerua*

C

IESV CHRISTI ANNVS	CLEM. PAP. ANNVS	TRAIANI IMP. ANNVS	
102.	10.	3.	*Indict.* 15.

D CLemens Pontifex in Chersoneso Pontica, quò fuerat relegatus, martyrio coronatur, vigesima tertia Nouembris, *feria quarta*. Præfuit Ecclesiæ, annis nouem, mensibus sex, diebus totidem.

IESV CHRISTI ANNVS	ANACLETI PAP. ANNVS	TRAIANI IMP. ANNVS	
103.	1.	4.	*Indict.* 1.

E CLementi subrogatur Anacletus, die tertia Aprilis, *feria secunda*. Decebalus Rex Dacorum cùm à Romanis defecisset, à Traiano domitus est, Duce Placido, qui antea admiranda conuersione, vt in eius actis legitur, Christianus effectus, Eustachius nominatus est, & vnà cum coniuge, & liberis nobilissimo martyrio coronatus est. Decebalus nè in triumphum duceretur, sibiipsi mortem intulit. Eius belli occasione Traianus admirando Ponte Danubium iunxit, cuius structuram describit Dio, Zamosius inter septem orbis miracula recenset, & posterorum ignauiam redarguit. Quæ omnia non hoc vno anno gesta. *Dio lib.* 60.

IESV CHRISTI ANNVS	ANACLETI PAP. ANNVS	TRAIANI IMP. ANNVS
104.106.	2.4.	5.7.

Plin. lib. 10. epist. 98.

C. Plinius Proconsul in Bithyniam profectus, ad Traianum pro Christianis scribit, ab eoque rescriptum accipit, vti ne in eos inquireret, sed delatos, & obstinatos puniret. *Anno* 104. *Indict.* 2. B

Dio in Traian.

Hoc anno putant aliqui Columnam à Traiano in Vrbe erectam, quæ hodieque à sui nominis foro, & Authore, Traiana audit. Eam præ ceteris nobilissimis structuris in admiratione habuit Constantius Imperator, cùm Romam venit, *Cùm ad Traiani forum venisset*, inquit Ammianus, *singularem sub omni cælo structuram (vt opinamur) etiam Numinum assensione mirabilem, hærebat attonitus, per giganteos contextus circumferens mentem, nec relatu effabiles, nec rursus mortalibus appetendos*. Anno 106. Indict. 4.

Amm. lib. 16.

C

IESV CHRISTI ANNVS	ANACLETI PAP. ANNVS	TRAIANI IMP. ANNVS
107.108.109.	5.6.7.	8.9.10.

Dio lib. 68.

TRaianus ab Vrbe recedens, Armenis, Parthis, alijsque finitimis Populis bellum intulit, quorum alios in deditionem recepit, alios armis subegit. Et quidem Osrhois Parthorum Regis Legatos, Athenas veniens audiuit: sed postquam in Syriam venisset, se responsurum dixit. Inde in D Orientem profectus, *Anno* 107. *Indict.* 5.

Dio lib. 68. Eusebius in Chron. ad ann. 106. Cuspin. de Consulib. in Commodo.

Traianus in Orientali expeditione perseuerans, Armeniam subigit, & paulatim finitimos Reges cum suis in deditionem fœdusue accipit. Inter hos fuere, Hiberi, Sarmatæ, Hosdroeni, Arabes, Bosphorani, Colchi. Qui tamen non omnes hoc eodem anno accesserunt. Seleuciam, Ctesiphontem, Babylonem occupauit, & tenuit. Domuisse etiam, & Romanis Prouincijs expulisse Gothos, memorat Blondus.

Blond. lib. 1. Decad. 1.

Tunc etiam more maiorum lustrans exercitum, inuentos in eo vndecim mille Christianos, qui Dijs sacra facere recusassent, à ceteris segregatos E in Armeniam relegauit. Et vt Menologium habet, *in Fidei confessione perstantes supplicio mortis subiecit*. Baronij coniectura est, hos ipsos esse decem mille præstantissimos Martyres, qui in Syluis Montis Araras in Armenia sunt crucifixi, licèt sub Hadriano legantur passi in Actis, vsque ad huius puta Imperium reseruati. *Anno* 108. *Indict.* 6.

Die 5. Sept. vbi de Romulo. Baron. tom. 2. ad ann. 108. Et in Martyr. ad 22. Iunii.

Symeon frater Domini dictus, filius Cleophæ, Hierosolymitanus Episcopus, cum annos centum, & viginti compleuisset, coram Traiano, & Attico Consulari Fidem Christi constanter confessus, Crucis supplicio gloriosum martyrium subijt. *Anno* 109. *Indict.* 7.

IESV

A

IESV CHRISTI	EVARISTI PAP.	TRAIANI IMP.
ANNVS	ANNVS	ANNVS
112.114.	1.3.	13.14.

ANacletus, postquam Ecclesiæ præfuisset annos nouem, menses tres, & dies decem, martyrium facit, diê decimatertia mensis Iulij, *feria*
B *tertia*. Succedit Euaristus, die vigesimaquinta eiusdem mensis.

Romæ, Pantheon celeberrimum Templum, Iouis Vltoris delubrum, fulmine ictum conflagrat: Iustè vero Deo vlciscente, dum vera religio, Romanorum persecutione affligitur. *Anno* 112. *Indict.* 10. *Euseb. in Chro. Plin. lib. 36. cap. 15.*

Traianus ob victorias reportatas, iactabundam ad Senatum scribit Epistolam, se vltro quam penetrasset Alexander progressurum; Nomina victarum à se gentium recitans, tanto numero, vt vix recenseri possent. Quibus lectis Senatus Triumphalem tunc Arcum, præter alia multa in honorem eius decreta, in illius Foro substruxit. Sed dum Ciues se ornant, & ad *Dio in Traian.*
C occursum parant, ille languescente corpore, nec Romam redire valuit, nec quicquam dignum præteritis agere, imò tædio bellorum; non paucis quas subegisset gentibus libertatem dare.

Magna fuit Christianis tentatio felicitas Traiani, ita vt & Triephon ille apud Lucianum, qui Crisiam Christianum facere laborabat, auditis victorijs Traiani, desertor factus sit, Christianis illudens, quòd rerum mutationem, & Romani exercitus cladem venturam pronunciassent. Sed non falsa fuere Christianorum vaticinia: non tantum enim Traianus nihil dignum posthac rebus gestis, & superiori vita effecit, sed rebellantibus Pro- *In Philopatr.*
D uincijs, quas subegerat, magnam suorum, qui fines tuebantur, cladem accepit. Ipse vero deficientes in Arabia Agarenos, tantum abest, vt accessu suo domare potuerit, vt pene periclitatus, prohibente Numine, recedere coactus fuerit. Mitto prodigia quammulta, quæ recenset Dio; inter quæ illud monstro simile: quoties Romanus cum hoste manus consereret, ictu fulminis auertebatur. Discant qui iniusto bello affliguntur, non æmulari, vt malignentur, sed fortes in fide, sustinere auxilium Dei, cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur, & nunquam sero nouit adesse in tempore. *Anno* 114. *Indict.* 12.

E

IESV CHRISTI	EVARISTI PAP.	TRAIANI IMP.
ANNVS	ANNVS	ANNVS
117.	6.	18.

Indict. 15.

HOc anno contigit atrox, & funestus ille terræmotus, quo Antiochia, vbi tum Traianus erat, vastata est; sed & vicinæ vrbes ac populi, insignem ac publicam cladem senserunt. Describit horrendam stragem Dio, qui de Traiano subdit, eum à tam fœdo, & diro periculo per fene- *In Traiano.*

stram domus, vix euasisse, dum accedens forte quidam humana maior effigie, illum inter exiguos tectorum lapsus incolumem subtraxit: neque tamen eum deinceps formido deseruit. Plerique hanc cladem diuinitus immissam adscripserunt neci Ignatij Episcopi, & martyris, vnquam causam Dio, aut non intellexit aut dissimulauit. A

Indict. 3.

IESV CHRISTI ANNVS	EVARISTI PAP. ANNVS	TRAIANI IMP. ANNVS
120.	8.	20.

B

Dio in Traiano.

TRaianus contra Parthos ducturus, qui Parthamasparen Regem sibi datum deiecerant, Selinunti Ciliciæ, quæ postea Traianopolis dicta, obijt, die Augusti duodecima, *Dominica*. Vixit annis sexaginta vno, menses sex: Alijs vnum, dies quindecim; Aurelio Victori, sexagintaquatuor: Eutropio, sexagintaduos, menses nouem, dies quatuor; Alij in reditu Romam extinctum putant, siue morbo, siue recrudescente vulnere, quod Agarenorum Vrbe in Arabia frustra tentata acceperat; siue demum veneno, vt ferebatur. Exusti corporis cineres Romam perlati, & sub eius Columna (cuius altitudo centum quadraginta pedes) positi cum imagine: ossa translata testatur Dio: solus omnium intra Vrbem sepultus, mox etiam inter Diuos relatus. Successit Ælius Hadrianus. C

Eutrop. lib. 8.

Ad hunc annum in ipso in Imperium Hadriani ingressu, ponunt aliqui Martyrium S. Eustachij, & sociorum. Vide quæ supra notauimus ad ann. 103.

D

Indict. 4.

IESV CHRISTI ANNVS	ALEXANDRI PAP. ANNVS	HADRIANI IMP. ANNVS
121.128.	1.8.	1.9.

Martyr. Rom. In Chron.

EVaristus post Pontificatum nouem annorum, & trium mensium, Martyrio coronatur die vigesimasexta Octobris, *in Sabbato*. Eusebius nouem tantum annos eidem tribuit. Succedit Alexander, *Anno* 121. *Indict.* 4.

Euseb. in Chr. & lib. 4. Hist. Eccles.

Quadratus Apostolorum discipulus, & Aristides Philosophus Atheniensis, libros pro Christiana religione edidere. Serenius Granianus Proconsul Asiæ literas ad Hadrianum dat pro Christianis. Idcirco rescribit Hadrianus, ne sine obiectu criminum condemnentur. *Anno* 128. *Indict.* 11. E

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS	SIXTI PAP. ANNVS	HADRIANI IMP. ANNVS
132.137.139.	- - 1.6.8.	13.18.20.

ALexander Papa vnà cum socijs Euentio, ac Theodulo Presbyteris, sub Aureliano iudice post dira tormenta martyrio coronatur, die tertio Maij, *feria sexta*. Præfuit annis decem. Alij addunt menses septem, dies duos. Alij menses quinque, dies viginti. Succedit Sixtus. *Anno* 132. *Indict.* 15. *Euseb. in Chr. Baron. ad hunc Ann.*

B

Pharasmanes Iberorum Rex Alanos contra Romanos exciuit. Hos Flauius Arrianus Cappadociæ Præfectus repressit. *Dio lib. 69.*

Dux limitis Illyrici, vbi nunc Austria Inferior, Consulari eius Prouinciæ Præsidi in laborem societatis iungitur. Ælius adoptatus ab Hadriano, & statim Prætor factus, Pannonijs Dux, & Rector imponitur. *Anno* 137. *Indict.* 5. *Marian. in not. Oratt. & Ortel. Spart. in Aelio. Trebell. in hist. Regill.*

C

Quidam de Pannonia natus cæcus ad febrientem Hadrianum venit, eumque contingens visum recepit, & Hadrianum febris reliquit. Marius Maximus hæc per simulationem facta memorat. *Anno* 139. *Indict.* 7. *Spart. in Hadriano.*

IESV CHRISTI ANNVS	SIXTI IMP. ANNVS	ANTONINI IMP. ANNVS
140.	9.	1.

Indict. 8.

D

HAdrianus apud Baias, cùm mortem voluntariam diutius exoptatam consciscere sibi non daretur, consilio medicorum cibo, & potu abstinens, finem viuendi fecit, decima Iulij, *feria sexta*. Imperauit annos viginti, menses vndecim. Sepultus ad tempus in Villa Ciceroniana Puteolis, deinde translatus Romam, collocatus in Mole, quæ ab ipso denominatur Hadriani, constructa ab Antonino Pio, qui eidem successit. *Spart. in Hadr.*

Christi Regnum vbique inter gentes propagatur, & vsque ad Sarmatas, Dacos, Germanos, & Scythas profertur. *Tertull. adu. Iuda. cap. 7. & 8.*

E

IESV CHRISTI ANNVS	TELESPHORI PAP. ANNVS	ANTON. PII IMP. ANNVS
142. 143.	1. 2.	3. 4.

SIxtus Papa martyrio coronatur, sexto Aprilis, *feria quinta*, cùm præfuisset annos decem, vno minus mense, dies 21. Successit Telesphorus Græcus ex Anachoreta. *Anno* 142. *Indict.* 10.

Iustin. in Apol. ad Anton.

Antoninus vetat legi libros Sibyllinos, quòd in illis Religio Christiana stabiliri videretur. *Anno* 143. *Indict.* 11. A

Indict. 7.

IESV CHRISTI ANNVS	HIGINII PAP. ANNVS	ANTON. PII IMP. ANNVS
154.	1.	15.

TElesphorus Papa martyrio consummatur, cùm præfuisset annos vndecim, menses nouem, minus diebus vndecim, die 5. Ianuarij, *feria octaua*. Succedit Higinius Græcus Atheniensis ex Philosopho, die decimatertia Ianuarij. B

Iulius Capitol. in Antonino.

Romanum Imperium diuersis cladibus affligitur. In ipsa Vrbe Circus ruit, trecentæ quadraginta domus, seu insulæ, incendio absumuntur. Mox Tiberis inundat: vt quibus flamma pepercit, vnda interitum afferret. Plerique existimarunt vindice Deo fieri, ob tot Christianos necatos. Quare Antoninus timore perculsus rescripto edito persecutionem cohibet. C

Iust. in orat. ad Anton. Euseb. lib. 4. cap. 12.

IESV CHRISTI ANNVS	PII PAPAE ANNVS.	ANTON. PII IMP. ANNVS
158. 163.	1. 6.	19. 24.

HIginius Papa Martyrium facit, Ianuarij vndecimo, *feria tertia*. Præfuit annos quatuor. Succedit Pius, Italus Aquileiensis, Patre Ruffino. *Anno* 158. *Indict.* 11. D

Iul. Capit.

Antoninus Pius moritur, Martij die septimo, *Dominica*: Succedunt M. Aurelius, & Luc. Verus.

Dio in Anton. Lucian. in Pseudomant.

L. Verus contra Parthos missus, difficili bello, exercitum Romanum perdit, deceptus falsis responsis Alexandri impostoris, Apollonij Tianæi discipuli; qui idem ante paucos annos totam Asiam, deinde Italiam, ipsamque Romam deceperat, ingentem vim pecuniæ emungens.

Quinta contra Christianos Persecutio. *Anno* 163. *Indict.* 1. E

Indict. 5.

IESV CHRISTI ANNVS	PII PAPAE ANNVS	M. AVR. ET LVC. VER. ANNVS
167.	10.	5.

PIus Papa Martyrium obit. Die Iulij vndecima, *feria sexta*. Præfuit annos nouem, menses sex. Succedit Anicetus natione Syrus, die Iulij vigesimo quinto.

A

IESV CHRISTI ANNVS	ANICETI PAP. ANNVS	M. AVR. ET L. VER. ANNVS
168.170.171.	2.4.5.	6.8.9.

PArthico bello post quinquennium absoluto, Imperatores triumphum ducunt: deinde ad Marcomannicam expeditionem se parant. *Anno 168. Indict. 6.* *Euseb. in Chr.*

B

Crescente Christianorum persecutione, dum Imperatores toti sunt in conciliaanda Deorum gratia pro Marcomannica expeditione, lues ingens Prouincias occupat: nata fertur in Babylonia, vbi de Templo Apollinis ex arcula aurea, quam miles forte inciderat, spiritus pestilens euasit, atque inde de Parthos, Orbemque compleuit. Lucius quippe Verus in omnes Prouincias, per quas rediit, Romam vsque secum detulit, magnaque ex parte corripuit, diuque durauit: vt idcirco innumera Romanorum multitudine absumpta, ad futurum bellum Marcomannicum, oportuerit seruos, & alios præter vsum armare. *Anno 170. Indict. 8.* *Euseb. in Chr. Iul. Cap. in M. Aur. & L. Vero. Galen. de Præs. expul. lib. 3. cap. 3.*

C

Dum Imperatores paludati pergunt contra Marcomannos, obuij Legati multorum defectionis veniam deprecantur. Re vt putabatur componenda, placuit vt Lucius Romam rediret. Lucius sedens cum fratre in vehiculo, inopine apoplexia perit, inter Altinum, & Concordiam. *Anno 171. Indict. 9.* *Capitol. in Marco.*

D

IESV CHRISTI ANNVS	ANICETI PAP. ANNVS	M. AVREL. IMP. ANNVS
172.175.	6.9.	10.13.

MArcus Imp. decipitur ab impostore Alexandro, de quo supra. Suadet Imperatori, tanquam oraculo ab Æsculapio reddito, iuberet duos Leones in Danubium eum odoribus, & sacris quibusdam immitti, si victoriam contra Marcomannos, & Quados vellet. Quo facto, Leones quidem simul atque in hostium regionem enatarunt, Barbari canes aut lupos rati, eos fustibus arcebant: porro in exercitu maxima continuo strages secuta, viginti ferme millibus simul extinctis. Impostor respondit, Deum quidem prædixisse victoriam, non tamen explicuisse, Romanorum futura esset, an hostium. *Anno 172. Indict. 10.*

E

Anicetus martyrio clarus migrat ad Dominum, die decimaseptima Aprilis, *Dominica*. Præfuit annis octo, mensibus septem, diebus tribus: Successit Soter natus Fundis in Campania ex patre Concordio. *Anno 175. Indict. 13.*

A

Indict. 14.

IESV CHRISTI ANNVS	SOTERIS PAP. ANNVS	M. AVREL. IMP. ANNVS
176.	2.	14.

Euseb. lib. 5. *Hist. cap.* 5.

MArcus Imperator aduersus Marcomannos, & Quados bellum gerens, cùm siti premeretur vniuersus exercitus, Christianorum precibus pluuiam, ac deinde victoriam admirabiliter obtinuit. Agnouit Imperator gratiam à Deo Christianorum factam, eamque literis ad Senatum datis, Christianis immunitatem concessit, & eorum accusatoribus eo solum quod Christiani essent, decreuit ignis supplicium, viuis exurendis. Habentur eæ literæ apud Baronium ad hunc annum. Sunt autem Quadi populi Heluetiorum Eutropio: Bohemorum populi, sicut & Marcomanni, Hieronymo. Imperator in literis in media Germania tum se fuisse scribit, montibus vndique conclusum. Quibusdam putantur fuisse Austriaci. B

Carol. Steph. in Dict. Histor.

C

Indict. 2.

IESV CHRISTI ANNVS	SOTERIS PAP. ANNVS	M. AVREL. IMP. ANNVS
179.	5.	17.

MAgna in Christianos excitatur persecutio, non prætextu religionis, sed criminum falso confictorum. Nec profuit Athenagoræ Atheniensis pro Christianis Apologia. Innumeri martyrio coronati sunt; inter quos Soter Papa, die vigesimasecunda Aprilis, *feria quarta*. Præfuit annis non integris quinque. Successit Eleutherus Græcus, Nicopolitanus, ex patre Abundo. D

IESV CHRISTI ANNVS	ELEVTHERI PAP. ANNVS.	COMMODI IMP. ANNVS.
182. 183.	4. 5.	1. 2.

E

Theop. Antioch.

MAurel. Imp. cùm in expeditione Marcomannica ageret, moritur in Pannonia, die decimaseptima Martij, *feria sexta*. Imperauit annos nouendecim, dies decem. Abstinentia cibi mortem voluntariam oppetijt. Succedit Commodus filius annos natus nouendecim, minus mensibus quatuor, diebus tredecim. Qui initio æquus, adeo mox degenerauit, vt Domitiano seuerior, Nerone impurior, patriæ hostis, parricida, carnifex Senatus, ciuium necator, impurus gladiator, denique hostis Deorum passim audiret. Iusto Dei iudicio talem nacti sunt Principem, vltorem sanguinis Christiani, qui toto pene Imperio M. Aurelij, iniquissimè in Christianos

Lamprid. in Commodo. M. Maximus apud eundem.

A stianos sæuierunt, falsis calumnijs eos onerantes. Cùm interea sub immanissimo Principe suorum sanguinem hauriente, quiesceret Ecclesia, nulla notabili persecutione vexata. *Anno 182. Indict. 5.*

Lucius partis Britanniæ à Romanis non subiugatæ Rex, multa de Christianorum miraculis, & integritate audiens, & maxime quòd eorum præcibus M. Aurel. Imp. victoriam contra Marcomannos, & Quados obtinuisset, eamque ob causam non pauci ex Senatoribus, inter quos Trebellius, & Pertinax, Fidem Christi suscepissent: illuminatus à Deo, & ipse de ea suscipienda deliberat. Mittitque ad Eleutherum, Eluanum, & Meduinum Legatos suos, vt mitteret viros de religione Christiana plenius edocturos. B Missi sunt ab Eleuthero, Fugatius, & Donatianus, seu Damianus, qui Regem, & suos imbutos sacris mysterijs initiarent: quod ipsi nauiter præstiterunt. *Anno 185. Indict. 6.*

Gildo. de excid. Brit. Baleus in Cat.

IESV CHRISTI ANNVS	ELEVTHERI PAP. ANNVS	COMMODI IMP. ANNVS
189. 193.	11. 15.	8. 12.

C

APollonius Vrbis Senator, lecto Senatui insigne volumine, quod de Christi Fide composuerat, eius sententia securi percussus est, Aprilis decimaoctaua, feria sexta. Scilicet proditus à seruo, quòd Christianus esset, iussus vt rationem Fidei suæ redderet, id volumen exararat. Videbatur noua hæc ratio inquirendi alijs non concessa; inique damnato si pepercissent, præiudicatum in reliquis erat. *Anno 189. Indict. 12.*

Euseb. in Chr. & lib. 5. Hist. cap. 10. Martyrol. ad 18 April.

Ingens Romæ incendium, cunctis prodigio fuit. Cùm neque imbres vlli, neque nubes, tantumque exiguus terræmotus antecessisset, seu nocturni casu fulminis, seu igni aliquo in ipso terrarum motu extrito, totum de D improuiso Pacis Templum, quod vnum scilicet opus cunctorum tota Vrbe maximum, pulcherrimum, Templorum opulentissimum, egregiè munitum, multoque ornatum auro, & argento, consumptum est. Hic vniuersi ferme suas diuitias, velut in thesaurum congerebant, ideo ex opulentis egeni facti. Consumpta etiam sacra Spolia, quæ e Templo Hierosolymitano sublata Vespasianus huc intulerat: licet vasa quædam integra alibi seruata ad Honorij Imperatoris vsque tempora, cessisse deinde Vvandalorum spolijs constet. Conflagrarunt etiam Ædes Vestæ: ita vt Palladium quoque, E quod Troia euectum Romani semper in arcano apud Vestas habebant, conspiceretur tunc primum omnibus, postquam in Italiam venerat. Palatium præterea, & quamplurima Vrbis ædificia, adeoque pulcherrimæ Vrbis partes consumptæ sunt: nec prius sedatum est incendium, quàm post plurimos dies repentinis imbribus extingueretur. Itaque omnium sensus erat, Dijs imputandum, quòd humana ope extingui non poterat: & quòd Pacis Templum combustum fuisset, toto orbe bellum futurum interpretabantur: & quia iuxta Templum consumptis tabernis, merces Ægyptiorum, & Arabum in cineres consederunt, rerum caritatem diuinabant. *Anno 193. Indict. 1.*

Euseb. in Chr. Herod. lib. 1. Dio in vit. Commodo. Lamprid. in Commodo.

Procop. de bello Vvandal.

IESV

A

Indict. 2.

IESV CHRISTI ANNVS	VICTORIS PAP. ANNVS	COMMODI IMP. ANNVS
194.	1.	13.

ELeutherus Papa moritur, vigesimasexta Maij, *Dominica*. Præfuit annis quindecim, diebus vigintitribus. Post dies quinque subrogatus est Victor Afer, Felicis filius. B

Hered. lib. 2. Xiphilini. Commodus Imperator à Narcisso athleta strangulatur, die Decembris vltima, *feria tertia*. Succedit Pertinax, Italus, ex ciuitate Alba Pompeia, dictus Fortunæ pila, quòd per omnes gradus ex minimo, & sordido ascendisset, tametsi nollet imperare. Post menses duos, dies octodecim, cæditur à militibus, scelere Didij Iuliani; qui pactione pecuniæ subrogatur, & post menses duos, dies quinque, vel vt alijs placet, post menses septem occiditur.

Capitol. Spartian.

Aurel. Victor.

Interim Septimius Seuerus in Pannonia Sabaria, Pescenninus Niger in Syria, Clodius Albinus in Britannia, Imperium vsurparunt. Seuerus rerum potitus est, qui Albinum, Cæsaris oblata dignitate, sibi conciliat, & Nigrum persequitur. C

IESV CHRISTI ANNVS	VICTORIS PAP. ANNVS	SEVERI IMP. ANNVS
197. 198.	4. 5.	3. 4.

D

Dio in Seuero. Herod. lib. 2. & 3. Spartian. in Seuero Xiphilin.

SEuerus Byzantium, quòd partes Nigri pertinaciùs fouisset, post triennalem obsidionem capit. Ciuitatis muros euertit, libertatem tollit, eamque Perenthijs tribuit. Iamque ante triennium Nigro ad Euphratem, quò is Antiochia capta, in quam confugerat, properabat, occiso, exinde Albinum defectionem molientem tollere cogitat. Priùs tamen Byzantio capto, aduersus Parthos, Osroænos, Adiabenos, & Arabes, ducens, eosque fugans, Nisibim occupat, Ctesiphontem capit, & diripit.

Tertullianus circa hoc tempus iam Christianus factus, pallium induit, sublimioris vitæ institutum professus. *Anno* 197. *Indict.* 5. E

Seuerus in Galliam veniens cum exercitu Albini ad Lugdunum pugnat; & cæso inter alios Albino, rerum absolutè potitur. Caput Albini Romam missum, & in eius amicos crudeliter sæuitum: sed hoc sequenti anno, post reditum in Vrbem. *Anno* 198. *Indict.* 6.

A

IESV CHRISTI ANNVS	VICTORIS PAP. ANNVS	SEVERI IMP. ANNVS	
200.	7.	6.	*Indict. 8.*

SEuerus è Gallijs Romam victor ingressus est ouans; triumphum recusauit, ne videretur de ciuili sanguine captasse gloriam. Præstitere ni-
B hilominus Romani omnia officia, magno honore, faustisque acclamationibus excipiente Senatu, & consalutante. Paulo post sæuijt in amicos Albini. Quadraginta & vnus Consulares, & Prætoriani viri occisi. Inquisiti etiam Pescennij amici. Damnati plerique, qui iocati dixerant: Verè Imperator nominis sui, verè Pertinax, verè Seuerus. Multos insuper, quasi Chaldæos aut Vates interemit, qui de sua salute cælestibus thematibus consuluissent.

C

IESV CHRISTI ANNVS	VICTORIS PAP. ANNVS	SEVERI IMP. ANNVS	
202.	9.	8.	*Indict. 10.*

SEuerus anno superirore aduersus Parthos profectus, Adiabenos, & Arabes deuincit, Nisibim occupat, Ctesiphontem diripit. Abagarum Regem Osrhoenorum, ex eius familia, qui olim ad Christum literas dedit, vicissimque accepit, à Thaddæo Apostolo postmodum conuersus, ad se venientem in gratiam recepit; & ab eodem auxiliaribus copijs adiutus, fe- *Herod. lib. 3.*
D liciter Parthicum bellum confecit.

IESV CHRISTI ANNVS	VICTORIS PAP. ANNVS	SEVERI IMP. ANNVS	
203.	10.	9.	*Indict. 11.*

E VIctor Papa martyrio coronatur die decimaoctaua Iulij, *feria secunda*. Præfuit annos nouem, menses duos. Post dies vndecim sufficitur Zephyrinus Romanus. Circa hæc tempora, tam dira tum Romæ, tum in Africa, alijsque in regionibus incruduit Christianorum persecutio, vt plerique ex varijs prodigijs, & circumstantijs sibi persuaderent Antichristi tempora appropinquasse. *Tertul. ad Scapulam lib. 3. Eusеb. lib. 6. cap. 6.*

Donaldus Scotiæ Rex, cum vniuerso suo Regno Christum suscipit: Cuius rei non obscurum testem volunt esse Tertullianum, quòd alicubi dicat: *Britannorum inaccessa Romanis loca; Christo verò subditi sunt.* *Tertul. lib. cont. Iud. Annal. Scotorũ. Georg. Tomson. de reb. antiq. Relig.*

IESV

A

Indict. 11. | IESV CHRISTI ANNVS 205. | ZEPHYRINI PAP. ANNVS 3. | SEVERI IMP. ANNVS 11.

Dio lib. 46. Herod. lib. 3. Dio in Seuero.

SEuerus ex Ægypto Romam reuersus, de Parthis, alijsque debellatis nationibus amplissimum triumphum ducit, & Decennalia sui Imperij celebrans, (hoc enim anno decennium compleuit, & vndecimum annum B auspicatus est) totidem aureos in singulos milites Prætorianos erogauit. Hoc etiam anno arcus Triumphi, qui dicitur hodieque Seueri, Senatus consulto eidem decretus. Ipse vero Templum Pantheon, quod Traiani tempore fulmine ictum conflagrarat, in pristinum splendorem restituit.

Indict. 6. | IESV CHRISTI ANNVS 213. | ZEPHYRINI PAP. ANNVS 11. | ANTON. ET GETAE ANNVS 1.

C

Dio in Seuero.

SEuerus Imperator non tam corporis morbo, quàm mærore animi confectus, quòd præsertim à filio Antonino insidias sibi strui probe nosset, diem clausit extremum Eboraci, die quarta Februarij in Sabbato; cum biennio ante prospere rem in Britannia gessisset, muro per transuersam Insulam ducto.

D

Indict. 7. | IESV CHRISTI ANNVS 214. | ZEPHYRINI PAP. ANNVS 12. | ANTONINI IMP. ANNVS 2.

Dio in Carac. Spart. in eod. Herod. lib. 4.

GEta Augustus iussu Antonini Augusti fratris occiditur in matris gremio, die vigesimaquinta Februarij, *feria sexta*. Occisi multi, qui Getæ studuerant, & qui vel pronunciassent postea nomen Getæ. Percussus etiam Papinianus Iurisconsultus, olim Fisci aduocatus, tunc Præfectus E Prætorio, quòd noluisset composita oratione parricidium excusare.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS	ZEPHYRINI PAP. ANNVS	MAC. ET DIADVM. ANNVS
219.	17.	1.

Indict. 12.

ANtoninus Imp. in Mesopotamia inter Edessam, & Carrandum, dum secederet ad officium naturæ, Opilij Macrini opera à Martiano Cen- *Dio in Carac. Spartian. in eod. Sex. Aurel.*
B turione occiditur. Aprilis octauo, *feria quinta*. Succedit Opilius Macrinus.

IESV CHRISTI ANNVS	ZEPHYRINI PAP. ANNVS	ANTON. HELIOG. ANNVS
220.	18.	1.

Indict. 13.

C MAcrinus, & Diadumenus filius, ambo Imperatores, à militibus rebellantibus occisi sunt, sexta Iunij, *feria tertia*, cùm imperassent annum vnum, mensem vnum, dies viginti octo. Successit M. Aur. Antonin. Heliogabalus, Antonini Caracallæ filius, ex Seonide Mesæ sororis, Iuliæ Augustæ filia; quam alij Semiamiram vocant, Mammeæ sororem. Dictus Heliogabalus, quòd in Templo Solis in Phœnicia Sacerdotem ageret. *Iul. Capit. Dio in Macrino.*

IESV CHRISTI ANNVS	CALLISTI PAP. ANNVS	ANTON. HELIOG. ANNVS
D 221.	1.	2.

Indict. 14.

ZEphyrinus Papa, post annos octodecim regiminis, totidemque dies, moritur in Domino, vigesima sexta Augusti, *Dominica*. Succedit Callistus, die secunda Septemb. *Dominica*. *Euseb. in Chr. Et lib. 6. c. 15.*

IESV CHRISTI ANNVS	CALLISTI PAP. ANNVS	ALEXANDRI IMP. ANNVS
E 224. 226.	4. 6.	1. 3.

HEliogabalus cum Matre Iulia militari tumultu occiditur, & raptatus in Tiberim proijcitur, anno ætatis decimo octauo. Inde Tiberinus, & Tractitius dictus. Contigit decima Martij, *feria quarta*. Succedit miro militum consensu Alexander Mammeæ filius, decimaquarta Martij, *Dominica*, annum agens decimumsextum. *Anno 224. Indict.* *Lamprid. in Alex.*

Callistus Papa, cùm præfuisset annis quinque, mense vno, diebus duodecim,

decim, Martyrio coronatus est, die decimaquarta Octobris, in *Sabbato*. A
Successit Vrbanus die vigesimaprima mensis eiusdem. *Anno 226. Indict. 4.*

IESV CHRISTI ANNVS	PONTIANI PAP. ANNVS	ALEXANDRI IMP. ANNVS
233. 236.	1. 4.	10. 13.

VRbanus Papa, postquam præfuisset Ecclesiæ annis sex, menses septem, B
dies quatuor, Martyr migrat ad Dominum, Maij vigesimaquinta, *Sabbato*, sexto post martyrium S. Cæciliæ mense; quòd Sancta Virgo, anno superiori, vigesima secunda Nouembris, *feria quinta*, obijt: cuius causa inter alios etiam Vrbanum inuoluit. Successit Vrbano Pontianus Romanus ex P. Calphurnio. *Anno 233. Indict. 11.*

Hoc anno translatum Corpus S. Thomæ ex India Edessam, scribunt aliqui. Id saltem non fuerit integrum, cùm Indi adhuc se illud possidere constanter affirment: idque testantur hodierni rerum Indicarum Scriptores. C

Indict. 15.

IESV CHRISTI ANNVS	PONTIANI PAP. ANNVS	MAXIMINI IMP. ANNVS
237.	5.	1.

Lamprid. in Alex. Herod. lib. 6. Eusch. in Chr. Cassiod. ibid.

ALexander contra Germanos expeditione facta, cum matre Mammea à militibus Moguntiæ, dolo Maximini occiditur prope Moguntiam, D cùm superiori anno insignem, imo prorsus ingentem, & insperatam victoriam reportans, Romam reuersus triumphasset vigesimaquinta Septembris, *feria secunda*. Duxerat Persarum Rex Artaxerxes septingentos Elephantes, falcatos currus mille & octingentos: idemque paulo ante tribus prælijs Parthos fuderat, Attabano eorum Rege interfecto; & pacis literas ab Alexandro missas superbe reiecerat. Occisus est Alexander annos natus viginti nouem, menses tres, dies septem, decimooctauo die mensis Martij, *Sabbato*. Luit Artaxerxes ob superbiam: vicit Alexander, quòd fere ex lege Christianorum viueret; in eo culpabilis, quòd suos in Christianos sæuientes non coercuerit, & paulo ante calumnijs circumuentum Pontianum Papam in Sardiniam deportari iusserit. Ideo breui spatio vitam infeliciter conclusit. Alioqui ex eo laudatur, quòd inter alios Christum, & Abrahamum in Sacrario suo quotidie coluerit. Quin etiam Christo Templum ponere, eumque inter Deos adscribere cogitauit. E

Eutrop. lib. 9. Succedit Maximinus Gotho Patre, Matre Alana genitus. Thracem fuisse Sextus Aurelius putat: primus ex militari corpore sine Senatus authoritate *Oros. lib. 7. c. 19. August. de Ciuit. lib. 18. cap. 52.* ab exercitu Imperator creatus. Sexta sub hoc Principe Persecutio breuis, sed vehemens fuit. In ea passus est in Sardinia Pontianus Papa post annos Ponti-

A tificatus quatuor, menſes fere ſex, decimanona Nouembris, *Dominica*. Cui poſt dies tredecim ſuffectus eſt Anterus natione Græcus, ex Patre Romulo.

IESV CHRISTI ANNVS	ANTERI PAP. ANNVS	MAXIMINI IMP. ANNVS	
238.	1.	2.	Indict. 1.

B Anterus cùm vix menſem in Pontificatu egiſſet, martyrio coronatur, die tertia Ianuarij, *Dominica*. Cui poſt dies tredecim ſubrogatur Fabianus, patria Romanus, ex Patre Fabio; qui Corpus Pontiani Papæ ex Sardinia transferri, & Cœmeterio Calliſti recondi curauit. Euſeb. in Chr.

Procurator Pannoniæ datus Cornelius Fuſcus, qui ſucceſſit Tito Fabio; Tacit. lib. 18. *Fabiano Papæ genere coniuncto*. Erat autem Procurator, qui vectigalia, & tributa in Prouincia colligebat, eademque in expenſum acceptum referebat. Capit. in Cord.

IESV CHRISTI ANNVS	FABIANI PAP. ANNVS	MAXIMINI IMP. ANNVS	
C 240.	2.	4.	Indict. 3.

Maximinus dum Aquileiam obſidet, à militibus vnà cum filio occiditur; conclamantibus omnibus militari ioco: *Ex peſſimo genere nec catulum quidem habendum*. Succedit Gordianus, ànno ætatis decimoſexto, aliàs decimoquarto, à militibus lectus, occiſis paulo ante Pupieno, & Balbi- D no, quos Senatus Maximino ſuffecerat. Herod. lib. 7. Sext. Aurel.

IESV CHRISTI ANNVS	FABIANI PAP. ANNVS	PHILIPPI IMP. ANNVS	
246.	8.	1.	Indict. 9.

Gordianus cùm biennio ante aperto Iano gemino, cum ingentibus co- E pijs contra Perſas duxiſſet, iter habens per Mœſiam ac Thraciam, tum Antiochiam veniens, Carras, Niſibim, aliaque oppida recepiſſet, hoc anno à Philippo Præfecto Prætorij nefariè trucidatur apud Cteſiphontem, anno ætatis vigeſimo, aut vigeſimoſecundo. Corpus eius prope fines Romani Perſicique poſitum, nomen loco dedit, *Sepulchrum Gordiani*. Succedit Philippus interfector, Arabs, humillimo genere, Patre nobiliſſimo latronum ductore. Capitol. in Cordiano. Sextus Aurel.

 A

Indict. 12.

IESV CHRISTI ANNVS	FABIANI PAP. ANNVS	PHILIPPI IMP. ANNVS
249.	11.	4.

Aur. Victor. in Philipp. Acta Pontii apud Sur. die 14. Maii. Brusch. lib. 1. de Pat. in Ierardo.

MIllesimus ab Vrbe condita annus, insignibus muneribus editis celebratur ab Imperatore; die vigesimoprimo Aprilis in *Sabbato*; cùm ante mille annos, hoc est septingentis & vno supra quinquaginta ante Christum, *feria quarta*, aut prima iacta fundamenta fuerint, aut pro re, & tempore iam Ciuitas constituta. Aderat forte Pontius Præfectura auctus, & Philippo Imperatori, filioque eiusdem nominis familiariter notus. Ad quē isti, Eamus, inquiunt, & propitios faciamus Deos magnos, qui nos in hunc Romanæ Vrbis Millesimum perduxerunt. Qua occasione arrepta Pontius se Christianum confessus, Christi Fidem eis suasit, ac demum persuasit; vt ambo credentes à Fabiano Papa, hoc anno baptismum susceperint. Sunt qui doctrina Origenis imbutos, credidisse putent. B C

Indict. 13.

IESV CHRISTI ANNVS	FABIANI PAP. ANNVS	PHILIPPI IMP. ANNVS
250.	12.	5.

Sur. ex Brusch. vbi supra.

PHilippus Pannonijs charus, eos multis beneficijs afficit. Ecclesijs verò passim fundandis, & pluribus Idolorum Templis euertendis intentus, multis de populo salutari lauacro abluendis author fuit. Inter alias Ecclesias Laureacensem hactenus pauperem, honoribus ac diuitijs auxit: quo tempore eidem Ecclesiæ præfuit Ierardus. Fabianæ vero, quæ hodie Vienna Austriæ est, Fidē Christi propagat Eutharius, postea Laureacensis Episcopus. D

Indict. 1.

IESV CHRISTI ANNVS	FABIANI PAP. ANNVS	DECII IMP. ANNVS
253.	15.	1.

E

Eutrop. lib. 9. Sext. Aurel. Euseb. in Chr.

PHilippus Imperator vnà cum filio Philippo à militibus occiditur: ille Veronæ, hic Romæ. Succedit Decius, ex Inferiore Pannonia, seu Bubalia ortus. Multa præclara gesserunt, quæ Gentiles Scriptores odio Christianis prætermiserunt: nec desunt qui eos Fidei causa cæsos putent; eoque Decium acerbissimam in Christianos persecutionem instituisse, quò suam superstitionem, damnata Philipporum religione, Gentibus probaret. Certum est Philippum Imperij iniuste acquisiti pœnituisse, accepta à Fabiano Papa, pœnitentia, ac deinde summa cum laude magno Christianorū bono vixisse.

A Hoc eodem anno martyrium obit Fabianus Papa, die vigesima Ianuarij *feria quinta*. Sedes vacat annum, & amplius. Septima, & ingens in tota Ecclesia Persecutio excitatur, qua in Ægyptum penetrante, Paulus Anachoretarum Princeps futurus; in Eremum secessit, anno ætatis decimoquinto. *Eusab. lib. 6. Hist. cap. 32. Oros. lib. 6. c. 21. Hieronym. in Paulo.*

Eandem Persecutionem fugiens Maximilianus Celenas, aliàs Celeyensis, Celeyæ Pannoniarum vrbe celeberrima nobili genere ortus, postea Laureacensis Episcopus, Romam venit, & aliquot annis latuit: donec iterum à Sixto Secundo prædicandi, & Ecclesias colligendi causa, plena cum authoritate mitteretur.

B

IESV CHRISTI ANNVS	CORNELII PAP. ANNVS	DECII IMP. ANNVS	
254.	1.	2.	*Indict. 2.*

EPhesi Septem Viuentes, persecutionis timore in antrum fugientes, occluso à persecutoribus ostio, in Domino obdormierunt. Vnde & no-
C men Septem Dormientium consecuti sunt.

Tandem post multam altercationem eligitur Cornelius. Successor Fabiani, mense Aprili.

Non multo post Decius Imperator, Christiani sanguinis reus meritas pœnas dedit: dum aduersus Gotthos Mœsiam, & Thraciam infestantes decertans, à Treboniano Gallo limitanei exercitus Duce proditus, extincto filio, ipse equo salutem captans, in profundam paludem incidit, nec ampliùs visus est. Succedit idem Gallus cum filio Volusiano in Collegam adscito. *Cypr. epist. 51. Constant. Imp. in Orat. ad Episcopos. Eusebi. lib. 7. cap. 1.*

D

IESV CHRISTI ANNVS	CORNELII PAP. ANNVS	GALL. ET VOLVS. ANNVS	
255.	2.	1.	*Indict. 3.*

COrnelius martyrio coronatur, die decimaquarta Septembris (tametsi celebretur memoria biduo post), *feria sexta*, postquam præfuisset an-
E nis duobus, totidem mensibus, & diebus tribus. Succedit Lucius Romanus, patre Porphyrio, vnus ex Presbyteris, qui cum Cornelio exulauerant.

IESV CHRISTI ANNVS	LVCII PAP. ANNVS	GALL. ET VOLVS. ANNVS	
257.	2.	3.	*Indict. 5.*

LVcius Papa martyrium obit, post annum Pontificatus vnum, menses tres, die quarta Martij, *feria quarta*. Post dies trigintaquinque, nona Aprilis, succedit Stephanus Romanus. *Eusab. lib. 7. cap. 2.*

Eutrop. lib. 9. Zosimus lib. 1.

Gallus, & Volusianus aduersus Æmilianum res nouas in Mœsia molientem profecti, Interamnæ à militibus occiduntur, anno Imperij quarto. Ijdem haud passi Æmilianum vltra quatuor menses imperare, ipsũ necauerunt. Successere Valerianus, & Gallienus; ille in Norico ab exercitu, hic Romæ à Senatu factus. A

IESV CHRISTI ANNVS	STEPHANI PAP. ANNVS	VALER. ET GALL. ANNVS
259.260.	3.4.	3.4.

B

Hieron. in Cypriano. August. de Ciuit. lib. 18. cap. 52. Oros. lib. 7. c. 2. Sauer. lib. 2. Dionys. apud Euseb. lib. 7. cap. 9. Trebell. Poll. Vopisc.

OCtauam Persecutionem ingentem in Christianos Valerianus Romæ excitat. Is alioqui de Christianis bene meritus, ab Ægyptio quodam Mago seductus est. Durauit annos tres, menses sex, adeo seuere, & crudeliter, vt Dionysius Alexandrinus, tempora illa omnium infelicissima de Antichristo prædicta, in Valeriano putaret esse expleta.

Ingenuus Pannonias regens, à Mœsianis legionibus Imperator factus, per Celerem Verianum profligatur. *Anno 259. Indict. 7.* C

Stephanus Papa martyrio coronatur dum sacrificium offert, die secunda Augusti, *feria quinta*. Rexit Ecclesiam annis tribus, mensibus totidem, diebus vigintiduobus. Succedit Sixtus Græcus Athenensis, die Augusti vigesimaquarta.

Brusch. lib. 1. de Palau. c. 4.

Floruisse hoc tempore Eutharium, (alias Eleutherium) Laureacensem Archiepiscopum, de quo supra ad annum 250.) scribunt quidam: eundemque interfuisse Concilio Sardicensi, sub Stephano Primo, & se Eutharij nomine subscripsisse. Verùm enormis est error: nam Concilium Sardicense, centum fere annis à Stephano, sub Iulio Primo celebratum, cui interfuisse legitur inter alios Eutherius è Pannonijs: qui si idem sit cum Laureacensi in Pannonia Superiori, plura quæ de hac Ecclesia tradiderunt sui Scriptores, emendanda erunt. D

Hoc eodem anno Maximilianus Celeyensis à Sixto Pontifice missus, in Pannonias reuertitur, & ingenti cum fructu in Vinea Domini laborat: nec multo post, omnium consensu Episcopus Laureacensis creatur. Quod factum videtur post quadriennium, anno videlicet ducentesimo sexagesimoquarto: quo Quirinum, cui successisse traditur, Aquileiam vocatum esse, sui Scriptores perhibent. *Anno 260. Indict. 8.* E

IESV CHRISTI ANNVS	DIONYSII PAP. ANNVS	VALER. ET GALL. ANNVS
261.262.	1.2.	5.6.

SIxtus martyrium facit, die Augusti sexta, *feria tertia*. Succedit Dionysius. *Anno 261. Indict. 9.*

Pan-

A Pannoniæ Superioris partem Gallienus concedit Pipæ Marcomannorum Regis filiæ, dum eam à Patre matrimonij specie suscipit. *Anno* 261. *Indict.* 10.

Scythæ Romanum Imperium incursant, Trapezuntem diripiunt, Chalcædonem capiunt, Nicæam succendunt. Valerianus in Mesopotamia bellum gerens, proditione Macrini Ducis à Persis capitur, & apud eos ignobili seruitute consenescit, Regi Sapori toties incuruatus, quoties ille ceruice eius calcata equum conscendit. Sunt qui tandem excoriatum, & salitum dicunt. Ita Numine vindice luit, qui Christianos tam dire vexauit. Ea B de causa territus Gallienus Christianos mitiùs habuit.

Trebell. in Po'l. Euseb. lib. 4. de vita Const. c. 12. Zosimus lib. 1. Eutrop. lib. 9. Sext. Aurel. in Valer.

In eadem irruptione Templum Dianæ Ephesiæ incensum est. *Anno* 262. *Indict.* 10.

IESV CHRISTI ANNVS	DIONYSII PAP. ANNVS	GALLIENI IMP. ANNVS
265. 269.	5. 9.	9. 13.

C Romanum Imperium augetur Pannonia Superiore. Odenatus Rex Palmyrenorum sublato Valeriano, dum Gallienus luxu, & ocio tempus insumit, Orientis Imperium assumit, bellumque Persis in vindictam Valeriani indicit. Nisibim, & Carras occupat, captos Satrapas ad Gallienum mittit, qui aliena victoria triumphat. *Anno* 265. *Indict.* 13.

Trebell. in 30. Tyran.

Odenatus occiditur. Gallienus Heraclianum contra Persas destinat, qui à Palmyrenis vincitur. Scilicet Odenato sublato, qui Romanam rem stabiliuerat, ne à pluribus in diuersis Prouincijs Imperium vsurpantibus interiret, Græcia, Macedonia, Pontus, Asia vastatur à Gothis. Dacia à Tra- D iano quondam vltra Danubium adiecta amittitur; Pannonia à Sarmatis, & Quadis vastatur: Ita etiam pars Superioris Pannoniæ, quam à Gallieno Pipæ Marcomannorum Regis filiæ concessam superiùs diximus, perditur: Gallia à Chroco Alemannorum Rege misera clade atteritur; denique & Hispania eorum inundatione propemodum deletur.

Trebell. in 30. Tyran. Sext. Aurel. Eutrop lib. 9. in Gall. Greg. Tur. lib. 1 Hist. cap. 32 Herm. ad ann. 266. Godef. Viterb.

Gallienus etiam dum Mediolanum obsidet, Aureoli ducis sui, nec non Martiani, & Cecropij, (addunt aliqui & Claudium) dolo, & fraude occiditur vnà cum fratre Valeriano, & filijs. Succedit Claudius Secundus, electus à militibus, mense Martio, die vigesimaquarta. Qui eodem anno E contra Gothos expeditionem parat. *Anno* 269. *Indict.* 2.

IESV CHRISTI ANNVS	DIONYSII PAP. ANNVS	CLAVDII IMP. ANNVS
270. 271.	10. 11.	2. 3.

Claudius Gothos, Illyricum, Macedoniamque peruagatos insigni prælio vincit: vnde ei clypeus aureus, & statua equestris decernitur à Senatu.

Trebell. Poll. Sext. Aurel. Godef. Viterb.

ra. Cæsa sunt trecenta viginti millia, nauium duo millia demersa. Hæc alia est ab illa victoria, quam de Alemannis, haud procul à lacu Benaci reportasse dicitur Claudius, tantæque multitudinis fuisse, vt ægre pars dimidia superfuerit. *Anno* 270. *Indict.* 3. A

Pomp. Aurel. Vopisc. in Aur. Treb. in Claud. Eutrop.

Reliquiæ Gothorum ad Hæmimontum peste, & fame conficiuntur. Eadem lue tactus occumbit etiam Claudius; licèt alij non peste mortuum dicant, sed cùm ex fatalibus libris, quos inspici præceperat, cognouisset, sententiæ in Senatu dicendæ Primi morte remedium desiderari, Pomponio Basso, qui tunc erat, se offerente, ipse vitam suam, haud passus responsa frustrari, Reipublicæ dono dedit. Successit Quintillus, cùm in præsidio Italico esset: verùm vbi Aurelianum comperit imperare, à toto exercitu frustra concione monito derelictus, incisis sibi venis, die vigesimo sui Imperij perijt. B

Imperium porro capessit Aurelianus ex Pannonia Sirmio oriundus, obscuro genere. Dacia Ripensi oriundum non nemo existimat. Mirum in modum laudatur ab Ethnicis, vt Alexandro Magno, seu Cæsari Dictatori comparetur.

Alemanni, & Marcomanni Romanum Imperium infestant, cladem ingentem ad Placentiam inferunt. Ob id Romæ trepidatum, & Aureliano iubente libri Sibyllini consulti. *Anno* 271. *Indict.* 4. C

Indict. 5.

IESV CHRISTI ANNVS	DIONYSII PAP. ANNVS	AVRELIANI IMP. ANNVS
272.	12.	2.

Dionysius Papa, postquam præfuisset Ecclesiæ annis vndecim, mensibus tribus, diebus quatuordecim, multis laboribus aduersus Hæreticos, & persecutores perfunctus, feliciter ad Dominum migrat, die vigesimasexta Decembris, *feria quarta*. Succedit Felix Romanus, pate Constantio. D

IESV CHRISTI ANNVS	FELICIS PAP. ANNVS	AVRELIANI IMP. ANNVS
273.275.	1.3.	3.5.

E

S. August. de Ciuit. lib. 18. cap. 52. Euseb. lib. 7. cap. 24.

Nona in Christianos persecutio excitatur ab Aureliano; qui licet idem antea tentans in Palæstina, diuina quadam vltione brachiorum commissuris eneruatis repressus fuisset: nihilo tamen melior factus, non multo post institutum prosecutus est, Deo permittente. Scilicet Gentilitiæ superstitionis Pontifices, ex libris Sibyllinis elicuerunt persecutionem, cùm omnes clades, quibus Romanum Imperium vrgeretur, Christianorum causa à Dijs immitti perhiberent. *Anno* 273. *Indict.* 6.

Felix

A Felix Papa, post Pontificatum annorum duorum, & mensium quinque, martyrio coronatur, die trigesima Maij, *Dominica*. Subrogatur Eutychianus Tuscus, patria Lunensis, Patre Marino.

Aurelianus in Orientem ducit contra Zenobiam Odenati coniugem, quæ filiorum nomine Orientale tenebat Imperium. In itinere multa bella conficit, Byzantium, Antiochiam, aliasque Vrbes confecit: nec multo post Zenobiam: haud longe Antiochia, non tamen sine graui periculo vincit, & ad triumphum reseruat. *Anno 275. Indict. 8.* *Vopisc. in Aur. Eutrop.*

B

IESV CHRISTI ANNVS	EVTYCHIANI PAP. ANNVS	AVRELIANI IMP. ANNVS
276. 277.	2. 3.	6. 7.

AVrelianus in Italiam reuersus, & post deuictos ad Placentiam, iterumque in Ticinensibus campis, tribus prælijs Barbaros, Romam veniens Teteium Tyrannum in Gallia in deditionem acceptum, & Zenobiam, C tanquam Orientis, & Occidentis victor in Triumphum ducit. *Anno 276. Indict. 9.* *Sext. Aurel. Eutrop.*

Aurelianus Prouinciam Daciam, de qua supra ad ann. 269. intermittit, desperans eam posse retineri, vastato omni Illyrico, & Mœsia. Quare abductos inde Romanos, in media Mœsia collocauit, appellauitque eam Daciam, quæ nunc duas Mœsias diuidit, & est à dextera Danubio interfluenti, cùm antea fuerit in læua. *Anno 277. Indict. 10.* *Euseb. ad ann. 274. Sext. Aurel. Eutrop.*

D

IESV CHRISTI ANNVS	EVTYCHIANI PAP. ANNVS	TACITI IMP. ANNVS
278.	4.	1.

Indict. 11.

AVrelianus Mnesthei Notarij, siue Secretarij, fraude occiditur; hic enim imitatus manum Aureliani, nomina quorundam militarium virorum ad eosdem detulit, tanquam ab Aureliano ad necem destinatorum. Qui præuertentes insidias, medio loco inter Constantinopolim, & E Heracleam eum occiderunt, mense Ianuario; Succedit Tacitus, post nonnullam dissensionem. Exercitus enim nolens vllum ex ijs creare, qui tam bonum Principem sustulissent, retulit ad Senatum; hic vicissim sciens non recipi ab exercitu delectos à Senatu Imperatores, ad milites reiecit: idque tertio factum, vt per sex menses Romanus Orbis Imperatore caruerit. Demum ex Senatus consulto Tacitus eligitur, optimus Imperator, qui illico persecutionem in Christianos cessare iussit. *Vopiscus. Sex. Aurel. Eutrop. Zosimus lib. 1.*

A

Indict. 12.

IESV CHRISTI ANNVS	EVTYCHIANI PAP. ANNVS	FLORIANI PROBI IMPP.
279.	5.	1.

Vopisc.
Sext. Aurel.

TAcito post sex menses, incertum morbo, an gladio, mortuo, Imperium arripit Florianus eiusdem germanus, nullo Senatus suffragio, sed veluti iure debitum hereditario. Sed vix duobus mensibus exactis, apud B Tarsum à militibus occisus est, & ab ijsdem electus M. Aurel. Valer. Probus e *Pannonia* oriundus, Ciuitate Sirmiensi, Patre Maximo Tribunitia potestate claro. Quidam, patre genitum agresti, hortorum studioso, Dalmatio sanguine tradunt. Cæterùm Probus eam dignitatem adolescens virtute promeruit, tam Valeriani, quàm Aureliani, Tacitique Imperatorum literis commendatus.

C

IESV CHRISTI ANNVS	EVTYCHIANI PAP. ANNVS	PROBI IMP. ANNVS
281. 282. 283.	7. 8. 9.	3. 4. 5.

Vopiscus in Probo.

PRobus in Illyrico, Sarmatas vnà cum alijs Barbaris eò progressis debellat, & quæ diripuerant recipit. Deinde ad Gothos, & alios Barbaros compescendos in Thraciam migrat.

Sext. Aurel.
Eutropius lib. 9. in Probo.

Idem in Pannonijs vineas haberi permisit, quod antea vetuerant Imperatores, ne miles vino solutus, ineptus redderetur ad bellandum. Primus igitur Almum montem, apud Sirmium, & Aureum apud Mœsiam superiorem opere militari vineis conseruit. Vinum Sirmiense hodieque apud Hungaros laudatur, & apud alias nationes magno in precio habetur. *Anno* 281. *Indict.* 14. D

Panegyr. dict. Maximiano.

Franci breui temporis spatio Romanum Imperium turbant, & vehementer concutiunt, Græciam, Asiamque populati: & Libyæ litoribus vastitatem inferentes, Siciliam demum appetunt, & Syracusas capiunt: denique immenso itinere Oceanum, qua terras rumpit, per fretum scilicet Gaditanum intrant, omnia piratico ausu, & desperatione metientes. *Anno* 282. *Indict.* 15. E

Vopiscus.
Sext. Aurel.
Eutrop.

Probus bellum Persicum parans, dum per Illyricum iter facit, à militibus, in quos seueriùs agebat, per insidias interficitur Sirmij in Turri ferrata. Succedit Carus Manlius Aurel. à militibus creatus, *Romæ natus ex parentibus Illyricis*: Quidam Narbonæ in Gallia natum dicunt.

Eutychianus Papa martyrium obit, octauo Decembris *in Sabbato*. Præfuit annis octo, mensibus senis. Succedit viginti post dies Caius Dalmata ex genere Diocletiani Imperatoris. *Anno* 283. *Indict.* 1.

A

IESV CHRISTI ANNVS	CAII PAP. ANNVS	CARINI, ET NVMER. ANNVS
284.	1.	1.

Indict. 2.

CArus in Orientem cum Numeriano filio contra Persas, & Parthos profectus, altero filio Carino in Gallias misso, vtrumque enim Cæsa-
B rem crearat; cùm Mesopotamia subacta, ad Ctesiphontem vsque peruenisset, ægrotans, vel vt alij dicunt, superueniente fulmine extinguitur. Succedunt Filij, Numerianus in Oriente, Carinus in Occidente.

Maximilianus Laureacensis Episcopus, martyrio coronatur. Martirij non meminit Martyrologium Romanum, id tamen plerique Scriptores tradunt. Plures, postquam Roma reuersus est, in Pannonijs, metu persecutionis deiectas erexit Fidelium Ecclesias, iisdemque verbo, & exemplo forti præluxit; vt nullibi boni Pastoris officium desiderari pateretur. Quin etiam patriæ consulturus, quam erroribus implicitam accepe-
C rat, Celenam se contulit. Hic forte etiam adfuit Euilasius à Numeriano Pannoniæ præfectus: qui Ciuitates Prouinciæ peragratus, Christianos ad impia Sacra cogebat; nisi parerent, supplicijs, & morti destinatos. Idque cùm Celenæ etiam voce præconis edixisset, multis Christianis metu sacrificantibus, Maximilianus zelo percitus, humique prostratus, cum lacrymis Deum orabat, ne tantam in nouella Christianitate suo nomini contumeliam fieri permitteret: statimque voce de Cœlo reddita audit: *Ne timeas serue bone, verum surge, & confidenter perge, vt Tyranni confundas audaciam.* Ita factum: vt continuo surgens, & vicificæ Crucis signo se muniens, in medium sa-
D crificantium agmen irrueret, & Euilasium de impietate constanter argueret. Quod is indigne ferens, tanquam *Patria seductorem, & fallacem Crucifixi adoratorem verbosum,* præterea *Christianorum Pontificem,* Marti sacrificare iubet, vel vitam ponere. Maximilianus in laudem Crucifixi, & contemptum Idolorum plura dicere parans, cùm Immortalia ioco dixisset Idola, vt quæ nunquam vixissent, aut victura forent, ab irato Euilasio gladio percuti iubetur.

Cusp. in Austria Baron. sed melius Varabarbensi, aut Formbacensi. Biblioth. Tornacen. Brusch. lib. 1. de Patau. in Maximiliano. Lazius lib. 12. de Rep. cap. 5.

Ille, qua constantia Præsidi restitit, eadem ceruicem feriendam percussori obtulit, duplici natali, vitæ & coronæ, patriam exornans, duodecima die
E mensis Octobris, *Dominica.* Sepultus à Christianis extra muros Ciuitatis pluribus claruit miraculis, & Scriptoribus argumentum laudis, & admirationis reliquit. Serò, sed insigni commendatione contigit, quod inter alios recenset Lazius, Fridericum Tertium Imperatorem, cùm in arce Ciliæ pernoctaret, & eadem nocte proditione Præfecti tollendus esset; à Sancto Maximiliano fuisse liberatum. Eaque de causa dormienti per somnium incidisse, vt filio quem vtero gerebat Leonora Imperatrix, Martyris nomen inderet. Quod postmodum liberatus à custodia præstitit. Atque inde factum, vt Maximiliani nomen in pluribus Austriacæ Stirpis Principibus hæreret.

Martyrol. Rom.

Maxi-

Maximiliani res gestas quidam ad annum 289. reijciunt, minus recte, A cùm velint sub Numeriano passum, & Euilasium à Caro in Pannonias missum anno 288. cùm vterque, Carus nimirum, & Numerianus, aliquot annis antea occisi sint. Carus quidem, vt paulo ante diximus, ad Ctesiphontem; Numerianus verò paulo post.

Vopiscus. Eutropius. Sext. Aurel. Hoc itaque ipso anno Numerianus ex obitu patris Cari mœrore ægrotans, ab Apro socero interficitur, vt ipse regnaret. Sed re comperta, ab exercitu acclamatur Aurelius Valerius Diocletianus *Dalmata*, obscuro genere, Anulini Senatoris libertus: Eutropius Scribæ filium dicit. Appellatus autem Diocletianus ab oppido Dioclea, vbi natus est, à quo etiam ante Imperium Diocles dicebatur. Quare, & Pontificatum, & Imperium duo ex B eodem genere obtinent, Caius, & Diocletianus: sed quàm dispari conditione. Diocletianus principium Imperij sui obseruari præcipit, & inde annos numerari. Hinc cœpit Æra Diocletiana, in Italia quidem vigesimaprima Aprilis, quæ & natalis statuitur Romæ; in Africa verò vigesimanona Augusti. Eadem Abyssinis dicitur *Aera Martyrum*, ob summam Diocletiani in Christianos crudelitatem; item *Martyrum Copititarum*, à regione, & Ciuitate prope Nilum, in qua præcipue quamplurimi exquisitissimis supplicijs propter Christum necati sunt: quòd licet aliquot post annis cœperit, Copitæ nihilominus ab initio Imperij, quo cædes Christianorum C designata est, numerant. Durauit ea Æra vsque ad annum Christi quingentesimum trigesimum secundum; quo tempore cœperunt anni numerari à Christi natiuitate. Æthiopes tamen Abyssini, & Alexandrini, hodieque à sanctis Martyribus tempora computant.

IESV CHRISTI ANNVS	CAII PAP. ANNVS	DIOCL. ET MAXIM. ANNVS
286. 292.	3. 9.	3. 9.

D

Eutrop. lib. 9. Vopisc. in Car. Victor in Caro. Diocletianus, occiso Apro Numeriani interfectore, quem sibi fatalem existimabat, post Aristobulum, Collegam sibi adsciuit hoc anno Maximianum: Carino tamen prius extincto, qui eum aliquot prælijs lacessiuerat, non defuturus Imperio, si moribus non defuisset. Verùm ad extremum de summa Imperij cum Diocletiano apud Murgum, seu Murtium decertans, à suis proditus, & derelictus, vnius ex Tribunis, cuius vxorem E polluerat, gladio interimitur. Ita eo extincto, Diocletianus, & Maximianus de cætero liberum Imperium administrant. *Anno* 286. *Indict.* 4.

Euseb. in Chr. Constantius Chlorus, & Maximianus Galerius, cognomento Armentarius, ob tyrannos emergentes in Regnum assumuntur, & Cæsares creantur. Fuit Constantius Claudij Imperatoris filiæ natus: Galerius in Dacia, haud longe à Geroica natus. Hos vt Diocletianus affinitate iungeret, Constantio priuignam Maximiani Herculei, ex qua postea sex liberos Constantini Magni fratres habuit: Galerio verò filiam Valeriam dedit; ambobus vxores, quas habuerant, repudiare iussis. *Anno* 292. *Indict.* 10.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS 296.	CAII PAP. ANNVS 13.	DIOCL. ET MAXIM. ANNVS 13.

Indict. 14.

Caius Pontifex martyrio coronatur, die vigesima secunda Aprilis, *feria quarta*. Præfuit annis duodecim, mensibus quatuor, diebus quinque.
B Idem superiori anno præmiserat S. Susannam virginem, Gabinij fratris sui filiam, quæ Galerij Maximiani Cæsaris nuptias, quòd Christiana respuisset, anno, vt dicebam, superiori, Augusti vndecima, *die Dominica*, martyrij palmam capitis obtruncatione promeruit. Fuere Caius, & Gabinius filij Maximi, seu Maximini fratris Diocletiani. Duxit patre defuncto vxorem Gabinius (Caio vitam cœlibem amplexo) ex eaque susceperat Susannam, quæ & patruum suum Claudium impias nuptias suadentem, diuina eloquentia, vnà cum vxore Præpedigna, & duobus filijs Alexandro, & Cuthia ad Christum conuertit. Hi omnes à Caio Papa baptizati, præclaro deinde martyrio defun-
C cti sunt. Gabinius verò & ipse, cùm defuncta vxore sacris initiatus, presbyter aliquandiu vixisset, tandem martyrio functus est. Meminit eius Martyrologium Romanum ad diem Februarij decimumnonum; pridie verò Claudij, Præpedignæ, & filiorum. Caio successit Marcellinus Romanus.

IESV CHRISTI ANNVS 297. 301.	MARCELLINI PAP. ANNVS 1. 5.	DIOCL. ET MAXIM. ANNVS 14. 18.

D

Legio Christianorum militum Thebæorum ab Oriente euocata contra nouos Tyrannos emergentes Amandum, & Ælianum, cùm Maximianum in Gallias secuta, eo iubente sacrificare Dijs nollet, apud Agaunum, post binam decimationem constantior facta, Mauritio Tribuno, & Exuperio Vexillario, necnon Candido ordinis Senatorij viro animata, immisso tandem toto exercitu, tota trucidatur, & palmam martyrij, trophæa, coronas, & triumphos obtinet, die vigesimasecunda Septembris, *feria quarta*.
E *Anno 297. Indict. 15.*

Decima Persecutio Christianorum licet ab initio Imperij Diocletiani, & Maximiani cœpta sit, continuò tamen aucta, & postquam Maximianus de Persis, & Parthis victoriam retulit, fere ad summum prouecta est. *Omnem fere Orbem sacro Martyrum sanguine infectum esse*, tradit Seuerus. *Quippe certatim gloriosa in certamina ruebatur; multoque auidiùs martyria gloriosis mortibus quærebantur, quàm nunc Episcopatus ambitionibus appetuntur*. Hæc ille. *Anno 301. Indict. 4.*

Eusebius lib. 8.

Seuer. lib. 2.

IESV

A

Indict. 5.

IESV CHRISTI ANNVS	MARCELLINI PAP. ANNVS	DIOCL. ET MAXIM. ANNVS
302.	6.	19.

Beda, Vsuardus, Ado in Martyrolog. ad quartum Iunii. Petrus in Cat. lib. 5. cap. 85. Lazius lib. 12. de Repub. cap. 5. Brusch. lib. 1. de Patau. Cusp. in Austr. Prudentius in Carm. Metellus mon. in Quirin. Rader. in Bau. Sancta.

S. Quirinus Episcopus Siſcias, iuxta Sabariam Pannoniæ Ciuitatē, S. Martini Patriam, patitur. De eius inſigni martyrio meminere quamplurimi. Ferunt Siſcianum fuiſſe Pontificem in Illyrico, deinde Laureacenſem, denique Patriarcham Aquileienſem; nonnulli putant fuiſſe etiam Epiſcopum Scarabantinatem, non longe Sabaria: quod non videtur veriſimile, niſi forte tranſeundo illic prædicauerit. Quod etiam plerique velint, fuiſſe Philippi ſenioris, qui primus Imperatorum ex Origenis, & Pontij Diaconi, deinde iurati hoſtis Chriſti, ad Fidem conuerſus eſt, natum, vix conſtat; neque enim præter Philippum iuniorem, alij leguntur apud antiquiores Scriptores, Philippi ſenioris filij. B

Addunt etiam, anno primo Imperij Philippi natum Quirinum, vigeſimoſeptimo ætatis anno, ſub Claudio martyrium obiuiſſe. Sed alius eſt hic Quirinus Romæ, ſub Claudio paſſus, cuius meminere Acta Valentini Presbyteri, & Martyrologium Romanum ad diem Martij vigeſimumquintum: alius, de quo hic agimus: quem ſiue vere, ſiue errore plerique tradant, vt dicebamus, Philippi Imperatoris fuiſſe filium; conueniunt etiam Sciſcitanam primum adminiſtraſſe Eccleſiam; diſcrepant, dum alij ex Laureacenſi Sede aſſumptum velint ad Patriarchatum Aquileienſem, relicto illic ſucceſſore Maximiliano, de quo ſuperiùs dictum eſt. Alij contra, ex Aquileienſi Cathedra, quam vndecimus in ſerie tenebat, tranſiuiſſe ad Laureacenſem, ab ipſo Patre ſuo Philippo commendatum; cui etiam omne ſuum patrimonium, quod in Pannonijs, & Mœſijs ampliſſimum erat, poſt obitum Patris liberaliſſime contulit. Hinc igitur ſæpius excurriſſe in Pannonias, & populos Fidem Chriſti conſtanter docuiſſe, & longe late religionem propagaſſe indubitatum eſt: donec tandem ſub Galerio Præſide, qui idem Maximinus dictus eſt, non autem ſub Galerio Maximiano Diocletiani collega, qui tum longe abfuit, niſi de ſummo Imperio ſit ſermo, illuſtri martyrio functus eſt. Id vero hoc modo accidit. C D

Cùm in immani Diocletiani, & Maximiani perſecutione ad Sciſcitanos vſque excurrens, (quod municipium in Saui fluminis ripa, è regione Colapis fluuij ſitum eſt) omnes ad fortiter pro Chriſto ferenda ſupplicia animaſſet, à Maximo Prætore vrbis Sciſcitanæ Decretis Imperatorum parere, & Dijs ſacrificare iuſſus, cùm renueret, in vincula coniectus, & Vindebonam, hoc eſt Viennam primum ductus, ibique diu in carcere detentus, & afflictus, tandem ad Præſidem Pannoniæ Galerium, qui tum Scarabantiæ non longe Sabaria agebat, remiſſus. Hic Virum Dei, quòd ſacrificare Dijs nollet, Amato, ſeu Amantio Iudici tradens, in præterfluentem riuum, quem alij Sabarim, Hungari, vt alias diximus, *Giongioſium*, Germani *Guntzium* vocant, ingenti ſaxo de collo appenſo demergi iuſſit. Sunt E

qui

A qui scribant, eum vndæ supernatantem, quòd mergi diuinitus haud posset, capitis supplicio tandem fuisse affectum. Sed veriùs alij, postquam Christianos secum colloquentes diu confortasset, interim lapidis mole stupentibus omnibus aquæ supernatante, à Deo demum, vt mergeretur impetrasse, die quarta Iunij, *feria quinta*. Nec multo post corpus eius repertum, in Oratorio; iuxta Scarabantiæ portam conditum aliquandiu fuit donec à Christianis ne incursione Barbarorum, quo tempore Attila omnia miscebat, auerteretur, Romam deportatum, & in Cœmiterio Callisti, iuxta tumbam Sanctorum Apostolorum, & S. Sebastiani Martyris sepultum est.

B Refert Bruschius ex vita Seuerini, habuisse hunc Quirinum socios quadraginta, qui sacras literas studiosè discebant, ac piè alios docebant. Hos vero Laureaci omnes fame enecatos, eo loco, quem adhuc Minorum Cœnobio insertum, *Romanorum Carcerem* appellant. Hæc ille: sed nihil simile offendimus in nostro exemplari.

IESV CHRISTI ANNVS	MARCELLINI PAP. ANNVS	DIOCL. ET MAXIM. ANNVS	
C 303.	7.	20.	Indict. 6.

PLures hoc anno Pannonia edidit Cælo Martyres. In primis prope Vesprimium *S. Rutilius* coronatur vnà cum socijs. Meminit Martyrologium Romanum, ad quartam Iunij.

Syrmij sub Probo Præside *Irenæus* eiusdem Vrbis Episcopus, vnà cum Montano presbytero. Meminit illius Menolog. ad 10. Kal. Septembris, Martyrologium Romanum ad diem 25. Martij. Montani vero ad diem 26. eiusdem mensis. Montanum nonnulli in Vrbe Smyreliensi passum dicunt,

D quæ eadem est cum Cæsarea. Irenæum item Episcopum Smyrnensem, sed errore; dicendum enim, Syrmiensem.

S. Maxima eodem die, & eodem genere supplicij, cum Montano sublata est, nimirum demersione in flumen, quo etiam passum Irenæum scribit Petrus in Catal. lib. 4. cap. 94. sed prius grauissime cæsum, ac deinde in Sauum præcipitatum: denique vt Ado, & Martyrologium Romanum habent, nouissime capitis abscissione obtruncatum; vtrumque enim fieri potuit: verisimilius tamen, post abscissionem capitis corpus in flumen proiectũ.

S. Demetrius Diaconus, ab eodem Probo eodem loco ob Fidei constan-

E tiam capite plecti iussus.

S. Pollio lector Cibali, quòd se Patrum suorum vestigia sequi profiteretur, & ideo nollet Idolis sacrificare, viuus flammis exustus est. Martyrologium Romanum, ad diem 28. Aprilis.

S. Syrenus Monachus, quem nonnulli etiam Episcopum fuisse tradunt, Sirmij cùm se Christianum esse confiteretur, iussu Maximiani capite plexus est. Martyrologium Romanum 23. Febr. Eusebius lib. 8. Hist. cap. 22. Petrus in Catal. lib. 3. cap. 147.

S. Alexander miles Dryziparæ, seu Drusiparæ, post multos pro Christo agones superatos, multaque miracula edita, martyrium, eiusdem Maximiani

iuſſu,capitis obtruncatione compleuit. Druſiparam Martyrologium Romanum, ad 27. Martij in Pannonia locat: alij Vrbem Thraciæ mediterraneam dicunt. De ſepulchro Alexandri à Caiano profanato, & terribili vltione, quam diuinitùs tulit ſceleſti hominis impietas, ſcribit Hiſt. miſcellan. quæ dicitur Pauli Diac. lib. 10. Anno 12. & 18. Mauritij Imperatoris. A

Sancti Septuagintaduo Martyres, Syrmij eodem tempore glorioſum certamen conſummarunt. Martyrologium Romanum ad 23. Febr. S. Hieronymus in ſuo Martyrolog. & ex eo Petrus in Catal. lib. 3. cap. 150. Quidam ſexagintaduos tantum fuiſſe tradunt: ſed præſtat vetuſta manuſcripta ſequi.

Sanctæ Septem Virgines in eadem Vrbe, dato ſimul precio ſanguinis vitam mercatæ ſunt æternam. Martyrol. Rom. ad diem 11. Aprilis. Vſuard. Beda ibidem. B

Sancti Innocentius, & Sebaſtia cum alijs triginta ſocijs glorioſo martyrio Cælum adepti ſunt. Martyrol. Rom. ad 4. Iulij, Vſuard. Beda, Ado, & alij.

Indict. 7.

IESV CHRISTI ANNVS	MARCELLINI PAP. ANNVS	CONST. ET GALERII ANNVS
304.	8.	1.

C

EVilaſius, de quo ſupra ad ann. 284. dictum, ex Pannonia Cyzicum in Mœſia minore ad quæſtiones de Chriſtianis habendas euocatus, & vt ardentiore ſuperſtitione munere fungeretur, ſacris Idolorum initiatus; ex admiranda Fauſtæ Virginis conſtantia conuerſus eſt. Hanc enim cùm decaluaſſet, & ad turpitudinem raſiſſet, ſuſpendi, & toqueri iuſſit: deinde cùm vellet eam mediam ſecare, & carnifices lædere non valerent, ipſe ſtupens in Chriſtum credidit. Mox iuſſu Maximiani dum ipſe etiam fortiter torqueretur cum Fauſta interim capite terebrata, clauis toto corpore confixa, & ſartagini ignitæ impoſita, voce de cælo vocatus tranſiuit ad Dominum. Martyrol. Rom. ad 20. Septemb. Menolog. ad 3. Ianuar. Metaphraſt. apud Surium, tom. 1. D

Sext. Aurel. Idatius. Eutropius. Zoſimus lib. 2. Diocletianus, & Maximianus purpuram ponunt: ille Nicomediæ, iſte Mediolani, in ipſis Parilibus, vigeſimaprima Aprilis, *feria ſexta*. Eadem hora dicti ſunt Auguſti Conſtantius Chlorus, & Galerius Maximian. qui poſt biennium Cæſares duos creat, Seuerum per Italiam, Galerium Maximinũ ſororis natum, per Orientem. Quo loco aduerto, plures tam Latinos, quàm Græcos Scriptores in his nominibus errare, & alterum pro altero accipere; Maximianum ſcilicet pro Maximino, & contra. Cæterùm diuerſus eſt Galerius Maximianus, à Galerio Maximino: ille enim vnà cum Conſtantio poſt Diocletianum imperauit; poſterior verò ab eodem Galerio creatus eſt Cæſar, eidemque in Imperium ſucceſſit. Sicut ergo duo Galerij diſtincti ſunt, alter Maximianus, Maximinus alter; ita etiam Maximiani diſtingui debent, vt prior cognomento Herculius, poſterior Galerius dicatur. E

Marcellinus Pontifex martyrio coronatur, die vigeſimaſexta Aprilis, *feria quarta*. Præfuit annos octo, dies fere totidem. Nam etſi Diocletianus,

A & Maximianus Imperio se abdicassent, concitatæ tamen persecutionis impetus non facile potuit contineri. Successit Marcellus post dies viginti quinque, Presbyter Romanus.

IESV CHRISTI ANNVS	MARCELLI PAP. ANNVS	CONST. ET GALERII ANNVS
306.	3.	3.

Indict. 9.

B

COnstantius Chlorus pius Princeps moritur Eboraci in Britannia, vigesimoquinto Iulij, *feria quinta*. Paulo ante diuina prouidentia adfuit Constantinus filius: quem ex insperato cùm vidisset pater, quippe ex custodia, qua Romæ à Galerio velut religionis causa obses dolo seruabatur, profugum, exiliens e cubili, illum amplexatus est, & lætam deinceps mortem omni tristitia depulsa oppeiturus, eum Regni heredem dixit. Sunt qui Constantio ægrotanti, & ob cæterorum filiorum ineptam indolem mæsto, Angelum adstitisse scribant, qui iuberet Constantino relinquere Im-
C perium. Videor mihi vt in Geysa adumbrare posse Constantium, ita in Stephano Constantinum; quando vtriusque consilia non dissimili euentu, respectu Regni, & heredis diuinam prouidentiam rexisse cogito.

Euseb. lib. ? Hist. cap. 26. & 29.
Zonar. lib. 2. An. in Diocl.

IESV CHRISTI ANNVS	MARCELLI PAP. ANNVS	CONSTANTINI IMP. ANNVS
307. 308.	4. 5.	2. 3.

D

SEuerus Cæsar Rauenna Romam vocatus, Maxentij dolo in via Appia tricesimo ab Vrbe lapide occiditur. Alij ad Tretabernas ceruicibus laqueo fractis necatum tradunt. Eidem Galerius Maximianus Licinium subrogat Dacia oriundum.

Eutrop. lib. 10. Sozomus lib. 2.

Maximianus Herculius ob res turbatas, iterum Imperium affectat, idemque vt Diocletianus resumat, suadet; sed non persuadet. Agebat tum Diocletianus Carnuti, non quod Celticum, sed quod in finibus Germaniæ est, centum passibus distans à Carunto Pannoniæ; vbi hortis colendis operam
E nauans Diocletianus, vitam quietam agebat. *Anno 307. Indict. 10.*

Sub hoc anno ponit martyrium Quirini Episcopi Sciscitani Eusebius, apud Baronium. Verum Eusebius ipse ad 314. conijcit. Neutrum tamen probatur, iuxta ea quæ superius de hoc Martyre, & alijs diximus; quos fere omnes hoc anno passos ponit Baronius. Veriùs id affirmatur de Vrsicio, in Illyrico, & Felice Spalati passis sub Arcitide Præside. *Anno 308. Indict. 11.*

 A

IESV CHRISTI ANNVS	EVSEBII PAP. ANNVS	CONSTANT. IMP. ANNVS
309.311.	1.3.	4.6.

S. Marcellus Papa martyrio coronatur, die Ianuarij decimasexta, *Dominica*. Præfuit annis quatuor, menses octo, dies vigintiquinque. Succedit post dies viginti, Eusebius natione Græcus. B

Hoc anno cœpisse Imperium Constantini, ponit Eusebius. *Anno* 309. *Indict.* 12.

Tiridat. in ep. ad Leontium apud Surium 3. Septemb. Niceph. lib. 6. cap. 35. Euseb. lib. 4. c. 7. In vita Const.

Tiridates Rex Armeniæ Superioris, à S. Gregorio Armeniæ Episcopo conuertitur, vnà cum Regina, & maiore parte populi baptizatus in Euphrate. Qua occasione magnopere est illustrata illic, & propagata Christiana religio. Gregorius autem vnà cum Tiridate ad Constantinum Magnum, cùm in Oriente ageret, veniens, eum tam miranda, & inopina audientem magno gaudio, & voluptate affecit.

Eusebius Papa moritur, vigesimasexta Septembris, *feria quarta*. Præfuit annos duos, menses septem, dies viginti vnum. Succedit Melchiades Afer, quem alij Miltiadem, alij Melciadem vocant. *Anno* 311. *Indict.* 14. C

IESV CHRISTI ANNVS	MELCHIADIS PAP. ANNVS	CONSTANT. IMP. ANNVS
312.303.	2.3.	7.8.

D

Nazar. in Panegyr.

Constantinus cœlesti Crucis ostento, ad Christianam Fidem conuertitur, & paulo post Maxentium vincit; qui fuga salutem quærens in Tiberim prolapsus, apud Pontem Miluium occubuit. Caput eius, ab vrinatoribus extractum, resectum, & pilo impositum, per Prouincias circumlatum, & vsque in Africam missum.

Indictionum origo vulgo ab hoc anno repetitur. Quibusdam ab anno 118. quo Hadrianus populum demereri studens, tributa & vectigalia, quæ fisco, vel ærario debebantur in sedecim annos remisit. Verùm hic agitur de sedecim annis solidis, cùm Indictiones tantum quindecim complectantur. Nos in nostris coniectationibus Indictiones ante Christi natiuitatem ortas late ostendimus. *Anno* 312. *Indict.* 15. E

Melchiades Papa moritur decimo Decembris, *feria sexta*. Præfuit annos duos, menses totidem, dies septem. In antiquis monumentis reperitur titulo Martyris insignitus, more Maiorum, quòd tempore persecutionis multa perpessus tormenta, licet superstes in pace tandem quieuerit. Succedit Syluester Romanus, Ruffini filius, ex Presbytero subrogatus. *Anno* 313. *Indict.* 1.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS	SYLVESTRI PAP. ANNVS	CONSTANT. IMP. ANNVS
316.	3.	11.

Indict. 4.

Diocletianus Salonæ miserè moritur; viscera inflammatione corruptus, carnem vniuersam ceræ in modum liquefactus; quin, & luminibus B captus, putredine præterea absumptus, ex faucibus multitudinem vermium cum lingua euomens, fœtore supra cadauera; denique omnibus horribilis, vix vt eiulanti quisquam adesse posset, suprema duntaxat verba audita, quibus Christianos à se dirę tractos dolenter, sed sine fructu, querebatur. Maius his omnibus tormentum fuit, videre felicem Christianorum statum, quos ipse extinctos, tam ardenter cupiebat; & vbique euersa Idola, quæ superstitiose culta volebat, tanto sanguine Christianorum sparso; denique ferre opprobrium illorum, à quibus se paulo ante summo honore haberi cogitabat. Obijt vndecimo Decembris, *feria tertia*, anno ætatis septuagesimo C tertio.

Zosim. lib. 2. Cedren. in Compend. Zonar. tom. 2. Ann. in Dioclet. Idatius in Chr. Eutrop. lib. 9.

Pachomius, magnus aliquando Christi miles futurus, hoc anno suæ ætatis vigesimo, inter tyrones Licinij aduersus Constantinum bellaturi adscribitur, & Oxirinchi oppido Thebarum, nomen Christianorum audit: eosque dum misericordes, & hospitales etiam erga Ethnicos, & Gentiles experitur, Fidem illorum admiratus, & mente illuminatus, ad Christum conuertitur.

Metaphr. apud Surium, die 14. Maii.

Eodem anno nascitur Sabariæ S. Martinus, Pannoniæ decus, clarissimum Ecclesiæ lumen futurum, parentibus Gentilibus non obscuræ conditionis. Qui de eius natiuitatis tempore aliter sentiunt, mire se in reliquis annis pu-D tandis implicant; quorum errores suis locis emendabimus, Seueri etiam mendum ex eodem Seuero castigantes.

Seuer. in vita. Gregor. Turon. lib. 1. Histor. Franc. cap. 36.

IESV CHRISTI ANNVS	SYLVESTRI PAP. ANNVS	CONSTANT. IMP. ANNVS
317. 318.	4. 5.	12. 13.

E Licinius ad Cybalim Pannoniæ vrbem victus à Constantino, Sirmium fugit: sed insequente Constantino in Thraciam elabitur (alijs in Daciam) sed frustra, nam pone adrepente exercitu Constantini, ad consertendum cogitur; pugna in noctem protracta, iterum fœde vincitur, die tertia Iulij, *feria quarta*. Priorem victoriam contigisse anno 315. die octauo Octobris, *Sabbato*, notat Idatius. *Anno 317. Indict. 5.*

L. 1. de Veteran. C. Theodos. Zosim. lib. 2. Idatius in Chr.

Licinius toties victus, totiesque gratia Constantini sibi, & Imperio permissus, & rursum bello lacessens Constantinum, rursum, & vltimo ad Byzantium vincitur (vt alij, in Bithynia ad Chalcedonem) & adempta potestate, sibi duntaxat victurus, Thessalonicam ablegatur. *Anno 318. Indict. 6.*

Victor in Constant. Idatius ad ann. 325.

A

IESV CHRISTI ANNVS	SYLVESTRI PAP. ANNVS	CONSTANT. IMP. ANNVS
319.320.323.	6.7.10.	14.15.18.

Zosimus lib. 2. Sozom. lib. 1. cap. 8.

CONstantinus Sarmatas, & Scythas Mœotidis accolas Istrum transgressos, & Romano Imperio infestos cæcidit. Tum Istro traiecto, quem ad imitationem Traiani insigni ponte strauerat, eosdem in regione sua debellauit, occiso Rege eorum Rausimodo; plures tamen se dedentes benignè suscepit, qui deinde ad Fidem cum multis alijs conuersi sunt. Hi Sozomeno Gothi appellantur, habueruntque Episcopum Theophilum, qui postea Concilio Nicæno interfuit, & subscripsit. Ex his etiam fuere plures, qui deinde in Pannoniam inuadentes, Hungaris aut initium, aut societatem dedere. *Anno 319. Indict. 7.* B

Nazar. Panegyr.

Crispus Cæsar, Constantini maior natu filius, contra Alemannos feliciter bellum gerit, terrorem paternum ad nomen suum deriuans. *Anno 320. Indict. 8.* C

Euseb. in Chr. Idatius ... Ioan. Nicomed. in Hist. Oros. lib. 7. cap. 28

Licinius Thessalonicæ, vt sæpe alias, nouis rebus studens, Constantini iussu occiditur. Aliqui hoc longe ante factum, nempe anno 318. scribunt: Alij ad ann. 325. reijciunt: nec desunt, qui non occisum, sed morbo consumptum affirment. Iuniorem vero Licinium illius filium, quem alij Licinianum vocant, hoc vel potius sequenti anno interfectum, quòd occulta cum patre conspiratione in Constantinum machinaretur. *Anno 323. Indict. 11.*

Indict. 12.

IESV CHRISTI ANNVS	SYLVESTRI PAP. ANNVS	CONSTANT. IMP. ANNVS
324.	11.	19.

D

Ammian. lib. 14. Zosim. lib. 2. Sozom. lib. 1. cap. 5. Sidon. lib. 5. ep. 8. Euagr. lib. 3. cap. 40. 41. Baron. ad hunc annum.

COnstantinus Licinio iuniore sororis nato, postea verò & Crispo suo filio, Polæ in Istria, vt alij putant, Romæ; Fausta item coniuge occidi iussis; de crudelitate male audire cœpit: vt qui adeo pius Princeps, in Tyrannum euaserit, & gemmea secula, quemadmodum inquit Ablauius Consul, apud Sidonium, Neroniana fecisset. Permiserat hoc Deus, ob consultos de futuris euentis Aruspices, & Augures; contra quos cùm antea legem tulisset, rursum eos adhibere cœpit, oblitus tot victoriarum, & tanti Imperij, tanta cum felicitate, Dei veri gratia cognita obtenti; vt perinde, quasi non esset Deus in Israel, ad falsorum Deorum patrocinium se conuerterit. Id tamen in se reuersus, cùm Dei illuminante gratia secum retractaret, pœnitens admissi, Christianos consuluit, quid facto opus esset, vt animum expiaret. Quibusdam falsis Philosophis negantibus esse lustrationis modum, qui tam fœda piacula eluere posset, idque exemplo Neronis matricidæ probantibus; Christianus quidam ex Hispania Romam veniens (Osium Episcopum E

A copum fuiſſe putant) & ad colloquium admiſſus, ſententiam doctrinæ Chriſtianorum, Baptiſmum habere vim abolendi quodcunque peccatum, confirmauit. Qua deinde Siluestro vocato latius explicata, Conſtantinus iampridem catechumenus, hoc anno ab eodem Siluestro Romano Pontifice baptizatus eſt. Glicas tradit Conſtantinum, poſtquam ſumma rerum potitus eſt, ſegniorem factum, tandem Fauſtæ coniugis impulſu ad patrium Deorum cultum rediiſſe; mox à Deo lepra percuſſum in ſe reuerſum, à Siluestro baptizatum, lepra ſimul, & impietate liberatum eſſe. *Michael Glic. lib. 4. Hiſt.*

B

IESV CHRISTI ANNVS	SYLVESTRI PAP. ANNVS	CONSTANT. IMP. ANNVS
325. 326.	12. 13.	20. 21.

PRima Synodus Oecumenica Nicæna hoc anno celebratur à trecentis octodecim Patribus: Incipit die decimanona Iunij in *Sabbato*, vt alijs videtur, die decimaquarta, *feria ſecunda*. Finit vigeſimaquinta Auguſti, C *feria tertia*. Durauit diebus ſeptuaginta quatuor, vel vno minus ſeptuaginta. Interfuit Domnus Stridonenſis ex Prouincia Pannoniæ, & vt Bruſchius in ſuo Laureaco refert, Donninus Laureacenſis Auſtriæ Superioris, quæ Pannonia Superior dicitur. Vide, quæ nos in Apparatu, & in Annalibus. *Anno 325. Indict. 13.* *Baronius. Bruſch in Laur. Alpinon. Pif. in Conc. Nican.*

Conſtantinus inſtaurata Hieroſolymorum Vrbe, inſignem in ea Baſilicam Reſurrectionis extruit. Duo item celeberrima Templa in matris ſuæ memoriam, adeoque eius nomine, vt proinde ab ipſa Helena ferantur extructa; alterum Bethlehem, vbi Chriſtus natus eſt; alterum in vertice montis D Olіueti, vbi idem Dominus Cœlos aſcendit. Sex alia ab eodem erecta Hieroſolymis Templa, memorat Euſebius. *Ambroſ. Orat. de fun. Theod. Euſeb. lib. 3. de vita Conſtant. cap 40. & lib. 4. cap. 24. & 43. Sulpit. lib. 2. Paulin. ep. 11.*

Quin ad hunc etiam annum referunt plerique, inuentam ab Helena Auguſta Hieroſolymis Crucem Domini.

Hoc eodem anno contigit obitus admirandi Nicolai Myrenſis Epiſcopi ſexto Decembris, *feria tertia*.

Martinus annos natus decem, inuitis parentibus, vt pote Gentilibus, ad Eccleſiam confugit, & Cathecumenis adſcribi petit. *Anno 326. Indict. 14.*

E

IESV CHRISTI ANNVS	SYLVESTRI PAP. ANNVS	CONSTANT. IMP. ANNVS
327.	14.	21.

Indict. 15.

HOc anno Gothos ab Hunnis ſedibus ſuis pulſos, Gothos verò Thraciam populatos ponit Regino. *Ruf. lib. 1. cap. 9. & 10.*

Frumentius Tyrius Euangelium Indijs importat, ab Athanaſio illis Epiſcopus datus. Sed & Iberorum gens, admiranda vnius captiuæ Chriſtianæ *Socrat. lib. 1. cap. 15. Theodor. lib 1. cap. 23.*

opera

Sozom. lib. 1. cap. 23. Hieron. in Chr. Zosimus lib. 2. Eutrop. lib. 10. Euseb. lib. 3. de vita Constant. cap. 46. & 45. Florus lib. 6. cap. 10.

opera Fidem Christi suscipiunt, quorum Rex Bacurius, seu Baturius, factus A
suæ gentis Apostolus, ad Constantinum pro Doctoribus, & prædicatoribus
misit: qui summa animi voluptate eidem gratulatus, non solum misit viros idoneos, sed etiam Bacurium Comitem domesticorum creauit. Fuere hi Iberi, qui iuxta Caucasum incolunt: nam Iberi, seu Colchidis populi, qui sub axe Pontico iacent, sub Traiano prædicatione Clementis Papæ conuersi sunt.

Helena Mater Constantini moritur Romæ, inter filij, ac nepotis complexus, die decimaoctaua Augusti, *feria sexta:* à filio magnifice sepelitur in Basilica Sanctorum Petri, & Marcellini, via Lauicana. Quo etiam anno B
Faustam coniugem ob falsam Crispi delationem, in Balneo interfici iussam tradunt aliqui, sed errore: hoc enim triennio ante factum, vt notauimus.

IESV CHRISTI ANNVS	SYLVESTRI PAP. ANNVS	CONSTANT. IMP. ANNVS
328. 329.	15. 16.	23. 24.

C

Zosim. lib. 2.

CONstantinus Byzantij situm contemplatus, instaurare aggreditur, ibique sedem Imperij constituere. *Anno 328. Indict. 1.*

Prosper in Chr.

Hoc anno ponunt aliqui natiuitatem S. Hieronymi. Nos infra ad annum 341.

Hoc eodem anno nascitur Attila Pannoniæ Rex futurus.

Occasione Iosephi Comitis, ex Iudaismo, aliquoties Christo vocante instar Saulis, conuersi, & multa miracula patrantis, nec non zelo ædificandorum Christianis Templorum accensi, Legem contra Iudæos Christianis D
infestos renouauit Constantinus Constantinopoli, quæ olim lata fuerat Murgilli in Pannonia contra eosdem. Habetur *L. 2. C. de Iudæis.* Ex quo patet tempore Constantini, sicut pluribus in locis conuersos fuisse Gentiles ad Christum, ita in Pannonia præcipue factam fuisse multorum accessionem. Iosephi historiam lectu iucundam multis narrat *Epiphan. Hæres. 30. Anno 329. Indict. 2.*

IESV CHRISTI ANNVS	SYLVESTRI PAP. ANNVS	CONSTANT. IMP. ANNVS
330. 332. 335.	17. 19. 22.	25. 27. 30.

E

Idatius in Chr. Eutrop. lib. 10. Zonar. tom. 3. Nicephor. lib. 8. cap. 26.

COnstantinopolis dedicatur die vndecima Maij, *feria secunda.* Eam Constantinus alteram Romam esse voluit, ideo *noua Roma* dicta. Dies dedicationis anniuersaria solennitate commendata *L. 2. De Ferijs, C. Theod.* Menologium die decima notat hanc dedicationem: alij; quos sequimur, die vndecima. Fuit autem dedicata Dei Genitrici Mariæ. *Anno 330. Indict. 3.*

Con-

A Constantinus Sarmatis contra Gothos implorantibus, auxilium tulit. Centum prope eorum millia fame, & frigore enecta. Contigit victoria, Aprilis vigesima, *feria quinta*. *Idat.*

Martinus annos natus circiter septendecim, iussu Imperatoris in militiam adscribitur. Extat Decretum de Veteranorum filijs ad militiam cogendis, lib. 7. C. Theod. Tit. 22. *Anno 332. Indict. 5.* *Seuer. in vita cap. 1.*

IESV CHRISTI ANNVS	SYLVESTRI PAP. ANNVS	CONSTANT. IMP. ANNVS	
335.	22.	30.	*Indict. 8.*

B

Constantinus in tres filios Imperium diuidit. Constantinus minor Gallias, Orientem Constantius, Illyricum, & Italiam Constans regebat, Ripam Gothicam Dalmatius, Dalmatij fratris Constantini filius tuebatur. Pannonia cum Illyrico censebatur. *Euseb. lib. 4. de vita Const. c. 57 & 52. Ammian. lib. 14*

Syluester Papa moritur, die trigesimaprima Decembris, *feria quarta*.
C Præfuit annis vigintiduobus, menses vndecim vno minus die. Succedit Marcus Prisci filius, Romanus, decimasexta Ianuarij sequentis, & moritur septima Octobris, *feria quinta*. Subrogatur Iulius Romanus, Rustici filius.

IESV CHRISTI ANNVS	IVLII PAP. ANNVS	CONSTANT. IMP. ANNVS	
337.	2.	32.	*Indict. 10.*

D

Constantinus Imperator vigesimasecunda Maij, ipsa die Pentecostes ex hac vita migrat sub meridiem, Nicomediæ rure proximo, quod Acheronam vocant. Visa est in Cœlo stella crinita inusitatæ magnitudinis, quæ eius obitum testata creditur, nec paucis diebus fulsit. Vixit annos sexagintaquinque. *Idatius. Euseb. lib. 4. de vita cap. 64. Eutrop. lib. 10.*

Succedunt tres filij Augusti ex Fausta Maximiani filia suscepti, Constantinus, Constans, Constantius. Primus Gallias, & quicquid erat trans Alpes obtinuit. Secundus Italiam, Africam, Siciliam, & Insulas reliquas; præterea Il-
E lyricum, Macedoniã, Græciam. Tertius Thraciam, Asiam omnem, & Orientem cum Ægypto.

IESV CHRISTI ANNVS	IVLII PAP. ANNVS	TRIVM IMPP. ANNVS	
340.	5.	4.	*Indict. 13.*

Constantinus iunior Constanti fratri ob Africam, & Italiam bellum inferens, obtruncatur prope Aquileiam, & in flumen Alsam proijcitur. *Sext. Aurel. Zosimus lib. 2.*

A

Indict. 14.	IESV CHRISTI ANNVS	IVLII PAP. ANNVS	CONSTANTII, ET CONSTANTIS IMPP.
	341.	6.	5.

Epiph. Hær. 30. AVdæus Epiſcopus Meſopotamia oriundus, à Conſtantio relegatus ad Scythiæ partes, & in Gothiam progreſſus, multos Gothorum conuertit, & plura ibidem eis Monaſteria conſtruxit. His deinde res fuit cum Hunnis, ſeu Hungaris Pannoniam occupantibus. B

S. Hieron. Lilius. Marin. Victor. Blond. in Iſtria. Petrus Ranzan. in Epit. Rer. Hung. initio. Lazius. Ioan. Sambuc. Ioan. Cabilon.

Naſcitur Hieronymus, patre Euſebio, oppido Stridonis, quod à Gothis euerſum, Dalmatiæ quondam Pannoniæque confinium fuit; vt inquit idem Hieronymus, libro de Scriptorib. Eccleſ. in fine. Habuit parentes honeſtos, & ſubſtantiam locupletem, quam deinde pro ædificatione Monaſterij per Paulinianum fratrem diſtraxit. Blondus, non longe Iuſtinopoli in Iſtria, inter Petram piloſam, Portulam, & Pinmontem ponit oppidulum Sdrignam, olim Stridonium patriam Hieronymi, vbi ſuo tempore adhuc extabat ſepulchrum Euſebij genitoris Hieronymi. Blondum ſequitur Lilius in Coſmograph. Marinus Victorius in Indice in Hieronym. Verb. Illyricum; idque acceptum refert cuidam Monacho Caſſinenſi, Stridonem videlicet Hieronymi patriam, Iſtriæ oppidum eſſe. C

Cæterùm qui Pannoniæ limites iuxta Ptolemæi, Strabonis, & Plinij antiquam deſcriptionem conſideret, non negabit iuxta hanc locutum fuiſſe Hieronymum, cùm dixit Stridonem Dalmatiæ quondam, Pannoniæque confinium fuiſſe: quicquid dicat Marinus Victorius Hieronymum à patrio ſolo ſeparare Illyricum, & (in Catalogo) Dalmatiam ab eodem diuidere. Certe Hieronymus ipſe declarans textum Habacuc multarum Vrbium Prouinciarumque deſolationem prædicentis: *Nonne,* inquit, *hoc impletum eſſe audiuimus in noſtræ originis regione finium Pannoniæ, atque Illyrici? Vbi poſt varias Barbarorum incurſiones ad tantam deſolationem eſt peruentum, vt nec humana illic manſerit creatura, nec animal ſupereſſe dicatur ex his quæ hominibus amicari, & conuiuere conſueuerunt.* Hæc Hieronymus. Nemo porro dixerit iuxta antiquorum deſcriptionem, quam diligenter expendit Petrus Ranzanus, confinium Pannoniæ fuiſſe in Iſtria, quocunque tandem modo diuidat Pannoniam. Sed & Pyrrhus Ligorius, qui ante annos nonaginta & amplius poſt alios exactè delineauit Pannoniam, Stridonem Hieronymi patriam ita locat, vt vnius diei itinere vix differat à patria S. Martini, Sabaria; minus verò Petouia, multoque minus Chiaktornia, ſimiliter in confinio Hungariæ, & Dalmatiæ, quam hodie *Slauoniam,* vulgares etiam *Croatiam* vocant, poſita. Ac vt mittam Ioannem Sambucum, Vvolfgangus Lazius in recentiore Hungariæ deſcriptione, inter eius præcipua loca, Sabariam Diui Martini, & Stridonem Diui Hieronymi patriam, diſerte numerat. D E

Vidi egomet locum, & euerſæ Vrbis antiquas reliquias curioſe luſtraui; ex quibus hodie pagus extat, incolis quidem à religione Catholica tum alienis, ſed apud quos memoria Hieronymi eo loco nati firmiſſime conſtat,

A ſtat, id continuo teſtante lympidi fontis vnda, qui media ſcaturit area quondam ædibus parentum Hieronymi ſepta, hodieque vt fertur morbis ſalutarem præbet vel potum, vel lauacrum. Diſtat ſanè Stridon vix quarto à linea Pannoniæ lapide, retinetque promiſcuam cum Illyrica, ſeu Slauonica, quæ Hieronymo natiua fuit, cum Pannonica, ſeu Hungarica linguam; vt ſi hactenus dictis ſtandum ſit, non temere Hungari pro Hieronymo certare queant: tametſi ſatis illis gloriæ ſit à Martino, nec minor gratia à vicino Hieronymi natali ſolo.

Neque hic omittendum, Ioannem Cabilonenſem, & quoſdam alios Ptolemæi, vt ſic dicam, ſignatores nimis inſubidè Sidronam pro Stridone Hieronymi patria exſignare; quæ, vt ipſi notant, vulgo *Sdrine* vocabulum ferat. Enimuero Ptolemæi Sidrona latitudinem habet cum ſemiſſe graduum quadraginta trium, longitudinem quatuor ac quadraginta paulo ampliorem. At Stridonis patriæ Hieronymi latitudo à peritis cenſetur ea, quæ quadrageſimum ſeptimum prope attingat; longitudo trigeſimum ſextum vix excedat: idque nobis ſatis exploratum eſt, longeque certius, Sdridam non Stridonem eſſe, ſed Comitum Sdrinenſium, qui hodieque florent, vel antiquam poſſeſſionem, vel qui familiæ nomen tribuat, originis locum. Ii noſtra quoque ætate habitant in ſua Aula vulgo Chiaktornia nuncupata, propter quam Ligorius expreſſe deſignat Stridonem patriam Hieronymi, & aduertit Hieronymum fortaſſe abhorruiſſe Hunnorum vocabulum, qui Hungarorum Maiores fuere, quòd illi tantam cladem Chriſtianis intuliſſent. Atque hæc ex occaſione.

IESV CHRISTI ANNVS	IVLII PAP. ANNVS	CONSTANTII, ET CONSTANTIS IMPP.
343.345.347.	8.10.12.	7.9.11.

PAulus primus Eremita, cuius poſtea religio maxime in Hungaria propagata, migrat ad Dominum annos natus centum tredecim. *Anno* 343. *Indict.* 1. *S. Hieronym. in eius vita.*

Gallus, & Iulianus, Conſtantij fratris Conſtantini Magni, filij Clerici facti. Dum ambo Martyrum Baſilicas extruunt, Galli opere procedente, Iuliani opus excutitur, & toties corruit, quoties integrare conatur. *Anno* 345. *Indict.* 3. *Nazian. orat. 3. in Iulian.*

Synodus Sardicenſis celebrata interuentu trecentorum ſeptuaginta & ſex Epiſcoporum, quorum maior pars Catholici, reliqui Ariani. Interfuere etiam Epiſcopi Pannoniarum, Norici, Myſiæ, & Daciæ. In his Valens, & Vrſacius, qui in Myſia, & Pannonia ſedes habebant. *Anno* 347. *Indict.* 5.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS	IVLII PAP. ANNVS	CONSTANTII IMP. ANNVS
350. 351.	15. 16.	14. 15.

Idatius. Hieron. in Chr. Victor. Zosimus.

Constans Imperator moritur in Salijs, locus est in Hispanijs non longe à castro Helenæ, decimooctauo Ianuarij, *feria secunda*, anno ætatis vigesimoseptimo, vt alij, trigesimo. Eius morte cognita Vetraticus in Pannonia apud Mursiam, ex Magistro militum Imperium vsurpat; sed octauo post mense in ordinem redigitur. *Anno* 350. *Indict.* 8. B

Sext. Aurel. Eutrop. lib. 10. Zosimus lib. 2. Hieron. in Chr. Idat. in Chron. Seuer. lib. 2.

Constantius cum Magnentio ad Mursiam in Pannonia prælium init. Victus primum eius exercitus, postea superior, sed Romani Imperij viribus attritis euadit. Valens Episcopus Mursiæ callide euentum victoriæ Constantio significans, magnam apud eum gratiam occupat. Pugnatum est vigesimaoctaua Septembris, *feria tertia*. Mox Constantius; Flauium Constantium Gallum, Cæsarem creat.

Gregor. Turon. lib. 1. cap. 3.

S. Martinus baptizatur, cùm annum ageret trigesimum quintum. Alij id vigesimo ætatis eius anno contigisse putant, sed falsò; sicut etiam errant tum in annis natiuitatis, tum rerum ab eo gestarum, ac totius vitæ; veriùs Seuerum secuti, quod optimè aduertit Baronius ad hunc annum, Seuerum ex ipso Seuero hallucinantem ostendens. C

Theodor. lib. 3. cap. 3.

Hoc tempore creditur orta *Paganorum* appellatio, cùm Constantius omnes Christianos milites esse iuberet, & qui detrectarent, exauctoratos inter incolas pagorum redigeret: vnde *Pagani* dicti. *Anno* 351. *Indict.* 9.

D

IESV CHRISTI ANNVS	LIBERII PAP. ANNVS	CONSTANTII IMP. ANNVS
352. 353.	1. 2.	16. 17.

Idatius. Sozom. lib. 4. cap. 4. Cyrill. ep. ad Constantium.

Hoc anno, trigesima die Ianuarij, *feria quinta*, Luna vigesimaoctaua, apparuit in Oriente signum Saluatoris. Cyrillus refert conspectum esse, septimo Maij per dies Pentecostes: id fortasse altera vice fuerit.

Iulius Papa moritur, duodecima Aprilis, *Dominica*. Præfuit annis quindecim, mensibus quinque, diebus septemdecim. Succedit Liberius Romanus Ciuis. *Anno* 352. *Indict.* 10. E

Idatius. Sext. Aurel. Eutrop. lib. 10. Zosimus lib. 2. Hieron. in Chr.

Constantius in Pannonia apud Mursiam, nobilem de Magnentio Tyranno reportat victoriam. Magnentius desperatis rebus in Gallijs, apud Lugdunum se interficit vndecima Augusti, *feria quarta*. Octiduo verò post eadem feria frater eiusdem Decentius, laqueo vitam sibi extorquet. *Anno* 353. *Indict.* 11.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS	LIBERII PAP. ANNVS	CONSTANTII IMP. ANNVS
354.355.356.	3.4.5.	18.19.20.

NAscitur S. Augustinus, die decimatertia Nouembris, *Dominica*. Meminit ipse natalis sui diei, initio libri de Beata Vita. *Anno* 354. *In-*
B *dict.* 12.

Constantius Flauium Gallum Cæsarem in Insula Flanona in Illyrico occidi iubet: Polæ in Istria occisum tradit Ammianus. Eius loco Cæsar creatur frater eiusdem Iulianus, & Transalpinis Præfectus datur, data etiam ei Helena Constantij sorore. *Idatius. Hieron. in Chr. Socrat. lib. 2. cap. 27. Zosim. lib. 3. Ammian. lib. 14*

Constantius Liberium, quòd Athanasij damnationi non subscribit, Berbream relegat. In eius locum sufficitur Felix. *Anno* 355. *Indict.* 13.

S. Martinus missionem à Iuliano postulans, facta iam pace eam impetrauit in Gallijs, postquam vigintiquatuor stipendia meruisset, iuxta mili- *Sulpit. in eius vita cap. 3. L. 4. de Veter. C. Theod.*
C tares Ripensium militum leges, qualis erat Martinus, vtpote in Pannonia adscriptus, qui post vigintiquatuor stipendia honestam missionem priuilegijs auctam accipere soliti sunt. Proinde non causaria fuit eius missio, vt plerique errantes cum Seuero putant, quasi Christiano homini militare non liceret; cùm nonnisi, qui Christiani essent, Constantij decreto militare deberent: de qua re nos plura in Martino Episcopo seorsim edito. *Anno* 356. *Indict.* 14.

D

IESV CHRISTI ANNVS	LIBERII PAP. ANNVS	CONSTANTII IMP. ANNVS
357.	6.	21.

Indict. 15.

LIberius ab exilio reuerti iubetur (id Matronæ à Constantio impetrauerant) & vnà cum Felice Ecclesiæ præesse, vt tradit Sozomenus. Eo reuerso Felicem pulsum scribit Marcellinus: Non diu post reditum Liberij mortuum narrat Sozomenus. Contra Marcellinus, octo adhuc annis po- *Sozom. lib. 4. cap. 14. Marcell. lib. 16. Baron. hic.*
E stea superstitem fuisse affirmat, & migrasse è vita vigesimo secundo Nouembris, Valentiniano, & Valente Coss.

Magna fuit altercatio de eius sanctitate Romæ tempore Baronij, quæ deinde mira Dei prouidentia sedata est; & claruit, eum non solum pie, sed & Martyrem obijsse. Vnde mentio eius fieri cœpit in Martyrologio Romano, ad diem vigesimumnonum Iulij, aut certe maiori firmitudine restituta est.

A

Indict. 3.

IESV CHRISTI ANNVS	LIBERII PAP. ANNVS	CONSTANTII IMP. ANNVS
360.	9.	24.

Amm. lib. 16. 17. 18. Zosim. lib. 3.

QVòd Iulianus ante triennium Alemannos cruento prælio superasset, Regemque eorum Chonodomarum Romam vinctum misisset; quòd idem Francos Salios, anno post in deditionem accepisset, denique anno superiori Alemannos iterum bello vexatos ad pacem petendam coegisset; Constantius eius gloriæ inuidens, tametsi & ipse contra Quados, & Sarmatas rem bene gessisset, vnde & Sarmatæ nomen tulit, milites ab eo abstrahere studet, & in Orientem transferre; qui ea re offensi Iulianum Parisijs Augustum acclamant. B

Indict. 4.

IESV CHRISTI ANNVS	LIBERII PAP. ANNVS	CONSTANTII IMP. ANNVS
361.	10.	25.

C

Victor. Eutropius. Socrates.

COnstantius Persico bello perfunctus contra Iulianum contendit; sed in itinere prope Tarsum obit, die tertio Nouembris, *in Sabbato*. Succedit Iulianus.

Hieron. in Chr.

S. Antonius Magnus, Monachus in Ægypto, moritur anno ætatis centesimoquinto, die Ianuarij decimaseptima, (alijs sexta) *feria quarta*; solitus multis ad se venientibus de Paulo Thebæo miræ beatitudinis, quamplura referre. D

Indict. 6.

IESV CHRISTI ANNVS	LIBERII PAP. ANNVS	IVLIANI IMP. ANNVS
363.	12.	2.

Theodor. lib. 3. cap. 2. Amm. lib. 25. Hieron. in Chr. Hieron. Contr.

IVlianus contra Persas profectus, sanguinem Christianorum Dijs vouet, aliquot vrbibus expugnatis; & post nonnulla prælia cùm se in aciem sine lorica dedisset, incertum à quo, lethalem plagam accipit, (S. Mercurium martyrem quidam fuisse perhibent) & moritur, vigesimasexta Iunij, *feria quinta*. Moriens cruorē in aërem proiecisse dicitur, & dixisse, *Vicisti Galilæe*. E

Succedit Iouianus Singidone in Pannonia natus. Qui cùm se Gentilibus imperare nolle diceret, milites confestim se Christianos esse exclamant.

Socrat. lib. 3. cap. 11.

Hoc anno interfuit Concilio Antiocheno Antipater Ruthenorum Episcopus, quos ad Christum conuersos diximus supra ad annum 72. idemque subscripsit in synodali epistola data ad Iouianum. Hactenus ergo in fide constantes manserunt.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS	LIBERII PAP. ANNVS	VALENTINIANI, ET VALENTIS IMPP.	
364.	13.	1.	*Indict.* 7.

IOuianus Dadaſtanæ in confinio Galatiæ, & Bithyniæ moritur cruditate, ſeu odore prunarum, die decimanona Februarij, *feria quinta*. Succedit Valentinianus à militibus electus Nicææ. *Pannonium* fuiſſe, ſtirpe mediocri oriundum, ſed animi, & corporis dotibus commendatum, ſcribunt aliqui. Accidit aliquando, vt cùm Iulianus in Templo Fortunæ ſacrificaret, Valentinianus miniſtrum ſacrificij pugno percuteret, eoque à Iuliano militia ſolueretur; at Deo diſponente ex milite factus eſt Imperator; quo die, cùm biſſextus eſſet, eo tanquam infauſto declinato, poſtridie Auguſtus acclamari voluit, vnaque Valentem collegam appellauit.

Amm. lib. 25. Socrat. lib. 4. cap. 1. Zoſimus lib. 4. Godef. Viterb. in Chron.

B

C

IESV CHRISTI ANNVS	DAMASI PAP. ANNVS	VALENTINIANI, ET VALENTIS IMPP.	
367.	1.	4.	*Indict.* 10.

MOritur Liberius, nono Septembris, *Dominica*. Præfuit annis ſedecim, menſibus quatuor. Succedit legitime Damaſus, ſed fœdo ſchiſmate diſſentiente Vrſicino, in Baſilica Sicini vno die centum triginta ſeptem cadauera ſunt reperta. Fuit Baſilica Sicini (alias Sicinini) in Regione quinta Vrbis iuxta forum Exquilinum.

Amm. lib. 27.

D

IESV CHRISTI ANNVS	DAMASI PAP. ANNVS	VALENTINIANI, ET VALENTIS IMPP.
369. 370.	3. 4.	6. 7.

NAſcitur S. Patritius, Patre Calphurnio Britone, matre Concha, quam alij Conohen, Conceſſam, item Conqueſſam vocant, è Pannonia, ſorore S. Martini Sabariæ Ciuis, deinde Turonenſis Archiepiſcopi. In baptiſmo inter alia nomina Soccetus audiuit. Vocabulũ Patritij in Archiepiſcopatu accepit, vt quidam volunt, à Cæleſtino Papa impoſitum; vt alij, à Matthæo Archiepiſcopo. De qua re plura nos in S. Martino. *Anno* 369. *Ind.* 12.

Beda in vita Patr. Iocelin. in ead. Spelman. in Concil. ad ann. 170.

E

Floret Vvlphilas Gothorum Epiſcopus, & inuentor literarum Gothicarum, quem Sozomenus Gothos ex gentilibus Chriſtianos reddidiſſe putat. Verùm vt ſupra diximus ad ann. 319. Gothi iam ſub Conſtantino Fidem receperant. Collapſa tamen deinde eorum Eccleſia, ſicut & aliarum Prouinciarum Borealium, egregie rurſum exculta eſt à ſanctiſſimo viro Niceta eorum Epiſcopo. *Anno* 370. *Indict.* 13.

Sozom. lib. 7. cap. 37.

A

IESV CHRISTI ANNVS	DAMASI PAP. ANNVS	VALENTINIANI, ET VALENTIS IMPP.
371.372.373.	5.6.7.	8.9.10.

Sozom. lib. 6. cap. 38.

SOcomo Princeps partis cuiusdam Sarracenorum cùm prole careret, cuiusdam Monachi suasu Deo Christianorum se commendans, suscepta prole baptismo ablutus,& cum vniuersa sua gente conuersus est. *Anno* 371. B *Indictione* 14.

Socrat. lib. 4. cap. 29. Theodoret. lib. 4 cap. 21.

Maucica Sarracenorum Regina Christianam complexa Fidem, Romanis, quibuscum bellum gerebat, ea conditione pacem dedit, vt Moysen Anachoretam genti suæ Episcopum impetraret. *Anno* 372. *Indict.* 15.

Ioan. Thurez. 1. parte Chron. cap. 10.

Hunni, post Hungari, ex Scythia egrediuntur, Capitaneis constitutis Bela filio Cholæ de genere Zemen, Keme, & Kadicha fratribus eiusdem, Attila, Keuue, & Buda filijs Bendeguck de genere Kadar; ex centum, & octo tribubus, decies centenis, & octoginta millibus numeratis; Vno præterea rectore dato Kadar, viro sapiente, qui inter dissidentes iudicaret. *Anno* 373. C *Indict.* 1.

Indict. 3.

IESV CHRISTI ANNVS	DAMASI PAP. ANNVS	VALENTINIANI, ET VALENTIS IMPP.
375.	9.	12.

Seuer. in Dial. lib. 1. cap. 6. Gregor. Turon. lib. 2. Hist. cap. 14. Venant. Fort. in vita S. Mart. lib. 3.

S Martinus Turonensium Episcopus ordinatur. Mox ad Valentinianum Imperatorem se confert: qui cùm nouisset Martinum ea petiturum, quæ præstare nollet, iussit eum Palatij foribus arceri. D Id semel atque iterum cùm fieret, Martinus ad solita mortificationis, & orationis præsidia confugiens, septimo die adstantem habuit Angelum, & iubentem vt securus adiret Palatium, regias fores quantumlibet clausas sponte referandas, Imperatoris superbum animum emolliendum. Penetrat Martinus nemine prohibente; quem Valentinianus eminus conspiciens, infrenduit, nec assurgere dignatus est adstanti, donec sellam ignis operiret, ipsumque Imperatorem afflaret incendium. Tum excussus, inuitus assurgit, Martinumque complexus, priùs annuit, quàm audiret colloquio illum; & in posterum E conuiuio sæpe dignatus.

Idatius. Amm. lib. 30. Socrat. lib. 4. cap. 26. Hieron. ep. 3.

Sarmatis, & Quadis incursantibus Valentinianus exercitum parat sed iisdem per legatos deprecantibus, vehementer commotus, apoplexia perit in Castello Brigittione, decimaseptima Nouembris, *feria tertia*. Valentinianus iunior quadrimus eius filius, Arinci in Pannonia Inferiore Imperator ab exercitu post sex dies acclamatur; quod Gratianus iam ante septennium Augustus nuncupatus ratum habuit.

A

IESV CHRISTI ANNVS	DAMASI PAP. ANNVS	VALENTIS 13. GRATIANI 10. VALENTIN. 1.	*Indict. 4.*
376.	10.		

HVnni prodigioso quodam motu, sed nonnisi Numine impellente, *Amm. lib. 31.*
ex locis vltra Mæoticas paludes erumpentes, primùm in Alanos, qui *S. Ambros. com. in Luc. lib. 9.*
B Scythicas solitudines incolebant, sæuiunt; deinde in regiones trans Istrum, *cap. 21.*
quas Gothi occuparant, descendunt. Gothi gratia Valentis Imperatoris suscepti in Thracia collocantur, tanquam Romanis subditi, & Romanum Imperium se tutaturos spondent. Sed Hunni magno sane Romani Imperij damno transire permissi sunt, multis collectis nationibus vbique grassati.

IESV CHRISTI ANNVS	DAMASI PAP. ANNVS	VALENTIS 15. GRATIANI 12. VALENTIN. 3.	*Indict. 6.*
378.	12.		

C

GOthi, Lupicini in Thracia Ducis Romani auaritia commoti, Duci- *Amm. lib. 31. Idatius.*
bus Fritigerne, & Athanarico, Romanorum copias attriuerunt. Va- *Niceph. lib. 11. cap. 50.*
lens cum ijs congressus non longe Hadrianopoli, suis in fugam conuersis, *S. Hier. epist. 3. & in Chron.*
& ipse fugiens, inter gregarios milites sagitta percussus, & in agrestem casam delatus, in ea à Barbaris exustus est, die Augusti nona, *feria quinta*; qua hora Isacius Monachus Constantinopoli agens, diuino afflatus spiritu
D dixit: *Nunc Valens igne torretur, & nares profluentem ab eo ingratum odorem sentiunt*. Gothi omnia prædati ad portas vsque Vrbis Constantinopolitanæ proruunt. Sed ciues à Dominica Valentis vxore animati illos repellunt, auxiliante etiam Sarracenorum Regina Maucica; de qua paulo ante, ad annum 372.

IESV CHRISTI ANNVS	DAMASI PAP. ANNVS	GRATIANI 13. VALENTINIANI 4. IMPP.	*Indict. 7.*
379.	13.		

E

THeodosius contra Gothos feliciter pugnans, à Gratiano Sirmij Impe- *Theodor. lib. 5. cap. 5.*
rator creatur in locum Valentis, concesso ei Oriente; & pluribus victo- *Prosper in Chr. Ranz. in Epit. Ind. 5.*
rijs contra diuersos Barbaros claret.

Hoc anno venisse Attilam in Pannonias deducitur ex Petro Ranzano. Sed & Longobardi ex Insula Scandia Ducibus Iborea, & Aione egressi, primo impetu Vandalos vincunt.

A

Indict. 8.

IESV CHRISTI ANNVS	DAMASI PAP. ANNVS	GRATIANI 14. VALENTIN. 5. THEODOSII 2.
380.	14.	

Sozom. lib. 7. cap. 4. Socrat. lib. 5. cap. 6. Hieron. ep. 3.

THeodosius Imperator ab Acholio Thessalonicensi Episcopo in morbum incidens baptizatur, & paucis post diebus à morbo graui recreatur, & Constantinopolim pergit, felicior semper contra Barbaros, qui hactenus Imperium vastabant; de quibus Hieronymus ad Heliodorum: *Viginti, inquit, & eo amplius anni sunt, quòd inter Constantinopolim, & Alpes Iulias quotidie Romanus sanguis effunditur: Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Thessaliam, Achaiam, Epyros, Dalmatiam, cunctasque Pannonias, Gothus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunni, Vandali, Marcomanni vastant, trahunt, rapiunt, &c.* B

Indict. 11.

IESV CHRISTI ANNVS	DAMASI PAP. ANNVS	GRATIANI 17. VALENTIN. 8. THEODOSII 5.
383.	17.	

C

*Gaufrid. Asaphens. de reb. Britan. Al. Monumet. lib. 4. de Orig. Gentis Brit. Hunibald. de S. Vrs. Sigeb. ad ann. 453. Trithem. lib. 1. com. Annal. circa ann. 357. Ranzan. in Ep. Rer. Hung. Indic. 6. Baron. ad hunc ann. & in Martyr. ad diem 21. Octobr. in Vrs. * al. Vuanius aut Guanius.*

MArtyrium S. Vrsulæ, & vndecim millium Virginum in hunc annum, quàm quemuis alium rectiùs conijcitur. Maximus occiso Gratiano cum Britannis transiens in Gallias, Armoricos eiecit, & vacuam regionem Britannis dedit, ac vt coloniam propagarent, Connani Britanni Reguli consilio, legatione missa ad Dionocum Cornubiæ in Britannia Regem, singulas Virgines, singulis militibus coniugio fœderandas petiuit. Duabus D itaque legionibus totidem delectæ Virgines, quarum princeps Vrsula Dionoci filia Connano Duci desponsa est. Impositæ nauigijs inuitæ Londinidum Armoricorum regionem versus soluunt, tempestate pulsæ ad Germanicum littus feruntur, vbi cum Melga, & * Gaunus Hunnorum pyratæ pro Gratiano contra Maximum mare illud infestabant. Ab his prouocatæ ad libidinem, plus sæuitia quàm blanditijs, cùm hortante Vrsula mori præelegissent, quàm pudicitiæ illudi, barbarico furore omnes internecioni datæ Virginitatis aureolam, Martyrij corona cumulauerunt. Porro mira sunt, E quæ Scriptores, nec constanter tradunt de his Virginibus, falsa veris admiscentes; de Cyriaco Papa; qui nec verus fuit, neque his temporibus, sed longe ante intrusus, seu potius vt intruderetur ambiuit; de vndecim millibus Virginum, quæ Nobilium connubio duntaxat, & de sexaginta alijs millibus partim Virginum, partim aliarum pro plebe destinatis; quarum pars maior submersa, reliqua capta à Barbaris seruiuit; denique vt sexcenta mittantur, in anno plurimùm variant, eoque maiori errore, quòd ab Attila Hunnorum Rege eos trucidatas velint.

Gratianus ab exercitu suo proditus non longe Lugduno Galliæ ab Andraga-

A dra gathio Duce Maximi, qui Tyrannidem affectans superiore anno Treueris sedem fixerat, occiditur, vigesimaquinta Augusti, *feria sexta*. S.Hieron. ep. 3. Socrat. lib. 5. cap. 11. Sozom. lib. 7. cap. 13. Sozom. lib. 4.

IESV CHRISTI ANNVS	DAMASI PAP. ANNVS	VALENTIN. 9. THEODOSII 6. IMPP.	
384.	16.		Indict. 12.

B DAmasus Papa obit vndecima Decembris, *feria quarta*. Præfuit annis septemdecim, mensibus tribus. Succedit Siricius, decimatertia Februarij anni sequentis.

IESV CHRISTI ANNVS	SIRICII PAP. ANNVS	VALENTIN. 10. THEODOSII 7. IMPP.	
385.	1.		Indict. 13.

C

AVgustinus, qui superiore anno à Symmacho Mediolanum missus fuerat, ad docendam Rhetoricam, hoc anno baptizatur, ætatis suæ trigesimoprimo. Aug. lib. 8. Confess. cap. 7.

Hieronymus persecutionem passus à Romanis Clericis, offensus prauis eorum moribus, recedit ab Vrbe ad Portum Romanum; vnà cum Sancto Vincentio presbytero, & Paulenianō fratrum vltimo natu, & adolescente, quem dum Romæ esset, ad se euocauerat, alijsque Monachis; & Hierosolymam per mare, & fretum Siculum nauigat: quò demum media D hieme, & frigore peruenit, cùm mense Augusto flantibus etesijs Roma discessisset. Hier. Epist. 99. & lib. 2. aduers. Ruffin.

IESV CHRISTI ANNVS	SIRICII PAP. ANNVS	VALENTIN. 11. THEODOSII 8. IMPP.	
386.	2.		Indict. 14.

S Martinus Treuiris à Maximo circumuentus communicat cum Itha-
E cianis ad horam, vt saluti multorum consuleret. Mox in se reuersus pugnantibus inter se cogitationibus, cùm lacrymans doleret, virtutis quoque miraculorum detrimentum ea de causa sentiret; in sylua adstitit ei Angelus, & *Merito*, inquit, *Martine compungeris, sed aliter exire nequisti. Repara virtutem, resume constantiam, ne iam non periculum gloriæ, sed salutis incurreris*. Itaque ab illo tempore cauit cum Ithacianis misceri. Et sexdecim postea, quibus vixit annis, nullam Synodum adijt, ab omnibus Episcoporum conuentibus se remouit. Seu. lib. Dial. 3.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS	SIRICII PAP. ANNVS	VALENTIN. 13.14. THEODOSII 10.11. IMPP.
388.389.	4.5.	

Sozim. lib. 5. cap. 14. Paul. Diac. Pacat. in Panegyr.

MAximus vincitur, & occiditur, ad Aquileiá, ſicut ei prædixerat S.Martinus, vigeſimaſeptima, vel octaua Iulij, *feria quinta*, vel *ſexta*. Et hoc tertium victus eſt à Theodoſio; primum quidem in Pannonia apud Sciſciam; deinde in eadem Prouincia apud Petauionem, capto eius exercitus ductore Marcellino; denique apud Aquileiam eo capto, & à militibus occiſo, cui alioquin Theodoſius pepercíſſet. Andragathius Gratiani occiſor ſe in mare præcipitat. B

Hoc anno ponunt alij baptizatum S.Auguſtinum, ætatis trigeſimoquarto. *Anno 388. Indict. 1.*

Proſper in Chr. Longobardi Ducibus defunctis, primum ſibi Regem creant Agelmundum Aionis ducis filium.

Auguſtinus redit in Africam, defuncta prius ad Oſtia Tyberina Sancta Monica matre ſua. Reuerſus poſt biennium, hoc eſt anno 391. Hyppone presbyteratu initiatur. *Anno 389. Indict. 2.* C

IESV CHRISTI ANNVS	SIRICII PAP. ANNVS	THEODOSII IMP. ANNVS
392.394.	8.10.	13.15.

D

Zoſim. lib. 4. Epiph. de menſ. & pond.

VAlentinianus apud Viennam Galliæ ab Arbogaſto Comite lethaliter vulneratus occiditur. Alij inuentum in Palatio præfocatum ſcribunt decimoquinto Maij, *in Sabbato*. Anno 392. Indict. 5.

Seuer. in vita. Tetradius Conſularis, S.Martini opera ad Fidem Chriſti conuertitur.

Theodoſius contra Arbogaſtem, & Eugenium, qui triennio ante Imperium vſurpare cœperat, contendens, prima die victus fuit, Septembris quinto, *feria tertia*. Sed nocte proſtratus in preces, & duobus Apoſtolis confortatus, Tyrannum profligauit, qui captus, & occiſus eſt. Arbogaſtes verò ſibi manum intulit. *Anno 394. Indict. 7.* E

Indict. 8.

IESV CHRISTI ANNVS	SIRICII PAP. ANNVS	THEODOSII IMP. ANNVS
395.	11.	16.

Oroſ. lib. 7. c. 30. Aur. Vict. in Theod.

THeodoſius Imperator moritur Mediolani; inopinato, magnoque mærore concutit omnes: Ita cùm adhuc propter liberatum Orientale Imperium

A perium passim Orbis exultaret, luctus extrema gaudij præuenit. Ante obitum hortatus Gentiles ad Fidem Christianam, vix aliquid profecit. Successere filij, Arcadius iam ætate valens, Honorius adhuc adolescens: ille ne quid noui in Oriente emergeret, confestim Constantinopolim se contulit: hic Mediolani parenti iusta facturus mansit; cuius demum corpus Constantinopolim translatum est. Imperauit annos sedecim integros, obijt vigesimaseptima Ianuarij, *feria tertia*. Mortem eius Deus reuelauerat S.Ioanni Anachoretæ.

Ruffinus Aquitanicus Romani Imperij proditor, ad Græciæ vastitatem B Gothos sub Alarico militantes aduocat; ad Asiæ verò vastitatem Hunnos: de quibus admiranda scribit inter alia Hieronymus. Nec verò hos tantum, sed quoscunque alios Barbaros inuitauit, & promissionibus compulit Ruffinus, secreta cum eorum ducibus fœdera iniens, pessimo posteris sui generis exemplo. Præfuisse autem ab hoc tempore Hunnorum exercitui Attilam nondum coronatum, inter alios colligitur ex Ranzano.

Claud. aduers. Ruff lib. 1. & 2. Zosim. lib. 5. Sozom. lib. 8. cap. 1. Amm. lib. 31. Hieron. epist. 3. & 30. Ranz. in Epit. Indic. 5.

C	IESVS CHRISTI ANNVS	SIRICII PAP. ANNVS	ARCADII, ET HONORII IMPP.
	396.398.	12.14.	2.4.

TRisigil Regina Marcomannorum, audita Ambrosij fama, Christo credit, & ab ipso Fidei regulam petit. Cuius etiam visendi causa cùm anno sequenti Mediolanum venisset, eum iam mortuum reperit.

Multi etiam Hunnorum conuertuntur hoc tempore, opera S.Nicetæ Dacorum Episcopi. *Anno 396. Indict 9.*

Paulin. in vita Ambr & de reditu Niceta in Daciam. S Hier. epist. 7. & 11.

D Siricius Papa moritur, vigesimasecunda Februarij, *feria secunda*. Præfuit annis tredecim, mense vno, diebus quatuordecim. Succedit Anastasius.

Hoc anno Gentiles sparserant desituram Religionem Christianam, quæ non nisi trecentos sexaginta quinque annos erat duratura ex eorum sensu, putando à Christo in Cruce confixo. *Anno 398. Indict. 11.*

August. lib. 12. de Ciuit. c. 13.

E	IESVS CHRISTI ANNVS	ANASTASII PAP. ANNVS	ARCADII, ET HONORII IMPP.
	399.400.401.	2.3.4.	5.6.7.

NIcetas ex Italia reuersus in Daciam, Sancti Martini famam spargit inter populos Boreales, lecta eius vita e libello à Seuero conscripto, qui liber detinebatur apud Paulinum Nolanum. Paulatim vero eadem vita sparsa est per totum Orbem terrarum. *Anno 399. Indict. 12.*

Paulin. epist. 5. ad Seuer. Seuer. in vita S. Mart. Dial. 1. cap. 16.

S.Ioannes Chrysostomus multos Scytharum ex Arianismo ad veram Fidem conuertit. Idem vero cùm intellexisset Scythas Nomadas, qui propter Istrum incolebant, Christi Fidem sitire, viros Apostolicos ad eos destinauit.

Theodor. lib. 5. cap. 10.

Alaricus

Alaricus ex genere Balthorum Rex à Gothis creatus, qui post Theodosij mortem à filijs Augustis contemnebantur, Italiam ingreditur, & non longe Rauenna subsistit. *Anno* 400. *Indict.* 13. A

Chron. Alex. Zosim. lib. 5. Vldes Hunnorum Dux, Gainam, qui biennio ante Arcadio rebellarat, Danubium traijcere parantem inhibet, & interficit, eiusque caput hastili præfixum ad Arcadium mittit.

In Epit. Rer. Hung. Ind. 5. Hoc anno coronatum, aut saltem Regem in Pannonijs institutum, videtur colligi ex Ranzano. *Anno* 401. *Indict.* 14.

B

Indict. 15.	IESV CHRISTI ANNVS	ANASTASII PAP. ANNVS	ARCADII, ET HONORII IMPP.
	402.	5.	8.

ANastasius Papa moritur, die vigesimaseptima Aprilis, *Dominica*. Præfuit annis quatuor integris, mense vno. Succedit Innocentius Albanus patre Innocentio.

Sozom. lib. 7. cap. 27. A Theatino Scythiæ Episcopo, quem Hunni Deum Romanorum appellabant, quamplurimi Hunnorum conuertuntur, ob ingentem vim miraculorum, quæ ab eo fieri videbant; vt propterea eum, Romanorum Deum appellarent. C

Greg. Tur. lib. 1 Hist. Francor. c. 48. & lib. 10. cap. 33. Baron. ad hunc annum. Ad hunc annum, qui certiùs sentire volunt, reducunt obitum S. Martini, à quo etiam Franci olim rationes annorum putare soliti sunt; anno ætatis octuagesimosexto, Episcopatus trigesimoprimo. Gregorius Turonensis tribuit ætati annos quinque minus; sed mendum irrepsit, sicut in annis Episcopatus triginta sex numeratis; & multo maximè, quod à Passione Domini, vsque ad transitum Viri sancti, ducat annos quadringentos duodecim. De quibus omnibus exactè nos in vita Sancti. Migrauit autem felicissime die Nouembris vndecima, *feria tertia*, non vt Gregorius putat, nocte Dominica. D

Indict. 16.	IESV CHRISTI ANNVS	INNOCENTII PAP. ANNVS	ARCADII, ET HONORII IMPP.
	403.	2.	9.

E

Claud. de bello Getico. Prosp. in Chron. ad ann. 406. Oros. lib. 7. c. 38. Iornand. lib. de reb. Get. c. 30. ALaricus Rex Gothorum, de quo paulò ante (ad ann. 400.) Legatione ad Honorium missa, Gallias, & Hispanias impetrat. Quò cùm pergeret, à Stilicone ad Polentiam in Alpibus Cottijs improuide circumuentus est; vicit nihilominus Stiliconem, & cum suis copijs fudit: sed iratus in Italiam pedem retulit. Hæc varij varie narrant; vix verisimile est Alaricum, nisi tardiùs in Italiam venerit, tam sero impetrasse Gallias, & Hispanias; aut omnino impetrasse, quando eas iam tenebat Giezericus Vandalus, vt scribit Iornandes; cùm tamen Vandali, nonnisi anno quadringente-

A gentesimo sexto, aut septimo, traiecto Rheno Gallias petiuerint. Alij scribunt, Alaricum in Italiam venientem à Stilicone apud Polentiam obsessum, & victum, sed dimissum: at Stilico fuit, qui ex Vvandalis ortus hos cum Alanis in Gallias immisit.

IESV CHRISTI ANNVS	INNOCENTII PAP. ANNVS	ARCADII, ET HONORII IMPP.
405.406.	4.5.	11.12.

B

GOthi Catholici Orthodoxi, mortuo Vulphila suó Episcopo, de quo aliàs dictum, à S. Ioanne Chrysostomo Antistites petunt. *Anno* 405. *Indict.* 3.

Rhadagaysus Paganus natione Scytha, cum ducentis millibus suorum totam Italiam inundauit, & iam Romæ obsessæ, & expugnandæ imminebat; sed Deo volente ab Huldin, & Saro Hunnorum, Gothorumque Ducibus, qui à Romanis stabant, victus & attritus est, ipso capite cæso: captiui singulis aureis, imo greges eorum venditi sunt. *August. lib. 5. de Ciuit. cap. 23 Oros. lib. 7. c. 38.*

C Reliquiæ S. Samuelis Prophetæ ex Palæstina transferuntur Constantinopolim. *Anno* 406. *Indict.* 4. *Hieron. contra Vigilant.*

IESV CHRISTI ANNVS	INNOCENTII PAP. ANNVS	ARCADII, ET HONORII IMPP.
407.408.	6.7.	13.14.

D AD hunc annum referunt aliqui, quod supra de Vvandalis, & Alanis Rhenum traijcientibus, Stilicone Imperij proditore diximus. De qua re sic Hieronymus: *Quicquid inter Alpes, & Pyrenæum est, quod Oceano, & Rheno includitur, Quadus, Vvandalus, Sarmata, Alani, Gipedes, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni, & (ò legenda Respublica) hostes Pannonij vastarunt, &c.* Non hic nominantur Marcomanni, fortè quia iam ad Fidem conuersi, vt dictum ad ann. sup. 396. *Anno* 407. *Indict.* 5. *Hieron. ep. 3. ad Ageruchiam.*

Arcadius moritur prima Maij, *feria sexta*, relicto filio Theodosio octenni, quem moriens Isdegerdi Persarum Regi commendauit, qui centum E annorum fœdus cum Romanis inijerat, vnde etiam Religioni Christianæ bene fuit, misso ad Persas Marutha Episcopo Mesopotamiæ Legato. Isdigerdes ad Theodosium mittit Pædagogum eruditissimum, Antiochum, & interea dum ætate maturesci, gubernat Anthemius. *Anno* 408. *Indict.* 6.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS	INNOCENTII PAP. ANNVS	HONORII 15.16. THEODOSII 2.3. IMPP.
409.410.	8. 9.	

Prosper in Chr. Oros. lib. 7. c. 39. alias 40. VVandali Hispanias occupant. Per hos patefacta claustra Pyrenæi reliquis Barbaris, qui in Gallijs erant. Itaque ingressi & Alani, Suevi, Silingi, & alij Hispanias inter se partiti. Alanis Lusitania, & Carthaginensis Prouinciæ obtigerunt: Vvandalis, qui Silingi cognominati, Bætica; reliquæ alijs. Ita Hispani subditi Barbaris. Primus Rex Vvandalorum Gaudericus in Gallicia regnans. *Anno* 409. *Indict.* 7. B

Zosimus. Oros. lib. 7. c. 39. Marcellin. Hoc anno captam ab Alarico Romam, vigesimaquarta Augusti, *feria quarta*, tradit Theophanes. Ad superiorem reijcit Idatius. Sex dies durauit deprædatio: sexto die inde egressus est, abducta Placidia sorore Honorij, quam Ataulpho propinquo suo, vel fratri, vxorem tradidit. Factum id Sari Ducis impressione, dato tamen priùs præcepto, vt si quis ad Basilicas, præcipue verò ad Petri, & Pauli, confugisset, ab eius sanguine temperaretur. C *Anno* 410. *Indict.* 8.

Indict. 9.

IESV CHRISTI ANNVS.	INNOCENTII PAP. ANNVS	HONORII 17. THEODOSII 4. IMPP.
411.	10.	

ALaricus post Vrbem captam Rhegium profectus, vt inde in Siciliam, D & Africam traijceret, nauibus tempestate dissectis morbo perijt, & in flumine Baronto sepultus. Succedit Ataulphus, qui Romam rediens iterum cepit primo die Aprilis, *in Sabbato*.

S. Augustinus libros de Ciuitate Dei inchoat, motus obtrectatione Gentilium, qui captam Vrbem Religioni Christianorum attribuebant. Inchoatum sæpiùs interrupit, vt non nisi anno 429. finiuerit.

Epist. 159. Totum Mundum varijs cladibus affectum hoc tempore, tradit Augustinus epist. ad Victorianum.

E

IESV CHRISTI ANNVS	INNOCENTII PAP. ANNVS	HONORII 19.20. THEODOSII 6.7. IMPP.
413.414.	12.13.	

Socrates lib. 7. cap. 30. BVrgundiones ab Hunnis vexati, cùm nullius hominis opem implorant, alicuius Dei potestati se permittere decernunt. Et cùm intellexissent Romanorum Deum, timentibus, & colentibus se, firmo esse præsidio,

com-

A communi consensu Christum recipiunt, & in Gallias ad quendam Episcopum profecti, baptismum petunt, quo postquam per dies septem instructi fuissent, impetrato, domum reuersi in posterum fidenter pugnarunt, & contra multos illorum pauci victores extiterunt. Ante Anastasium Papam conuersam esse partem Burgundionum verisimile est, si legitima credatur, quæ extat eius nomine scripta epistola ad Episcopos Germaniæ, & Burgundiæ. *Anno* 413. *Indict.* 11.

Ataulphus decernit nomen Romanum delere, & Imperium Gothorum facere, Romamque Gothiam dicere: sed cùm intellexisset Gothos legibus Osor.lib.7.c.43.
B vix parere, nec sine legibus Imperium stabile esse posse; elegit, vt gloriaretur Gothorum viribus Romanum Imperium restitutum, vel seruatum. *Anno* 414. *Indict.* 12.

IESV CHRISTI ANNVS	INNOCENTIJ PAP. ANNVS	HONORII 23.24. THEODOSII 10.11.
417.418.	16.17.	

C

INnocentius Papa moritur vigesimaoctaua Iulij, *in Sabbato*. Præfuit annos quindecim, menses duos, dies decem. Succedit Zosimus Græcus. *Anno* 417. *Indict.* 15.

Zosimus Papa moritur, vigesimasexta Decembris, *feria quinta*. Præfuit annum vnum, menses quatuor, dies septem. Succedit Bonifacius, quamuis à Schismaticis eligeretur Eulalius.

Iudæi Insulæ Minoricensis conuertuntur virtute sacrarum Reliquiarum S. Stephani Protomartyris, quas Orosius Hierosolymis acceptas, (cùm
D triennio antea, nimirum Honorij vigesimoprimo, inuentæ fuissent) secum in Hispaniam vexit. Quæ autem res admirandæ per dictas Reliquias acciderunt, narrat Seuerus eiusdem Insulæ Episcopus fusè in Epistola circulari, quæ extat apud Baronium ad hunc annum. *Anno* 418. *Indict.* 1.

IESV CHRISTI ANNVS	BONIFACII PAP. ANNVS	HONORII 26. THEODOSII 13. IMPP.	
420.	2.		Indict. 3.

E

S Hieronymus moritur trigesima die Septembris, *feria quinta*. De eius ætate varij varie; aliqui ad nonagesimumprimum peruenisse ponunt, nonnulli etiam ad nonagesimum octauum. Sed reuera septuagesimum octauum duntaxat, aut vt summum septuagesimum nonum attigit. Prosper in Chr. Sigebert. ad an. 421. Baronius hic.

Pharamundus Primus Francorum Rex hoc anno cœpisse creditur.

Multi Sarraceni conuertuntur ad miracula S. Euthymij, & Dux quondam eorum Aspebetus, primus illis datur Episcopus. Cyrill. in vita Euthym.

Britones à Scotis pressi, supplicem epistolam ad Aëtium Consulem scri-

Beda lib. 1. hist. cap. 15. Geor. Thomson. l. de antiq. Rel. Iornandes.

bunt: qui cùm nullum ad eos subsidium mitteret, in Germaniam ad Saxones adhuc Idololatras confugiunt. Hi in auxilium magno Britonum malo veniunt: nam parte Britanniæ, quam isti incolebant, occupata, à Duce suo Anglo in posterum *Angliam*, incolas vero *Anglo-Saxones* appellarunt. Fuit Aëtius Dorostoro in Mœsia oriundus, patre Gaudentio, & fortitudine sua diu Romanum Imperium propugnauit, ideo Dux militiæ vtriusque, & Patritius appellatus. A

Indict. 6.

IESV CHRISTI ANNVS	BONIFACII PAP. ANNVS	HONORII 29. THEODOSII 16. IMPP.
423.	5.	

B

Socrates lib. 7. cap. 23. & 24. Prosper & Marcell. in Chron.

Bonifacius Papa moritur, die vigesimaquinta Octobris, *feria quinta*. Succedit Cælestinus. Duobus circiter mensibus obit & Honorius Imperator, nempe decimaquinta Augusti, *feria quarta*. Biennio post Valentinianus à Theodosio Augustus appellatur. Interim enim Ioannes quidam Regnum occupabat, Hunnis per Aëtium accitis: cuius tamen opera quia ijdem ad propria reuersi sunt, is veniam obtinuit, & apud Theodosium gratiam inijt. C

IESV CHRISTI ANNVS	CAELESTINI PAP. ANNVS	THEODOSII 20.22. VALENTIN. 3.5.
427.429.	4.6.	

D

Tertul. lib. cont. Iuda. Prosper lib. cont. Collat. Beda lib. 1. hist. cap. 3. & 17. Geor. Thomson. de antiq. Relig. Christian. apud Scotos.

Pannoniæ quinquaginta annis ab Hunnis retentæ à Romanis recipiuntur. Sigebertus ad annum sequentem reijcit. *Anno* 427. *Indict.* 10.

Cælestinus Papa ad Scotos Palladium mittit Episcopum, vt aliqui scribunt, primum. Sed longe antea videtur habuisse Episcopos Scotia, si verum est Donaldum Scotiæ Regem, cum vniuerso suo Regno Christiana sacra suscepisse sub Victore Papa, anno ducentesimo tertio; quod innuere videtur Tertullianus. Certe Prosper Aquitanicus, qui Cælestini ætate vixit, Cælestinum Palladio Scotis Episcopo ordinato, dum Insulam Catholicam seruare studet, ex Barbara Christianam fecisse tradit: licet in Chronico ad E annum huius sæculi trigesimumquartum, eundem Palladium primum ad Scotos Episcopum missum dicat à Cælestino: qui iam triennio ante defunctus erat. *Anno* 429. *Indict.* 12.

A

IESV CHRISTI ANNVS	CAELESTINI PAP. ANNVS	THEODOSII 23.25. VALENTIN. 6.8.
430.432.	7.9.	

S. Auguſtinus moritur, vigeſimaoctaua die Auguſti, *feria quinta*, anno ætatis ſeptuageſimo ſexto, Epiſcopatus trigeſimo ſexto, Vvandalis Hypponam obſidentibus. *Anno 430. Indict. 13.* *Prosper in Chr.*

B Cæleſtinus Papa moritur, die ſexto Aprilis, *feria quarta*. Præfuit annis octo, menſibus quinque, diebus tribus. Succedit Xiſtus, ſiue Sixtus.

Aëtius à Bonifacio Africam obtinente ſuperatus, depoſita poteſtate, in agrum ſuum ſe recepit: hinc ne occideretur à quodam inimico ſuo, in Vrbem profugit, mox in Dalmatiam; inde in Pannoniam abijt, quorum amicitia vſus, & auxilio, pacem obtinuit, & ad Romanum ſolum dignitatemque priſtinam redijt, Rugilæ præcipue Hunnorum Regis gratia nixus. *Anno 432. Indict. 15.* *Prosper. Sigeb. ad ann. 437.*

C

IESV CHRISTI ANNVS	SIXTI PAP. ANNVS	THEODOSII 31. VALENTIN. 14. IMPP.
438.	7.	

Indict. 6.

Littorius ſecundæ ab Aëtio patritiæ poteſtatis, Hunnis auxiliaribus à Rugila Rege miſſis præpoſitus, dum Aëtij gloriam ſuperare contendit, & aruſpicum dæmonumque reſponſis fidit, cum Gothis imprudenter conſerit; & magna illata clade capitur: non parum vulnerata victoria antea

D ab Hunnis de Gothis reportata.

IESV CHRISTI ANNVS	LEONIS PAP. ANNVS	THEODOSII 33.37. VALENTIN. 16.20.
440.444.	1.5.	

E Sixtus Papa moritur, die vigeſimaoctaua Martij, *feria quinta*. Præfuit annis octo, denis diebus minus. Succedit Leo.

Moritur quoque Rex Hunnorum Rugila cum Romanis fœderatus, eidemque Bleda ſuccedit. *Anno 440. Indict. 8.*

Hunnorum Reges non confœderati Romanis, cum alijs Barbaris Romanum Imperium vexant; his pacem vnius anni paciſcentibus, illi Attila, & Bleda fratribus ducibus Illyricum, Thraciamque deprædantur, omneſque Ciuitates, & Caſtella Thraciæ præter Hadrianopolim, & Heracleam, ſiue Perinthum in poteſtatem redigunt. Tum Theodoſius Attilæ perſoluit ſex millia librarum auri, & mille annua promiſit. Non multo poſt Attila, vt *Prosper. Paul. Diac. lib. 14.*

rara fratrum quoque in Regno gratia eſt, Bleda fratre ſuo occiſo, populos A
eius ſibi ſubijcit. *Anno* 444. *Indict.* 12.

IESV CHRISTI	LEONIS PAP.	THEODOSII 40. 41.
ANNVS	ANNVS	VALENTIN. 23. 24.
447.448.	8.9.	

Marcellin.

ATtila tota Europa graſſatur, & Thermopolim vſque peruenit; contra B quem pugnans Amegiſilus in Daciæ Ripenſi, magna clade accepta, occumbit. *Anno* 447. *Indict.* 15.

Theodoſius diuerſis cladibus à Barbaris illatis, pene conquaſſatum videns Imperium; Numinis offenſi cauſas rimatus, tum Gentilitiæ impietatis, tum Neſtorianæ hæreſis ſectatores legibus coërcendos deliberat. Id dum Eutyches Monachus Conſtantinopolitanus feruentiùs quàm par eſt, adeoque imprudentiùs diſputando vrget, in aliam hæreſim æque pernicioſam labitur, vt non ſolùm duas in Chriſto perſonas aduerſus Neſtorianos, verùm etiam duas naturas aduerſus ſanam doctrinam perneget. *Anno* 448. C
Indict. 1.

Indict. 3.

IESV CHRISTI	LEONIS PAP.	THEODOSII 43. IMPP.
ANNVS	ANNVS	VALENTIN. 26.
450.	11.	

Cedrenus. Zonaras. Blond. lib. 2. Dec. 1.

THeodoſius, exercitu ex bello aduerſus Attilam reuerſo, Vrbe egreſſus, vt equitatione, & venatione ſe recrearet, ex equo delapſus, ſpinæ ver- D tebra luxata, vbi moriturum ſe ſenſit, ſorore Pulcheria ſecretò vocata, Marcianum ſibi ſucceſſorem declarat; id quod paulo ante Epheſi in Templo Diui Ioannis Euangeliſtæ, quem ea de cauſa veneraturus acceſſerat, Diuina reuelatione faciendum didicerat. Obijt vigeſimanona Iulij, *in Sabbato.* Alij alias cauſas mortis afferunt, vel morbum vel demerſionem in fluuium Album, in quod forte inter venandum abreptus eſt. Paulo ante miſerat Priſcum Hiſtoricum, & Epiſtolarum Magiſtrum, ad Attilam pacis componendæ cauſa, ſed re infecta.

E

IESV CHRISTI	LEONIS PAP.	VALENTIN. 27. 28.
ANNVS	ANNVS	MARCIANI 2. 3.
451.452.	12.13.	

Paul. Diacon. lib. 15. Sidon. de Auito Paneg. & lib. 8. epiſt. 15.

ATtila Galliam populatur: Nomen *Flagelli Dei* circumfert ex prædictione ſancti cuiuſdam Viri ex diſcipulis S. Martini, tanquam miſſus à Deo vltor ſcelerum peccantium Chriſtianorum; inſtar Aſſur, qui *Virga*

furoris

A *furoris Domini* dictus. Secuti eius imperium Andaricus Rex Gepidarum, Vvalanni Gothorum, Marcomanni, Sueui, Quadi, Heruli, Turcilingi, siue Rugi, cum suis Regulis. In ipsa vigilia Paschæ Metensium Vrbs cremata, solo Oratorio S. Stephani Protomartyris intacto, cui & Pannonia sub primo eius nominis Rege Stephano, Attilæ successore, aliquando curanda erat. Author Episcopus Ciuitatis iustos inter tot puniendos liber euadit, cæcitate percussis, qui eum ceperant. Parisij Genouefæ sanctæ Virginis precibus liberati; ita & Trecenses Sancti Lupi Antistitis sui virtute saluati; cui etiam Attila, sanctitatem Viri admiratus, se commendauit, interB prete Hunigasio, & vt Dominum pro se deprecaretur, orauit. Erat Lupus tum ditione minor, sed sanctitate maior inter Galliæ Episcopos.

Gregor. Turon. lib 2. hist. cap. 6. Saluian. de prouid. Dei lib. 4. Sigeb. ad ann. 453. Nicol. Ola. in Attila cap. 9.

Attila à Metensi Vrbe discedens, Aureliam aggreditur, & capit, sed non diripit, dubio procul S. Aniani Episcopi precibus diuinitus id datum, sicut & auxilium illico adueniens, Aëtio Patritio, Theodorico Vvisigothorum Rege, & Torismundo huius filio cum exercitibus suis appropinquantibus, qui inito conflictu in campis Catalaunicis Attilam superarunt, cæso tamen in pugna Theodorico, Aëtio ad preces vxoris Romæ in Basilica Apostolorum supplicantis seruato ad victoriam. *Anno* 451. *Indict.* 4.

C Attila post acceptam ab Aëtio cladem, Italiam inuadit, prius tamen Illyrici sinus oram circumuectus, Tragurium, Sebenicum, Belgradum, Signium, Polam, Parentium, Hemoniam, Vrbes Marciano Imperatori subiectas diripit, & incendit; mox Italiam ingressus Aquileiam, Pataiuum, Licinum, Mediolanum, & reliquas Italiæ Vrbes vastat; cùmque Romam tenderet, S. Leonis interuentu recedit.

Marcell. Cassiod. Iornand. Blond. lib. 3. Dec. 1.

In hac incursione plerisque ex Vrbium suarum incendijs, & ruinis ad æstuaria receptum habentibus, condita Vrbs Venetiarum; licet Blondus biennio post factum existimet, & miratur, quomodo Laurentius Monachus scriD ptor Venetus conditam affirmarit vigesimasexta Martij, anni quadringentesimi vigesimiprimi. *Anno* 452. *Indict.* 5.

IESV CHRISTI ANNVS	LEONIS PAP. ANNVS	VALENTIN. 30. MARCIANI 5. IMPP.	
454.	15.		*Indict.* 7.

E Attila moritur in Pannonia. Quidam Aëtij hortatu mulieris manu confossum tradunt: Alij sanguinis reiectione cùm bene potus cubitum iuisset, necatum. Marcianus Imperator coniecit mortem eius è somnio; vidit enim arcum eius fractum, & experrectus narrauit visum, viri interitum interpretatus. Paulus Diaconus Dominum in somnis apparuisse Marciano scribit, & arcum fractum ostendisse. Agebatur, si rectè Scriptores deducunt, post perdomitas Pannonias annus septuagesimus secundus, Regni quadragesimus quartus, ætatis supra centesimum quartus & vigesimus. Blondus biennio post interijsse Attilam dubiè refert.

Marcell. n. Cassiod. ad ann. 453. Paul. Diacon. lib. 15. Author Miscel. Procop. de bello Vvandal. lib. 1. Blond. lib. 3. Dec. 1.

Non multo post Aëtius Patritius, Occidentalis Imperij salus, Attilæ terror,

cum Boëtio amico in Palatio à Valentiniano Imperatore trucidatur. Quidam Aëtium solum Valentiniani manu cecidisse, Boëtium vero Præfectum Prætorio à circumstantibus interemptum. Accidit hoc dolo Maximi Romani Senatoris, sed iusto Dei iudicio: simili namque dolo ipse ante annos viginti septem circiter, Bonifacio Comiti apud eundem Valentinianum calumnias struxit, qua occasione Vvandali potiti sunt Africa. A

Eugipius Abb. Lib. de vita S. Seuerini. Lazius lib. 12. de Rep. sect. 6. cap. 9. Cuspinian. in descript. Austr. Auentinus. Scholiast. Eugipp. Eud. in S. Seuerin. & alii apud ipsum. Nost. Notat. ad Martyrol.

Hoc etiam tempore S. Seuerinus Norici Apostolus nominatus, ex partibus Orientis in Pannoniam venit, & vtrique Pannoniæ, sed Superiori præcipue, doctrina, & exemplo, multisque miraculis prefuit: Viennensium meritò singularis patronus, tot beneficijs in extremis quibusque necessitatibus ipsis memorabilis: Principum etiam paganorum gratia florens, & omnibus circumfusis longe lateque populis venerabilis. Licet autem ex Oriente, quò peregrinationis causa profectus fuerat, huc venerit; Latinum tamen fuisse, ex Scriptore vitæ, eiusdem discipulo, patet; tametsi humilitatis gratia, genus viri, quod dubio procul clarissimum fuit, taceatur. Extant hodieque rudera Cellæ S. Seuerini, vno milliario Vienna quondam dissitæ, sub iugo vitifero montis Cetij, vbi & pagus incolitur à Sancti vocabulo, corruptè *Siferinga* dictus. Meminit eius Martyrologium Romanum ad octauum Ianuarij, vbi & nos multa in nostris historicis notationibus. B C

Indict. 8.

IESV CHRISTI ANNVS	LEONIS PAP. ANNVS	MARCIANI 6. MAXIMI 1. IMPP.
455.	16.	

Cassiod. in Chr. Procop. de bello Vvandal. lib. 1. Baron. hic.

Valentinianus Imperator, dolo Maximi Patritij per Ostilam, & Trunstilam Aëtij Satellites, in Campo Martio trucidatur, decimoseptimo die Martij, *feria quinta*. Ita repensum Valentiniano eiusdem dolo, cuius ipse callido consilio Aëtium, & Boëtium sustulerat. Quin præterea Maximus eo occiso, Eudoxiam Augustam in palatium irrumpens constuprauit, quòd Valentinianus antea eiusdem coniugem violasset. Hinc præsens annus à plerisque *Annus vltimus* vocatus. Sunt qui postea eam duxisse scribunt. Verùm Eudoxia necem mariti vltura, Gensericum ex Africa euocauit, qui ingenti classe adueniens, Vrbem diripuit, & præclaris quibusque ornamentis spoliauit, inter quæ fuere vasa illa, quæ Titus Hierosolymis captis ex Templo abstulerat, quæ postea Iustinianus belli iure vendicata, Constantinopolim detulit; Aucta etiam Eudoxia cum duabus filiabus Eudocia, & Placidia, non tamen dignas proditione pœnas luit. Ne totam incendio vastaret Vrbem, Leonis Papæ intercessioni dedit. Maximus fugiens lapidibus obrutus est, duobus exactis in arrepto Imperio mensibus: nec multo post in Gallijs Auitus, à Maximo Magister militum nuper creatus, sed à Valentiniano prius Præfectura Prætorij Galliarum ornatus, dum Legatum apud Theodoricum Gothorum Regem agit, Imperator ab exercitu, Gothis fauentibus, imo Rege eorum acclamante, creatur. D E

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS	LEONIS PAP. ANNVS	MARCIANI 7. AVITI 1. IMPP.	Indict. 9.
456.	17.		

AVitus Imperium, post menses decem, alijs octo, deponit, quòd olim à Maximo Magister militum creatus Romanis ingratus esset, nec à Gothis quicquam spei affulgeret. Quidam peste extinctum tradunt: Alij fame necatum spontanea. Alij Placentiæ, vbi Imperium deposuit, Episcopum factum aliquandiu vixisse volunt, & peregrinatione suscepta ad S. Iuliani Aruerni Martyris Reliquias, in itinere obijsse. *Euagr. lib. 2. cap. 7. Nicephor. lib. 16 cap. 11. Greg. Turonen. lib. 2. hist. c. 11. Miscell.*

B

IESV CHRISTI ANNVS	LEONIS PAP. ANNVS	LEONIS IMP. 1. MAIORANI 1.	Indict. 10.
457.	18.		

C

MOritur Marcianus Imperator primo die Maij, *feria tertia*. De eius pietate hæc habet Theophanes: In supplicationibus Campi pedes procedebat, multa in pauperes largiens; vnde eius exemplo Patriarcha Anatolius, cùm lectica antea veheretur, pedibus & ipse progressus est. Succedit Leo, cuius consensu Maioranus apud Rauennam Imperator creatus. *Theophan. Marcell. Nouel. Maior. Tit. 3. Ad Senat.*

D

IESV CHRISTI ANNVS	LEONIS PAP. ANNVS	LEONIS, ET MAIORANI IMPP.	Indict. 13.
460.	21.	4.	

SImeon Stylites, magnum illud Orbis terrarum miraculum, vt eum vocat Theodoretus, ætatis suæ centesimo circiter anno, stationis in Columna, septuagesimonono, moritur. Eius Reliquias Leo Imperator ex Syria in Thraciam Constantinopolim transferri curauit. *Cedren. in Cop.*

E

IESV CHRISTI ANNVS	HILARI PAP. ANNVS	LEONIS, ET MAIORANI IMPP.	Indict. 14.
461.	1.	5.	

LEo Papa moritur, die Aprilis vndecima, *feria tertia*. Præfuit annis viginti & vno circiter. Succedit Hilarus.

Moritur & Maioranus Cæsar, Ricimeri Magistri militum, hominis Gothi, *Marcellin. Theophan.*

& Ariani insidijs occisus apud Dertonam Hispaniæ Vrbem. Succedit Seuerus eiusdem Ricimeri ope. A

IESV CHRISTI ANNVS	HILARI PAP. ANNVS	LEONIS IMP. 8.9. SEVERI 4.5.
464.465.	4. 5.	

Isid. Chron. Sidon. lib. 7. ep. 7.

THeodorico Rege Gothorum morte sublato, Euarix, seu Euaricus frater eiusdem succedit, & Lusitaniam vastat: Hispaniam superiorem obtinet: Tarraconensem nobilitatem perimit: Arelatum, & Massiliam Regno suo subijcit. Sub hoc Rege Gothi legum instituta scriptis habere cœperunt, cùm antea moribus tantum, & consuetudine tenerentur. *Anno 464. Indict. 2.* B

Seuerus interit, Ricimeri Patritij, à quo exaltatus fuerat, dolo veneno sublatus.

Marcel. in Chr. Euagr. lib. 2. cap. 13.

Constantinopolis pene tota incendio conflagrat, immisso à Dæmone, sub habitu mulieris stipem mendicantis igne. Durauit quatriduum, vt aliqui scribunt, ad septimum diem, initio facto in vigilia Magni Martyris Mumantis, cuius festum summo apparatu celebrandum plerosque occupabat, nec vlla humana ope valuit extingui: tandem superauere Marciani hominis Deo preces. Idque prædixerat S. Daniel Stylita, post septimum diem nimirum cessaturum incendium. *Anno 465. Indict. 3.* C

Indict. 5.

IESV CHRISTI ANNVS	HILARI PAP. ANNVS	LEONIS 11: ANTHEMII 1. IMPP.
467.	7.	

D

Euag. lib. 2. cap. 18.

LEo Imperator Anthemium Patritium Romam mittit, & Imperatorem constituit.

Hilarus Papa moritur die secundo Septembris, *in Sabbato*. Præfuit annis sex, vt alij quinque, mensibus circiter decem. Succedit Simplicius Tiburtinus Castini filius.

E

IESV CHRISTI ANNVS	SIMPLICII PAP. ANNVS	LEONIS 12.13. ANTHEMII 2. 3. IMPP.
468.469.	1. 2.	

Procop. lib. 1. de bello Vand. Niceph. lib. 15 cap. 27. Saluian. lib. 5. de vero Iudicio.

LEo Imperator aduersus Gensericum incursantem Orientales oras classem parat. Exercitus terrestris centum millium dicitur fuisse, non minor naualis, nauium mille centum. Hæreticos Duces præfecit, victoriam

A riam non obtinuit, proditione Basilisci Præfecti in gratiam Asparis, & Ardaburij. Romanos propter iniustitiam, quæ neque inter Francos, Gothos, Hunnos, Vvandalos inuenta est, victos esse tradit Saluianus, cùm inter alia tutiores apud istos essent boni Catholici, quàm inter Arianos. *Anno* 468. *Indict.* 6.

Post mortem Attilæ, filijs eius in diuidendo vastissimo Regno varie distractis, res Hunnorum nonnihil declinare cœperunt. Vnus tamen ex ijs Denzices, patris imitatione, maiorem partem regens, feroci spiritu Romanum vexabat Imperium: contra quem hoc anno Duce Cathelico prælium *Marcel. in Chr. Euag. lib. 2. c. 14. & 16.*
B ferens Leo Imperator eum vicit, adeoque metuendam eius potentiam, cùm & patrem ferocia superaret, & ducatu magis insolesceret, præter expectationem protriuit; hac victoria superioris anni cladem nonnihil compensans. Regis occisi caput in conto Constantinopolim delatum, magna omnes lætitia affecit, victorique ingentem gloriam conciliauit. Pluribus hæc eius temporis Scriptor Priscus prosecutus est, sed eius historiæ periere. *Anno* 469. *Indict.* 7.

IESV CHRISTI ANNVS	SIMPLICII PAP. ANNVS	GLYCERII IMP. ANNVS	
473.	6.	1.	*Indict.* 11.

C

ANthemio Imperatore superiore anno Romæ à Ricimere genero suo occiso, successit Olybrius; quo etiam mense septimo interfecto, subrogatur à Gothis militibus Glycerius. *Paul. Diac. Marcellin. Cassiodor. Onuphrius.*

Rex Rugorum Flacitheas, Gothos in Inferiori Pannonia habens infestos, S. Seuerinum Noricorum Apostolum consulit. Qui ad eum, *Si nos,* in-
D quit, *fidei Catholica necteret, magis me de vita perpetuitate consulere debuisti; sed quia de præsenti tantum salute sollicitus es ausculta quæ dico.* Gothorum nec copia nec aduersitate turbaberis, quia cito securus eis discedentibus, tu desiderata prosperitate regnabis; tantum ne humilitatis meæ monita prætermittas. Non te itaque pigeat pacem appetere etiam minimorum. Nunquam proprijs virtutibus innitaris: *Maledictus* inquit Scriptura, *qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & a Domino recedit cor eius.* *Hierem.* 17.
Disce igitur insidias cauere, non ponere. In lectulo quippe tuo *pacifico fine transibis.* Hæc Seuerinus. Quæ omnia vt prædixit euenere.

E

IESV CHRISTI ANNVS	SIMPLICII PAP. ANNVS	LEONIS 18. ZENONIS 1. IMPP.	
474.	7.		*Indict.* 12.

LEo senior moritur, succedit Iunior. Glycerius Imperio deponitur à Iulio nepote; & seruatus ad vitam, abdicato seculo in Clericum attonsus, creatur Episcopus Salonitanus. Leo etiam Iunior moritur post menses decem, & succedit Zeno. *Cassiod. in Chr. Euagr. lib. 3. cap. 1.*

IESV

IESV CHRISTI ANNVS	SIMPLICII PAP. ANNVS	ZENONIS IMP. ANNVS
475.476.	8.9.	2.3.

Iordan. lib. de reb. Goth.

NEpos ab Oreste, quem nuper Magistrum militiæ creauerat, Imperio depellitur, & in Dalmatiam fugit; vbi iam Glycerius ordinatus fuerat Episcopus, ab eodem nepote pulsus. Sic sane in quo quis peccat, in eodem plectitur. Orestes filium suum Momilium Augustulum ad Imperium euehit. *Anno 475. Indict. 13.*

Eugipius in vita Seuer. Marcel. in Chr. Gode. r. an. ... ann.

Nepotis fautores Odoacrem Herulorum Regem haud longe ab Italia positum accersunt. Nihil huic magis è voto fuit. Antequam se accingeret, S. Seuerinum in Norico, aut circa Viennam morantem, inuisit, iuuenis vilissimo habitu, statura procerus; ne verò tectum humillimæ cellulæ vertice contingeret, se inclinauit. Cui mox vale dicenti, *Vade,* inquit Seuerinus, *ad Italiam vilissimis pellibus coopertus, sed multa cito pluribus largiturus.* Hunc aliqui natione Ruthenum, aliqui ex vltimis Pannoniæ finibus ortum putant. In Italiam itaque veniens Romam obtinuit, & Augustulum in Lucullano Campaniæ Castello exilij pœna damnat. Ita Occidentale Imperium, quod in Augusto maxime floruit, in Augustulo concidit, non secus ac Orientale sub Constantino Magno florentissimum, sub Constantino Vndecimo, seriùs licet, excisum est. Rexit autem Odoacer Italiam annis tredecim absolutis, inchoato decimoquarto, vt quibusdam nobilibus S. Seuerinus prædixerat.

Marcel. in Chr. Theod. Collect. lib. 1. Procopius. Metaphr. in vita Daniel. ad 11. Decemb.

In Oriente contra Zenonem excitatur Basiliscus Tyrannus, Deo puniente Imperatorem, quòd Timotheo hæretico faueret. Zeno ad Danielem Stylitam humiliatus confugit, à quo audit, se Imperio pellendum, in exilio alendum, herbis interdum præ inopia cibi pascendum, demùm ab ijs, qui eum oderunt reuocandum, & Imperio restituendum. Quæ omnia sicut prædicta sunt euenere. Mansit autem Zeno exul, annum vnum, menses circiter octo.

Victor. de persec. Vvand. lib. 1. & 2. Procop. de bello Vvandal. lib. 1.

Gensericus Rex Vvandalorum, qui solus duarum Vrbium totius Orbis potentissimarum, Romæ, & Carthaginis expugnator fuit, moritur in Africa, postquam regnasset annis triginta septem, aut triginta nouem, à quo Carthaginem cepit. Succedit Hunericus maior natu filius. Satis hinc apparet, quanti Deus faciat mundi Regna, & præsentis vitæ gloriam, vt suis inimicis peruersis Tyrannis ea indulgeat. *Anno 476. Indict. 14.*

A

IESV CHRISTI ANNVS	SIMPLICII PAP. ANNVS	ZENONIS IMP. ANNVS
481.482.	14.15.	8.9.

THeodoricus in Regem Gothorum ſuccedit, & à Zenone vocatus, in- *Marcel. in Chr.*
ter alios honores ei exhibitos, in filium adoptatur. Qui poſtea contra *Theod lect lib. 2 collect. in fin.*
B rebelles pro Zenone rem feliciter geſſit, atque ideo Conſulatum meruit, *Euag. lib. 3. cap. 27.*
& equeſtrem in foro ſtatuam. *Anno* 481. *Indict.* 4.

Hoc anno facta Tranſlatio, quæ & Receptio dicitur, S. Martini ex loco *Sidon. lib. 4.*
vbi conditus fuerat, tot miraculis, quæ ad eius ſepulchrum fiebant minus *epiſt. 18. Gregor. Turon.*
congruo; in Baſilicam ſplendide à Perpetuo Epiſcopo, qui ſextus à Mar- *lib. 10. hiſt. c. 31*
tino Turonenſis fuit Epiſcopus, extructam. Interfuere Tranſlationi om- *& lib. de mirac. S. Martini c. 6.*
nes Epiſcopi, & Proceres, qui tum ad Synodum Turonis habitum conflu-
xerant, indictaque ſolemnitas perpetuo celebranda: & iuſſu Perpetui in-
ſcriptum nouæ Baſilicæ carmen à Sidonio. Facta eſt hæc tranſlatio die
C quarta Iulij, *in Dominica*, quo etiam die eiuſdem S. Martini ordinatio ce-
lebrari conſueuit. Priorem porro cellulam, in qua corpus Sancti ſeruabatur,
quia eleganti opere erat fabricata, affixit Baſilicæ Sanctorum Petri, & Pau-
li eodem loco excitatæ.

Hoc eodem anno moritur S. Seuerinus Noricorum, & Pannoniæ Apo- *Eugip. in vita. cap. 40.*
ſtolus, multis ante diebus præuiſa morte ſua, & prædictis varijs rerum euen-
tibus; quæ omnia ad vnguem impleta ſunt, monito etiam Rege Rugorum,
& Regina, quomodo mala inſtantia, ſi parere voluiſſent, euitare poſſent.
Inter alia prædixit, & vaſtationem loci in quo manebat, vnde & ſuis præ-
D cepit migrationem, & ſuorum oſſium tranſportationem, illud Ioſephi Pa-
triarchæ vſurpans: *Viſitatione viſitabit vos Dominus, tollite oſſa mea hinc vo-* *Exod. 1.*
biſcum; quod non mihi, ſed vobis eſt profuturum. Migrauit die octaua Ianua-
rij, *feria ſexta*: dum pſalmi, *Laudate Dominum in Sanctis eius*, verſiculum
illum pronunciaret, *Omnis ſpiritus laudet Dominum*. Anno 482. Indict. 5.

E

IESV CHRISTI ANNVS	FELICIS PAP. ANNVS	ZENONIS IMP. ANNVS
483.484.	1.2.	10.11.

MOritur Simplicius Martio ineunte, poſtquam præfuiſſet annos quin- *Gregor. lib. 4.*
decim, menſes plus minus quinque. Succedit Felix Romanus, Gre- *Dial. cap. 6.*
gorij Magni atauus.

In Africa perſecutiones Orthodoxorum, iuxta prædictiones biennio an- *Victor. de perſec.*
te factas incipiunt, ſub Hunerico Vvandalorum Rege Ariano. *Anno* 483. *Vvand. lib. 2.*
Indict. 6.

Hunericus Rex à vermibus conſumptus miſerabiliter obit Carthagine,
poſt-

Vict. de persec. lib. 2. & 3. Procop. lib. 1. Greg. Tur. lib. 2. Hist. cap. 25.

postquam tenuiſſet Africæ Regnum annis ſeptem. Succeſſit Gundebaldus A
Genzonis, ſeu Gentonis filius, propior genere Genſerico; Victor Godagiſum vocat. Moritur & in Gallijs pari pene interitu, Euaricus Rex alter Arianus, & Eccleſiæ perſecutor crudelis, eidemque ſuccedit filius Alaricus. *Anno* 484. *Indict.* 7.

IESV CHRISTI ANNVS	FELICIS PAP. ANNVS	ZENONIS IMP. ANNVS
487.488.490.	5.6.8.	15.16.18.

B

Marcel. in Chr.

THeodoricus Rex Gothorum, tot honoribus antea auctus à Zenone, neque tamen ſatiatus, cùm creditam ſibi Daciæ Ripenſis partem, Mœſiæque inferioris tenuiſſet, repente magna ſuorum manu, vſque ad Regiam Ciuitatem, & Melantiadem oppidum infeſtus acceſſit, plurimiſque locis igne crematis in Mœſiam reuerſus eſt.

Caſſiod. in Chr. Eugip. in vita S. Seuer. cap. 45.

Odoacer Phæba, ſeu Pheletheo Rugorum Rege victo, captoque vnà cum vxore Giſa peſſima femina, potitus eſt. Fridericus autem filius, qui per multa ſacrilegia iram Dei concitauerat, ad Theodoricum in Mœſiam confugit. C
Hanc victoriam quemadmodum aliquot annis ante S. Seuerinus Odoacri prædixerat, ita & Pheletheo Regni ſui amiſſionem, ſi iram Dei non placaſſet. *Anno* 487. *Indict.* 10.

Marcel. in Chr. Eugip. cap. 45.

Theodoricus bona venia Zenonis magna ſuorum multitudine ad Italiam occupandam tendit. Fridericum Regis Rugorum filium bonis ab Odoacre captis reſtituit. Quod is intelligens, miſſo contra eum Arnulpho germano ſuo, iterum Fridericum depellit, quoſque hic detinebat, vniuerſos Romanos in Italiam migrare iubet. Quo tempore eademque occaſione, corpus S. Seuerini, ſexto poſt obitum anno, iuxta prædictionem eiuſdem D
tranſportatum eſt. *Anno* 488. *Indict.* 11.

Marcellin. Caſſiod. Iordan. Procop. lib. 1. Goth.

Theodoricus Odoacrem cùm anno ſuperiore primùm ad Iſontium viciſſet, deinde repetito conflictu in Campis Veronenſibus maiore clade affeciſſet, hoc demum anno tertio congreſſu ad Dunam fluuium ſuperauit. Qui Rauennā confugiens triennium ibidem obſeſſus eſt. *Anno* 490. *Ind.* 13.

Indict. 14.

IESV CHRISTI ANNVS	FELICIS PAP. ANNVS	ANASTASII IMP. ANNVS
491.	9.	1.

E

Theophan. Euag. lib. 3. cap. 29. Cedr. in Comp. Zonar. tom. 3. Ann.

ZEno Auguſtus epilepſia correptus interijt, cùm identidem Pelagij nomen inclamaret. Viuum eum ſepultum prodit Cedrenus, & cùm defoſſi vox lamentabilis exaudiretur, vetuiſſe tumulum aperiri Ariadnam Auguſtam, quæ eo adhuc viuente Anaſtaſium adamauerat. Lamentanti, & eiulanti cùm reſponderent cuſtodes, alium iam imperare: Nihil, inquit, curo; in monaſterium me abducite. Zonaras tradit ſæpe inebriari ſolitum, & pro-

A & prolapsum à mortuo non distitisse; idcirco coniugi etiam inuisum, cùm aliquando more solito bene potus fuisset, ab illa in monumentum Imperatorium coniectum, admoto ingenti lapide, ne emergere posset, cùm interea sobrius factus frustra inclamaret. Ità miserè perijt, qui dum viueret varius vixit, simulata ex libidine religione. Aliquanto post aperto monumento, inuentus est, & lacertos præ fame depastus, & caligas corrodisse. Successit Anastasius ex ordine Silentiariorum, hoc est eorum, qui in Palatio Imperatoris militantes, ea quæ sunt quietis curarent.

Ad hunc annum recenset Marianus Scotus obitum S. Patritij Hiberno- *In Chron.*
B rum Apostoli, & S. Martini discipuli, imo vt supra diximus, ex eiusdem sorore nati. *Obijt*, inquit, *S. Patritius Hiberniæ Archiepiscopus, cùm esset annorum nonaginta duorum: Qui cùm esset annorum sexdecim, venditus est: sex annis vixit in seruitute in Romanis partibus: sexaginta annis in Hibernia prædicauit*. Verùm hi anni computati non nisi in duos supra octuaginta *In Chron.*
exeunt. Sigebertus obijsse tradit anno ætatis centesimo vigesimosecundo: Probus, qui eius vitam conscripsit, centum, & triginta duos vixisse ponit: Ad quam ætatem peruenerit oportet secundum Baronium, si vt ait Pro- *Tom 6. ad ann. 491.*
bus, triginta annos natus extitit discipulus S. Martini. Iocelinus, qui eius-
C dem historiam in centum nonaginta sex capita digessit, decessisse ponit, anno Incarnationis Dominicæ, quadringentesimo nonagesimo tertio, sub Felice Papa, & Anastasij Imperatoris Primo. At Dauid Rothus Ossoriensis *Elucid. 7. & 8.*
Episcopus, in notis in eandem Iocelini Historiam, iuxta varias putationes, quæ ducuntur à mora Patritij cum S. Martino tracta, quæ etiam varia est, centum & quadraginta septem ætatis annos eidem tribuendos infert; quod tamen nec ipse, nec alij concedunt; omnino tamen ex veriori calculo totius vitæ periodum centum & viginti annis definit.

D

IESV CHRISTI ANNVS	GELASII PAP. ANNVS	ANASTASII IMP. ANNVS
492.493.	1.2.	2.3.

Felix Papa moritur die vigesimaquinta Februarij, *feria tertia*. Præfuit annis nouem, denis minus diebus. Successit Gelasius Afer. *Anno* 492. *Indict.* 15.

E Odoacer triennio Rauennæ obsessus à Theodorico, per Legatos cum eo componit, vt ambo pari iure in Italia rerum potirentur. Verum paulo post excitum ad conuiuium Odoacrem, Theodoricus ficta dolo causa occidit, solusque conciliatis Barbaris Regno potitur, & ab Imperatore pacem quærit. Ita regnauit Odoacer, annos septendecim; sed post tredecim à suscepto Imperio, res eius, sicut prædixerat S. Seuerinus, in peius delapsæ sunt. *Procop. de bello Goth. lib. 1. Eugip. in vita S. Seuer. cap. 32.*

Hoc eodem anno contigit apparitio S. Michaelis Archangeli in Apulia in monte Gargano; ex qua Templum illic pro crypta extructum, euasit toti Orbi celeberrimum, vt vniuersa Occidentalis Ecclesia diem apparitionis dictæ anniuersarium solenniter repeteret, octauo die Maij, quo facta cre-

dicitur *in Sabbato*. Eam ob causam Theodoricus Italia potitus, Sipontinis A
qui ad radices montis incolunt, tributa ad biennium relaxauit. Insignis
olim fuit magnorum etiam Orbis Principum peregrinatione, quibus patrocinium Principis Archangelorum nunquam non commode accidit.
Anno 493. *Indict.* 1.

IESV CHRISTI ANNVS	GELASII PAP. ANNVS	ANASTASII IMP. ANNVS
495.496.	4.5.	5.6.

B

Gregor. Turon. lib. 2. cap. 31. Aimoin. lib. 1. cap. 19.

CLodoueus Francorum Rex à Chlotilde Regina frustra sæpe monitus ad Christi Fidem amplectendam, hoc tandem anno in prælio, quod in Tolbiaco in Vbijs aduersus Alemannos gessit, cùm eius acies periclitaretur, Christianum se fore spopondit, & vicit; & occurrente sibi Regina à S. Remigio baptizatus est, & tria circiter millia in exercitu cum eo conuersa. Baronius conuersionem Francorum, & Clodouei baptismum in annum quadringentesimum nonagesimum nonum conijcit. *Anno* 495. C
Indict. 3.

Moritur Gelasius Papa, die vigesimasecunda Martij, *in Sabbato*. Præfuit annis quatuor, mensibus octo, diebus nouemdecim. Succedit Anastasius Romanus, Petro genitus, mense Nouembris.

Eugip. in vita S. Seuer. cap. 45. & cap. 47.

Adhuc tamen Gelasio viuente, sed incertum quo anno, eiusdem authoritate facta est secunda translatio ex monte Felete Neapolim nobilissimam Campaniæ Ciuitatem, venerandi corporis S. Seuerini Abbatis, quod quadriennio ante in Italiam ad dictum Castellum, ex Noricis, aut Pannonia Superiore, primò translatum fuerat. Id præsertim vrgente Illustri fæmina D
Barbaria, quæ Virum sanctum adhuc in viuis degentem religiose colebat; eademque in Castello Lucullano dignum sacris Reliquijs mausoleum condidit, in quo per manus S. Victoris Episcopi repositæ, multis deinceps miraculis illustratæ sunt. *Anno* 496. *Indict.* 4.

IESV CHRISTI ANNVS	SYMMACHI PAP. ANNVS	ANASTASII IMP. ANNVS
498.499.	1.2.	8.9.

E

MOritur Anastasius Papa, decimasexta Nouembris, *feria tertia*, post annos Pontificatus duos, minus diebus septem. Succedit Symmachus natione Sardus, Patre Fortunato. *Anno* 498. *Indict.* 6.

Marcellin. Theophan. Miscell. lib. 15.

Hoc anno primùm Bulgari prodire cœperunt, Thraciam vastantes: contra quos Aristus Illyricianæ militiæ ductor, cum quindecim millibus armatorum, nec non quingentis viginti curribus progressus ad Zurtam flumen infeliciter confugit, cæsis supra quater mille Romanis, nec paucis Comitibus.

A tibus. Quorum casu perculsus Imperator, cùm ferro non posset, ingenti vi auri grassationem ad tempus redimit.

Theodorus primus inter Laureacenses Præsules, Pallium accipit à Symmacho Pontifice, Doctoris scilicet, nec non Pastoris, & Christiani Philosophi Insigne. Extat ea de re epistola Symmachi hoc anno data ad eundem Theodorum, vbi inter alia hæc habet: *Diebus vitæ tuæ, Pallij vsum, quem ad Sacerdotalis officij decorem, & ad ostendendam vnanimitatem, quam cum Beato Petro Apostolo, vniuersus grex Dominicarum ouium, quæ ei commissæ sunt, habere non dubitatur, ab Apostolica Sede, sicuti decuit, poposcisti. Quod, vtpote ab eisdem* B *Apostolis fundata Ecclesia, Maiorum more libenter indulsimus, ad ostendendum te Magistrum, & Archiepiscopum, tuamque sanctam Laureacensem Ecclesiam, Prouinciæ Pannoniarum fore Metropolitanam.* Anno 499. Indict. 7. *Brusch. lib. 1. Pataui. Theodoro.*

IESV CHRISTI ANNVS	SYMMACHI PAP. ANNVS	ANASTASII IMP. ANNVS
502.504.	5.7.	13.14.

C

Anastasius anno superiori pace cum Arabibus, & Saracenis facta, hoc anno vexatur à Bulgaris, nullo prohibente rursum Thraciam vastantibus: sed non minus à Cabade Persarum Rege, qui Amidam validum in Mesopotamia Romanorum præsidium, post diuturnam obsidionem, Monachorum proditione capit, & proditorie obtruncat. Mox Iacobum Syrum sanctissimum Anachoretam, quem cùm sui iaculis, & sagittis petere tentassent, diuinitus obtorpuerunt, audito miraculo, adit, veneratur, & petenti, quæcunque vellet, data etiam syngrapha concedit. *Anno 502. Indict. 10.* *Theophan. Procop. de bello Pers. lib. 1.*

D Theodoricus victis Bulgaris Pannoniam Sirmiensem sibi subijcit; non multo antea de parte quoque Hunnorum triumphauerat. Datum hoc illi diuinitus creditur, quod licet Arianus esset, nihil iurium Ecclesiæ Romanæ, & Sedis Apostolicæ voluerit imminutum. Ita non multo post Noricos quoque, qui Blondo Austrini partim, partim Baioarij censentur, Regno suo adiungit, iisdemque Prouincijs Colossæum Comitem, ciuem Romanum à Senatu Præsidem dari iubet. Quare Bulgari, qui post excessum Theodorici ex Thracia, relictis sedibus suis, quas ad Danubij ripas secundum Pannonias, & vt Blondo placet, Noricum habere consueuerant, Thraciam E incursabant, nunc demum subacti, quieuerunt. Sunt, qui hæc ad tempora Zenonis Imperatoris referant, quibus maximo vastata incendio Constantinopolis, Bulgaris occasionem noua tentandi obtulit. Vereor tamen ne qui Noricum sedem Bulgarorum fuisse velit, late nimis horum ditionem definiat, Auares potiùs dicturus. *Anno 504. Indict. 12.* *Cassiodor. var. lib. 3. epist. 23. Blond. lib. 3. Dec. 1.*

A

Indict. 15.

IESV CHRISTI ANNVS	SYMMACHI PAP. ANNVS	ANASTASII IMP. ANNVS
507.	10.	17.

Gregor. Turon. lib. 2. hist. c. 37. Cassiod. variar. lib. 3. epist. 1. 4. 34.

ALaricus Rex Gothorum, in Gallia Aquitania diu, licet Arianus, feliciter regnans, quòd orthodoxi Antiſtites aſſiduè preces funderent, à Clodoueo Francorum Rege hòc anno victus occiditur, poſtquam ſcilicet ſanctos Antiſtites perſequi cœpit, Cæſarium Arelatenſem, & Quintianum Rutenorum Epiſcopum proſcribens. Laudatur diſciplina militaris Clodouei, quam ſeuere ſeruatam cupiebat, ne quid Eccleſijs, aut Clericis damni milites inferrent. Maxima tamen religio eius enituit erga Beatum Martinum Turonenſem, per cuius Territorum quia manus hoſtium tranſiuerat, edicto cauit, ne quis ſuorum in tota Turonum ditione, aliud quicquam præter herbam, & aquam tolleret. Id non nemo militum licentioſe interpretatus, fœnum pauperi cuidam vi extorſit; quo reclamante, Nonne Rex herbam tantum ſumi præcepit? Et fœnum, reddit ille, herba eſt. Quod cùm Rex intellexiſſet, hominem dicto citius capite plecti iuſſit, addens: *Et vbi erit ſpes victoriæ, ſi Beatus Martinus offenditur?* Mox vero nuncijs ad eius Baſilicam directis: *Ite*, inquit, *& forſitam aliquod auſpicium ab æde ſancta ſuſcipietis*; datiſque muneribus, quæ loco ſancto exhiberent, in hæc verba animum effudit: *Si tu Domine adiutor mihi es, & gentem hanc incredulam, ſemperque æmulam tibi, meis manibus tradere decreuiſti, in ingreſſu Baſilicæ Sancti Martini, dignare propitius reuelare, vt cognoſcam quia propitius dignaberis eſſe famulo tuo.* Illi mandata propere exequentes, in ipſo Baſilicæ ingreſſu, audiunt fortuito à Primicerio illud Pſalmi voce contenta decantari: *Præcinxiſti me Domine virtute ad bellum, ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me: Et inimicos meos dediſti mihi dorſum, & odientes me diſperdiſti.* Quo capto omine, votiſque Beato nuncupatis, læti ad Regem reuerſi ſunt. Mox ducto ad flumen Vigennæ exercitu, cùm tumeſcentes à crebris imbribus vndæ tranſitum negarent, Clodoueus ad orationem conuerſus, ſummo mane, ductu Ceruæ eximiæ magnitudinis vadum inuenit; non diſſimili fortuna, ac quondam Hungaro-Hunni, tum Scythæ, Mœotidas paludes emenſi Europam.

B

C

Pſal. 17.

D

E

IESV CHRISTI ANNVS	SYMMACHI PAP. ANNVS	ANASTASII IMP. ANNVS
508. 509.	11. 12.	18. 19.

Gregor. Hiſtor. Franc. lib. 2. cap. 38. Caſſiodor. var. lib. 6. epiſt. 1.

ANaſtaſius Imperator Clodouei ſucceſſu lætus, vt eum aduerſus Theodoricum Italiæ Regem excitet, & legationem, & codicillos Conſulatus mittit. Offenderat Theodoricus Anaſtaſium, quòd vt ſupra dictum, Pannoniam Sirmienſem ſibi vendicarat, quam ad Orientale Imperium ſpecta-

A ſpectare Anaſtaſius affirmabat. Verùm Clodoueus dedignatus eſt oblatum ab Hæretico Imperatore munus; interim in Baſilica Beati Martini tunica blatea indutus, & chlamyde, impoſitum vertici diadema tulit, & aſcenſo equo aurum, argentumque ſparſit, ab eaque die tanquam Auguſtus vocari cœpit. Anaſtaſius verò pro Clodoueo Celerem Magiſtrum officiorum, bello contra Perſas geſto clarum, Conſulem ſibi ſubrogauit. *Anno* 508. *Indict.* 1.

Clodoueus Rex Turonum pertranſiens, equum ſuum Sancto Martino miſit, quem centum ſolidis redemptum cùm abducere non potuiſſet, miſ- *Sigebert. in Chr. Gottif. part. 16. paulo poſt init.*
B ſis alijs centum, recepit, affirmans ſecurum eſſe auxilij, qui tam carus foret negotiator. Hoc alij, rectiùs ad annum quingenteſimum ſeptimum, conijciunt, quo Clodoueus prælium aduerſus Alaricum initurus, ſeu voti, ſeu religioſi pignoris cauſa, equum Beato Martino dederat: poſt victoriam reuerſus, ad cuſtodem Eccleſiæ centum ſolidos, quò equum redimeret, miſit; ceterum equo nullatenus ſe mouente, Rex precium infra dignitatem ratus, centum alios addidit, quibus numeratis, equus continuo ſecutus eſt. Tum Clodoueus. Sanctus Martinus bonus auxiliator eſt, ſed carus negotiator. *Anno* 509. *Indict.* 2.

C

IESV CHRISTI ANNVS	SYMMACHI PAP. ANNVS	ANASTASII IMP. ANNVS
513.	16.	23.

Indict. 6.

A Lamundarus Saracenorum Philarchus ad Chriſti Fidem conuertitur. *Theodor. lect. collect. lib. 2. Anaſtaſ. in Chr. & alii.* Ad hunc Seuerus Epiſcopus Hæreticus duos mittit perfidiæ ſuæ ſecta-
D tores. Quos ipſe egregie confuſos dimiſit, quòd literas ſe accepiſſe ſimularet de Michaelis Archangeli morte nunciantes. Id enim illis fieri non poſſe conteſtantibus; Quomodo, inquit, ſi Angelus mori non poteſt, vos Chriſtum in vna tantum diuina natura ſubſiſtentem mortuum eſſe affirmatis, adeoque Deum ſolum paſſum in Cruce fateri cogimini?

Cabades Rex Perſarum, cùm in quodam Caſtro inter Indos, & Perſas *Niceph. lib. 16. cap. 36.* vocabulo Thundadeero, accepiſſet, ingentem vim auri, & lapidum pretioſorum aſſeruari, ſed à dæmonibus cuſtodiri, ad eos pellendos Magorum ſuorum, mox & Iudæorum opera vſus diu fruſtratus eſt. Itaque ad Chriſtia-
E nos confugit: Quorum Epiſcopus, peracta Synaxi, & diuinis myſterijs in Chriſtianos, qui aderant diſpenſatis, ſigno Crucis dæmones profligauit, & Caſtrum Cabadi, ſine moleſtia tradidit. Ea re ſtupefactus Epiſcopum illum primæ Sedis prærogatiua, deiectis inde Iudæis, & Manichæis, cohoneſtauit, & cunctis Chriſti Fidem amplecti volentibus poteſtatem fecit; & deinceps perſecutiò in Chriſtianos excitata quieuit.

A

Indict. 7.

IESV CHRISTI ANNVS	HORMISDAE PAP. ANNVS	ANASTASII IMP. ANNVS
514.	1.	24.

SYmmachus Papa postquam præfuisset annos quindecim, menses octo circiter, moritur, decimonono Iulij, *in Sabbato*. Succedit Hormisda Campanus; Cui non multo post Clodoueus Rex, vel vt loquitur Hincmarus, Beato Petro, Coronam auream gemmis ornatam misit, ita suggerente Sancto Remigio Rhemensi Episcopo. Eam Coronam Regnum appellari solere notat Baronius, & iam ab ipsis Apostolorum temporibus præclarum fuisse capitis Pontificis ornamentum, idque magni pretij, auro nimirum, & gemmis distinctum affirmat. Ceterùm, quod spectat ad Mitram, qualis fuerit, ex ea quam Sanctus Syluester gestauit, licet conijcere. Ea nuper vnà cum stola similis operis inuenta, visitur hodie Romæ in Sacrario Sancti Martini, vulgo de Montibus, sub Patrum Carmelitarum cura, ad antiquum splendorem assurgentis, diligentia præsertim Ioannis Antonij Philippini loci Prioris, qui subterraneam quoque Ædem ruderibus obstructam, & pene obliuioni traditam, non repurgauit modò, sed reuocata memoria primi eo loco, sub Syluestro Concilij Romani celebrati, pristinæ Religioni restituit. B C

Indict. 11.

IESV CHRISTI ANNVS	HORMISDAE PAP. ANNVS	IVSTINI IMP. ANNVS
518.	5.	1.

D

Theophanes in Miscell. Zonar. in Anast. Cedren. Euagr. lib. 3. cap. 37. Procop. de bello Persar. lib. 1. Chron. Alex.

ANastasius Imperator fulmine percussus interijt, die nona Iulij, *feria secunda*. Alij diem vndecimum Aprilis, & feriam quintam maioris hebdomadæ notant. Triennio ante monitus est eiusdem familiaris Theodorus, à Sancto Callinico Martyre in somnis, vt Anastasium ad diuinum tribunal comparare se iuberet: Verùm hoc anno ipsi eidem Anastasio per visum species viri terribilis apparuit, codicemque manu tenens, & ob impietatem reliquos quatuordecim vitæ annos se delere significans, eos statim induxit. Alij tradunt, cùm ex oraculo didicisset fulmine sibi moriendum; quare Procli consilio, & arte tholorum ædificium, in quo degeret construxit, itemque Cisternam in palatio multis meatibus, singulis cadis contra vim fulminis appositis aperuit. Sed non potuit effugere manus Dei, qui toties monitus non resipuit. E

A

IESV CHRISTI ANNVS	HORMISDAE PAP. ANNVS	IVSTINI IMP. ANNVS
522.523.	9.10.	5.6.

TZatus, vel vt alij, Zatus Rex Lazorum (olim Colchorum) Sancti Danielis Stylitæ exemplo, de quo ex patre suo sene audiuerat, permotus, Constantinopolim ad Iustinum venit, & vt Christianis sacris initiaretur petijt. Eum Iustinus ingenti gaudio susceptum, & edoctum, filium appellauit, & præterea, quemadmodum is in voto habebat, Imperatorem Lazorum dictum Corona, & Chlamyde Imperatoria alba decorauit. Quod vbi Cabades Rex Persarum resciuit, tanquam in sui Iuris hominem munus exercuisset, grauiter cum Iustino expostulauit; nec excusanti factum æquum animum præbuit, sed offensus Ziligbin Hunnorum Regem contra eum concitauit.

Zonar. Annal. tom. 3. Cedr. in Comp. hist. Procop. de bello Persar. lib. 1. Et de Ædif. Iust. Imp. orat. 3.

B

Sed etiam Gurgenes Iberorum, qui Asiam prope Caspias portas incolunt, Rex, cùm à Cabade cogeretur ad Fidem Christi deferendam, ac inter alia mortuos more Persarum sepelire prohibitus, feris, & auibus relinquere iuberetur, ad Iustinum confugit, à quo benigne susceptus ad Hunnos circa Bosphorum habitantes missus est, vt eos ad auxilium Iberis ferendum induceret. *Anno* 522. *Indict.* 15.

C

Hormisda moritur, die sexta Augusti, *Dominica*. Præfuit annis nouem, diebus viginti. Succedit Ioannes Etruscus. *Anno* 523. *Indict.* 1.

D

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAP. ANNVS	IVSTINI IMP. ANNVS
526.	3.	9.

Indict. 4.

IOannes Papa, qui Theodorici Regis causa Constantinopolim profectus fuerat, hoc anno reuersus, & à Theodorico in vincula coniectus, Rauennæ obijt in carcere, die vigesimaseptima Maij, *feria quarta*. Corpus Romam translatum, & in Basilica Sancti Petri honorifice conditum. Præfuit annis duobus, mensibus nouem. Succedit Felix Quartus, Theodorico electionem vsurpante.

E

Idem Theodoricus Boëtium, & Symmachum eius socerum, viros Senatorios, apud se falso delatos capitali supplicio afficit: nec multis post diebus, cùm cœnanti caput piscis miræ magnitudinis appositum fuisset, visus est in eo sibi Symmachi caput intueri; eoque prodigio territus paulo post expirauit, anno ætatis septimo supra septuagesimum, Regni Italiæ trigesimoquarto. Eius animam à Ioanne Pontifice, & Symmacho in igneam Vulcani voraginem prope Lyparin insulam demergi vidit solitarius quidam magnæ virtutis, quem Calogerum Eremitam fuisse tradunt. Succedit Athalaricus Amalasunthæ filius, octo annos natus.

Procop. lib. 1. de bello Gothor. S. Gregor. lib. 4. Dial. cap. 30. Tabul. Messan. in offic. S. Calogeri.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS	FELICIS PAP. ANNVS	IVSTINIANI IMP. ANNVS
527.528.	2.3.	1.2.

Zonar. Tom. 3. Annal. Cassiod. lib. 8. ep. 12. Procop. de Ædif. Iust. lib. 4.

IVstinus ex vlcere pedis sagitta in prælio sauciati moritur die prima Augusti, *in Dominica*, relicto Iustiniano nepote Taurisia, apud Dardanos Europæ oriundo, Imperij herede; cui paulo ante quam ex viuis excessisset, Patriarcha Epiphanio, & primoribus aduocatis, suis manibus diadema B imposuit: à quo Athalaricus Amalasunthæ matris consilio, & directione per Legatos pacem petijt, & impetrauit, ita vt Iustinianus pueri Regis patrocinium libenter susceperit, nullo facto præiudicio Fidei orthodoxæ. *Anno 527. Indict. 5.*

Euagr. lib. 4. cap. 19. Niceph. lib. 17. cap. 13. Procop. de bello Persar. lib. 1. Miscell. lib. 16.

Gethes Erulorum Rex Constantinopolim venit, & vt ad Christiana sacra admitteretur à Iustiniano petijt. Quare magna omnium lætitia ipso Theophaniorum festo cum suis baptizatus est, lætusque in patriam reuersus, se suaque Imperatori obtulit; nec parum ei profuit, quando ex compressione ab eo in Persas facta, victoriam Romanis peperit. C

Cedr. in Comp.

Non multo post, & Boazer, seu Bareza vidua, Bolachi, seu Malachi Regis Hunnorum, qui Saberi, alias Isabeni dicuntur, quondam vxor, cum centum millibus Hunnorum ad Iustiniani partes accessit. Cuius exemplo & Gordas Rex Hunnorum ad Bosphorum, ad societatem pariter, & Religionem transijt; ac baptismo initiatus, cùm in patriam reuertisset, omnia primæ superstitionis idola confregit, & conflauit. Boazer porro præstans Regina, cùm duo alterius gentis Hunnorum Reges, à Cabade Persarum Rege contra Iustinianum exciti, per fines suos iter haberent, cum viginti millibus non modò eos oppressit, sed alterum Glonem nomine D in acie iugulauit; alterum Styracem vinctum Constantinopolim misit. *Anno 528. Indict. 6.*

Indict. 8.

IESV CHRISTI ANNVS	FELICIS PAP. ANNVS	IVSTINIANI IMP. ANNVS
530.	5.	4.

E

FElix Papa cùm præfuisset annos quatuor, menses paucis diebus supra duos, e vita migrat, duodecima Octobris, *in Sabbato*. Succedit Bonifacius, patria Romanus, sed genere Gothus patre Sigisbuldo.

Procop. de edif. Iust. orat. 3. & 6 & de bello Pers. lib. 1.

Tzani populi interioris Armeniæ à Romanis pugna victi, & certamini ampliùs non fidentes, non solùm se dedunt, sed etiam mutata Religione, omnes Christiani fiunt. Mox etiam Iustinianus, Gentes ad mare positas, Homeritas nempe, & Æthiopes, præterea Blemyos, & Nabathæos, multis beneficijs deuinctos, societate cum ijs inita non solum contra Persas concitauit, verùm etiam ex ijs Blemyos humanis hostijs Soli sacrificare solitos,

& Na-

A & Nabathæos, Christo conciliauit, misso ad eos Narsete Persamenio, qui non multo ante cum fratre suo Aratio, (aliàs Stratio) & matre à Persis ad Romanos transfuerant. Hic ille Narses, qui postea in Italia strenuam operam Iustiniano nauauit.

IESV CHRISTI	BONIFACII PAP.	IVSTINIANI IMP.
ANNVS	ANNVS	ANNVS
531.	2.	5.

Indict. 9.

B

Bonifacius Papa, postquam præfuisset, minus annis duobus, quos vltra viginti sex dies non nemo illi tribuit, vita excedit, die decimaseptima Octobris, *feria sexta*: cùm paulo ante pœnituisset eum Synodi collectæ, in qua Vigilium Diaconum, id procurantem, successorem sibi constituit; malo exemplo, quod postea Siluerij, & ceteri Pontifices Romani damnarunt; tametsi non mala intentione, qua præsumptam, & vi vsurpatam in eligendis Pontificibus licentiam, è Regum Gothorum manibus C extorqueret. Ceterùm retractato priori facto, Chirographum ante Confessionem Beati Petri Apostoli, vbi prius constituerat, coram Clero, & Senatu igni tradidit. Successit Ioannes cognomento Mercurius, natione Romanus, patre Proiecto de monte Cælio. *Anast. Biblioth. in Bonifac. Siluer. in epist. ad Vigilium.*

Sancti Antonij corpus in Eremo inuentum, Alexandriam transfertur, & magna religione in Basilica S. Ioannis Baptistæ reconditur. *Marian. Scot. Baron.*

IESV CHRISTI	IOANNIS PAP.	IVSTINIANI IMP.
ANNVS	ANNVS	ANNVS
533.	2.	7.

D *Indict. 11.*

Iustinianus anno superiore, in visu reprehensus, quòd consilium de liberanda Africa dimisisset; hoc anno excitatus classem ad debellandos Vvandalos mittit; quæ antequam è portu solueret, ab Epiphanio Episcopo benedicta est, nec nisi miles Christianus, singillatim nomen Christianum professus, exclusis etiam catechumenis, in eam admissus. Quinque E non ampliùs capitum millia numerata, quibus præfuit Belisarius: & cùm initio Veris Constantinopoli soluisset, decimaquinta Septembris, qua S. Cypriani Carthaginensis Episcopi anniuersariæ vigiliæ agebantur, contra Carthaginem appulit, felici omine; quando superiori anno Afris pene sub tyrannide Vvandalorum desperantibus, nocturna visione apparens Sanctus Cyprianus, eos consolatus est, liberationem breui futuram spondens; quam ipsi cùm resumptis animis expectarent, neque tamen vnde venturus esset Vindex, cogitare possent, repentinam haud procul obiecta classe, salutem adepti, singularem Dei prouidentiam admirati sunt. Plura futuræ victoriæ signa in ipso itinere visa narrat Procopius, qui Belisario Comes adfuit; *Procop. de bello Vvand. lib. 1. & De Ædif. lib. 6.*

fuit;

Vict. de persec. lib. 2. & 3. Procop. lib. 1. Greg. Tur. lib. 2. Hist. cap. 25.

postquam tenuisset Africæ Regnum annis septem. Successit Gundebaldus A Genzonis, seu Gentonis filius, propior genere Genserico; Victor Godagisum vocat. Moritur & in Gallijs pari pene interitu, Euaricus Rex alter Arianus, & Ecclesiæ persecutor crudelis, eidemque succedit filius Alaricus. *Anno* 484. *Indict.* 7.

IESV CHRISTI ANNVS	FELICIS PAP. ANNVS	ZENONIS IMP. ANNVS
487.488.490.	5.6.8.	15.16.18.

B

Marcel. in Chr.

THeodoricus Rex Gothorum, tot honoribus antea auctus à Zenone, neque tamen satiatus, cùm creditam sibi Daciæ Ripensis partem, Mœsiæque inferioris tenuisset, repente magna suorum manu, vsque ad Regiam Ciuitatem, & Melantiadem oppidum infestus accessit, plurimisque locis igne crematis in Mœsiam reuersus est.

Cassiod. in Chr. Eugip. in vita S. Seuer. cap. 45.

Odoacer Phæba, seu Pheletheo Rugorum Rege victo, captoque vnà cum vxore Gisa pessima femina, potitus est. Fridericus autem filius, qui per multa sacrilegia iram Dei concitauerat, ad Theodoricum in Mœsiam confugit. C Hanc victoriam quemadmodum aliquot annis ante S. Seuerinus Odoacri prædixerat, ita & Pheletheo Regni sui amissionem, si iram Dei non placasset. *Anno* 487. *Indict.* 10.

Marcel. in Chr. Eugip. cap. 45.

Theodoricus bona venia Zenonis magna suorum multitudine ad Italiam occupandam tendit. Fridericum Regis Rugorum filium bonis ab Odoacre captis restituit. Quod is intelligens, misso contra eum Arnulpho germano suo, iterum Fridericum depellit, quosque hic detinebat, vniuersos Romanos in Italiam migrare iubet. Quo tempore eademque occasione, corpus S. Seuerini, sexto post obitum anno, iuxta prædictionem eiusdem D transportatum est. *Anno* 488. *Indict.* 11.

Marcellin. Cassiod. Iordan. Procop. lib. 1. Goth.

Theodoricus Odoacrem cùm anno superiore primùm ad Isontium vicisset, deinde repetito conflictu in Campis Veronensibus maiore clade affecisset, hoc demum anno tertio congressu ad Dunam fluuium superauit. Qui Rauennâ confugiens triennium ibidem obsessus est. *Anno* 490. *Ind.* 13.

Indict. 14.

IESV CHRISTI ANNVS	FELICIS PAP. ANNVS	ANASTASII IMP. ANNVS
491.	9.	1.

E

Theophan. Euag. lib. 3. cap. 29. Cedr. in Comp. Zonar. tom. 3. Ann.

ZEno Augustus epilepsia correptus interijt, cùm identidem Pelagij nomen inclamaret. Viuum eum sepultum prodit Cedrenus, & cùm defossi vox lamentabilis exaudiretur, vetuisse tumulum aperiri Ariadnam Augustam, quæ eo adhuc viuente Anastasium adamauerat. Lamentanti, & eiulanti cùm responderent custodes, alium iam imperare: Nihil, inquit, curo; in monasterium me abducite. Zonaras tradit sæpe inebriari solitum, & pro-

A & prolapsum à mortuo non distitisse; idcirco coniugi etiam inuisum, cùm aliquando more solito bene potus fuisset, ab illa in monumentum Imperatorium coniectum, admoto ingenti lapide, ne emergere posset, cùm interea sobrius factus frustra inclamaret. Ita miserè perijt, qui dum viueret varius vixit, simulata ex libidine religione. Aliquanto post aperto monumento, inuentus est, & lacertos præ fame depastus, & caligas corrodisse. Successit Anastasius ex ordine Silentiariorum, hoc est eorum, qui in Palatio Imperatoris militantes, ea quæ sunt quietis curarent.

Ad hunc annum recenset Marianus Scotus obitum S. Patritij Hibernorum Apostoli, & S. Martini discipuli, imo vt supra diximus, ex eiusdem sorore nati. *Obijt*, inquit, *S. Patritius Hiberniæ Archiepiscopus, cùm esset annorum nonaginta duorum: Qui cùm esset annorum sexdecim, venditus est: sex annis vixit in seruitute in Romanis partibus: sexaginta annis in Hibernia prædicauit*. Verùm hi anni computati non nisi in duos supra octuaginta exeunt. Sigebertus obijsse tradit anno ætatis centesimo vigesimosecundo: Probus, qui eius vitam conscripsit, centum, & triginta duos vixisse ponit: Ad quam ætatem peruenerit oportet secundum Baronium, si vt ait Probus, triginta annos natus extitit discipulus S. Martini. Iocelinus, qui eiusdem historiam in centum nonaginta sex capita digessit, decessisse ponit, anno Incarnationis Dominicæ, quadringentesimo nonagesimo tertio, sub Felice Papa, & Anastasij Imperatoris Primo. At Dauid Rothus Ossoriensis Episcopus, in notis in eandem Iocelini Historiam, iuxta varias putationes, quæ ducuntur à mora Patritij cum S. Martino tracta, quæ etiam varia est, centum & quadraginta septem ætatis annos eidem tribuendos infert; quod tamen nec ipse, nec alij concedunt; omnino tamen ex veriori calculo totius vitæ periodum centum & viginti annis definit.

In Chron. — In Chron. — Tom 6. ad an. 491. — Elucid. 7. & 8.

D

IESV CHRISTI ANNVS	GELASII PAP. ANNVS	ANASTASII IMP. ANNVS
492. 493.	1. 2.	2. 3.

Felix Papa moritur die vigesimaquinta Februarij, *feria tertia*. Præfuit annis nouem, denis minus diebus. Successit Gelasius Afer. *Anno 492. Indict. 15.*

E Odoacer triennio Rauennæ obsessus à Theodorico, per Legatos cum eo componit, vt ambo pari iure in Italia rerum potirentur. Verum paulo post excitum ad conuiuium Odoacrem, Theodoricus ficta dolo causa occidit, solusque conciliatis Barbaris Regno potitur, & ab Imperatore pacem quærit. Ita regnauit Odoacer, annos septendecim; sed post tredecim à suscepto Imperio, res eius, sicut prædixerat S. Seuerinus, in peius delapsæ sunt.

Procop. de bello Goth. lib. 1. Eugip. in vita S. Seuer. cap. 31.

Hoc eodem anno contigit apparitio S. Michaelis Archangeli in Apulia in monte Gargano; ex qua Templum illic pro crypta extructum, euasit toti Orbi celeberrimum, vt vniuersa Occidentalis Ecclesia diem apparitionis dictæ anniuersarium solenniter repeteret, octauo die Maij, quo facta creditur

ditur *in Sabbato*. Eam ob causam Theodoricus Italia potitus, Sipontinis qui ad radices montis incolunt, tributa ad biennium relaxauit. Insignis olim fuit magnorum etiam Orbis Principum peregrinatione, quibus patrocinium Principis Archangelorum nunquam non commode accidit. *Anno* 493. *Indict.* 1. A

IESV CHRISTI ANNVS	GELASII PAP. ANNVS	ANASTASII IMP. ANNVS
495.496.	4.5.	5.6.

B

Gregor. Turon. lib. 2. cap. 31. Aimoin. lib. 1. cap. 19.

CLodoueus Francorum Rex à Chlotilde Regina frustra sæpe monitus ad Christi Fidem amplectendam, hoc tandem anno in prælio, quod in Tolbiaco in Vbijs aduersus Alemannos gessit, cùm eius acies periclitaretur, Christianum se fore spopondit, & vicit; & occurrente sibi Regina à S. Remigio baptizatus est, & tria circiter millia in exercitu cum eo conuersa. Baronius conuersionem Francorum, & Clodouei baptismum in annum quadringentesimum nonagesimum nonum conijcit. *Anno* 495. *Indict.* 3. C

Moritur Gelasius Papa, die vigesimasecunda Martij, *in Sabbato*. Præfuit annis quatuor, mensibus octo, diebus nouemdecim. Succedit Anastasius Romanus, Petro genitus, mense Nouembris.

Eugip. in vita S. Seuer. cap. 45. & cap. 47.

Adhuc tamen Gelasio viuente, sed incertum quo anno, eiusdem authoritate facta est secunda translatio ex monte Felete Neapolim nobilissimam Campaniæ Ciuitatem, venerandi corporis S. Seuerini Abbatis, quod quadriennio ante in Italiam ad dictum Castellum, ex Noricis, aut Pannonia Superiore, primò translatum fuerat. Id præsertim vrgente Illustri fæmina Barbaria, quæ Virum sanctum adhuc in viuis degentem religiose colebat; eademque in Castello Lucullano dignum sacris Reliquijs mausoleum condidit, in quo per manus S. Victoris Episcopi repositæ, multis deinceps miraculis illustratæ sunt. *Anno* 496. *Indict.* 4. D

IESV CHRISTI ANNVS	SYMMACHI PAP. ANNVS	ANASTASII IMP. ANNVS
498.499.	1.2.	8.9.

E

MOritur Anastasius Papa, decimasexta Nouembris, *feria tertia*, post annos Pontificatus duos, minus diebus septem. Succedit Symmachus natione Sardus, Patre Fortunato. *Anno* 498. *Indict.* 6.

Marcellin. Theophan. Miscell. lib. 15.

Hoc anno primùm Bulgari prodire cœperunt, Thraciam vastantes: contra quos Aristus Illyricianæ militiæ ductor, cum quindecim millibus armatorum, nec non quingentis viginti curribus progressus ad Zurtam flumen infeliciter confugit, cæsis supra quater mille Romanis, nec paucis Comitibus.

A tibus. Quorum casu perculsus Imperator, cùm ferro non posset, ingenti vi auri grassationem ad tempus redimit.

Theodorus primus inter Laureacenses Præsules, Pallium accipit à Symmacho Pontifice, Doctoris scilicet, nec non Pastoris, & Christiani Philosophi Insigne. Extat ea de re epistola Symmachi hoc anno data ad eundem Theodorum, vbi inter alia hæc habet: *Diebus vitæ tuæ, Pallij vsum, quem ad Sacerdotalis officij decorem, & ad ostendendam vnanimitatem, quam cum Beato Petro Apostolo, vniuersus grex Dominicarum ouium, quæ ei commissa sunt, habere non dubitatur, ab Apostolica Sede, sicuti decuit, poposcisti. Quod, vtpote ab eisdem* B *Apostolis fundata Ecclesia, Maiorum more libenter indulsimus, ad ostendendum te Magistrum, & Archiepiscopum, tuamque sanctam Laureacensem Ecclesiam, Prouinciæ Pannoniarum fore Metropolitanam.* Anno 499. Indict. 7. *Brusch. lib. 1. Patau. in Theodoro.*

IESV CHRISTI ANNVS	SYMMACHI PAP. ANNVS	ANASTASII IMP. ANNVS
502.504.	5.7.	12.14.

C

ANastasius anno superiori pace cum Arabibus, & Saracenis facta, hoc anno vexatur à Bulgaris, nullo prohibente rursum Thraciam vastantibus: sed non minus à Cabade Persarum Rege, qui Amidam validum in Mesopotamia Romanorum præsidium, post diuturnam obsidionem, Monachorum proditione capit, & proditorie obtruncat. Mox Iacobum Syrum sanctissimum Anachoretam, quem cùm sui iaculis, & sagittis petere tentassent, diuinitus obtorpuerunt, audito miraculo, adit, veneratur, & petenti, quæcunque vellet, data etiam syngrapha concedit. *Anno 502. Indict. 10.* *Theophan. Procop. de bello Pers. lib. 1.*

D Theodoricus victis Bulgaris Pannoniam Sirmiensem sibi subijcit; non multo antea de parte quoque Hunnorum triumphauerat. Datum hoc illi diuinitus creditur, quod licet Arianus esset, nihil iurium Ecclesiæ Romanæ, & Sedis Apostolicæ voluerit imminutum. Ita non multo post Noricos quoque, qui Blondo Austrini partim, partim Baioarij censentur, Regno suo adiungit, ijsdemque Prouincijs Colossæum Comitem, ciuem Romanum à Senatu Præsidem dari iubet. Quare Bulgari, qui post excessum Theodorici ex Thracia, relictis sedibus suis, quas ad Danubij ripas secundum Pannonias, & vt Blondo placet, Noricum habere consueuerant, Thraciam E incursabant, nunc demum subacti, quieuerunt. Sunt, qui hæc ad tempora Zenonis Imperatoris referant, quibus maximo vastata incendio Constantinopolis, Bulgaris occasionem noua tentandi obtulit. Vereor tamen ne qui Noricum sedem Bulgarorum fuisse velit, late nimis horum ditionem definiat, Auares potiùs dicturus. *Anno 504. Indict. 12.* *Cassiodor. var. lib. 3. epist. 23. Blond. lib. 3. Dec. 1.*

A

Indict. 15.

IESV CHRISTI ANNVS	SYMMACHI PAP. ANNVS	ANASTASII IMP. ANNVS
507.	10.	17.

Gregor. Turon. lib. 2. hist. c. 37. Cassiod. variar. lib. 3. epist. 1. & 4. 34.

ALaricus Rex Gothorum, in Gallia Aquitania diu, licet Arianus, feliciter regnans, quòd orthodoxi Antistites assidue preces funderent, à Clodoueo Francorum Rege hôc anno victus occiditur, postquam scilicet sanctos Antistites persequi cœpit, Cæsarium Arelatensem, & Quintianum Rutenorum Episcopum proscribens. B Laudatur disciplina militaris Clodouei, quam seuere seruatam cupiebat, ne quid Ecclesijs, aut Clericis damni milites inferrent. Maxima tamen religio eius enituit erga Beatum Martinum Turonensem, per cuius Territorum quia manus hostium transiuerat, edicto cauit, ne quis suorum in tota Turonum ditione, aliud quicquam præter herbam, & aquam tolleret. Id non nemo militum licentiose interpretatus, fœnum pauperi cuidam vi extorsit; quo reclamante, Nonne Rex herbam tantum sumi præcepit? Et fœnum, reddit ille, herba est. Quod cùm Rex intellexisset, hominem dicto citius capite plecti iussit, addens: C *Et vbi erit spes victoriæ, si Beatus Martinus offenditur?* Mox vero nuncijs ad eius Basilicam directis: *Ite*, inquit, *& forsitam aliquod auspicium ab æde sancta suscipietis*; datisque muneribus, quæ loco sancto exhiberent, in hæc verba animum effudit: *Si tu Domine adiutor mihi es, & gentem hanc incredulam, semperque æmulam tibi, meis manibus tradere decreuisti, in ingressu Basilicæ Sancti Martini, dignare propitius reuelare, vt cognoscam quia propitius dignaberis esse famulo tuo.* Illi mandata propere exequentes, in ipso Basilicæ ingressu, audiunt fortuito à Primicerio illud Psalmi voce contenta decantari:

Psal. 17.

Præcinxisti me Domine virtute ad bellum, supplantasti insurgentes in me subtus D *me: Et inimicos meos dedisti mihi dorsum, & odientes me disperdisti.* Quo captato omine, votisque Beato nuncupatis, læti ad Regem reuersi sunt. Mox ducto ad flumen Vigennæ exercitu, cùm tumescentes à crebris imbribus vndæ transitum negarent, Clodoueus ad orationem conuersus, summo mane, ductu Ceruæ eximiæ magnitudinis vadum inuenit; non dissimili fortuna, ac quondam Hungaro-Hunni, tum Scythæ, Mœotidas paludes emensi Europam.

E

IESV CHRISTI ANNVS	SYMMACHI PAP. ANNVS	ANASTASII IMP. ANNVS
508. 509.	11. 12.	18. 19.

Gregor. Histor. Franc. lib. 2. cap. 38. Cassiodor. var. lib. 6. epist. 1.

ANastasius Imperator Clodouei successu lætus, vt eum aduersus Theodoricum Italiæ Regem excitet, & legationem, & codicillos Consulatus mittit. Offenderat Theodoricus Anastasium, quòd vt supra dictum, Pannoniam Sirmiensem sibi vendicarat, quam ad Orientale Imperium

specta-

A ſpectare Anaſtaſius affirmabat. Verùm Clodoueus dedignatus eſt oblatum ab Hæretico Imperatore munus; interim in Baſilica Beati Martini tunica blatea indutus, & chlamyde, impoſitum vertici diadema tulit, & aſcenſo equo aurum, argentumque ſparſit, ab eaque die tanquam Auguſtus vocari cœpit. Anaſtaſius verò pro Clodoueo Celerem Magiſtrum officiorum, bello contra Perſas geſto clarum, Conſulem ſibi ſubrogauit. *Anno* 508. *Indict.* 1.

Clodoueus Rex Turonum pertranſiens, equum ſuum Sancto Martino miſit, quem centum ſolidis redemptum cùm abducere non potuiſſet, miſ- *Sigebert. in Chr. Gottif. part. 16. paulo poſt init.*
B ſis alijs centum, recepit, affirmans ſecurum eſſe auxilij, qui tam carus foret negotiator. Hoc alij, rectiùs ad annum quingenteſimum ſeptimum conijciunt, quo Clodoueus prælium aduerſus Alaricum initurus, ſeu voti, ſeu religioſi pignoris cauſa, equum Beato Martino dederat: poſt victoriam reuerſus, ad cuſtodem Eccleſiæ centum ſolidos, quò equum redimeret, miſit; ceterum equo nullatenus ſe mouente, Rex precium infra dignitatem ratus, centum alios addidit, quibus numeratis, equus continuo ſecutus eſt. Tum Clodoueus. Sanctus Martinus bonus auxiliator eſt, ſed carus negotiator. *Anno* 509. *Indict.* 2.

C

IESV CHRISTI ANNVS	SYMMACHI PAP. ANNVS	ANASTASII IMP. ANNVS
513.	16.	23.

Indict. 6.

A Lamundarus Saracenorum Philarchus ad Chriſti Fidem conuertitur. Ad hunc Seuerus Epiſcopus Hæreticus duos mittit perfidiæ ſuæ ſecta- *Theodor. lect. collect. lib. 2. Anaſtaſ. in Chr. & alii.*
D tores. Quos ipſe egregie confuſos dimiſit, quòd literas ſe accepiſſe ſimularet de Michaelis Archangeli morte nunciantes. Id enim illis fieri non poſſe conteſtantibus; Quomodo, inquit, ſi Angelus mori non poteſt, vos Chriſtum in vna tantum diuina natura ſubſiſtentem mortuum eſſe affirmatis, adeoque Deum ſolum paſſum in Cruce fateri cogimini?

Cabades Rex Perſarum, cùm in quodam Caſtro inter Indos, & Perſas vocabulo Thundadeero, accepiſſet, ingentem vim auri, & lapidum pretioſorum aſſeruari, ſed à dæmonibus cuſtodiri, ad eos pellendos Magorum ſuorum, mox & Iudæorum opera vſus diu fruſtratus eſt. Itaque ad Chriſtia- *Niceph. lib. 16. cap. 36.*
E nos confugit: Quorum Epiſcopus, peracta Synaxi, & diuinis myſterijs in Chriſtianos, qui aderant diſpenſatis, ſigno Crucis dæmones profligauit, & Caſtrum Cabadi, ſine moleſtia tradidit. Ea re ſtupefactus Epiſcopum illum primæ Sedis prærogatiua, deiectis inde Iudæis, & Manichæis, cohoneſtauit, & cunctis Chriſti Fidem amplecti volentibus poteſtatem fecit; & deinceps perſecutio in Chriſtianos excitata quieuit.

Indict. 7.	IESV CHRISTI ANNVS 514.	HORMISDAE PAP. ANNVS 1.	ANASTASII IMP. ANNVS 24.

SYmmachus Papa postquam præfuisset annos quindecim, menses octo circiter, moritur, decimonono Iulij, *in Sabbato*. Succedit Hormisda Campanus; Cui non multo post Clodoueus Rex, vel vt loquitur Hincmarus, Beato Petro, Coronam auream gemmis ornatam misit, ita suggerente B Sancto Remigio Rhemensi Episcopo. Eam Coronam Regnum appellari solere notat Baronius, & iam ab ipsis Apostolorum temporibus præclarum fuisse capitis Pontificis ornamentum, idque magni pretij, auro nimirum, & gemmis distinctum affirmat. Ceterùm, quod spectat ad Mitram, qualis fuerit, ex ea quam Sanctus Syluester gestauit, licet conijcere. Ea nuper vnà cum stola similis operis inuenta, visitur hodie Romæ in Sacrario Sancti Martini, vulgo de Montibus, sub Patrum Carmelitarum cura, ad antiquum splendorem assurgentis, diligentia præsertim Ioannis Antonij Philippini loci Prioris, qui subterraneam quoque Ædem ruderibus obstructam, & pe- C ne obliuioni traditam, non repurgauit modò, sed reuocata memoria primi eo loco, sub Syluestro Concilij Romani celebrati, pristinæ Religioni restituit.

Indict. 11.	IESV CHRISTI ANNVS 518.	HORMISDAE PAP. ANNVS 5.	IVSTINI IMP. ANNVS 1.

D

Theophanes in Miscell. Zonar. in Anast. Cedren. Euagr. lib. 3. cap. 37. Procop. de bello Persar. lib. 1. Chron. Alex.

ANastasius Imperator fulmine percussus interijt, die nona Iulij, *feria secunda*. Alij diem vndecimum Aprilis, & feriam quintam maioris hebdomadæ notant. Triennio ante monitus est eiusdem familiaris Theodorus, à Sancto Callinico Martyre in somnis, vt Anastasium ad diuinum tribunal comparare se iuberet: Verùm hoc anno ipsi eidem Anastasio per visum species viri terribilis apparuit, codicemque manu tenens, & ob impietatem reliquos quatuordecim vitæ annos se delere significans, eos statim induxit. Alij tradunt, cùm ex oraculo didicisset fulmine sibi moriendum; quare Procli consilio, & arte tholotum ædificium, in quo degeret constru- E xit, itemque Cisternam in palatio multis meatibus, singulis cadis contra vim fulminis appositis aperuit. Sed non potuit effugere manus Dei, qui toties monitus non resipuit.

A

IESV CHRISTI	HORMISDAE PAP.	IVSTINI IMP.
ANNVS	ANNVS	ANNVS
522.523.	9.10.	5.6.

TZatus, vel vt alij, Zatus Rex Lazorum (olim Colchorum) Sancti Danielis Stylitæ exemplo, de quo ex patre suo sene audiuerat, permotus, Constantinopolim ad Iustinum venit, & vt Christianis sacris initiaretur petijt. Eum Iustinus ingenti gaudio susceptum, & edoctum, filium appellauit, & præterea, quemadmodum is in voto habebat, Imperatorem Lazorum dictum Corona, & Chlamyde Imperatoria alba decorauit. Quod vbi Cabades Rex Persarum resciuit, tanquam in sui Iuris hominem munus exercuisset, grauiter cum Iustino expostulauit; nec excusanti factum æquum animum præbuit, sed offensus Ziligbin Hunnorum Regem contra eum concitauit.

Zonar. Annal. tom. 3. Cedr. in Comp. hist. Procop. de bello Persar. lib. 1. Et de Ædif. Iust. Imp. orat. 3.

B

Sed etiam Gurgenes Iberorum, qui Asiam prope Caspias portas incolunt, Rex, cùm à Cabade cogeretur ad Fidem Christi deserendam, ac inter alia mortuos more Persarum sepelire prohibitus, feris, & auibus relinquere iuberetur, ad Iustinum confugit, à quo benigne susceptus ad Hunnos circa Bosphorum habitantes missus est, vt eos ad auxilium Iberis ferendum induceret. *Anno* 522. *Indict.* 15.

C

Hormisda moritur, die sexta Augusti, *Dominica*. Præfuit annis nouem, diebus viginti. Succedit Ioannes Etruscus. *Anno* 523. *Indict.* 1.

D

IESV CHRISTI	IOANNIS PAP.	IVSTINI IMP.
ANNVS	ANNVS	ANNVS
526.	3.	9.

Indict. 4.

IOannes Papa, qui Theodorici Regis causa Constantinopolim profectus fuerat, hoc anno reuersus, & à Theodorico in vincula coniectus, Rauennæ obijt in carcere, die vigesimaseptima Maij, *feria quarta*. Corpus Romam translatum, & in Basilica Sancti Petri honorifice conditum. Præfuit annis duobus, mensibus nouem. Succedit Felix Quartus, Theodorico electionem vsurpante.

E

Idem Theodoricus Boëtium, & Symmachum eius socerum, viros Senatorios, apud se falso delatos capitali supplicio afficit: nec multis post diebus, cùm cœnanti caput piscis miræ magnitudinis appositum fuisset, visus est in eo sibi Symmachi caput intueri; eoque prodigio territus paulo post expirauit, anno ætatis septimo supra septuagesimum, Regni Italiæ trigesimoquarto. Eius animam à Ioanne Pontifice, & Symmacho in igneam Vulcani voraginem prope Lyparin insulam demergi vidit solitarius quidam magnæ virtutis, quem Calogerum Eremitam fuisse tradunt. Succedit Athalaricus Amalasunthæ filius, octo annos natus.

Procop. lib. 1. de bello Gothor. S. Gregor. lib. 4. Dial. cap. 30.

Tabul. Messan. in offic. S. Calogeri.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS	FELICIS PAP. ANNVS	IVSTINIANI IMP. ANNVS
527.528.	2.3.	1.2.

Zonar. Tom. 3. Annal. Cassiod. lib. 8. ep. 12. Procop. de Ædif. Iust. lib. 4.

IVstinus ex vlcere pedis sagitta in prælio sauciati moritur die prima Augusti, *in Dominica*, relicto Iustiniano nepote Taurisia, apud Dardanos Europæ oriundo, Imperij herede; cui paulo ante quam ex viuis excessisset, Patriarcha Epiphanio, & primoribus aduocatis, suis manibus diadema B imposuit: à quo Athalaricus Amalasunthæ matris consilio, & directione per Legatos pacem petijt, & impetrauit, ita vt Iustinianus pueri Regis patrocinium libenter susceperit, nullo facto præiudicio Fidei orthodoxæ. *Anno 527. Indict. 5.*

Euagr. lib. 4. cap. 19. Niceph. lib. 17. cap. 13. Procop. de bello Persar. lib. 1. Miscell. lib. 16.

Gethes Erulorum Rex Constantinopolim venit, & vt ad Christiana sacra admitteretur à Iustiniano petijt. Quare magna omnium lætitia ipso Theophaniorum festo cum suis baptizatus est, lætusque in patriam reuersus, se suaque Imperatori obtulit; nec parum ei profuit, quando ex compressione ab eo in Persas facta, victoriam Romanis peperit. C

Cedr. in Comp.

Non multo post, & Boazer, seu Bareza vidua, Bolachi, seu Malachi Regis Hunnorum, qui Saberi, alias Isabeni dicuntur, quondam vxor, cum centum millibus Hunnorum ad Iustiniani partes accessit. Cuius exemplo & Gordas Rex Hunnorum ad Bosphorum, ad societatem pariter, & Religionem transijt; ac baptismo initiatus, cùm in patriam reuertisset, omnia primæ superstitionis idola confregit, & conflauit. Boazer porro præstans Regina, cùm duo alterius gentis Hunnorum Reges, à Cabade Persarum Rege contra Iustinianum exciti, per fines suos iter haberent, cum viginti millibus non modò eos oppressit, sed alterum Glonem nomine D in acie iugulauit; alterum Styracem vinctum Constantinopolim misit. *Anno 528. indict. 6.*

Indict. 8.

IESV CHRISTI ANNVS	FELICIS PAP. ANNVS	IVSTINIANI IMP. ANNVS
530.	5.	4.

E

FElix Papa cùm præfuisset annos quatuor, menses paucis diebus supra duos, e vita migrat, duodecima Octobris, *in Sabbato*. Succedit Bonifacius, patria Romanus, sed genere Gothus patre Sigisbuldo.

Procop. de ædif. Iust. orat. 3. & 6 & de bello Pers. lib. 1.

Tzani populi interioris Armeniæ à Romanis pugna victi, & certamini amplius non fidentes, non solùm se dedunt, sed etiam mutata Religione omnes Christiani fiunt. Mox etiam Iustinianus, Gentes ad mare positas, Homeritas nempe, & Æthiopes, præterea Blemyos, & Nabathæos, multis beneficijs deuinctos, societate cum ijs inita non solum contra Persas concitauit, verùm etiam ex ijs Blemyos humanis hostijs Soli sacrificare solitos, & Na-

A & Nabathæos, Christo conciliauit, misso ad eos Narsete Persamenio, qui non multo ante cum fratre suo Aratio, (aliàs Stratio) & matre à Persis ad Romanos transfiuerant. Hic ille Narses, qui postea in Italia strenuam operam Iustiniano nauauit.

IESV CHRISTI ANNVS	BONIFACII PAP. ANNVS	IVSTINIANI IMP. ANNVS	
531.	2.	5.	*Indict. 9.*

B

Bonifacius Papa, postquam præfuisset, minus annis duobus, quos vltra viginti sex dies non nemo illi tribuit, vita excedit, die decimaseptima Octobris, *feria sexta*: cùm paulo ante pœnituisset eum Synodi collectæ, in qua Vigilium Diaconum, id procurantem, successorem sibi constituit; malo exemplo, quod postea Siluerij, & ceteri Pontifices Romani damnarunt; tametsi non mala intentione, qua præsumptam, & vi vsurpatam in eligendis Pontificibus licentiam, è Regum Gothorum manibus C extorqueret. Ceterùm retractato priori facto, Chirographum ante Confessionem Beati Petri Apostoli, vbi prius constituerat, coram Clero, & Senatu igni tradidit. Successit Ioannes cognomento Mercurius, natione Romanus, patre Proiecto de monte Cælio. *Anast. Biblioth. in Bonifac. Siluer. in epist. ad Vigilium.*

Sancti Antonij corpus in Eremo inuentum, Alexandriam transfertur, & magna religione in Basilica S. Ioannis Baptistæ reconditur. *Marian. Scot. Baron.*

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAP. ANNVS	IVSTINIANI IMP. ANNVS	
D 533.	2.	7.	*Indict. 11.*

Ivstinianus anno superiore, in visu reprehensus, quòd consilium de liberanda Africa dimisisset; hoc anno excitatus classem ad debellandos Vvandalos mittit; quæ antequam è portu solueret, ab Epiphanio Episcopo benedicta est, nec nisi miles Christianus, singillatim nomen Christianum professus, exclusis etiam catechumenis, in eam admissus. Quinque E non ampliùs capitum millia numerata, quibus præfuit Belisarius: & cùm initio Veris Constantinopoli soluisset, decimaquinta Septembris, qua S. Cypriani Carthaginensis Episcopi anniuersariæ vigiliæ agebantur, contra Carthaginem appulit, felici omine; quando superiori anno Afris pene sub tyrannide Vvandalorum desperantibus, nocturna visione apparens Sanctus Cyprianus, eos consolatus est, liberationem breui futuram spondens; quam ipsi cùm resumptis animis expectarent, neque tamen, vnde venturus esset Vindex, cogitare possent, repentinam haud procul obiecta classe, salutem adepti, singularem Dei prouidentiam admirati sunt. Plura futuræ victoriæ signa in ipso itinere visa narrat Procopius, qui Belisario Comes adfuit; *Procop. de bello Vvand. lib. 2. & De Ædif. orat. 6.*

fuit; nec dici poteſt, quàm facile Africa tota liberata in manus Iuſtiniani conceſſerit, ita promouente Deo conatus Imperatoris, qui hactenus pro Fide Catholica aduerſus hæreſes, & Eccleſiæ Romanæ hoſtes ſtrenue rem geſſit. Itaque Gilimer, qui Hilderici Regnum inuaſerat, captiuus ductus eſt; frater eius Zanzon in conflictu cum Beliſario cæſus; exercitus Vvandalorum deletus, caſtra expugnata; breui, tota Africa recuperata eſt, à decimoquinto nempe Septembris, vſque ad dimidium Decembris, extracta continua victoria. A

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAP. AGAPETI PAP.	IVSTINIANI IMP. ANNVS
534.535.536.	3. 1.2.	8.9.10.

B

Procop. de Ædif. orat. 3.

MAuri in Africa Romanis ſubiecti; ſuaſu Iuſtiniani ſpontanee redduntur Chriſtiani, dicti *Pacati*, à pace, & quòd Romanis ſemper confœderati eſſent.

Procop. de bello Goth. lib. 3.

Athalaricus Rex Gothorum, adoleſcens corruptis moribus, vbi annos octo in Regno abſoluiſſet, moritur. Succedit Theodatus ex ſorore Theodorici Amalafreda natus. C

Ioannes Papa è vita migrat, die Iunij vigeſimaſexta, *feria tertia*. Anno 534. Indict. 12.

Succedit Agapetus, patria Romanus, Gordiani filius. *Anno* 535. *Indict.* 13.

Liberat. Diac. in Breuiar. cap. 21.

Agapetus non multis diebus annum ſuperans, ſanctiſſime excedit Conſtantinopoli: nec vllus inuenitur Pontificum, qui tam breui tempore tam ardua tamque multa fortiter, & ſuauiter egiſſet pro Catholica Eccleſia, toti non immerito Orbi admirandus. Succedit Syluerius Campanus, patre Hormiſda. *Anno* 536. *Indict.* 14. D

Indict. 2.

IESV CHRISTI ANNVS	SYLVERII PAP. ANNVS	IVSTINIANI IMP. ANNVS
539.	3.	13.

E

Procop. lib. 2. de bello Perſ.

INgentes Hunnorum exercitus Iſtrum tranſmittentes in omnem Europam graſſantur. A ſinu Ionico omnia vſque ad Conſtantinopoleos ſuburbana populantur; arces munitiſſimas in Illyrico, ciuitatemque Caſſandream euertunt, multaque gaza vnà cum centum, & viginti millibus captiuorum, domum reuertunt; nemine penitus eis reſiſtente. Plerique hæc paſſum Iuſtinianum exiſtimant, ob multa in Syluerium Papam commiſſa.

Procop. lib. 2. de bello Goth. Miſcellan. Gregor. lib. 3. Dial. cap. 31.

Tanta præterea hoc anno poſt peſtem fames vexauit Italiam, vt alterni ſe eſitarent, pleræque matres infelicium natorum corpora abſumerent. Inuentæ inter alias duæ feminæ, quæ viros ſeptemdecim interfectos comederint.

A derint. Non defuit tamen Dei seruis miraculosè annona; vt de Sancto Benedicto narrat Gregorius. Præcesserat hæc mala biennio ante à Belisario capta Neapolis; ob quam causam Gothi Theodatum tanquam ignauum Principem interimentes, Vitigem elegerunt.

IESV CHRISTI ANNVS	VIGILII PAP. ANNVS	IVSTINIANI IMP. ANNVS
540. 541.	1. 2.	14. 15.

B

SYluerius Papa in Insula Palmaria, (rectiùs quam vt alij, Pontia) ærumnis inediaque confectus diem clausit extremum, die vigesima Iunij, *feria quarta*. *Liberatus Diac. Anastas. Bib.*

Hunni reuersi Chersonesum expugnant; Angustias maris inter Abidum, & Sextum transeuntes in Asiam excurrunt, & ingenti præda capta redeunt. Alia item eruptione Illyricum repetentes Thermopolim expugnant; omnemque Græciam præter Peloponnesum infestantes, Imperatorem ad tributum pendendum adigunt; qui haud ita pridem, cùm Dei amicus esset, *Procopius lib. 2. de bello Pers. Maur. Abb. lib. de Reg. Slau. in Bulgari.*
C Vvandalos, Gothosque inuictos superauit. Cum Hunnis Bulgaros, Pannonios fuisse quidam scribunt, imo Bulgaris pensum tributum; seriùs tamen Bulgari videntur incoluisse Pannoniam.

Chosroes filius Cabadis ante octennium defuncti, Rex Persarum, rupto fœdere in Romanum Imperium mouens, nemine resistente ingentia damna intulit, quamplurimas Ciuitates deletis populis excidit. Magna demum ignominia cum eo transactum est, persolutis quinquaginta millibus aureorum, totidemque in singulos annis pactis, & obsidibus à Iustiniano datis. Ita quo nemo felicior ante in prælijs fuit, nihil deinde, ob causam supra *Procopius lib. 1. de bello Persico.*
D dictam miserius visum est. Hoc tempore etiam inuoluta clade Antiochia, creditur corpus S. Ignatij martyris eiusdem Vrbis Episcopi, Romam esse translatum. *Anno 540. Indict. 3.*

Adadus Rex Auximitarum, bellum illaturus Damiano Duci Hebræorum, quod negotiatores Christianos interfecisset, Christianam Fidem vouet, si Homeritas, quibus ille imperabat, vicisset. Commisso prælio vicit, & Damiano, subacto Regno, & Regia potitus est. Itaque Deo gratias agens, ad Iustinianum Clericos, & Episcopos petitum misit. Ita cum toto suo Regno Christum amplexus, baptismo expiatus est. Aliqui id in sequen- *Miscellaneus. Cedrenus.*
E tem annum conijciunt. *Anno 541. Indict. 4.*

IESV CHRISTI ANNVS	VIGILII PAP. ANNVS	IVSTINIANI IMP. ANNVS
544.	5.	18.

Indict. 7.

HOc anno martyrium obijt Sanctus Laurianus Hispalensis Episcopus, natione Pannonius, siue, vt ferè omnes Hispanorum Scriptores loquun- *Martyrol. Rom. ad 4. Iulii.*

Breuiar. Hispal. Beda ad 4. Iulij. Ambros. Moral. lib. 11. cap. 54. Luc. Marin. l. 5. Ioan. Mariana lib. 5. cap. 8. Franc. Padilla tom. 2. Histor. Eccles. Hisp.

quuntur, Hungarus; etsi loci, qui ei ortum dedit, non meminerint; cuius A quia vix aliqua in Pannonijs est notitia, licet hic breuibus, eius res gestas describere. Adolescens Mediolanum venit, vbi literis, & bonis moribus educatus, Clero se addixit: cùmque excellentis ingenij dote plurimum in sacris literis profecisset, annos natus triginta quinque, Diaconus initiatus est; nec multo post in Hispaniam Hispalim concessit, Totilæ Regis insidias declinans, apud quem ob exagitatos eruditione sua, & debilitatos Arianos grauiter offenderat. Præuenerat iam pridem eius doctrinæ, & sanctitatis fama Hispalim; quo factum, vt non multo post defuncto Maximo Episcopo, vnanimi omnium consensu subrogatus sit. Id vbi accepit Totilas, cum B Theude Rege Gothorum in Hispania affine suo clam egit, vt virum Dei è medio tolleret. Verùm Laurianus in somnis Angeli monitu ductus cauit, vnaque intellexit, Hispalim diuina vltione, quamprimum peste, & fame affligendam; proinde maturaret exitum, quando alio in loco parata Martyrij corona eum maneret.

Experrectus, primo mane, concione facta, quid sibi diuinitus reuelatum fuisset, exponit, omnesque ad salutarem pœnitentiam serio agendam adhortatur; inde naui conscensa, Marsiliam Galliarum Ciuitatem, & hinc Romam petit, passim in itinere multis miraculis editis insignia sanctitatis ve- C stigia relinquens; inter quæ Marsiliæ præpotentis Ciuis filius ex mortuis ad vitam reuocatus famam extulit. Romæ cum Vigilio summo Pontifice caussam aduentus sui, & miserandum Ecclesiæ suæ statum exponens, iussus est coram in die Cathedræ Principis Apostolorum solenni Sacris operari: inter quæ astante vniuerso populo, paralyticum ab infantia ad multam vsque ætatem omni membrorum vsu priuatum, stupentibus cunctis integræ sanitati restituit.

Ab Vrbe, bona cum Pontificis venia recedens, Turonem ad visitandas S. Martini gentilis sui sacras Reliquias pergit: quam dum religiose venera- D tur, diuina reuelatione intelligit aduentare, qui Totilæ Regis iussu vitam ei erepturi sint. Quamprimum igitur ab oratione surgens, aduersum procedit; & conspectis in planitie campi, cùm & ipsi vicissim hominem agnouissent, ceruicem intrepide, & constanter offert; vt iussa exequantur monet, nihil sibi gratius accidere præferens, quàm vt pro Fide orthodoxa, Regis impij ferro animam ponat. Itaque caput ei amputatum: sed sceleris ministri illico terrore ingenti correpti, quò se verterent fuga præcipites ignorabant. Quos sacrum caput iam à trunco resectum, voce iterato reddita, reuocat: Tollite, inquiens, hoc caput, quod ad se deferri Totilas iussit. Tum E illi ad se, & ad sacrum pignus reuersi, eo sublato, ad Totilam redierunt. Qui voti compos, vt sacrum caput aspexit, nescio quo impulsu, an vt mortuum quoque formidatum, longe haberet, Hispalim deferri mandauit. Gratissime id accidit Hispalensibus. Vix enim illatis in Vrbem, & mox in Ecclesiam sacris Reliquijs, pestilentia, & fames, quæ hactenus tantum non totam confecerant, velut manu fugata est. Reliquum eius corpus Eusebius Arelatensis Episcopus, statim à martyrio collegit, & in vico Vistano agri Bituricensis honorificè condidit, vbi magnis coruscauit diuinæ virtutis prodigijs. Hæc de Lauriano Pannonio, siue Hungaro: vt iam non minus Galliæ,

quàm

A quàm Hispaniæ Pannonijs debeant, e quorum sinu tam pretiosa pignora fusa ipsæ susceperint. Baronius martyrium Lauriani, ad annum huius seculi octauum supra quadragesimum refert. Nos Breuiarium Hispalense, & Hispanorum Scriptores sequimur. Meminit & recens Martyrologium Gallicanum Andreæ Saursaij, nonnullo discrimine: Ait enim, Caput eius glo- *In supplem.* riosum ab ipso post feralem ictum triumphaliter ad locum vsque sepulturæ euectum, ab ijsdem emissarijs tantum portentum admirantibus, & de perpetrato scelere dolentibus, Hispalim honorificè deportatum fuisse, vbi etiamnum seruatur, & colitur, cum toto Corpore; quod subinde ad Sedem ipsam
B tandem reuectum, perpetua populi deuotione frequentatur.

IESV CHRISTI ANNVS	VIGILII PAP. ANNVS	IVSTINIANI IMP. ANNVS
549.	10.	23.

Indict. 12.

C LOngobardi à proprijs sedibus super Istrum positis, & Gipedum regioni *Procopius lib. 3. de bello Goth.* finitimis exciti, exemplo Slauinorum, qui superiori anno eodem flumine transmisso Illyricum occuparant, Pannoniam, & finitimas regiones populantur, grassatique in Dalmatiam, Illyricum Epidamnum vsque cuncta deuastanr. Sed & Gothi Galliarum partem, quàm in principio belli suæ ditionis fecerant, Germanis, nempe Francis, tradunt, prudenter existimantes minus se posse Germanis simul, & Romanis resistere. Ita totius Occidentis Imperium collapsum Et Belisarius quoque ex Italia longe di- *Baron. ad hunc annum.* uersus à primo aduentu, inglorius redit Constantinopolim, iusto Dei iudicio, ex quo semel manus in S. Siluerium Pontificem iniecit.
D

IESV CHRISTI ANNVS	VIGILII PAP. ANNVS	IVSTINIANI IMP. ANNVS
550.551.553.	11.12.14.	24.25.27.

VRbs Roma ante triennium à Gothis capta, nunc iterum capta est pro- *Ann. 547. Vigil Papa in lit. ad Aurel.* ditione Isaurorum, multis Romanis cæsis. Slauini iterum Istro trans- *Procopius lib. 3. de bello Goth.* misso, Illyricum, & Thraciam vastant, magnaque sæuitia sanguinem hu-
E manum haurientes, præda spolijsque onusti ad propria remeant. *Anno 550. Indict. 13.*

Mox tertiò egressi apud Hadrianopolim Romanum exercitum profligant, victoresque progressi vsque ad Murum longum, haud longe Constantinopoli ægre submouentur. *Anno 551. indict. 14.*

Totilas in Tuscia ingenti exercitu Narseti, qui Belisario successerat, occurrens ab eo vincitur, & occiditur, postquam d cem annis Italiæ præfuisset. Succedit Theias, qui dum res Gothorum reparare studet, & compressionem Romanorum militum aliquandiu sustinet, tandem & ipse cadit. *Anno 553. Indict. 1.*

A

IESV CHRISTI ANNVS	VIGILII PAP. 16. PELAGII PAP.	IVSTINIANI IMP. ANNVS
555. 558.	4.	29. 32.

Anastasius. VIgilius Papa venturus in Italiam, in Sicilia Syracusis calculi dolore afflictus obijt, quo mense aut die incertum. Præfuit annos sexdecim, aliqui septemdecim numerant, additis mensibus senis, & diebus viginti sex, sed falso. Corpus Romam delatum sepultum est ad S. Marcellum via Salaria. Succedit Pelagius Archidiaconus. *Anno 555. Indict. 3.* B

Agath. lib. 5. Zaberga Cotrigurorum Hunnorum Præfectus, per Istrum glacie concretum, ingentes copias ducit; Mæsiam Scythiamque trãsgressus in Thraciam percurrit, & partem exercitus in Græciam, partem in Chersonesum Thraciæ dimittit; ipse cum septem millibus equitum Constantinopolim pergit, & vbique miserandam stragem edit. Postea tamen, penso annuoque tributo promisso, vt ad propria redirent persuasi Belisarij opera, concitatis aduersum alijs Hunnis, quibus iam antea Imperator tributum pendebat. *Anno 558. Indict. 6.* C

IESV CHRISTI ANNVS	PELAGII PAP. ANNVS	IVSTIN. IMP. ANNVS
559.	5.	33.

Indict. 7.

Anastasius. PElagius Papa moritur die secunda Martij, *Dominica.* Præfuit annos quatuor, mensem decem, dies octodecim. Succedit Ioannes Catellinus, patre Anastasio viro illustri. D

Greg. Turon. de mirac. S. Martini lib. 1. c. 23. SanctusMartinus mirandis virtutibus erga Chramnum filium Clotarij Regis Francorum claret. Hic ob rebellionem, patris indignationi obnoxius, ad Basilicam Sancti Martini confugit, atque ibidem vinculis mancipatus est: sed inuocato Sancto, catenis confractis euasit. Extra atrium deprehensus, iterum manibus post terga reuinctis & ferro oneratus ad Regem ducitur: Iterumque contenta voce Martini nomen & auxilium contestatus, catenis dissilientibus inter manus coram Rege sistitur, expeditisque compedibus ferreis tertiò cõstringitur: verum is tertiò eundem Patronum in vota vocans, momento citiùs diruptis vinculis, attonitis omnibus, solutus est. Quod Rex ad animum demittens, non solùm liberum esse iussit filium, verùm etiam pristinæ gratiæ restituit: Vtinam sero tandem sapientem. E

A

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAP. ANNVS	IVSTINI IMP. ANNVS	
560.	1.	34.	*Indict. 8.*

THeodemirus aliàs Ariamirus Rex Sueuorum, in Gallicia Hispaniarum regnans, ope Reliquiarum S. Martini, filium à lepra mirabiliter sanantis, ex Arianismo ad Fidem Catholicam conuertitur. Gregorius Turon. eundem Carraricum vocat. *Greg. Turon. de mirac. S. Martini lib. 1. c. 10.*

B Dum porrò cum cantu efferuntur prædictæ Reliquiæ, plurimi detenti in custodia Ciuitatis, & Martino se commendantes, diruptis sponte obicibus euadunt, & accurrentes venerabundi pro liberatione gratias agunt. Eosdem vero Iudex miraculum conspicatus, sua sententia immunes pronunciauit. Ceterùm quo tempore eædem sacræ Reliquiæ in Gալliciam aduectæ sunt, ibidem Martinus Iunior, & ipse Pannonius, immo & Sabaria patria S. Martini Senioris oriundus, Episcopus ordinatur. Is, vt inquit Gregorius Turonensis, *ex Pannonia ad visitanda sancta loca properans, in tantum se literis imbuit, vt nulli secundus suis temporibus haberetur*: exinde in Galliciam venit: Vbi antequam Sacerdotiū consequeretur, diù ante, famā contraxerit oportet: quippe ad quem & Venātius Fortunatus de Regulis Monasticis à S. Cæsario Arelatensi traditis scripserit, alijque celeberrimi Viri eundem obseruauerint. Impleuisse autem in Episcopatu plus minus annos triginta, si cum eodem Gregorio affirmemus, vereor ne prouectiori ætati tempora non sua impendamus. *Gregor. ibid. Baron. hic.*

C

Vltrogotha, seu Vtrogothonis Francorum Regina, fama miraculorum S. Martini mota, ad Sepulchrum eius peregrinationem suscipit; & præsens plurima eius intercessione diuinitus patrari miracula intuetur. *Greg. ibid. c. 12. Fortun. Venat. lib. 6. Carm.*

D

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAP. ANNVS	IVSTIN. IMP. ANNVS
562. 564.	3.	34.

BAsilica S. Martini Turonis propter peccata & ludibria populi, quæ in ea fiebant, per Vvilicharium, qui eò confugerat, socerum Cramni filij Clotarij Regis, eiusque coniugem succensa est: quod non sine graui suspirio memorat Gregorius Turonensis. Eadem tamen iussu Clotarij protinus reparata pristinæ elegantiæ restituta est. *Anno 562 Indict.* 10. *Gregor. lib. 4. cap. 20.*

E

Cramnus filius Clotarij vnà cum coniuge & filiabus, quæ causa fuerant rebellionis contra patrem, capti, igne consumuntur. Ita igne luerunt quorum culpa D. Martini Basilica igne conflagrauit. *Anno 564. Indict.* 12.

A

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAP. ANNVS	IVSTINIANI IMP. 39. IVST. IVN. 1.
565.566.	6.7.	

Euagr. lib. 4. cap. 40. Et lib. 5. cap. 1. Niceph. lib. 17. cap. 31.

IVstinianus Imperator subitanea morte extinguitur, cùm imperasset annos triginta octo, menses octo. Succedit Iustinus dictus Iunior, cui ab Eutychio Patriarcha triennio ante diuinitus prædictum fuit Imperium. B

Sur. in vita S. Eutych. 6. Apr. Corip. African. Greg. Tur. lib. 4 Hist. c. 21. Beda lib. 3. Hist. Angl. c. 4.

Moritur & Clotarius Rex Francorum, cùm paulo ante ad Sepulchrum Beati Martini peccatorum suorum veniam implorasset.

S. Columbanus Abbas ex Hybernia in Britanniam veniens, Septentrionalibus Pictis, quorum Rex erat Bridius Meilochon potentissimi Regis filius, Christum annunciat, eosque ad Fidem conuertit. Australes Picti pridem antea Britonis Episcopi in Anglia, opera, Euangelio manus dederant. *Anno 565. Indict. 13.*

Greg. Tur. lib. 1 mirac. S. Mart c. 32.

Gregorius Turonensis, nondum Episcopus, insigni miraculo virtute Sancti Martini, cui se commendarat, à lethali febre sanatur, anno, vt putatur, ab C obitu eiusdem Sancti centesimo sexagesimo tertio. Alibi diximus, solemne Francis fuisse, ab obitu Sancti Martini tempora sua numerare. *Anno 566. Indict. 14.*

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAP. ANNVS	IVST. IVN. IMP. ANNVS
568.	9.	3.

D

Paul. Diac. de gest. Longob lib. 2. c. 6. Gregor. lib 11 Epist. 34 Blond. lib. 7. Dec. 1.

LOngobardi Rege Alboino, factione Narsetis à Iustino & Sophia Augustis irritati, ex Pannonia in Italiam veniunt circa initium mensis Aprilis, adiunctis sibi Gepidis seu Gipedis, Bulgaris, Sarmatis, Pannonijs reliquis, relicta interim Hunnis, quibuscum fœdere coniuncti erant, Pannonia: ea conditione, vt si Longobardos aliquando regredi oporteret, liceret eis in Pannoniam ad antiquas suas possessiones redire. Ita post quadraginta duos annos Pannoniæ ab illis cultæ, cum vxoribus & liberis profecti sunt Italiam occupaturi. Ab hoc tempore putant aliqui Hunnos *Auares* dictos, coalito E vocabulo, & non nihil immutato *Hungaros* dici cœptos: de qua re dictum in Apparatu.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAP. 13. BENEDICTI PAP.	IVSTIN. IVN. IMP. ANNVS
572.573.574.	1. 2.	7.8.9.

IOannes Papa moritur, die decimotertio Iulij, *Feria quarta*. Præfuit annis tredecim, aliquot diebus minus. Succedit post menses decem Benedictus, *Euag.lib.5. cap.16.*
B quem Græci à cognomento Bonosum vocant. *Anno 572. Indict. 5.*

Artabanus, seu Adarmanes Persa Dux Chosrois, in Romanorum ditionẽ grassatur. Vastata Syria & Antiochia, pluribus captiuis ductis, Imperator consternatus sero sapit. Tum illata Imago non manu facta Camulianis pago Cappadociæ, quo Edessa, ne in manus Persarum deueniret, translata fuerat, illa nimirum, quam Christus aliquãdo Abagaro Edessæ Regulo miserat. Sed & venerandæ partes Crucis sanctissimæ, ab Apamæa Syriæ secundæ Constantinopolim deportatæ sunt. Quibus priuata Ciuitas illa, quæ in alia Persarum incursione, magno miraculo seruata est, capta mox, & in fauil-
C lam redacta est. *Anno 573. Indict. 6.* *Euag. lib.5. c. 10. Cedren. in comp.*

Gregorius Turonensis, Euphronio succedens, cùm Turones pergeret febre correptus, & desperata Medicorum ope ad extrema deductus, hausto ex S. Martini sepulchro puluere, ad vitam reuocatur, anno post transitum S. Martini centesimo septuagesimo secundo. *Anno 574. indict. 7.* *Greg. Tur. lib. 2 de mirac. Mart. c.7.*

IESV CHRISTI ANNVS	BENEDICTI PAP. 5. PELAGII PAP. 2.	IVST. IVN. IMP. 12. 14. TIBERII 2.
D 577.579.		

BEnedictus Papa moritur die vltima Iulij *in Sabbato*. Præfuit annis quatuor, mensibus duobus cum dimidio. Succedit Pelagius Secundus.

Beati Martini virtute Reges Francorum Guntheramnus, & Sigebertus inter se mutuo decertantes, conciliantur, pace ex improuiso composita: eodẽq; ipso die, tres paralytici, & omni fere membrorum vsu defecti, ad eiusdem Sancti Sepulchrum orantes, admirabiliter pristinæ sanitati sunt restituti. *Greg. Tur. lib. 2 mirac. c. 5. 6. 7. Et lib. 4. c. 49.*

E Tiberius Comes antea Excubitorum, sed anno superiori Augustus cum Iustino creatus est: is nimirum qui Anno 569. contra Auares pugnans eos vicit, pacemque petere coegit. Sed anno 574. Iustini temerarijs consilijs obsecutus, ab ijsdem profligatus, & tantum non captus est, hoc anno fortunam emendauit: euoluto namque triennio fœderis icti cum Chosroé Persarum Rege, hunc aduersus Romanum Imperium arma mouentem, non solum vincit, sed eo mæroris adegit, vt mori cogeretur. *Anno 577. Indict. 10.* *Corip. in princ. Carm. Victor Tunnen. in Chron. Euag. lib. 5. Cedr. in comp. Agath. lib. 4. hist.*

Longobardi, qui nuper in Italiam venientes Pannoniã Hunnis, siue Hungaris reliquerant, quadraginta Rusticos immolatitias carnes edere detrectan- *Greg. lib. 3 Dial. c. 27. & 28. Et lib. 7. Ep. 7.*

tes, & quadraginta item alios, pluresque captiuos, quòd caput capræ, ab ip- A
sis nefando carmine diabolo dicatum venerari nollent, immani crudelitate
trucidant. Hanc in Pannonia superstitionem Hunni non susceperunt, qui-
bus alios fuisse Deos cultos in Apparatu diximus.

Greg. Tur. lib. 4 c. 50. 51. Quo etiam anno pax nuper inita inter Francorum Reges, turbata est, cō-
spirantibus in Sigebertum, Chilperico, & Gunthramno. In prælio Theode-
bertus Chilperici filius victus cadit. Sigebertus dum Chilpericum fratrem
Rothomagi ex fuga se continentem, contra S. Germani admonitionem ob-
sidere parat, mortem si possit ei oblaturus, ipse circumuentus per submissos à
Fridegunde Regina sicarios, optimus alioqui Rex, occiditur. B

Greg. lib. 5. c. 6. Miracula ad S. Martini sepulchrum creberrima fiunt. Illud notandum,
quòd Leonastes Bituricensis Archidiaconus, ipso die festo Beati, recepto lu-
mine oculorum, quo diu priuatus vixit, dum reuersus domum, Iudæum
medicum aduocat, vt appositis cucurbitis extracto per humeros sanguine,
lumini beneficium augeat, continuo in pristinam cæcitatem recidit, nec
prius liberatus est, quàm rursum acta per aliquot dies ad Sancti reliquias pœ-
nitentia, veniam imploraret. *Anno 579. Indict. 12.*

C

IESV CHRISTI ANNVS	PELAGII PAP. ANNVS	IVSTINI IMP. 15. TIBERII 3.
580.	3.	

Indict. 13.

Greg. Turon. lib. 5. Hist. c. 14 MEroueus, Chilperici Regis filius, ad Sepulchrum S. Martini confugiēs,
neglecto Oraculo Pythonissæ, quo prius requisito deceptus est, vt fu-
tura prænosceret, ex sacris libris sorte indagat, impositis super Sancti Sepul-
chrum codicibus Regum, Psalterij, Euangeliorum, petens nocte to- D
ta vt sibi sanctus Confessor ostenderet, capturus nec ne Regnum foret: Vbi
porro continuo ieiunijs, & vigilijs ad tumulum accessit, dignam suis mo-
ribus inuenit, conformēque sententiam. Reuoluto namque libro Regum,
Paral. 7. primus paginę versus hæc exhibuit: *Pro eo quod reliquistis Dominum Deum ve-
strum, & ambulastis post Deos alienos, nec fecistis rectum ante conspectum eius: ideo*
Psalm. 72. *tradidit vos Dominus Deus vester in manibus inimicorum vestrorum.* Psalterij ve-
Matt. 5. 26. ro: *Veruntamen propter dolos posuisti eis* (mala) *deiecisti eos dum alleuarentur. Quo-
modo facti sunt in desolationem, subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam.*
Denique codex Euangelij, sic perstringit: *Scitis quia post biduum Pascha fiet* , E
& filius hominis tradetur vt crucifigatur? Quibus confusus, ac diutissime flens,
recessit, nec melior euasit, vt vltro euentum, quem sortitus erat, exciperet.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS	PELAGII PAP. ANNVS	TIBERII SOLIVS 1. 5. MAVRITII 1.
582. 586.	5. 9.	

IVstinus post annos Imperij sexdecim, menses nouem cum dimidio, vita excedit. Moribundus coram Senatu dignam Christiano Imperatore ad Tiberium orationem habuit, ne suo exemplo, sed sanctiùs imperaret. Ita comitantibus omnium lacrymis finem fecit mense Augusto. Succedit Tiberius solus. Cui Angelus in somnis apparens prædixit, nomine Sanctæ Trinitatis, Tyrannos ipso imperante Imperium non inuasuros. In Imperio memor exhortationis Iustini, thesauros ingentes, quos iste auare nimis aggregarat, liberaliter pauperibus erogauit. Reprehensus ea de causa à Sophia Augusta, relicta Iustini, quam matris instar, & dominæ obseruabat: Non deerit, inquit, Fisco nostro, si pauperibus prouideamus; quin etiam in cælis non periturum thesaurum per horum manus cumulamus. Quam pietatem breui Deus liberalissime eidem remuneratus est, duobus thesauris, quorum alter in Palatio defossus, alter domi Narsetis rebus in Italia gestis, fama & opibus clari, reconditus erat inuentis. Et quidem ille supra mille auri centenaria, hic vero tantũ auri argentique exhibuit, quantum per multos dies vix à portatibus euacuaretur. Quibus detectis Tiberius hilaris liberalitate seipsum deinceps superare perrexit. *Anno 582. Indict. 15.* *Miscel. lib. 16. & 17. Zonar. Annal. par. 3 Greg. Tur. lib. 5. Hist. c. 19. Paul. Diac. de gestis Longob. lib. 3. c. 5. & 6.*

B C

Tiberius idem maxime pius Imperator è vita migrat mense Augusto, postquam annos quatuor solus, totidemque cum Iustino imperasset, magno sane sui desiderio inter lacrymas relicto, cum & ipse exemplo Iustini, Mauritium successorem, quem antea Cæsarem crearat, ad pietatem & contemptũ rerum caducarum breui, at graui oratione à Ioanne Rhetore dicta, exhortatus fuisset. *Anno 586. Indict. 4.* *Niceph. lib. 18. cap. 4.*

D

IESV CHRISTI ANNVS	PELAGII PAP. ANNVS	MAVRITII IMP. ANNVS
587. 588. 589.	10. 11. 12.	2. 3. 4.

E

CAgasius Dux Auarum ad Longum murum prope Constantinopolim prædando excurrit: sed à Commentiolo Duce Romani exercitus improuisò circumuentus, pluribus amissis discessit. Ita pœnam violatæ pacis tulit. *Anno 587 Indict. 5.* *Cedrin. comp.*

Ingenti Parisijs incendio excitato, cùm omnia vastaret ignis, Sancti Martini Oratorium flammis refugientibus diuinitus mansit illæsum. *Anno 588. Indict. 6.* *Greg. Tur. lib. Hist. c. 33.*

Gothi in Hispanijs, à temporibus Constantij à prauis doctoribus per Arianismum transuersum acti, conuertuntur opera Leandri Hispalensis, aliorum- *Isidor. in Chron. Marian. Hist. lib. 5. c. 5.*

rumque Hiſpaniarum Antiſtitum. Nempe Hermenigildo à Patre Leouigildo Ariano, martyrio coronato, Recaredus frater poſt patris obitum regnans Catholicam Fidem profiteri cœpit, & omnes Gothos Epiſcopos vt idē facerent hortatus, id coacta Synodo Toletana Tertia perfecit. Gothos ſecuti ſunt etiam Suevi. *Anno 589. Indict. 7.* A

Indict. 8.

IESV CHRISTI ANNVS	PELAGII PAP. 13. GREGORII. 1.	MAVRITII IMP. ANNVS
590.		5.

B

MOritur Pelagius die octaua Februarij, *Feria quarta*. Præfuit annis duodecim, menſibus duobus, viginti ſeptem diebus. Succedit Gregorius Romanus Gordiani Senatoris filius.

Sur. ad diem 27. Martii. Baron. hoc Rader. in Ruperto. Tabul. Salisburg. apud Hen. canis. tom. 6.

Bauari hoc anno ad Fidem conuertuntur, annunciante illis Euangelium viro ſanctiſſimo Ruperto Epiſcopo Vangionum, ſeu Vvormacenſium. A cuius loci Comite Berthario dira paſſus, & ſolum vertere coactus, Dei nutu ad Bauaros venit; & conuerſo eorum Principe Theodone huius nominis Tertio, opera Reginotrudis coniugis Childeberto, ſeu (vt alijs) Theodeberto Francorum Rege natæ, ceteros quoque ſubditos, ducem ſecutos adduxit. Hinc Bauarorum dictus Apoſtolus. Sicut autem hic plantauit, ita & in Norico, vbi pridem S. Seuerinus Abbas ſeminauerat, rigauit: Quin vlterius in Pannonias progreſſus, multum illis vtilitatis attulit, & reuerſus Laureacenſi etiam Eccleſiæ præfuit. Hanc Bauarorum conuerſionem aliqui ſerius factam putant, nimirum decimoſexto ſeculi ſequentis anno. C

D

IESV CHRISTI ANNVS	GREGORII PAP. ANNVS	MAVRITII IMP. ANNVS
591. 593.	2. 4.	6. 8.

Paul. Diac. lib. 3. cap. vlt. lib. 4. c. 1. & 2.

AGilulphus in baptiſmate Paulus dictus, mox Longobardorum Rex appellatus, Regno ſibi in Italia ſtabilito, exceptis Roma, & Rauenna, aliiſque ad has ſpectantibus, ex Ariana hæreſi ad Fidem Catholicam conuertitur cum omnibus Longobardis. *Anno 591. Indict. 9.* E

Euagrius lib. 6 cap. 20.

Paul. Diac. lib. 4. c. 17. vol. 52. Ioan. Abb. Biclaren.

Choſroës Rex Perſarum filius Hormiſdæ, nepos Choſrois, pronepos Cabadi, à Mauritio Imperatore in Regnum reſtitutus, gratitudinis ergo Crucem auream lapidibus pretioſis exquiſitè laboratam, à Theodora Auguſta Iuſtiniani coniuge S. Sergio Martyri olim dicatam, ſed deinde à Choſroë ſeniori grauiſſimis bellis diſſidente captam, reſtituit; nec multo poſt Chriſtianam Religionem ſuſcepit, pace cum Mauritio ſancita. Prius tamen eiuſdem coniugem Cæſareā priuato habitu Cōſtantinopolim veniſſe tradunt Scriptores Latini; & baptizatā noluiſſe reuerti, niſi & maritus Chriſti Fidem ſuſciperet: Ideo eum acceſſiſſe cum ſexaginta millibus, & cum omnibus Chriſtiana

A na Sacra suscepisse. Quidam hæc ad tempora Heraclij reijciunt.

Naamanes Princeps Saracenorum, gentis Scenitarum Tribunus, homo adeo nefarius & sceleratus, vt sua manu homines dæmonijs mactaret, hoc anno ad sacrum accessit Lauacrum, statuamque Veneris auream igni liquefactam pauperibus erogauit, & omnes qui ad eum spectabant, ad veram Fidem traduxit. *Anno 593. Indict. 11.* Euag. lib. 6. c.

IESV CHRISTI ANNVS	GREGORII PAP. ANNVS	MAVRITII IMP. ANNVS
594. 595.	5. 6.	9. 10.

B

CAgasius, quem alij Cacanum seu Caianum vocant, Hunnorum seu Auarum, & Slauorum Dux, Istro traiecto Thraciam inuadit, omnia fœdè diripit; Vsus ad hanc rem amicitia Agilulphi Regis Longobardorum, qui & Legatos pro pace sancienda, & artifices misit ad conseruandas naues, quibus & Istrum transmitteret, & Insulam quandam in Thracia oppugnaret. Heracleam vsque excurrit; Didymotium quoque stratagemate cepit. Aduersus eum profectus Mauritius, astu quoque & consilio vt rediret effecit; mox etiam misso Theodoro Medico, prudentia & eloquentia viri pax vtriusq; facta est. *Anno 594. Indict. 12.* Niceph. lib. 18. c. 28. & 19. Paul. Diac. lib. 4. c. 21.

C

Legati Agilulphi reuersi à Cagano, pacem perpetuam cum Hunnis seu Auaribus factam nunciant. Legatus quoque Cagani cum eisdem adueniens Gallias pergit, denuncians Francorum Regibus, vt quemadmodum cum Auaribus, ita pacem colant cum Longobardis. *Anno 595. Indict. 13.* Paul. Diac. lib. 4. c. 25.

D

IESV CHRISTI ANNVS	GREGORII PAP. ANNVS	MAVRITII IMP. ANNVS
596. 597.	7. 8.	11. 12.

HVnni seu Auares è Pannonia in Thuringiam ingressi, bella grauissima cum Francis gerunt, Caiano Rege infirmas Brunichildis feminæ, quæ tum Gallijs cum nepotibus Theodeberto, & Theoderico præerat, vires contemnente. Ab his tamen ingenti accepta pecunia ad propria reuertuntur. *Anno 596. Indict. 14.* Paul. Diac. lib. 4. c. 12. Blond. lib. 8. Dec.

E

Angli ad Fidem conuertuntur, missis superiori anno à Gregorio Papa Prædicatoribus Augustino, Mellito, alijsq; socijs quadraginta. Erat Rex Angliæ Edilberthus, Regina vxor Bertha, iam Christiana, de Francorum stirpe Regia, quæ in Ecclesia iuxta Ciuitatem ad Orientem, in honorem S. Martini antiquitus erecta, dum adhuc Romani Britanniam incolerent, orare consueuerat. *Anno 597. Indict. 15* Beda in Hist. Ang. lib. 1. cap. 10.

A

IESV CHRISTI ANNVS	GREGORII PAP. ANNVS	MAVRITII IMP. ANNVS
600. 602.	11. 13.	15.17.

Theoph. in Miscel. Nicep. lib. 18. c. 38. 39.

CAcanus, seu Caganus Rex Auarum inferiorem Pannoniam, inuadit, cunctaque vastans, & aduersum veniente Prisco duce exercitus Mauritij, in Thraciam ducit, Dryziparam diripit, & incenso Templo San- B ○ cti Alexandri Martyris sub Maximiano passi, Sepulchrum argento tectum violat, sacras Reliquias iniurijs afficit. Tum adeo Byzantij, totaque Thracia trepidatum, vt plerique consilium caperent, Europa deserta, in Asiam, & Chalcedonem migrandi. Mauritius metu concussus, à Senatu de legatione ad Caganum mittenda monetur. Interim hic, peccati in Sanctum Martyrem reus, peste cum exercitu laborare cœpit, & vno die septem filijs amissis luit: quorum obitum adeo impatienter tulit, vt nollet dona à Legato Mauritij suscipere. *Anno 600. Indict. 3.* C

Miscell. lib. 17. Niceph. lib. 18. c. 40. 41.

Mauritius à Phoca occiditur vnà cum coniuge & filijs, eligens in hac vita, Christo optionem dante, plecti, vt seruaretur in futura. Ita luit amissione vitæ & Imperij, qui cùm potuisset redimere pretio captiuos à Cagano Christianos, reus factus est innoxij sanguinis effusi. Nempe cùm Caganus munera missa à Mauritio non suscepisset, Captiuos, inquit, reddo pro singulis singula numismata recepturus. Id cùm renuisset Mauritius, pro singulis singulos ille nummos petijt, nec obtinuit: denique quatuor siliquas accepturus, ne has quidem accepit. Tum iratus, ad vnum omnes internecioni dedit: hæc Legato red- D dens, Iudicet inter me, & te, & Imperatorem Mauritium Deus. Ita demum quinquaginta millia aureorum pactus, imò imponens, recessit. Discite Principes non plus existimationi vestræ, &, quod aiunt, rationi Status, quàm iustitiæ, æquitati, & pietati tribuere. Nec dubium luisse etiam Mauritium, quòd multa contra libertatem Ecclesiasticam sanxerit, eoque Sanctũ Gregorium Papam indigne exagitauerit. Cedrenus, Nicephorus, Zonaras, Beda, vigesimo anno Imperij occisum putant Mauritium. Errorem corrigit Baronius; nec nisi tribus mensibus, annum decimum- E sextum excessisse notat. *Anno 601. Indict. 5.*

A

IESV CHRISTI ANNVS	GREGORII PAP. 14. SABINIANI 1. BONIFACII III. 1. BONIFACII IV. 1.	PHOCAE IMP. ANNVS
604.605.606. 607.		2.3.4.5.

B MOritur Gregorius Sanctissimus Pontifex, duodecima mensis Martij, *Feria quinta*. Vixit in Pontificatu annos tredecim, menses sex, dies nouem. Successit Sabinianus patria Volateranus, patre Bono; non verò Innocentius quidam, vt Nicephorus putat. *Anno 604. Indict. 7.* *Ioan. Diac. Anastas. Nicepho. lib. 18. c. vlt.*

Post menses Pontificatus quinque, & dies vndeuiginti moritur Sabinianus die 19. Februarij, *Feria sexta*. *Anno 605. Indict. 8.*

Succedit Bonifacius Tertius Romanus, Ioannis filius, ex Diacono Pontifex. Et hic etiam post menses Pontificatus octo, dies sex, fato concessit 12. Nouembris in Sabbato. *Anno 606. Indict. 9.*

C Subrogatur Bonifacio Tertio, Bonifacius Quartus, ex Presbytero Pontifex, Ioannis Medici filius, ex Valeria Marsorum Ciuitate. *Anno 607. Indict. 10.*

Phocas cum Cagano Auarum Rege pactis inducijs, contra Chosroën Persarum Regem ducit, & vincitur. *Anno 604.* Mox in necem Narsetis, qui rebellarat, & à Chosroë stans rem fortiter gerebat, cũcta miscens per fas & nefas, iteratis iuramẽtis præstitis, cùm ad Romanos eum redire persuasisset, periurus viuum comburi præcipit. Hunc finem consecutus est celeberrimus Dux, tot victorijs de Persis & alijs Barbaris, reportatis clarus, magno Romanorũ dolore, Persarum gaudio, quibus vel nomen Narsetis formidini erat. *Miscell. lib. 17. Cedren.*

D *Anno 605.*

IESV CHRISTI ANNVS	BONIFACII PAP. IV. ANNVS	PHOCAE IMP. 8. HERACLII
610.611.612.613.	4.5.6.7.8.	2.3.4.

PHocas à Photino, cuius vxorem vitiauerat, ignominiosè à solio deiectus, & veste Imperatoria spoliatus, numellisque inclusus, ad Heraclium E deducitur: à quo cùm audisset, Miser itanè Rempublicam gubernasti? Tuum est, respondit, rectiùs gubernare: mox manibus, pedibus, humeris, pudendis, denique capite amputatis, quod reliquum fuit in Foro bouis combustum est. Quidam à Niceta Patricio cæsum dicunt. Ita qui Mauritium, etsi Deo volente, cum tota stirpe excidit, & ipse, sed miserabiliori cæde, cum omnibus suis necessarijs luit. Successit Heraclius genere Cappadox, illustri ortu, diuitijs florens. *Anno 610. Indict. 13.* *Zonaras.*

Persæ ex more irrumpentes in Armeniam & Cappadociam, Cæsarea potiuntur, ingenti præda captiuorum abducta. *Anno 611. Indict. 14.*

Persis

Miscell lib. 18. Persis victoria exatiatis, Saraceni Romanum Imperium nullo obice inuadentes, in Syria ferro & igni omnia miscent. *Anno 612. Indict. 15.* A

Mox iterum Persæ redeunt, & plurima vastatione edita Damascum capiût. Ab Heraclio missi ad Chosroen Legati, qui definitis tributis & pactis, tanto sanguini parceret, re infecta redeunt, Chosroë ad subigendum Romanum Principatum intento, *Anno 613. Indict. 1.*

IESV CHRISTI ANNVS	BONIFACII PAP. IV. 7. DEVS-DEDIT. 1.3. BONIFACII PAP. V. 1.	HERACLII IMP. ANNVS
614. 615. 617. 618.		5.6.8.9.

B

Bonifacius Quartus vita fungitur 8. Maij, *Feria quarta*. Præfuit annis sex, mensibus octo, diebus aliquot. Succedit Deus-dedit Romanus, filius Stephani, ex Subdiacono (nunc primum sine exemplo) electus.

Theoph. in Anval. Sur. in vit. A- nast. mon. Hierosolymam Persæ capiunt, ingenti Christianorum numero in seruitutem abducto; ex quibus nonaginta millia empta a Iudæis vili pretio, ab eisdem trucidata sunt. Captus & Zacharias Patriarcha, & inter alia spolia vix æstimabilia, viuificæ lignum Crucis prædæ cessit. *Anno 614. Indict. 2.* C

Miscell. lib. 14. ex Theoph. & Cedr. Leont. in vita S. Ioan. Eleem. Mox Chosroës Ægyptum Alexandria capta, & alias prouincias vastans, penè tota Asia potitur. Hinc in Libyam excurrens, Carthaginem vsque peruenit: sed ea frustra tentata plurimis in captiuitatem abductis, & præda onustus in Persidem reuertitur. *Anno 615. Indict. 3.*

Deus-dedit Papa post tres annos Pontificatus, si dies quinque demas, vita excedit. Succedit Bonifacius V. Campanus patre Ioanne. D

Miscell. lib. 14. Zonar. tom. 3. in Heracl. Heraclius iterum ad Chosroën mittit, quibusuis iniquis conditionibus pacem poscens; quam iste victorijs inflatus, ea conditione se daturum recepit, si Christo Crucifixo eiurato, cum omnibus suis Solem adoraret: Immemor gratiæ, qui olim ab Imperatore in Regnum restitutus fuisset. *Anno 617. Indict. 5.*

Heraclius iturus contra Chosroën, cum Cagano Auarum Rege, propere pacem sancit: sed deceptus ab eodem tantum non comprehenditur; & præterea dum Byzantio abest, ille vsque ad vrbis Regię mœnia cuncta prædatur; imo & castris positis excidium parat; sed Bonori Patritij & Patriarchæ vigilantia repellitur. *Anno 618. Indict. 6.* E

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS	BONIFACII PAP. V. ANNVS	HERACLII IMP. ANNVS
620.621.622. 623.624.	3.4.5. 6.7.	11.12.13. 14.15.

HEraclius à Persis multis cladibus attritus, cogitur iterum pacem inire cum Chagano. *Anno 620. Indict. 8.*

B Mox celebrata solemnitate Paschali, die mensis Aprilis quarto, *feria secunda insequenti*, circa vesperum in Persidem mouet, & die vigesimo mensis peruenit. Hinc Chagano Regi scribit, Vrbis Regiæ negocia eidem commendans, & Tutorem filij appellans, quem curæ Sergij Patriarchæ, & Bonosi Patritij reliquerat. *Anno 621. Indict. 9.* *Theophan.*

Nec multo post, diuino auxilio, quod lacrymis, & fiducia religionis anxie implorarat, fretus, paruo milite Chosroën fugat, quinquaginta millia captiuorum, reliquis interemptis, misericordia motus, libertate donat. *Anno 622. Indict. 10.*

C Verum Chosroës exercitu auctiore, Sarablaca, & Sarbara Ducibus iterum in Heraclium mittit. Hic fugatus, ille etiam cæsus est; successit & tertius Sain collecta dispersorum manu: quem Heraclius etsi à Lazis, & Absagis desertus, eadem Dei ope superauit, omnibus impedimentis exutum: Ita Deo, qui in sacra Imagine, & in virtute Romanum exercitum præcedebat, cuncta disponente. *Anno 623. Indict. 11.*

Non multo post Heraclius, in medio pontis super Sarum amnem strati, cum Barbaro giganteæ staturæ congressus, ipsum in profluentem deiecit, suisque animum erexit. Hunc aliqui filium Chosrois, alij ipsum Chosroën *Auct. Compil. Chron.*
D fuisse male existimarunt. Extat huius certaminis imago depicta Romæ in Apsidis Basilicæ S. Crucis vulgo in Hierusalem.

Chosroës porro insania percitus, donaria omnia Ecclesijs, quæ in Perside Christianorum erant, abstulit; & vt Heraclio rem molestam faceret, Christianos omnes ad Nestorianam hæresim adegit. *Anno 624. Indict. 12.*

IESV CHRISTI ANNVS	BONIFACII PAP. V. ANNVS	HERACLII IMP. ANNVS	
625.	8.	16.	*Indict. 13.*

E

CHosroës extrema tentans, fœdus cum omnibus Barbaris aduersus Heraclium init. In primis paciscitur cum Chagano Auarum Rege, deinde solicitat Bulgaros, Sclauos, Gipedas, omnésque permouet vt Constantinopolim inuadant. Heraclius Turcos ab Oriente, quos Gazaros vocant, in auxilium aduocat. In conflictu Romanis tranquillitate aëris fruentibus, horribili grandine quamplurimi Barbarorum sternuntur. Hinc Sain Dux exercitus Persarum mærore animi expirat: quem Chosroës sale conditum, & ad se afferri iussum, pluribus ictibus confodit. *Theophanes.*

Gazari disruptis Caspijs portis in Persidem irruunt, & Duce Ziebil magnam stragem edunt. Quibus obuiam profectus Heraclius, summo honore à Duce primum, deinde à toto exercitu salutatur, & adoratur. Ziebil relicto penes Heraclium, cum electis virorum fortium, quadraginta millibus, in regionem suam reuertitur. Mira res, Barbaris Occidentalibus, & alioqui amicis, Heraclio perfide bellum inferentibus, Orientales diuina dispositione accessisse. A

Cedrenus. Interea Auares Thracesque Constantinopolim obsidentes acriter per dies decem vrgent: sed tandem Diuæ Virginis ope, cuius tum cultus maxime in vrbe vigebat, pluribus suorum amissis recedunt. Ferunt visam ab hostibus Deiparam Angelis comitatam; quam ipsi Heraclij vxorem multis stipatam Eunuchis existimantes, transitu dignati sunt; mox tamen ea disparente, mutuis in se cædibus sæuierunt. Ceteros classe per Euxinum reuertentes, exorta repente tempestas ita afflixit, vt perpauci euaserint. B

Bonifacius V. Papa moritur, die vigesimaquinta Octobris, *feria sexta*. Præfuit annos sex, menses decem. Succedit septimo post mense Honorius Campanus, patre Petronio Consulari viro.

C

IESV CHRISTI ANNVS	HONORII PAP. ANNVS	HERACLII IMP. ANNVS
626. 627.	1. 2.	17. 18.

HEraclius à Turcis desertus, cum suis solum, Razati nouo à Chosroë Duci cum ingenti exercitu misso occurrit, eumque Dei Genitricis ope, singulari ante alios congressu vincit, etsi vulnerato equo in discrimen adductus. Pugnatum à primo mane vsque ad vesperam, die duodecimo Decembris, *feria sexta*. Chosroës cognita suorum clade, Heraclium aduersùm venientem non expectans, fuga sibi consulit. D

Fecere hic Persæ, quod postmodum Hungari: nam toties attritum Chosroën eo maxime existimantes, quòd noluerit dare pacem Heraclio, nisi is Christum abnegasset, quamplurimi relictis Idolis, ad Christianorum Deum, Christum confessi transiuerunt; ad id maxime cooperante Anastasio Monacho, qui ea de causa, (sequenti anno) ab irato Chosroë crudeli martyrio affectus est. *Anno 626 Indict.* 14.

Theophanes. Cedrenus. Chosroës porrò, paulo post quàm Anastasium interemisset, vltione diuina, à Syroë filio tentus, dirissimam mortem subire cogitur. Ita victoria omnis Heraclio cessit, qui præter trecenta Romanorum signa, quæ in diuersis prælijs capta fuerant, recuperata, bonis omnibus Chosrois potitus est. E *Suid in Herad.* Syroës paternum Regnum Persarum, beneficio Heraclij adeptus, Romanos omnes vinculis solutos, & inter hos Zachariam Hierosolymorum Antistitem, dimittit, vnàque sacratissimum venerandæ Crucis lignum, illæsum, intactum, & hactenus à Persis ne visum quidem, restituit. *Anno 627. Indict.* 15.

A

IESV CHRISTI ANNVS	HONORII PAP. ANNVS	HERACLII IMP. ANNVS
628.630.632.	3.5.7.	19.21.23.

HEraclius Conſtantinopoli Hieroſolymam veniens, triumphalem Crucem ſuis humeris portat, & loco vbi prius à Chriſto Saluatore poſi-
B ta fuerat, reſtituit, die Septembris decimoquarto, *feria quarta*. Eodem verò anno mortuum etiam impium Mahometem, qui Perſas, & Arabes ſtulta ſuperſtitione hactenus dementarat, notatu dignum fuit.

Feliciori tamen ſorte vitam mortalem cum immortali commutauit S. Kupertus, Boiorum quidem Apoſtolus, ſed non mediocriter de ipſis Pannonijs benemeritus, quas identidem inuiſens, eam Euangelij ſementem fecit, quæ poſtea in vberem ſegetem excreuit. Obijt Iuuauiæ (hodie Saliſburgi) vbi Pontificiam ſedem fixerat, die vigeſimoſeptimo Martij, ipſo die Paſchæ. *Anno 628. Indict. 1.* *lib. 2. Antiqu. lect. & 6. Henr. Can. Rader. in Bauar. ſan.*

C Perſarum Regnum deficit. Syroes quippe nuper ab Heraclio Rex conſtitutus, anno primi Regni extinguitur à Sarbara, ſiue Adeſer Duce vſurpatore. Quo etiam intra ſeptimum menſem cæſo, ſuccedit Barrazas; ſed poſt totidem menſes necatus, Regnum relinquit Barahani alteri Choſrois filio. Hic quoque nonniſi ſeptenis menſibus regnans, & fato functus ſucceſſorem habuit Hormiſdam; quo à Saracenis pulſo, delatum eſt Regnum ad Arabes. Ita potens, & formidandum Romanis Imperium, vbi ſemel Choſroës Religionem Chriſti impugnare cœpit, Cruciſque Dominicæ dominatum ambiuit. *Anno 630 Indict. 3.*

D Moritur Eubebezer, ſeu Abubachar, primus Mahometis ſucceſſor: cuius partes excipit Haumanes, qui copioſo inſtructo exercitu in Arabiam ducens, Boſtrenſem Ciuitatem vi capit, pluraque alia loca occupat; quin etiam prælio commiſſo Theodorum Heraclij fratrem ſuperat. Hæc pœna Heraclij iam in hæreſim Monothelitarum deſciſcentis; qui rebus deſperatis Syriam deſerere coactus, ſublato venerabili Crucis ligno, Conſtantinopolim abijt. *Anno 632. Indict. 5.*

E

IESV CHRISTI	HONORII PAP.	HERACLII IMP.
635.636.637.638.	10.11.12.13.	26.27.28.29.
639.	SEVERINI 1.	30.

SAraceni capta anno ſuperiori Ægypto, hoc anno Syriam occupant, & Hieroſolymam obſident. Ita Heraclius defectionis ab Orthodoxa Fide reus, à gloria etiam, & tot victorijs miſere deficit. *Anno 635. Indict. 8.*

Capitur tandem altero obſidionis anno Hieroſolyma, pactis per Sophronium ſummum Sacerdotem conuentis, vt liceret Chriſtianis ſecure ma-

nere, & sua sacra peragere. Tenuerunt eam non paucis annis vt Persæ, sed quadringentis sexaginta tribus, nempe vsque ad annum millesimum nonagesimum nonum, quo à Christianis Occidentalibus recuperatà est. *Anno 636. Indict. 9.* A

Capitur & Antiochia, quæ detenta vsque ad nonagesimum octauum decimi seculi. Tunc Reliquiæ multorum Sanctorum auectæ in Occidentem; inter quas S. Ignatij martyris Corpus, Romæ obtigit. *Anno 637. Indict. 10.*

Moritur Honorius post annum Pontificatus duodecimum, & quinque circiter menses, die duodecimo Octobris, *feria tertia*. Succedit Seuerinus. *Anno 638. Indict. 11.* B

Quia tamen, electus Seuerinus, non fuit approbatus ab Imperatore, vt tum præpostere fieri solebat, ideo nec tempus vacationis Sedis, nec quamdiu præfuerit, certo constat: breui tamen hoc ipso anno præ mærore, & afflictione animi extinctus est, eidemque subrogatus Ioannes Quartus natione Dalmata, filius Venantij Scholastici.

Floret Emmerammus Picto Aquitanus, Christiani Orbis, sed Germaniæ præcipue, & Pannoniæ iubar futurus, qui à puero literis sacris, & disciplina Christi domi eruditus, id consilij capit, vt totum se conuertendis ad Christi sacra Barbaris Ecclesiam nouo fœtu augeat, ac in primis Pannoniam sui laboris palæstram, vt Hungaros gentem bellicosam, & Religioni sanæ infensam, erudiat, designat. *Anno 639. Indict. 12.* C

IESV CHRISTI ANNVS	IOAN. PAP. IV. 2.	CONSTANT. IMP. 1.
641.643.645.647. 648.649.	THEODORI PAP. 2. 4. 6. 7. MARTINI PAP. 1.	CONSTANTIS IMP. 2. 4. 6. 7. 8.

D

Theophanes. HEraclius vbi imperauit annis triginta & vno, ærumnis animi corporisque molestijs, sed præcipue hydropisi confectus, infeliciter migrat, mense Maio, die incerto. Succedit Constantinus: quo post menses quatuor vita cedente, subrogatur Heraclionas: eodem post menses sex deposito, euehitur Constantini filius, quibusdam Constantinus, aut Constantius, vulgo Constans appellatus, nepos Heraclij.

Moritur & Ioannes Papa, post annum vnum, & menses circiter nouem, die duodecima Octobris, *feria sexta*. Succedit Theodorus patria Hierosolymitanus, ex Patre Theodoro Episcopo. *Anno 641. Indict. 14.* E

Theophanes. Haumar Princeps Saracenorum, Templum Hierosolymitanum ædificare aggreditur: sed dum ædificia non consistunt, Iudæi causam rogati respondent, Crucem ex aduerso positam, in Templo nimirum montis Oliueti, impedimento esse. Quare ea quantocyus deponi iussa, vbi demum fabrica firmari, (Diaboli opera) cœpit, Christi osoribus occasio extitit multas passim Cruces deturbandi. Mireris tamen, inter tot insignia Templa, Christianorum Imperatorum monumenta, nullum sibi vendicasse Saracenos,

A cenos, sed vsui Christianorum libera, adeoque vt antea, Fidelium totius Orbis peregrinationis frequentanda permisisse. *Anno 643. Indict. 1.*

Idem tamen Princeps ob deiectas Cruces, sceleris pœnam haud multo post tulit, per fraudem à quodam Persa occisus. Substitutus est Hoamen eiusdem cognatus. *Anno 645. Indict. 3.* Theophanes.

Hinc missis qui Africam subiugarent, pactis & ordinatis tributis. *Anno 647. Indict. 5.*

Cyprum postmodum inuadit, captamque Vrbem Constantium demolitur. *Anno 648. Indict. 6.*

B Theodorus Papa exactis annis septem, mensibus minus senis, finem viuendi facit pridie Idus Maij, *feria quinta*. Succedit Martinus patria Tudertinus.

Emmerammus, de quo supra, in Pannoniam pergens, Reginoburgi in Boica, à regionis Principe Theodone, multis precibus, quò rem Christianam iuuet, detinetur; nec multo post eiusdem loci Episcopus constitutus doctrina, virtute, & exemplo circumfusis populis innotescit. *Anno 649. Indict. 7.*

C

IESV CHRISTI ANNVS	MARTINI PAP. 2.4.6. VITALIANI PAP.	CONSTANTIS IMP.
650.652.654. 655.659.	1.5.	8.10.12.13. 19.

Martinus Papa captiuus à Calliopa Exarcho abducitur in Orientem iussu Constantis, obiectis illi falso criminibus: quòd traditam à maioribus Fidem mutasset: quòd aduersus Romanum Imperium cum Saracenis molitus fuisset: quòd contra Deiparæ Virginis cultum nonnulla protulisset: denique quòd Pontificatum illegitime arripuisset. *Anno 650. Indict. 8.* Martin. Epist. 15.

D

In eius exulantis locum sufficitur coacte Eugenius Ruffiniani filius. Emmerammus omnibus admirandus, postquam triennium Boios ad Religionem, & virtutem Christianam exercuit, re plane atroci præter omnium vota incidente, raro martyrio ex longe rariore non vsitatæ charitatis causa accersito, defungitur. Eum ab accepto deinde Euangelio Hungari vt Patronum non vna Basilica dedicata venerari cœperunt, quas inter diu enituit, quæ singulari opere, prope Quinque-Ecclesias constructa est. Passus est die vigesimasecunda Septembris, *in Sabbato*. *Anno 652. Indict. 10.* Arnolph. in vita Megenfredus ibid. Henric. Canis.

E

Martinus Pontifex, & martyr obit Chersonæ in Ponto, die duodecimo Nouembris, *feria quarta*, postquam rexisset Ecclesiam annos sex, menses circiter tres. *Anno 654. Indict. 12.*

Moritur etiam Eugenius viuenti adhuc Martino subrogatus, die secundo Iunij, *feria tertia*. Succedit Vitalianus Signinus. *Anno 655. Indict. 13.*

Mahuuias Princeps Saracenorum, Constante Imperatore in Siciliam abeunte, æmulo suo Hali sublato, solus absque timore imperans, aduersus Theophanes.

Persas primùm, deinde aduersus Romanos erigitur. Hic est Mahuuias ille, qui ante sexennium, hoc est anno 653. Colossum Rhodium, ex septem miraculis vnum, antea terræmotu deiectum confregit post mille trecentos sexaginta erectionis annos. Quem cùm Iudæus quidam Emissenus emisset, nongentos Camelos ex ære destructo onerauit. Fuit altitudinis pedum viginti sex supra centum. *Anno 659. Indict. 2.* A

IESV CHRISTI ANNVS	VITALIANI PAP. 10. 14.	CONSTANTIS 24. 28.
664. 668. 669.	ADEODATI PAP. 1.	CONSTAN. POGON. 1.

B

Paul. Diacon. lib. 5. c. 6. 7. vel 18. Grimoaldus Rex Longobardorum Auares mouet aduersus Lupum Ducem Fori-Iulij, Ducatum vsurpantem. Occiso Lupo Auaribus Foro-Iulij potitis, Grimoaldus laborat, qui eos in Pannoniam remittat, ac tandem à Chagano vt exercitum reducat, impetrat. *Anno 664. Indict. 7.*

Theoph. Anast. Paul. Diacon. lib. 5. in fine vel cap. 11. Constans Imperator, dum in Sicilia degit, Syracusis in balneo necatur à quodam Andrea Troili filio. Succedit tyrannica factione Mezius, seu Mezentius Armenus; sed mox à Constantis filio Constantino in Siciliam veniente occisus. Is ergo Constantinus dictus Pogonatus, cum fratribus Tiberio, & Heraclio Collegis Imperio potitur. *Anno 668. Indict. 11.* C

Moritur Vitalianus Papa post annos quatuordecim, menses circiter quinque, die vigesimaseptima Ianuarij, *in Sabbato*. Subrogatur ex Monacho Adeodatus Romanus, Iouiniani filius. Quo etiam, rogatu Grimoaldi, reductos ex Italia in Pannoniam Auares, scribunt nonnulli. *Anno 669. Indict. 12.* *Blond. lib. 9. Dec. 1.*

D

IESV CHRISTI ANNVS	ADEODATI PAP. 4. 7.	CONSTANT. POGON.
672. 675. 676.	DONI PAPAE 1.	5. 8. 9.

Theophanes. Cedrenus. Saraceni ingenti numero in Thraciam traijcientes, Constantinopolim obsident, & à mense Aprili, vsque ad Septembrem expugnare conati, re infecta Cyzici hiemant. Vere ineunte nouis copijs aucti iterum, & sæpius frustra tentant, Dei Genitricis ope multis suorum amissis toties repulsi; tandem fessi recedunt, ac circa partes Scyllæi, æstu, ac spiritu procellarum cum tota classe demerguntur. *Anno 672. Indict. 15.* E

Durasse huiusmodi obsidionem repetitam per annos septem, scribunt Annales Græcorum.

Luc. Tuden. Porro magna ex parte Oriente potiti Saraceni, classe nauium ducentarũ & septuaginta Hispanias infestant; vbi à Rege Vamba maritimo bello vincuntur, & vniuersa classis incensa perit. *Anno 675. Indict. 3.*

Adeodatus Papa, cùm vixisset in Pontificatu annos septem, menses duos, & dies aliquot, vita excedit, vigesimasexta Iunij, *feria quinta*. Succedit Do-

A Donus, varie nominatus, Domnus, Domnio, Conus, Cuno.

Saraceni à Maronitis vexati, Mahuuia Principe, cum Imperatore triginta annorum pacem componunt, & tributum annuum promittunt. Ea re audita Chaganus Auarum seu Pannonum Rex, & ipse Legatis, & muneribus missis pacem firmat, eumque secuti reliqui Exarchi, & Castaldi Occidentalium partium in idem conueniunt. Ita per omnem fere Orientem, & Occidentem, Deo paulatim conuersionem Pannonum disponente, magna tranquillitas secuta est. *Anno 676. Indict. 4.* *Theophanes.*

B

IESV CHRISTI ANNVS	AGATHONIS PAP. ANNVS	CONSTANT. POG. ANNVS
678.	I.	II.

Indict. 6.

DOnus Papa post quinque circiter menses supra annum moritur, die *Dominico*, Aprilis vndecimo. Succedit Agatho, quem plerique Siculum dicunt, ex Monacho Ordinis S. Benedicti assumptum. Quidam tamen Ordinis S. Equitij in Prouincia vlterioris Aprutij, nec tam Siculum, C quàm ex Aquilassi Castro vallis Sicilianæ, filium Pannonij Amonis fuisse tradunt. *Alphons. Ciacc. in Agath.*

Bulgari primùm irrumpunt in Romanas Prouincias. Cum his Imperator, qui paulo ante potentissimas nationes tributarias fecerat, transegit pacta pollicitus; ita permittente Deo ob multitudinem peccatorum, & maxime, vt Theophanes putat, demerente Imperatore, quòd Theodorum Patriarcham Monothelitam Ecclesiæ Constantinopolitanæ præsidere sit passus, tametsi postea eundem eiecerit. Qui mitius sentiunt, fecisse hoc Im- *Theophanes.* *Cedrenus.*
D peratorem volunt, quò Concilium pro pace Ecclesiæ restituenda tranquillè celebrari posset. Duplicis generis fuisse initio Bulgaros Græci Scriptores tradunt, Onogundunenses nimirum, & Contragenses, ex Septentrionalibus Euxini partibus oriundos, dictosque à flumine Bulga, Bulgaros.

Moritur Mahuuias Princeps Saracenorum, relicto successore Gizid filio suo. Quo tempore nascitur in Scythia Almus, seu Alomus Eleudo patre genitus, quem inter & Attilam duo alij intercesserunt, Ed, & Vgek, hic Auus, ille Abauus Alomi, sed quorum gesta obscura manserunt. Nempe ad Alomum spectabat excitanda suo tempore in Pannonia felicitas Hunga-
E rorum, quam & matris vterum gerentis somnium præsignabat. Viderat forte Aquilam (alijs Asturem) e sublimi deuolantem, & caput in gremio cubantis reclinantem; mox vero e lumbis scaturientes limpidissimas aquas, paulatim in varios amnes abire, collectasque demum longe lateque in alienos campos, & sata exundare. Visum probauit euentus; quando ex Alomi stirpe succedentes deinde Duces ac Reges, Pannoniam Populorum, & Regnorum accessione exaggeratam feliciter obtinuerunt. Ex hoc omine genitus infans *Alomi*, quod Hungaris *Somnum* dicit, nomen tulit. Cuius deinde filius Arpad, Zoltanum patrem Toxis, auum Stephani Sancti, primi Regis ex Geysa nati, mundo edidit.

A

IESV CHRISTI ANNVS	AGATHON. PAP. 4. LEONIS II. 1. BENEDICTI II. 1. IOANNIS V. 1. CONONIS 1.	CONSTANT. POG. 14.15.16.17. IVSTINIANI IVN. 1.2.
681.682.683.684. 685.686.		

Beda lib. 4. hist. cap. 13.

SAxones Australes conuertuntur ad Fidem Christianam à S. Vvilfrido. *Anno* 681. *Indict.* 9. B

Agatho Papa moritur decimo Ianuarij, *feria quinta*. *Anno* 682. *Indict.* 10.

Vacat Sedes menses nouemdecim, & dies aliquot, & succedit Leo Secundus, ex patre Paulo Siculus. *Anno* 683. *Indict.* 11.

Idem tamen ex humanis excedit post menses decem, dies octo, Cal. Iulij, *feria sexta*. Subrogatur Benedictus Secundus Romanus, patre Ioanne. *Anno* 684. *Indict.* 12.

Hic etiam post menses septem vita fungitur, die octaua Maij, *feria secunda*. Succedit Ioannes Quintus natione Syrus ex Prouincia Antiochiæ, Cyriaci filius. Moritur etiam Constantinus Pogonatus relicto Imperio, filio suo Iustiniano Iuniori. *Anno* 685. *Indict.* 13. C

Non multo post desinit Ioannes Papa, die secunda Augusti, *feria secunda*, anno duntaxat Pontificatus cum diebus vndecim exacto. Hunc excipit Conon natione Thrax, patria Tomitanus, à quo S. Kilianus Monachus Hibernus, cum socijs Colomanno Presbytero, & Totnano Diacono in Germaniam ad prædicandum Euangelium missus, Herbipolim in Franconia venit, vbi Gosbertum Prouinciæ Ducem cum omni populo conuertit, & in die Pentecostes sacro fonte expiauit. *Anno* 686. *Indict.* 14.

al. Chylianus.

D

IESV CHRISTI ANNVS	CONONIS PAP. 1. SERGII PAP. 2.	IVSTINIANI IVN. ANNVS
687.689.		3.5.

Alphons. Ciacc. in Conone, & Sergio.

COnon Papa moritur die decimatertia Octobris, *Dominica*. Præfuit menses vndecim, dies tres & viginti. Succedit Sergius natione Syrus, Antiochiæ ortus ex patre Tiberio Mercatore, sed Panormi in Sicilia educatus. *Anno* 687. *Indict.* 15. E

Kilianus cum socijs Colomanno, & Totnano martyrium obit factione Geclæ, quæ vxor quondam fratris Gosberti, & huic tandem coniuncta, eo ad Christum conuerso, & baptizato, repudiata est; ideo Herodiadis exemplo necem Sanctorum procurauit.

Alius est hic Colomannus ab eo Colomanno, seu Colmanno Presbytero, qui in Austria passus est circa annum millesimum duodecimum, & cuius memoria celebratur in Martyrologio Romano die Octobris decimatertia; prioris vero Colomanni die octauo Iulij. *Anno* 689. *Indict.* 2.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS	SERGII PAP. ANNVS	IVSTINIANI IVN. 6.9. LEONTII 1.2.
690.693.694.695.	3.6.7.8.	

NOui in Germaniam ad prædicandum Euangelium decernuntur Apostoli. Ii fuere duodecim, Vvilbrordus, Suuibertus, Acca, Vvigbertus, Vvillibaldus, Vvinibaldus, Lebuinus, Duo Euualdi, (Niger & Albus) Vverenfridus, Marcellinus, qui horum res gestas conscripsit; omnes Sacerdotes; denique Adelbertus Leuita filius Regis Deirorum. *Anno 690. Indict. 3.* *Marcellin. in Suuiberto apud Surium 1. Martii.*

B

Ex his duo Euualdi in Saxonia antiqua (hodie Vvestphalia) præclarum obeunt martyrium, die quinta Octobris, *Dominica. Anno 693. Indict. 6.* *Beda lib. 5 c. 11*

Iustinianus Imperator à Leontio Præfecto Duce Græciæ facto, deijcitur, & præcisis naribus, facie deturpatus in exilium relegatur: Iusto Dei iudicio: vt qui Romanam Ecclesiam nouorum Canonum sanctione persecutus, Orientalem quoque deformauit. *Anno 694. Indict. 7.* *Theophan. Cedrenus. Zonaras.*

C

Vvigbertus vnus ex duodecim apud Frisios, sub Radbodo Rege præclarum martyrium obit, quòd populus ab eo conuersus, delubra Idolorum destruxisset. *Anno 695. Indict. 8.* *Marcellin. in hist. Cratepol. in Martyrol.*

D

IESV CHRISTI ANNVS	SERGII PAP. ANNVS	LEONTII IMP. 3. TIBERII ABSIM.
696.697.698. 700.701.	9.10.11.13. 14.	1.2.4.5.

LEontius mota à Romano exercitu seditione deijcitur, & Absimarus dictus Tiberius, Imperator creatur; qui Leontium præciso naso in Dalmatiæ Monasterium relegatum asseruari iubet. Ita permissu Dei, crudelitati paria pendit. *696. Indict. 9.* *Theophanes*

Germania magna ex parte à Vvillebrordo nouo Apostolo à Sergio misso, Euangelium recipit, Frisia, & Hollandia cum Groningensibus, Transiselanis, Traiectensibus, Zelandis, & Geldris, ad Christi sacra accedentibus. Hic Vvillebrordus à liberali panum distributione sic appellatus, postquam à Sergio Episcopus ordinatus est, Clementis vocabulum accepit. *Anno 697. Indict. 10.* *Cratepol.*

E

Saracenorum ducenta millia à Romanis Syriam peragrantibus propè Samosatam cæsa, & spolia auecta; magno reliquis per Armeniam, Persidem, Libyam, Africamque vniuersam incusso timore. *Anno 698. Indict. 11.* *Theophanes. Cedrenus.*

Vvlfranus ad Frisios missus Apostolus, quamplurimos miraculo conuertit; quòd cùm Barbari sorte peterent, quem è laqueo suspensium Idolis sacrificarent, forte sors cecidit in puerum Ouonem: quem frustra liberare *Ionas Ab. in vita. Sur. ad 10. Martii.*

conatus

conatus ab impio Duce Radbodo, Vulfranus, cùm iam duabus horis pependisset, vitæ restituit. Ipse Ouo primus sacro fonte ablutus, diu postea in Presbyterio vixit. Mox & filius Radbodi, denique populi complures. *Anno* 700. *Indict.* 13. A

Sergius Papa, post annos Pontificatus tredecim, & dies supra menses octo quatuordecim, humanis excedit, nono Septembris, *feria sexta*. Succedit Ioannes Sextus natione Græcus, patre Paterno, alias Petronio. *Anno* 701. *Indict.* 14.

B

IESV CHRISTI ANNVS 702.703.705.	IOANNIS VI. 1.2. IOANNIS VII. 1.	TIBER. ABSIM. 6.7. IVSTIN. ITERVM 1.

AD hunc annum referunt aliqui S. Emmirammi Episcopi Ratisponensis martyrium. Nos supra ad ann. 652. veriora sectati sumus.

Iustinianus Imperator in Chersoneso exul, Chaiani Lazorum, & Trebellij Bulgarorum Regis ope, Imperium recuperare conatur. *Anno* 702. *Indict.* 15. C

Nec spe sua falsus: clanculo per aquæductum ingressus Constantinopolim, quamplures crudeli nece perdit; quos inter Leontius, qui primus occuparat Imperium; deinde Tiberius Absimarus, qui hucusque regnarat, post varias vexationes capite plectuntur. *Anno* 703. *Indict.* 1.

Ioannes VI. expleto in Pontificatu supra triennium bimestri, & diebus aliquot, viuere desinit, die decima Ianuarij, *in Sabbato*. Succedit Ioannes VII. natione Græcus ex patre Platone.

Marcellin. in vita cap. 19. Suuibertus vnus ex duodecim Apostolis in Germaniam missus, de quibus supra ad ann. 690. post Brunsuicenses, & alios finitimos populos conuersos, iterum ad Boructuarios accedit, eosdemque ad Fidem adducit. *Anno* 705. *Indict.* 3. D

IESV CHRISTI ANNVS 706.707.708.711.	IOANNIS PAP. VII. 2.3. SISINNII. CONSTANT. 1.4.	IVSTIN. ITERVM 3.4.5. PHILIPPINI 1.

E

Theophan. Cedrenus. IVstinianus fracta pace, aduersus Trebellium Bulgarorum Regem, à quo præcipue paulo ante in Imperium restitutus fuerat, ducit: sed victus, ex fuga, vix cum paucis Constantinopolim se recepit. *Anno* 706. *Indict.* 4.

Ioannes Papa, post annos duos, menses septem, dies septendecim e viuis excedit, die vigesimooctauo Octobris, *feria quinta*. Succedit Sisinnius natione Syrus. *Anno* 707. *Indict.* 5.

Hic post dies ab electione vicenos repentina morte extinguitur die septima Februarij, *feria tertia*. *Anno* 708. *Indict.* 6.

Iusti-

A Iustinianus Imperator à suis vnà cum Tiberio filio occiditur: & Philippicus cognomento Bardanes, Chaiano Principe Gazarorum, ad quem antea confugerat, fauente, Imperium obtinet. *Anno 711. Indict. 9.* *Theophanes. Cedrenus.*

IESV CHRISTI ANNVS	CONSTANTINI VI. ANNVS	ANASTASII IMP. ANNVS
713.	6.	1.

Indict. 11.

B

Philippico post vnum annum, & sex menses, vt alijs haud recte placet, post aliquot menses supra biennium, oculis priùs erutis deiecto, succedit Anastasius, antea dictus Artemius, à secretis eiusdem. Ita qui abrogata sexta Synodo manum in diuina miserat, diuina vindicta Imperium meruit amittere. *Paul. Diac. l. 6. hist. cap. 11. vel 34. Theophanes. Zonaras.*

Saraceni diabolicis machinationibus inuadunt Hispanias, vt scelestissimus ipse dæmon Romæ in arreptitia gloriatus est se iactaturum, & cædibus cruentaturum Hispanias. Permisit id Deus non alia de causa magis, C quàm quòd Regnum Hispaniarum voluntarie se auerterit à Romana Ecclesia, sub Vvitiza Rege patre Ruderici; sub quo hoc anno Iuliani Comitis fraude ingressi sunt, & paulatim potiti Saraceni, Ruderico vltimo Gothorum Rege in prælio, vt putatur, occiso.

IESV CHRISTI ANNVS	GREGORII II. ANNVS	THEODOSII IV. 1. LEONIS ISAVRICI 1.
714-716.	1. 3.	

D

Constantinus Papa cùm præfuisset annos sex, & mensem circiter vnũ, vita excedit, die nono Aprilis, *feria secunda*. Subrogatur Gregorius Secundus Romanus, patre Marcello. Sed etiam Anastasij Imperium cessat, coacto imperare Theodosio quodam, Adramyttij tributorum publicorum, seu vectigalium exceptore: qui post sex menses patefacta proditione Constantinopolis porta, vitam concedit Anastasio in Monasterium relegato. *Anno 714. Indict. 12.* *Anastasius. Theophanes.*

E Is tamen non multo post abdicato Imperio, vnà cum filio in Clerum adscriptus, reliquum vitæ in pace agit. Imperator vere Catholicus, nec quicquam antiquius habens, quàm vt restitueret nobile monumentum, sex Oecumenicarum Synodorum picturis insigne, quod Philippicus demolitus fuerat. Defunctus est Ephesi, ibique in Ecclesia S. Philippi in fraterno sepulchro conditus, epitaphium sibi hoc vno verbo inscriptum voluit: SANITAS. Fertur miraculis claruisse. Succedit in Imperio Leo Isauricus alias Conon, Hebræorum impostura adiutus. *Anno 716. Ind. 14.* *Theophanes.*

A

IESV CHRISTI ANNVS	GREGORII II. ANNVS	LEONIS ISAVRICI ANNVS
717.718.719. 722.725.	4.5.6.9. 12.	2.3.4.7. 10.

Beda lib. de sex etat. in fine. Paul. Diac. l. 6. cap. 47. Gregor. Papa 2. epist. 4.

SAraceni Musalma Principe, & Zulcimino Arabum Duce Constantinopolim per triennium fere obsident: sed pertæsi, multis fame, frigore, B & peste pereuntibus recedunt; nec minor intra Vrbem strages, trecentis hominum millibus desideratis. Redeuntes porro Saraceni, dum Bulgaros Danubij accolas lacessunt, ab his quoque graui prælio vincuntur. *Anno 717. Indict. 15.*

Theophanes. Cedrenus. Menolog. Basil. Imp. 15. Aug.

Neque hic finis: nam Reliquiæ eorum dum per mare nauigant, ignea grandine, naues pice liquefacta soluente, diuinitus demerguntur. Cuius rei festa in gratiarum actionem memoria quotannis deinde recoli solita est. Eo prodigio Haumar Princeps Saracenorum efferatus, Christianos subditos sub pœna mortis ad deserendam Religionem edicto cogit, ausus etiam C Leonem Imperatorem literis tentare. *Anno 718. Indict. 1.*

S. Bonifacius, biennio ante defuncto Suuiberto Saxonum, & Frisonum, Apostolo, & primo Vverdensi Episcopo, authoritatem Apostolatus ad Gentes, ac præcipue per omnem Germaniam, à Gregorio accipit. *Anno 719. Indict. 2.*

Nec multo post reliquos Frisiorum, & Cattos Saxonibus confines ab Idolorum cultu ad Christum conuertit. *Anno 722. Indict. 5.*

Pet. Oldrad. in Epist. ad Carol. Magn. Marian. Scot. Sigeb.

Corpus S. Augustini ex Sardinia Ticinum transfertur, opera Luithprandi Longobardorum Regis, magno precio redempta à Saracenis eam In- D sulam occupantibus. Facta est hæc translatio vigesimaoctaua Februarij, *feria quarta. Anno 725. Indict. 8.*

IESV CHRISTI ANNVS	GREGORII II.	LEONIS ISAVRICI ANNVS
726.727.729. 731.736.	13.14.16. GREGORII III. 1.6.	11.12.14. 16.21.

E

Theophanes.

CÆsarea Cappadociæ capitur à Saracenis Musulma Principe. *Anno 726. Indict. 9.*

Ab ijsdem obsidetur Nicæa centum mille armatis, sub Amer, & Mahuuia Ducibus: sed intercessione apud Deum trecentorum & octodecim Patrum, qui illic olim Concilium celebrarunt, & Nicææ celebri semper cultu habiti sunt, capi non potest. *Anno 727. Indict. 10.*

Beda in Histor. Angl. lib. 5. c. 24

Ab ijs vero Saracenis, qui in Occidente grassabantur, miserabiliter vastantur Galliæ. *Anno 729. Indict. 12.*

Sed

A Sed non multo post insigni clade affecti à Carolo Martello, expelluntur ex Gallia Narbonensi. *Anno 731. Indict. 14.*

Gregorius post menses octo, & dies viginti super annos sedecim, vita fungitur, vndecima Februarij, *Dominica*. Succedit Gregorius III. natione Syrus, patre Ioanne, ob merita vi tractus ad Pontificatum. Ioannes Episcopus Gothiæ ex Tauro Scytharum regione, ob defensionem sacrarum Imaginum insigne martyrium obit. Illum Hunnis quoque non ita pridem ex Scythia egressis carum, & venerabilem fuisse, Annales Græcorum tradunt. *Anno 736. Indict. 4.* *Anastasius.* *Menol. Græc.*

B

IESV CHRISTI ANNVS	GREGORII PAP. III. ANNVS	LEONIS ISAVRICI ANNVS
738. 739. 740.	8. 9. 10.	23. 24. 25.

Carolus Martellus Saracenos Prouinciam occupantes pellit, eamque regionem sibi vindicans, Francorum Coronæ adigit; magno etiam C Hispanorum bono, quòd imminuta Francorum armis Saracenica potentia, ipsis animi creuerint ad reliquias eorum delendas, multisque victorijs deinde inclaruerint. *Anno 738. Indict. 6.* *Vet. Chr. Franc.*

Gregorius Papa in magnas conijcitur angustias, Luithprando Longobardorum Rege Vrbem obsidente, quòd Transamundum Ducem Spoletanum, ad se confugientem reddere noluisset. Tum & Basilica Petri in Vaticano temporibus illis extra mœnia posita, cui pridem Gothi, quantumuis Ariani, & hostes pepercerant, à Longobardis Catholicis, quibuscum multi Hungari euocati permixti fuerunt, fœdè expilata est. Gregorius Ca-D roli Martelli auxilium implorat. *Anno 739. Indict. 7.* *Anastas. in Gregor.* *Gregor. in epist. ad Carol. Martel.*

Et vt amicitiam Regum Longobardorum non præponat amori Principis Apostolorum, per Deum viuum & verum, & per sacratissimas Claues Confessionis Beatri Petri, quas ad eundem mittit, monet. Carolus serius quàm par est, succurrit, quòd Luithprandi ope nuper Saracenos superasset. *Epist. posterior.*

Inas Saxonum Occidentalium, seu Vvestanglorum Rex, abdicaturus se Regno, illud Romanæ Ecclesiæ vectigale constituit, singulis domibus singulos denarios argenteos annuatim pendere iussis; Hi vulgo Denarij Bea-E ti Petri audiunt. Auxit hoc vectigal postea Rex Athulphus totius Insulæ factus dominus. Præiuere longe antea exemplo Hiberni, statim ab accepta Religione Christiana, se suaque omnia Pontifici Romano dedentes. Secuti sunt postea inter alios, Offa Rex Orientalium Saxonum, mox Rutheni, denique felicissimo omine Hungari, vt in loco dicetur. *Anno 740. Indict. 8.* *Virgil. in Hist. Ang.* *Sander. lib 1. de Schis. Angl.*

A

Indict. 9.

IESV CHRISTI ANNVS	GREGORII PAP. III. ANNVS	CONSTAN. COPRON. ANNVS
741.	11.	1.

Moritur Leo Imperator Iconomachus, cuius facinora vel terræmotus ille diuinitus detestatus est, qui anno superiore non solùm Vrbem Constantinopolitanum, sed totam Thraciam, & Bithyniam deiectis Vrbibus, per duodecim menses concussit, mari à terminis suis fugiente. Successit Constantinus Copronymus, impio patre peior filius. B

Aimoin. lib. 4. cap. 57. Moritur & Carolus Martellus, die vigesimonono Octobris, *in Dominica*, quatuor circiter post obitum Leonis Isaurici mensibus, qui in decimum octauum Iunij, & similiter in Dominicam inciderat. De damnatione animæ Caroli ad æternas gehennæ pœnas fabulosa sunt, quæ circumferuntur in vita S. Eucherij Aurelianensis Episcopi, & in plures aliorum libros mittuntur, quasi huic oranti in mentis raptu Deus ostenderet Caroli cruciatus in imo inferorum constituti; cùm constet, Carolum multis annis superuixisse Eucherio. Res est, Carolum in iura Ecclesiæ offendentem, luisse in vita, sed maiori deinde pietate, & liberalitate noxam redemisse, & pie obdormisse. Eius magna laus est apud Romanos Pontifices, & apud S. Bonifacium Germanorum Apostolum. C

Hildmn. in Areopag. Baron. hic.

In vita S. Bonif.

Moritur denique Gregorius laudatissimus Pontifex, die vigesimaoctaua Nouembris, *feria tertia*, postquam præfuisset annos decem, & cum decem diebus menses nouem: Subrogatur Zacharias natione Græcus ex patre Polychronio, singulari Dei prouidentia electus.

D

IESV CHRISTI ANNVS	ZACHARIAE PAP. ANNVS	CONSTAN. COPRON. ANNVS
742. 744.	1. 3.	2. 4.

Theophanes. EVelid Principe Arabum sublato succedit Gezid Princeps Saracenorũ. Huius permissu viduata hactenus ob Tyrannidem Arabum per quadraginta annos sua Ecclesia Antiocheni, Patriarcham eligunt Stephanum Monachum Syrum, agrestem quidem, sed religiosum. *Anno 742. Ind. 10.* E

Paul. Diac. in fine lib. Epitaph. Tandem in fata concedit & Luithprandus Rex Longobardorum, magnus amicus Hungarorum; quibus sicut profuit in multis; ita vicissim ab illis commoda percepit in non paucis. Succedit Hildebrandus nepos, sed post septem menses, ob asperos mores in ordinem redigitur, eidemque subrogatur Rachis, seu Rachisis, Dux Foro-Iuliensis.

Alomus seu Almus, de quo superius dictum, immensis copijs auctus e Scythia egreditur, & sub septenis Ducibus, diuiso in totidem classes exercitu,

A citu, late loca omnia populoſque fulminis inſtar proſternit, ac tandem in Tranſyluaniæ regiones Pannoniæ finitimas penetrat. *Anno* 744. *Indict.* 12.

IESV CHRISTI ANNVS	ZACHARIAE PAP. ANNVS	CONSTANT. COPR. ANNVS
746.749.750.	5. 8. 9.	6.9.10.

B Alomus maiori parte copiarum verſus Pannoniam dimiſſa, dum res Tranſyluanorum incaute ordinat, ab his occiditur. Quo audito Arpadus filius, non parua ex itinere manu reducta, fortunam patris vlciſcitur, eidemque conſenſu reliquorum Ducum ſuccedit; cum quibus præcipua licet authoritate, pari tamen voto, & conſilio rem adminiſtrat, nec multo poſt Tranſyluanis pacatis in Pannoniam ducit.

In Syria bello ciuili inter ſe mutuo confligentibus Saracenis, tenebræ primùm occupant Palæſtinam, mox prodigioſi terræmotus vniuerſam concutiunt, innumera paſſim multitudo hominum cadit. Peſtis deinde in- *Theophanes. Theod. Stud. in orat. de S. Plat.*
C gens velut ignis depaſcens, peſtilentia bubonis dicta, ex Sicilia, & Calabria exorta, omneſque Inſulas interiacentes peruagata, demum Conſtantinopolim regiam Vrbem inuadit. Cruces tam in veſtimentis, quàm in ſacris Eccleſiarum indumentis, & velis frequentiſſimæ apparent: Phantaſticæ hominum imagines, pleroſque incedentes, truci aſpectu, modò ſtipant, modò comitantur, modò aduerſum veniunt, & alloquuntur, cunctis terrore ſtupefactis. *Anno* 746. *Indict.* 14. *Annal. Hung.*

Iterum Syria manu Dei grauatur, horribili terræmotu ciuitates aliæ plane dehiſcunt, aliæ ſolo æquantur, aliæ ex montanis in ſubiecta campeſtria, *Theophan.*
D ad ſex milliaria & vltro, integræ & ſaluæ cum muris, & habitatoribus transferuntur. In Meſopotamia, hiatus terræ ad duo milliaria patent; humo alia impletur alba, & arenoſa, e cuius medio emerſit animal muli formam habens, & humana voce prænuncians gentis incurſionem aduerſus Arabes. *Anno* 749. *Indict.* 2.

Rachis Rex Longobardorum, pacificus alioqui, & religioſus Rex, nulla de cauſa Ciuitates Romanas populatur. Cui prope Peruſium obuius factus Zacharias Pontifex, ita hominem flexit, vt pœnitens facti Regno renunciarit, & cum vxore Theſia, & filia Rattruda monaſticum habitum induerit. *Anaſtaſ. Leo Oſtien. Chr. Caſ. cap. 8.*
E Frequentia fuere hæc tempora pietate Regum Regnis renunciantium. Ex his fuit Inas cum coniuge Regina Edilburga, de quo ſupra ad ann. 740. Carolomannus Rex Franciæ, monaſticam pariter vitam amplexus. Anno 747. Nec multo poſt Richardus Rex Angliæ, qui relicto terreno Regno, peregrinari in hoc mundo voluit, vt Ciuitatem cæleſtem obtineret. Succeſſit Rachiſi in Regno Longobardorum Aiſtulphus eiuſdem frater. *Anno* 750. *Indict.* 3. *Sigebert. in Chr. Lambert. in Chron.*

A

IESV CHRISTI ANNVS	ZACHARIAE PAP. 2. STEPHANI PAP. III 1.	CONSTANT. COPR. ANNVS
751.752.		11.12.

Annal. Franc. Paul. Veron.

ZAcharias Papa Francorum Regnum, quòd sub Regibus Merouingis inertibus, & nouissime sub Childerico inepto periclitaretur, Apostolica authoritate in Pipinum Caroli Martelli filium, & Carolomanni germanum transfert, ipsumque Regem creat, Childerico anno sequenti in Monasterium detruso. *Anno* 751. *Indict.* 4. B

Idem verò post annos Pontificatus decem, menses tres cum diebus decem, e viuis excedit die Martij decimaquinta, *feria quarta*. Inter Sanctos deinde relatus, & anniuersaria memoria celebris. Succedit Stephanus Secundus moriendo potius, quam munus exercendo; nam quarto ab electione die vita, & Pontificatu defungitur, eidemque subrogatur Stephanus Tertius Romanus. *Anno* 752. *Indict.* 5.

C

Indict. 10.

IESV CHRISTI ANNVS	PAVLI PAPAE ANNVS	CONSTANT. COPR. ANNVS
757.	1.	17.

STephanus Papa Tertius post annos quinque, diesque viginti octo vigesimaseptima Maij, *feria sexta*, locum relinquit Paulo Romano Constantini filio. D

Habdalas Princeps Saracenorum, Monachos omnes sub tributis redigit, & Ecclesiæ ornamenta Hebræis emenda proponit. Grauius hoc visum Sanctis, quàm quòd anno superiori sexaginta Monachi, cum Michaele Sancto Abbate, Christo renunciare nolentes, ab Hali Principe gladio percussi sint.

IESV CHRISTI ANNVS	PAVLI PAPAE 7.10. STEPHANI IV.	CONSTANT. COPR. ANNVS
763.766.767. 768.	1.	23.26.27. 28.

E

Theophanes.

IMperator Bulgaros vincit, & Constantinopolim reuersus triumphum agit. Turcæ e portis Caspijs per mare glaciei rigore concretum erumpunt, & in Armeniam irruunt. Mira de hac concretione triginta cubitorum profunda narrat Theophanes testis oculatus, ingentemque siccitatem arescentibus passim fontibus, signaque de cælo visa tradit. *Anno* 763. *Indict.* 1.

Iterum

A Iterum verò motus contra Bulgaros Constantinus, classem eorum totam perdit, vt necesse fuerit retia ad educendos mortuos extendere. Non multo post extinguitur Habdalas Princeps Saracenorum, sæuus Christianorum persecutor. *Anno 766. Indict. 4.* Sigebertus.

Paulus Papa exactis cum vno mense decem annis moritur, die vigesimonono Iunij, *feria secunda*. Eo nondum extremis functo intrusus est Constantinus Pseudopapa, frater Totonis Nepesinæ Ciuitatis Ducis. *Anno 767. Indict. 5.*

Constantino post annum & mensem deiecto, nec non qui eidem præter B ius, & fas subrogatus fuerat, Philippo cessare iusso, legitimè succedit Stephanus Quartus, quibusdam dictus Tertius, natione Siculus ex patre Oliuo. *Anno 768. Indict. 6.*

IESV CHRISTI ANNVS	HADRIANI PAP. ANNVS	CONSTANT. COPR. ANNVS
772.774.	1.3.4.	32.34.
775.		35.

C

STephanus Papa excedit Kalendis Februarij, *in Sabbato*. Succedit Hadrianus Romanus patre Theodoro, nobili genere. Carolus Magnus, qui Pipino patre ante quadriennium defuncto, cum fratre Carolomanno in Regnum Franciæ successerat, & isto etiam in fata concedente, solus regnat.

Habdalas Rex Saracenorum, religionis causa Hierosolymam veniens, edicto iubet Iudæos omnes, atque Christianos sibi subditos manibus inscribi, quò à ceteris dignoscantur. Quam ignominiam complures non sustinentes, D relictis bonis ad Romanos se transferunt. *Anno 772. Indict. 10.* Theophanes.

Carolus Magnus, cùm ante biennium auspicatus Regnum, contra Saxones feliciter rem gessisset, & templum Idoli, quod hi colebant, funditus euertisset, hoc anno rebellantes iterum vincit, & libertatem cum Religione proponit. Idolum illud formam Senis pisci insistentis, & rotam vtraque manu tenentis referens, Saxonibus *Crodo*, Latinis Saturnus dictus est. *Anno 774. Indict. 12.*

Constantinus Imperator, exactis in Imperio plus minus annis triginta quatuor, contra Bulgaros iturus infelicissimo exitu, anthrace in cruribus E diuinitus percussus interit, suprema voce Virginem Dei Genitricem, quam tota vita impiè offenderat, implorans, & in posterum eidem cultum debitum decernens, dum interea continuo ingeminaret: *Viuens adhuc igni inextinguibili sum traditus*. Totidem annis regnauit & pater eius Leo Isauricus. Ita Deus interdum prorogat impiorum vitam Principum, siue ob peccata populi, siue vt non conuersos, sed iram sibi thesaurizantes diriùs postmodum castiget. Succedit non melior patre filius Leo. Dignissima tamen filia virgo Anthusa, quæ deinde ab optima Irene cognata, vt secum, & cum filio pariter regnaret inuitata, minime consensit, sed à S. Tharasio Patriarcha in Eumeniæ cœnobio velata sanctissime vixit, Sanctorumque

deinde Catalogo adſcripta, anniuerſariam ex ſacro ritu celebritatem meruit; eo etiam elogio illuſtris, quòd ex Monachorum perſecutore nata, vitam ipſa monaſticam coluit, & conuerſo aduerſus parentis impietatem exemplo, quicquid ſacrorum hic deteſtatus eſt, ipſa extulit, & priſtinæ dignitati reſtituit. A

Moritur etiam Habdalas Arabum Rex paris cum Conſtantino impietatis; eidemque ſuccedit Madi filius. Horum impietatem ex parte compenſat Offa Rex Orientalium Saxonum, qui ad expiationem ſuorum delictorum, Romam profectus, in manu Hadriani Regnum ſuum vectigale facit, tributo ex ſingulis nummis, à ſingulis domibus quotannis Eccleſiæ S. Petri pendendo. *Anno 775. Indict. 13.* B

Polyd. Virg. Angliæ hiſt. lib. 4.

IESV CHRISTI ANNVS	HADRIANI PAP. ANNVS	LEONIS IV. IMP. ANNVS
776.777.778.	5.6.7.	1.2.3.
779.	8.	4.

C

Carolus Magnus in Italiam veniens, Rotgaudum Ducem Longobardorum Regnum ſibi vendicare conantem, occidit, & rebelles Ciuitates recuperat. Aldegiſus Deſiderij Longobardorum Regis filius, eam ſua fuga mentem iniecerat Rotgaudo; quippe Conſtantinopolim ad Leonem fugiens, cùm ſæpe res Italiæ fruſtra tentaſſet, ibi tandem patritio honore donatus conſenuit.

Saxones iterum ſacramentis ruptis rebelles, & Chriſtianorum loca infeſtantes, ingenti miraculo territi fugam capeſſunt, & mutuo ſe cædunt. Id intelligens Carolus, ad componendas res Eccleſiaſticas, & politicas celebrem Synodum Vvormatiæ procurat, experientia doctus curare Deum res bellicas, ſi Principes de rebus, & iuribus Eccleſiaſticis conſeruandis ſint ſoliciti. *Anno 776. Indict. 14.* D

Regino. Annal. Franc.

Telericus Rex Bulgarorum, qui ſæpe aduerſus Conſtantinum Copronymum duxerat, Chriſtianæ Religionis amore ſuos deſerens, Conſtantinopolim ſe confert, & vt pro Regno terreno, cæleſte adipiſcatur, ſacrum baptiſmum ſuſcipit; mox Patritius creatus coniugio conſobrinæ Imperatricis honeſtatur. Hæ fuere primitiæ Bulgaricæ gentis: cuius fama plurimos Hungarorum ambiguos, ipſoſque imprimis Duces cum Arpado ſuſpenſos habuit.

Theophanes.

Saxones quamplurimi in Synodo Padesbornenſi baptiſmo expiati, de Chriſti ſacris nunquam deſerendis iurant. Vviticindus, vnus ex Principibus abeſt, & cum paucis fugit in Normandiam; cuius locum tres ex Hiſpania Saracenorum Principes implent. *Anno 777. Indict. 15.* E

Acta Caroli. Vetus Chron. Annal. Franc. Regino. Gobel. in Meinulpho.

Non multo poſt dum Carolus in Hiſpanica contra Saracenos expeditione moratur, Saxones ſuaſu Vvitichindi iterum rebellant. *Anno 778. Indict. 1.* Non impune; nam à Carolo, intra paucos menſes reuerſo, vnà cum Vveſtphalis debellantur. *Anno 779. Indict. 2.*

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS	HADRIANI PAP. ANNVS	LEONIS IV. 5. CONST. ET IRENAE
780.781.786.	9.10.15.	2.7.

LEo Imperator moritur carbunculi morbo caput infestante. De eo vulgo dictum: Carbunculos amauit, carbunculos passus est. Nam cùm circa lapides pretiosos insaniret, Coronam carbunculis ornatam ex Ec- *Theophanes.*
B clesia sustulit, & sibi imposuit. Mox carbunculi e capite protuberare cœperunt, & accedente febre valida, miserè extinctus est. Succedunt Irene, & Constantinus. Et non multo post in longis Thraciæ muris, inuenta à fossore arca lapidea, in eaque vir iacens, & literæ arcæ conglutinatæ hæc reddentes: *Christus nascetur ex Virgine Maria: Credo in eum. Sub Constantino, & Irene Imperatoribus o Sol iterum me videbis.* Varis alicuius fuisse sepulchrum creditum est. *Anno* 780. *Indict.* 3.

Carolus Magnus cum Regina Hildegarde, & filijs Pipino, & Ludouico filiaque Rotrude iterum Romam venit. Inter alia de statutis Synodi in Sa- *Theophanes. Crantz in Metrop. lib. 1. cap. 1.*
C xonia habitæ, deque incunabulis Ecclesiæ in eadem gente fundatæ ad Hadrianum refert; à quo filij Reges vnguntur, filia Constantino Imperatori desponsatur, sed nullo euentu, ob solutam interim cum Francis pacem, & cum Saracenis constitutam, annuo censu ab Irene pacto. *Anno* 781. *Indict.* 4.

Idem Carolus, Saxonia tandem domita, tertiò Romam orationis causa, & vt Saxoniam B. Petro cuius ope vicit, offerat, iter parat: ante tamen aduentum in Italiam, Britones debellat. *Anno* 786. *Indict.* 9. *Eginhard.*

D

IESV CHRISTI ANNVS	HADRIANI PAP. ANNVS	CONST. ET IREN. ANNVS
787.788.	16.17.	8.9.

TAssilo Dux Baioariæ impulsu vxoris filiæ Desiderij Regis Longobardorum, à Francis Regno pulsi, cum Hungaris contra Carolum fœdus init. *Anno* 787. *Indict.* 10. *Eginhard.*

E Eidem Carolo, dissoluta primum pace inter Constantinum, & Carolum, Græci bellum mouent, eo prætextu, quòd Ducatum Beneuentanum, quem Orientales vnà cum Duce tuendum susceperant, Carolus inuasisset. Ad id maxime incendit Aldegisus Desiderij filius, quem Constantinopolim fugisse superiùs diximus: ita enim sperabat, irritis iam nuptiarum fœderibus inter Constantinum, & Caroli filiam, si bellum quoque inter eos accenderetur, facile se ad suos reuersurum, & pulsis Francis Regno restituendum. Verùm Græci à Francis, & Longobardis victi, hanc spem inanem reddiderunt. Diutius longe tenuit bellum contra Hungaros susceptum, vt in loco dicemus. *Anno* 788. *Indict.* 11. *Theophanes.*

A

IESV CHRISTI ANNVS	HADRIANI PAP. ANNVS	CONSTANT. SOLIVS ANNVS
790.791.793.	19.20.22.	1.2.4.

Theophanes. CONstantinus cedente matre Irena Augusta, factione legionum Armenicarum solus regnat. *Anno 790. Indict. 13.*

Iterum tamen matre ipsa, & optimatibus deprecantibus, ad Imperium assumitur, frustra reclamantibus militibus Armenis. Mox aduersum Bulgaros profectus infeliciter pugnat, multisque suorum desideratis, vix fuga elabitur, occiso etiam Pancratio Astronomo, qui certam victoriam vane prædixerat. *Regin. Chron. Franc.* Feliciùs à Carolo contra Hungaros pugnatum, quòd fide quàm armis potentior, triduano ieiunio, Litanijs & celebratione Missarum exercitum roborasset, & hinc iam designari cœpta Religionis apud ipsos fundamenta. *Anno 791. Indict. 14.* B

Luc. Tud. n. in Alph. Apud Hispanos quoque respirare incipit Religio, sub Alphonso Rege Galliciæ cognomento Casto, qui indigne ferens tributi nomine prostitui pudicitiam nobilium Virginum Hispanarum, longe imparibus licèt viribus cum Mauris congressus, septuaginta millia ex eis vna strage deleuit, pluribusque deinde victorijs clarus, depressis Mauris Christianos erexit: ea de causa Carolo Magno apprime charus. *Anno 793. Indict. 2.* C

Interim vero, & Carolus Saracenos pyratas, Prouinciam Narbonensem vastantes debellat; & liberata Vrbe Arelati, triumphum agit Christiano Principe dignum, dum & victrici Cruci adorandæ Templum ponit, & in honorem Principis Apostolorum Monasterium dicat hoc Titulo Religionis, Ecclesiæ valuis inscripto: D

Si Christus Deus est, & Petrus clauiger eius,
Iam nisi per Petrum nemo videbit eum.

Scilicet adeo Carolus fuit Catholicus, & religiosus Princeps, vt nunquam nisi pro Romana Ecclesia, & Petri Sede exaltanda bellum suscepisse, eaque de causa semper vicisse crederetur. Quod ipse non nesciens, & Ecclesiæ Romanæ Principisque Apostolorum Miles dici amans, quamplurima Ecclesiæ Romanæ, & voto designauit, & Religionis iure contulit: quæ tum maxime quidem enituit, quando post diutina bella perdomitis Saxonibus, Saxoniam Beato Petro, cuius ope se vicisse gloriatus est, inclytas victoriarum primitias obtulit; neque hoc dono contentus, singulos insuper nummos per singulas Galliarum omnium Prouinciarum domos Romanæ Ecclesiæ pendendos constituit. Ita scilicet exemplum à Constantino alijsque Principibus pijs repetitum, ad Ludouicos, Otthones, Henricos, aliosque Catholicos Imperatores, & Reges transmisit. Quos inter Hungarorum Regum, ac in primis Stephani Primi, & Sancti pietas, quantum se extulerit, Annales in serie dabunt. E

Quibus

A Quibus porro auſpicijs Arpadus, & reliqui Duces Pannoniam occuparint, quàm multis prælijs ancipiti fortuna decertarint, quoad Sedem à finitimis tutam figerent, Annales promiſcui Hungarorum produnt, ſed qui ad præſens inſtitutum haud faciunt. Iuuat inſinuaſſe, Arpado vſque ad initium octaui ſeculi vitam prorogante, ſubrogatum deinde filium Zultanum, iuuenem robuſtum, & bellicæ rei peritum, qui inter Macrouios numeratus, in aureo argenteoque ſeculo ſi non Regnum, ætatem æquauit, certe ad plurimos annos, quibus artibus Principatum acceperat, iiſdem, etſi dubia viciſſitudine, ſeruauit; maximè quòd ſenio confectæ vi-
B res prioribus ſucceſſibus non reſponderent: vnde res perturbatæ non parum detrimenti faciebant. Quare tam diuturna regnantis ætas ſibi diſſimilis, & neglectu deſectior cùm rebus obeſſe plurimum videretur, diu vnius Imperium Duces detrectauerunt, mutua authoritate prouidentes; donec emendatis, quantum ſatis, temporibus, poſt annos quadraginta nouem, iterum in Toxin filium Zultani, viribus quàm annis vegetiorem conſentirent. Is delato ſibi Principatu duos ſupra viginti annos ſtrenue potitus, præſcripta bene regendi forma, Geyſam filium ad omnium vota factum, heredem reliquit; ex quo deinde Religio Hungarorum, eo quem in An-
C nalibus recenſemus, ſucceſſu initiata eſt.

Quod vlterius ſpectat ad ſeptem Duces, quorum ſocietate, & conſilijs Alomus omnia moderari ſolitus erat, is numerus tempore Arpadi minui cœptus, longa deinde Zultani ætate, tædio an ſtudio, neglectus eſt: vt qui ex his naſcerentur, non authoritate in adminiſtrando, ſed duntaxat exiſtimatione vulgò valerent; quòd tales Maiores habuiſſent, qui nobilitatem cum fortunis, ditionibus quoque auctam ad poſteros tranſmiſiſſent. Hinc factum vt Giulæ, vnius ex iſtis, natam, Geyſa ad Principatum euectus legitimo thoro ſibi coniugarit, ex qua demum Stephanum, primum Regem
D ſuſcepit. Fuit autem hic Giula, non is, quemadmodum non nemo exiſtimauit, qui vnus ex ſeptem primis Ducibus cum Alomo egreſſis in Tranſyluania remanſit, & fundatam pridem à Romanis Coloniam, ſuo quoque vocabulo nobilitauit; verùm qui ex huius ſtirpe deſcendens, eadem nuncupatione per generis ſeriem ducta, longe poſtea Geyſæ coniugem, Stephano Regi matrem dedit.

Non lubet hoc loco, ne actum agamus, Arpadi ſeriem retexere, quam Hungaricarum rerum profani Scriptores per generationes duas ſupra quadraginta, aut vna alteraue pauciores, in Noachum ſiue Noë refundunt; vt *Thuroz. 2. par. Chron. cap. 1. Bonfin. Decad. 1 lib. 9.*
E non paucis admiratio ſubeat, vnde tanta in genealogia ſua deſcribenda nationi Hungarorum diligentia inceſſerit, quando nec Scriptorum illis ab initio copia fuerit, qui condendis huiuſcemodi monumentis pares eſſent, qualia nec Latini, nec Græci in ſuis originibus repetendis exercitatiſſimi, aut certe vix, ſunt aſſecuti; niſi veriſimile ſit, ne commenta edidiſſe, ipſi comminiſcamur, illos traditione maiorum per ætates, & manus ducta, generis ſui memoriam firmaſſe, nec in Scythia defuiſſe, qui huic philoſophiæ vacarent.

Propius eſt, ſeptenorum Ducum, quorum virtute, & Pannonia Hungaris, & gloria nominis ſtetit, vel obiter, & per tranſennam poſt alios meminiſ- SEPTEM PRIMI DVCES HVNGARORVM.

minisse, & velut digitum ad fontem intendere, vnde nobilissimæ Hungarorum Familiæ magna ex parte sunt deriuatæ; nam & accessione illustrium vndecunque Capitum, mirum est, quantum postea excreuere. A

Itaque secundùm *Arpadum* alteri nomen *Zobolcho*, qui cùm primum in Pannonia consedit, oppidum à se conditum Zobolchum dixit; deinde tamen Chiakyæ coniugis amore, Chiakuarum, hoc est, Chiakyæ castrum, seu Ciuitatem appellauit, magnæque genti *Chiakyorum* principium dedit.

Hunc consequitur *Giula*, ex quo is, cuius paulo ante meminimus, descendit, magno vir animo. Hic cùm forte in Transyluania venandi studio siluas oberraret, Albam vetustissimam vrbem, Romanorum monumentum, sed vepribus, & arbustis obsitam, antiquitatem veneratus instaurauit, & Albam Giulam, posteri molliùs, Iulam, sed recentiores, in similitudine vocis, rei errore, Iuliam, quasi à Iulio condita fuisset, vocauerunt. B

Quartus fuit *Chundus*, Cusidi illius ingenio iuxta, & viribus pollentis genitor, qui Legatione Hungarorum e Scythia migrantium, apud Suathem Pannoniæ Dominum functus, mira versutia fortunæ coniuncta illi Regnum extorsit. Ex huius deinde progenie extitere Cusidus alter, & Cupan fratres, qui fixa pridem à Maioribus suis castra ad Nyrim amnem incoluerunt, & vbi Christi sacra susceperunt, nobile eodem in loco Cœnobium Virgini Dei Genitrici dedicarunt. C

Tzetzes Chil. 11. Chalcondil.

Quintum locum obtinet *Lehel*, præstantis Vir indolis, qui diuisa cum socijs belli prouincia, Mœsiam superiorem eiectis Bulgaris occupauit, & Hungariæ adiecit, vnde & vocabulum Hungariæ sortita est, quæ prius Bulgaria audiebat, interdum & Seruia dicta. Hic Lehel varia deinde progenie *Zuardorum* genus initiauit, nobilitate cum honore, & opulentia propagata; ex qua etiam descendit Lehel ille, de quo narratur fabula, cùm in pugna ad Augustam captus à Cæsare Conrado interrogatus fuisset, cur adeo Christianis Hungari infensi essent, respondisse, *vltionem se esse Summi Dei in flagellum destinatos*, nec vinci, nisi à persequendo cessantes, posse: Tum vero data ei à Cæsare optione, quo genere mortis interire liberet, non priùs se responsurum dixit, quàm buccina sua præcinuisset. Qua allata, & dum officium simulat, fortiter incussa capiti Cæsaris, eum momento exanimasse, addito etiam improperio: *Præito mortem apud plures mihi seruiturus:* nempe Scytharum religio est, quoscunque sua manu cæcidissent, seruos in Orco habituros: ita demum vnà cum socio Bulchu Ratisbonæ infamis patibuli supplicio se se permisisse. Hæc est fabula à plerisque decantata, quæ & in Cæsare errat: quid enim Conrado cum pugna ad Augustam? & in commento impingit, an quippe Scythis quicquam de altera post hanc, vita creditum? Sed nec vllum aliquando Cæsarum, hoc necis genere sublatum accepimus. D E

Thurocz. lib. 1. Chron. cap. 25.

Sextus Dux *Verbulchus*, non minori fortitudine totam illam regionem, quæ Balatonem inter lacus Pannoniæ nobilem late circumscribit, vendicauit; ibique castro primùm, deinde diuersis oppidis locatis, Hungariam illustri prosapia nobilitauit, quæ hodieque sed demutatis in stirpes nominibus floret.

* al. Scio.

Denique *Vrsus* numerum septenum gloriose implet. Hic in Seiano* agro

A agro consistens, non fortunis modò, sed maiori etiam claritate creuit, pro-
genie in plura oppida, & Ciuitates propagata. Ab hoc *Vrsorum* Familiam,
(*Orsy* vulgo audiunt) plerique ductam existimant: quidam & *Vrsinos* præ-
cipuæ nobilitatis, non vno in loco Europæ Dynastas, huic deberi, vel cer-
te postea eiusdem generi agnatos coaluisse, quàm certo sibi persuadent, ip-
si viderint.

Hæ proinde fuere decantatæ illæ in Hungaris Ducum Familiæ, præter
quas tamen innumeræ aliæ non impari nobilitate certantes, aut ex illis de-
scenderunt, aut certe aliunde varia occasione sunt aggregatæ. Dici enim
B vix potest, Hungaria iam Christo sacra, quot illustres vndique Proceres,
huc attracti ex omni Orbis parte, Pannonum generi se se inseruerunt, si-
ue Regni felicitatem, siue suam fortunam secuti, aut etiam aduersam de-
clinantes, vt hìc tutum refugium haberent. Plures ex his enumerat Thu- *Parte 2. Chron. c. cap. 7.*
rozius, quibus addi possunt *Frangipanes Petri Leones**: quorum illi quidem **Al. Pierleones.*
hodieque nomen originarium seruant, illi ex gentium vbi constitere idio-
mate commutatum ferunt; adeoque si in Germania secus, in Hungaria
Oroslani dicti sunt. Quædam vocabulis licet corruptis, nobilitatis tamen
integritate pollent, vt *Caietani*, *Catani*, interdum *Catonai* vocati: Ex Si-
C cilia item venientes *Ansaloni*, & *Saccani*, in *Absolonsios*, & *Chiakanios*, alij
in alios abierunt: Non pauci etiam Ciuitatum, vnde orti sunt, vocabula
tulerunt, vt *Romani*, *Veneti*, Hungarica inflexione dicerentur. Innumeri
denique Hungariam iuris patriam adepti, ita eam auxerunt ornaruntque,
vt nobilitas, & gens Pannonica ex Orbis Christiani flore composita videri
posset.

APPENDIX.

D Hungaros non semel e Scythia egressos, nulli dubitant Scriptores; & cau-
sam plerique eandem asserunt, dilatandæ sedis necessitatem, an ambitionē;
sed varias occasiones, & fortasse fabulosas narrant. Certè, si humana iudi-
cia spectemus, interdum fortuitæ illæ fuisse videntur: si altiora scrutemur,
diuino consilio ratas non ambigemus. Tradunt ipsi, à Marte, & Hercule
sæpe Maiores suos in visu monitos, ne horrido illo mundi angulo se con-
clusos paterentur, sed in exteriores felicioris Orbis partes, virtuti viam ferro
aperirent. Fragmenta peruetusta, quæ inspeximus, diuina dispositione ex-
citos, ad castiganda mortalium, ac præcipue Christianorum peccata, adeo-
E que Angelorum hortatu, qui illis Mars, & Hercules visi, fuisse instructos
religiose produnt. Hinc illa *Flagelli Dei* nuncupatio, quæ primum ex At-
tila innotuit, deinde ad posteros, vt paulo supra vidimus, deriuata est. Qui-
bus admodum consentiunt ea, quæ inter alios Saluianus Massiliensis tra- *Libris 8. de Gubernat. Dei.*
dit, multisque Christianorum scandala iram Dei prouocantia, describit: quæ
qui legat, aurea hodie secula comparatione facta fortasse admiretur. Illa
tamen traditio, quam de postremo Hungarorum in Pannoniam ingressu
plerique ferunt, per nos quoque sua qualicunque fide stabit: Hungaros ni-
mirum Transyluania iam potitos, misisse Cusidum, cuius supra memini-
mus, Chundi filium, qui Pannonia explorata, miratus vbertatem soli, cæ-


lique

lique clementiam, à Suathe Pannoniæ Domino nouas genti ſedes poſtularit, eiuſque gratia, glebam, herbas, & aquam e Danubio lagena hauſtam, ad ſuos retulerit. Quæ vbi Arpadus accepiſſet, aqua cornu infuſa, coram vniuerſis Marti, & Herculi, quos Ductores gentis habere ſe credebat, libauit. Nec mora habito concilio ad occupandam Pannoniam perrexit, ea aſtutiâ, vt præmiſſo Cuſido, Suathi, equum, ephippio, frenoque aureo cultum, dono daret, viciſſimque ſuis terram, aquam, herbam impetraret. Suathem doli ignarum, acceptoque dono gauiſum, aiunt, conceſſiſſe quantum voluiſſent: tum illos vniuerſo ſuorum agmine facto veniſſe, & vt Suathes, Regno, quod equo commutaſſet, decederet, mandaſſe. Hunc, contemptis cum ſuo dono ſtolidis, vt iactabat, mercatoribus, tumultuarijs quam primum contractis copijs aduerſum iuiſſe; verùm infauſta pugna dum acie inclinata retro fugit, cum multis ſuorum Danubio merſum interijſſe; atque ita reliquis cæſis Hungaros Pannoniam vendicaſſe. Hæc iſte; nec admodum diſſimilia tradit Vvitichindus, de occupata Thuringis eiectis, à ſuis Saxonia, cùm pro auro dato puluerem ab ipſis accepiſſent, callidi ſcilicet licitatores hac permutatione Regnum præſtinantes. Sed iam ipſos Annales aggrediamur.

Lib. 1. de reb. Saxon.



ANNA-



ANNALES ECCLESIASTICI REGNI HVNGARIAE.



A HACTENVS prælusimus. Dehinc continuata per annos serie ducendum historiæ filum, tametsi non vbique & per singulos gradus aperta narratione, sed vt moris est Chorographis, adiacentibus agris, & velut limitaneis, suas circumscribere regiones. Neque tamen adeo clausa vsquam explicatione, quin ex connexis, vel certè non longè petitis rerum momentis, ceu vestigijs quibusdam iter adstruatur ad caput Hungaricæ Religionis. In hac, Sacerdotij & Regni fundamenta iacimus eatenus, vt neque Regnum sine sanctitate diu stare,
B neque sanctitatem absque Regno, debitum, adeoque splendidum cultum habere posse arbitremur, semper tamen Regnum infra Religionem habeamus; experientia seculorum docti, non versutas artes, (quod putant Abderitici) sed Religionem sceptris fulcrum esse. Quod dum exemplo Regni, & Ecclesiæ Hungaricæ affirmamus, eius, qui vtriusque iuxta ac omnium rerum vices, nutu suo & legibus temperat, ope freti ordimur.

C IESV CHRISTI ANNVS 795.	HADRIANI PAP. ANNVS 24.	CONSTANTINI IMP. 6. CAROLI MAG. REG. 28.	*Indict. 3.*



AB HOC ANNO, QVI CONSTANTINI V. IMPERAT. Leonis IV. & Irenes filij, solius, sextus erat, Indictione tertia, auspicamur Hungarorum conuersionem, etsi nondum publico ritu per omnia firmatam; sed quatenus ex initijs, & velut semine fidei concepto, post vltimum è Scythia egressum, apparebat in quantam aliquando sanctitatem assurrectura erat religio gentis bel- PRIMA HVNGARORVM CONVERSIO.

bello efferatæ. Fuisse semper aliquos Hungarorum à primo in Pannonias aduentu, Christo deditos, dubium non erit retractanti ea, quæ in Apparatu memorauimus, vndecunque tandem ducti in pietatem concessissent. Narrant aliqui, vnum ex septem Ducibus, quos secunda migratione Hunni ex Scythia sequebantur, Seitam nomine, primum ad fidem Christi traducere tentauisse Hunnos, cùm multos Christiani generis in exercitu haberet. Id factum oportuit non multo post quadragesimum quartum huius septimi à Christo seculi annum, quo migratio illa contigit. Quod vt verum sit, authores tamen narrationem luxant, cùm addunt fuisse inter eos Adeodatum nescio quem ex Familia S. Seuerini Siciliæ, eumque duo Cœnobia construxisse in Pannonia, alterum cognomento de Tata, alterum de Barato. Fugit istos & rerum, & vocabulorum notitia; proinde quæ alio tempore & occasione sunt gesta, loco & causis non nectunt suis.

CAROLVS MAG. HVNGARIS CONVERTENDIS PRIMVS OPERAM DAT.

Porrò id Carolo Regi, qui gloria magnorum facinorum Magni nomen tulit, seruatum est, vt prima propemodum fundamenta fidei apud Hungaros iaceret; non quidem illico, cùm primùm tentasset, sed postquam illos bello aliquandiu fatigasset. Tenuit hoc bellum annos octo, sicut plerique scribunt, idque constat, si causa Religionis spectetur: si Regni tuendi, cladisque vlciscendæ studium, dubio procul maiori spatio extenditur. In primis enimuero Hunnos Tassiloni Baioariorum Duci confœderatos, cùm illi duobus exercitibus comparatis, altero Marchiam Foroiuliensem, altero Baioariam ipsam Tassiloni aduersam aggressi essent, fudit, fugauitque. Iterum verò maioribus copijs vt vindicarent, aduentantes, Baioariorum manu repressit. Contigere hæc anno salutis supra septigentesimum octuagesimo octauo.

Anno deinde septingentesimo nonagesimo, cùm suos Hungari Legatos Vvormatiam ad Carolum misissent, isque suos vicissim ad eorum Principes ablegasset, de confinibus regnorum, quibus limitibus discerni deberent, nihil certi actum est. Verùm contentio atque altercatio, belli, quod postea cum ipsis gestum est, seminarium, & origo fuit. Quare anno proximè sequenti, vel vt quibusdam placet, altero, comparatis validissimis copijs, bipartito exercitu Pannoniam ingressus Carolus, vsque ad fluenta Arrabonis, (vulgo Raba) peruenit, magnaque strage edita victor reuersus est. Ita Rhegino ad annum septuagesimum nonagesimum primum.

Tertiam mox meditatus expeditionem, anno septingentesimo nonagesimo nono, cùm iam in prouincia esset, intermittere coactus est: nunciatum quippe fuit, copias per Frisiam ductas à Saxonibus interceptas atque deletas. Accessit & Sarracenorum in Galliam Septimaniam irruptio, qui prælio cum limitis custodibus conserto, plurimos confecerunt. Quibus rebus commotus Carolus in Franciam reuersus est.

Lacessitum ab Hungaris initio Carolum, quidam eo scribunt, quòd post Iulianum apostatam peremptum cum multis alijs populis ab Imperio defecissent. Sed nimis remotè causam petunt, & quamplurimæ aliæ prouinciæ prius cogendæ erant, quàm Pannoniam tentare licuisset, quando eo tempore pleræque ab Imperio Romano discesserant. Res est, Hungaros à vexandis nationibus non cessasse, quòd diuinitus ad castiganda mortalium scelera se factos existimarent; interea omnium nationum opes in Pannoniam velut in- hor-

A horreum congerentes, tanquam sibi debitæ essent. Ducentos penè iam annos, in affligendis, & expoliandis nationibus consumpserant, cùm Carolus in Franciæ Regnum hæredis iure primùm succedens, deinde diuina dispositione ad Imperium Occidentale vocandus, id in primis curis habuit, vt Ecclesiam & Christianam Rempublicam pacatam seruaret, omnesq; ab ea, hostiles præsertim infidelium, incursus auerteret; vel religione cum ijs paciscendo, si Christiana sacra suscipere voluissent; vel si recusassent, prælio & sanguine decernendo: neque enim suo magis, vt plerique libidine faciunt, quàm Christi regno proferendo operam nauauit: iccirco tot felix successibus, tot clarus B victorijs, quot accessione gentium ad Christum, iure Augustus, & de Ecclesia Catholica bene meritus, quem ea de causa Hadrianus Papa, *Constantinum alterum* appellauit.

Hoc itaque anno septuagesimo nonagesimo quinto, Thuduinus, siue vt alij scribunt, Theodo, vel Thudo Rex Hungarorum, Legatos mittens ad Carolum, & suum aduentum significauit, & se cum suis fidem Christianam suscepturum spopondit: Alij non regem eum, sed vnum ex primoribus Hunnorum, & magnæ potestatis Dynastam fuisse, eo tradunt, quòd à morte Attilæ in plures secta natio, ferè à pluribus regebatur. Creditur permotus, aut C afflictione suæ gentis, quæ iam tot bellis à Rege Christiano fracta, superstitionem suam virtute destitutam rebatur, idque opinione verius: quòd paulo ante Saxones quoque Christianæ religionis desertores, atque ideo rebellantes, valida manu coercuisset. Hoc ipsum insinuare videtur Albinus Flaccus in Epistola ad Paulinum Patriarcham Aquileiensem, dum *in Dei potentia, & gratia mirabiliter* de Auarorum gente triumphatum memorat. THVDVINI REGIS HVNGARORVM LEGATIO AD CAROLVM.

Accessit quorundam piorum Sacerdotum monitio, qui subinde ad lucrifaciendum Christi regno ad Hungaros penetrabant: sed præcipuè ob oculos versabatur, Telerici Regis Bulgarorum exemplum, qui non ita pridem ante, D hoc est anno huius sæculi septuagesimo septimo, Christianæ religionis amore, suos deserens, Constantinopolim se contulerat, regnumque terrenum cum cælesti permutans, sacrum baptisma susceperat; magno sanè viuæ fidei argumento, dum numerosissimæ victricisque gentis imperio seruitutem Christi, vel si priuatim viuere libuisset, prælegit. Eum tamen, vt scribit Theophanes, Leo IV. Imperator, *ex sacro lauacro susceptum magnificè honorauit, pariter & amauit, nam & Patricium fecit, & vxoris suæ Irenæ consobrinam eidem copulauit*. Hoc tanto exemplo motus Theodo, quid mirum si dignum se facinus imitari voluerit, idque maiori quodam specimine, quòd vt Rhegi- E no scribit, *cum terra, & populo suo, se Regi dare vellet & ex eiusdem ordinatione Christianam fidem suscipere?* Id factum esse anno sequenti plerique Annales Francorum, quibus vtimur, tradunt; tametsi nonnulli alij in hunc eundem annum conijciant.

Fuere porrò extrema huius anni funesta, morte Hadriani Papæ, sed felicissimi Pontificis, siue id spectetur ex gloria Crucis, & Ecclesiæ nouo conuersarum ad fidem gentium flore vernantis; siue ex rerum temporalium prosperitate, quam Principes Christiani magnis fortunis augebant, nec minus à Longobardorum perfidia, quàm à Græcorum insolentia vendicabant. Incidit ea mors in septimum Kal. Ianuarij seu diem vigesimum septimum Decembris, HADRIANI OBITVS.

in Sabbato; postquam Ecclesiæ præfuisset annos viginti tres, menses decem, A
dies sexdecim. Tanti Pontificis obitum multis lacrymis, grauem sibi fuisse, testatus est Carolus: neque solùm, sed religiosis quoque officijs, & suffragijs animam defuncti prosecutus, longe lateque per Prouincias sibi subiectas, & alias exteris Regibus subditas, eleemosynas erogauit. Et inter alia ad Regem Merciorum Offam scribens. *Cognoscat*, inquit, *dilectio vestra, quòd aliquam benignitatem de Dalmaticis nostris, & pallijs ad singulas sedes Episcopales Regni vestri direximus, in eleemosynam domini Apostolici Hadriani, deprecantes, vt pro eo intercedi iubeatis, nullam habentes dubitationem, beatam illius animam in requie esse, sed vt fidem, & dilectionem habeamus in amicum nobis carissimum*: Hæc B
Carolus; cuius animum dubio procul subibat, quantum momenti fuerit in Hadriano, ad proferendum inter infideles Christi regnum, ac præcipuè ad immittendam in Pannonias Euangelij lucem, quod ipse tam ardenter susceperat.

Indict. 4.	IESV CHRISTI ANNVS 796.	LEONIS PAP. III. ANNVS 1.	CONSTANT. SOLIVS 7. CAROLI M. REGIS 29.

C

LEONIS PAPÆ AD CAROLVM LEGATIO.

Annus hic signatur Indictione quarta, quo Leo III. Hadriano subrogatus, statim initio nihil antiquius habuit, quàm Legationem ad Carolum Magnum decernere, cum qua misit claues aureas ex sepulcro Principis Apostolorum de more acceptas, vna cum Vexillo Romanæ Vrbis. Id olim erat moris, vt non modò Romanus Pontifex, sed etiam cæteri minores Episcopi Regibus, & Principibus, claues locorum sacrorum, & vexilla Ciuitatum mitterent: quibus signis eos vel honorabant tanquam religionis, & Ecclesiæ defensores, vel certè ad id pro re nata præstandum hortabantur, vnàque benedictionem Sanctorum, & pia fidelium vota eis offerebant; Quin etiam hodie D
vel exteris Principibus per Vrbes transeuntibus, aut amicitiæ causa aduisentibus, à dominis locorum Claues offeruntur, non alia iuris, quàm honoris, & fiduciæ gratia, tutam necessitudinem, & fidentem Principum authoritatem attestantibus. Idem fecisse & Patriarcham Hierosolymitanum infra ad annum huius seculi supremum memorabimus. Hanc postea consuetudinem vendicarunt sibi Rosæ; quæ à Romanis Pontificibus mitti cœpere, hodieq; seruant vsum honoris à Principibus ambiri soliti.

Carolus susceptis planè animo regio muneribus, misit vicissim ad Leonem, qui munera deferret ex thesauro Hunnorum erepto, postquam aliquot præ- E
lijs attriti fuissent. De his admiranda scribunt Annales Francorum, Eginhardus in primis: *Maximum*, inquit, *quæ ab illo gesta sunt bellorum præter Saxonicum huic bello successit, illud videlicet, quod contra Auaros, siue Hunnos susceptum est, quod ille, & animosius quàm cætera, & longè maiori apparatu administrauit*. Et paulo post: *Neque vllum bellum contra Francos exortum humana potest memoria recordari, quo illi magis ditati, & opibus aucti sunt; quippe cùm vsque ad id temporis penè pauperes viderentur, tantum auri, & argenti in regia compertum, tot spolia preciosa in prælijs sublata, vt merito credi posset, hoc Francos Hunnis iustè eripuisse, quod Hunni prius alijs gentibus iniustè eripuerant*. Hæc Eginhardus: quæ

CAROLI BELLVM CONTRA HVNGAROS.

tamen

A tamen annis conſequentibus acta videri debent, ſi de vaſtata vniuerſim Pannonia ſunt accipienda; quod ipſe nimia ſanè exaggeratione videtur innuere, ait enim. *Quot prælia in eo* (ſubaudi bello) *quod octauo tandem anno confectum eſt geſta, quantum ſanguinis effuſum ſit, teſtatur vacua omni habitatore Pannonia, & locus in quo regia Chagani erat, ita deſertus, vt ne veſtigium quidem in ea humanæ habitationis appareat; Tota in hoc bello Hunnorum nobilitas perijt, tota gloria decidit, omnis pecunia, & congeſti longo tempore theſauri direpti ſunt*. Sic ipſe: quę tamen non commodè ad hunc annum afferuntur, quo bellum octo annorum nondum confectum fuit.

B Quare quod ad hunc annum ſpectat, Rhegino & Anonymus domeſticus ita digerunt, vt magnam theſauri partem, quem Hericus Dux Foroiulienſis, ſpoliata Hunnorum Regia, quæ Ringus dicebatur, Regi Carolo detulerat, Romam miſerit; reliquum verò inter optimates, & aulicos, cæteroſque in Palatio ſuo militantes, liberali manu diſtribuerit. Iterum verò Pipinus cum Italicis, ac Baioaricis copijs in Pannoniam ire iuſſus, Hunnis trans Tizam fluuium fugatis, eorumque regia Ringo, (Longobardis Campo) ex toto deſtructa, direptis penè omnibus Hunnorum opibus, ad patrem Aquiſgrani manentem venit, & ſpolia regni, quæ ſecum detulit, eidem præſentauit. Quod intelligen-

C dum de ea parte theſauri, quæ ab Herico Foroiulienſium Duce remanſerat, ex Rheginone colligitur: nam antea *theſaurum* (vt hic ait) *priſcorum regum multa ſæculorum prolixitate collectum, idem Dux Carolo ad Aquis palatium miſit*.

Mirum tamen, quàm hoc loco varient prædicti Scriptores: nam Anonymus (ex quo eadem ad verbum exſcribit Vrſpergenſis) Ringum regiam vocat, quam Longobardi Campum dixerunt: Rhegino verò, non regiam, ſed principem ipſum, quamuis vnius literæ additione, (ſicut & Sigebertus) non Ringum, ſed Iringum appellat, eumque adhibito in rem Vuonomiro Slauo improuisè expoliatum ſcribit; Chagano & Iuguro inteſtina clade interemptis;

D Eginhardus denique Ringi non meminit, ſed tantùm regiæ, & loci, in quo regia Chagani erat; vt proinde Ringus ſiue Iringus, non principis, ſed loci nomen teneat, cuius princeps Chaganus fuerit, non vtique interemptus, (nam poſtea à Carolo reſtitutus fuit;) niſi plures ſibi inuicem eius nominis ſucceſſiſſe dicendum ſit. Quòd porrò ad locum ſpectat, Lazij coniectura eſt, Ringum municipium ab Auaribus in tractu Sabariæ fuiſſe conditum, vbi vetus Gunſium extitit, ab Hungaris Guſſingum dictum. Cui tamen obſtat, Guſſingum & diuerſum eſſe à Gunſio, & recentius Ringo, vt difficile videatur Ringum à Guſſingo, truncata prima ſyllaba, medioq; apice mutato, fuiſſe appellatū. *De Rep. lib. 13. ſect. 3. cap. 3.*

E Hoc eodem anno, non obſtantibus prædictis Pannoniæ turbelis, Thudun, ſiue Theodo, vnus ex principibus Hunnorum, de quo ſuperiori anno diximus, *fidem*, inquit Anonymus, *dictis ſuis adhibens, ibidem* (nempe Aquiſgrani) *ad regem venit, ibique cum omnibus qui ſecum venerant baptizatus ac remuneratus eſt. Poſt datum fidei ſeruandæ ſacramentum domum redijt, ſed in promiſſa fide diu manere noluit, nec multo poſt perfidiæ ſuæ pœnas dedit*. Nihil de hac re, (niſi nos fugerit) Eginhardus, conſentiunt tamen Rhegino, & Ado; quorum alter, nempe Ado, cum populo ſuo baptizatum fuiſſe Theodonem tradit; alter præterea cum magna parte Auarorum ſiue Hunnorum ad Regem veniſſe, eique ſe, populum ſuum, & patriam tradidiſſe memorat. THEODO AQVISGRANVM VENIT.

Ex his verò vlterius liquet, non ita exhaustam fuisse Pannoniam, vt tota nobilitas desiderata sit, & ipsa vacua omni habitatore manserit, quemadmodum ait Eginhardus; sed vnius duntaxat Chagani, vel quicunque is fuerit, vastatam ditionem, quando plures alij Duces siue reguli, immunes ab ea clade manserint; alioqui Theodo, quem alij Regem, alij Ducem, vel vnum ex primoribus Auarorum vocant, non rectè diceretur venisse ad Carolum, & Christianis sacris susceptis, se suamque patriam, & populum eidem tradidisse. Confirmat hoc, quod Lazius, vt paulo ante vidimus, scribit, Ringum municipium fuisse ab Auaribus in tractu Pannoniæ Sabaricæ conditum, quo loco hodie veteris Gunzij rudera apparent, Hungaris Guzzingum, deformato Ringi vocabulo, primaque dempta syllaba, dictum. Quod vt eidem concedamus, satis tamen aliunde argumenti est, ea ditione vix trigesimam Hungariæ partem fuisse comprehensam, in quà si tantæ opes repertæ sint, quæ & Francos abunde ditarent, & Ecclesiam Romanam ornarent, quid reliqua omnis Pannonia præstare potuerit, facilis est coniectura. A B

THEODO CHRISTI FIDEM PROPAGARE STVDET.

Non est autem cogitandum, Theodonem postquam Christianis accessit, & à Carolo muneribus ornatus recessit, ita in patriam reuersum fuisse, vt non comites secum duceret, & religiosos, & doctos, qui recens conuersum populum, radice fidei altius acta firmarent, & ad omnem solidioris pietatis erudirent sanctitatem. Id enimuerò præter morem, & diligentiam adeo Catholici principis euenisset, cui nihil erat antiquius, quàm Christi regnum proferre, missis ad excolendum viris idoneis, qui vbique, & religionem, & sacerdotia fundarent. Plenæ sunt huius argumenti in Germania, & Francia editi, historiæ; quæ si in rebus Hungarorum desiderentur, iniuriæ temporum adscribendum erit, aut etiam negligentiæ scriptorum, qui præ victorijs, & bellorum pompis, Ecclesiæ, & religionis successus insuper habuerunt; Quanquam deinde vbi decretorijs sanctitatis armis, via Euangelio per vniuersam Pannoniam munita est, in hoc quoque genere, vt in loco dicemus, è re consultum est. C D

Porrò quàm insignis ea portio fuerit, quam Carolus Princeps ex detractis Hungarorum spolijs ad limina Apostolorum muneris loco misit, apparet ex ijs quæ Anastasius Bibliothecarius in Leone III. recenset. Vix enim vlla alicuius momenti maior Basilica, vt de minoribus Ecclesijs taceamus, inuenta in Vrbe est, quæ non omni argentea, aurea, atque etiam gemmea suppellectile, non ad ornatum modò, sed planè ad splendorem, & magnificentiam locupletata, vel si opus fuit etiam restaurata sit; vt libenter se vltro victos ferre, aut vincendos optare potuerint Hungari, dum ex suis fortunis Ecclesiæ Romanæ copiæ augerentur, religioni splendor accederet. E

Indict. 5.

IESV CHRISTI ANNVS 797.	LEONIS PAP. III. ANNVS 2.	IRENES ITERVM 1. CAROLI MAG. REG. 30.

IN hunc annum conijciunt Sigebertus, & quidam alij, quod nos superius memorauimus, de expoliato ab Henrico Duce Foroiulianorum, illo Pannoniæ

A noniæ Principe, cuius opes ad Carolum miserat: de Theodonis item Principis ad Christiana sacra cum tradito regno transitione; sed nos & plurium, & meliorum dictis stamus. Id huius anni peculiare est, quod notant Anonymus, & ex eodem Vrspergensis, venisse nimirum in Saxoniam, quò tum concesserat Carolus, Hunnorum Legatos magnis cum muneribus: eosdemque libenter auditos, & absolutos. Theodonis, an alterius Principis ex Pannonia ij Legati fuerint, incertum.

Hoc eodem anno Barcino Ciuitas Hispaniæ Tarraconensis celebris, quæ à Francis defecerat, per Zatum Sarracenorum Præfectum Carolo Magno restitu-
B ta est: Cùm & Habdalla Sarracenorum in Africa Princeps, à fratre pulsus, ad eundem Carolum confugit, quem cum filio suo Ludouico in Hispaniam proficisci iussit.

Cæterùm hunc annum lugubrem fecit Orientis Imperio Constantini interitus, ambitione Irenes matris, oculis orbati, vnde continuò mors miseranda consequeretur; quanquam nonnulli id in sequentem annum conijciant. *Tunc autem accidit*, inquit [a] Zonaras, *vt Sol per dies septendecim non resplenderet, sed obscuri, & tenebrosi essent dies illi; adeo vt naues in mari oberrarent.* Addit, oculos Constantino erutos eodem die, quo ipse ante annos quinque patruum
C suum Nicephorum, pluresque alios linguis eorum præcisis exocularat. Ita diuinæ iustitiæ vindicta plerunque euenit, vt in quo quisque genere peccat, in eodem plectatur.

a *In Constantino.*

IESV CHRISTI ANNVS	LEONIS PAP. III. ANNVS	IRENES ITERVM 2. CAROLI MAG. REG. 31.	*Indict. 6.*
798.	3.		

D Carolo Aquisgrani degente, suscepta hoc anno est Legatio ad ipsum à Theophilo Nicetæ Siciliæ Præfecti filio, quam Constantinus Imperator anno superiore decreuerat. Verùm audita eius nece irrita mansit. Et non multo post in Oriente Arabes Sarraceni, Duce Habdimelech, Romano Imperio infestissimi, cùm pacem Irenæ Imperatrici negassent, infesto agmine Constantinopolim vsque progressi sunt, eiusque suburbia deprædati, & præclaris onusti spolijs recesserunt.

Etsi porrò Legatio Constantini, eo sublato non successerit, misisse tamen hoc eodem anno Irenem Augustam Legatos ad Carolum, veteres Francorum
E Annales tradunt; auditisque ijs Aquisgrani redditum fuisse à Carolo petentibus Sisinnium Tarasij Patriarchæ fratrem, quem olim in bello captum detinebat.

IESV CHRISTI ANNVS	LEONIS PAP. III. ANNVS	IRENES ITERVM 3. CAROLI MAG. REG. 32.	*Indict. 7.*
799.	4.		

Hic annus Ecclesiæ Romanæ lugubris fuit ob immane facinus atque sacrilegium ingens, aduersus Summum Pontificem perpetratum. Narrant LEONIS PÆ CÆDES.

factum

factum Annales Francorum, maximè authoris Anonymi, sed pluribus Anastasius, (cuius magis fida narratio quàm Zonaræ) Rhegino, Monachus Anonymus, Vrspergensis, Marianus Scotus ad annum millesimum nonagesimum octauum, Godefridus præterea, Vuernerus, & alij: Ad quod facinus præsignandum, commodius fortasse dixerimus respexisse portentum illud Solis per multos dies atrati, de quo anno superiori dictum, quod Zonaras ad cladem filio à matre illatam detestandam, diuina prouidentia extitisse coniecit. A

HVNGARI DEFICIENTES BELLVM MOVENT.

Hungaros, seu gentem Auarorum, iterum à fide quam susceperant defecisse hoc anno, scribit Rhegino; in sequentem conijcit Sigebertus: constat tamen hoc anno prælium ingens commissum cum Hungaris; siue ij fuerint, qui nuper cum Theodone Duce suo accesserant; siue alij, quibus Euangelium nondum arriserat, & qui de more, tumultus & bella amabant. In eo prælio desideratus est Geroldus, quem alij Gerardum vocant, Præfectus Baioariæ, vt Rhegino, Anonymus, Vrspergensis; alij Prætorem dicunt. Quippe Carolus Magnus exauthorato Thassilone, & in cœnobium cum filio Theodone retruso, hunc Bauariæ in formam prouinciæ redactæ præfecerat; magna apud Carolum authoritate valuisse veteres Scriptores tradunt, hinc Comitem, Consiliarium, Signiferum appellant, nonnulli eidem sanguine iunctum fuisse affirmant; quid mirum si in expeditione contra Hungaros Ducis munere fungeretur? B C

GEROLDVS PRÆFECTVS BAIOARIÆ CADITVR.

Irruperant nimirum magna manu, veteris audaciæ & feritatis tenaces adhuc Hungari, quæ recenti Theodonis defectione aucta, meritò Caroli animum commouerat. Ad primum tumultus nuncium accurrere Henricus Forojuliensium Dux, & Geroldus Præfectus; hic acie instructa, manus iam conserturus inter ordines obequitans, dum apta oratione militum animos erigit, certam aduersus hostem victoriam spondens, incertum cuius virtute an scelere, improuisò cecidit: nam equites eum comitati duo, simul interfecti sunt: facti author latuit, corpus in Augiæ Monasterio conditum. Incidit huius interitus in primum Septembris diem, feriæ tertiæ connexum. Fuisse triste Carolo huius casus nuncium notat Anonymus. D

VETINI MONACHI DE GEROLDO VISIO.

Mortui ingentem fuisse existimationem plerique scribunt, vt inter Martyres numerare ex Vetini cuiusdam Monachi visione non dubitent Rhegino, & Sigebertus, quanquam hic eius interitum in sequentem annum conijciat. Contractus *pijssimum signiferum* nominat. Quis autem fuerit Vetinus ille Monachus, apud veteres Scriptores non habeo; nisi quod ex Velsero rerum Boicarum Scriptore licet mutuari, his eiusdem verbis: *Vetinus Monachus posthac vigesimo quinto, triduo priusquam è vita excederet, viso diuinitus obiecto, martyribus annumerandum monuit, vti ab Heitone Basiliensi Episcopo, qui Vetino familiariter vsus est, proditum. De Geroldo, inquit, etiam quondam Comite, dixit idem Angelus, quòd in requie esset, gloria Martyrum adæquatus: Zelo, inquiens, Dei, in defensione sanctæ Ecclesiæ, infidelium turbis congressus temporalis vitæ dispendia passus, ideo æternæ vitæ particeps effectus.* Hæc Velserus: digno militibus Christianis exemplo, si ad imitationem traducatur; sed enim rara hodie virtus militum, contra infideles pugnare, & Martyrem fieri. E

Adfuit etiam hoc anno Hierosolymis Monachus à Patriarcha missus, benedictionem, & reliquias de loco Resurrectionis Dominicæ, Carolo ab eodem missas deferens. Ita Rhegino, & Anonymus. Baronius missas à Patriarcha

claues

A claues ſacroſancti Sepulchri ad Carolum ſcribit, quòd tanti Regis Chriſtianiſſimi pietas atque potentia in Oriente etiam innotuiſſet eatenus, vt ad hunc vnum reſpicerent omnes tanquam vnicum Chriſtianæ religionis, temporibus illis perditiſſimis, quibus ſub Sarracenorum iugo gemebant, decus, & ornamentum. Verùm quod ſpectat ad claues ſancti Sepulchri, veteres ſcriptores ſequenti anno contigiſſe narrant: hoc verò anno Azan Sarracenum Præfectũ Oſcæ (Rheginoni Oſcadanis) claues Vrbis cum alijs donis Carolo miſiſſe tradit Anonymus, vltro promittentem eam ſe traditurum, ſi opportunitas eueniſſet. Cæterùm Carolus acceptis à Monacho Hieroſolimytano muneribus, B eidem redeunti adiunxit Zachariam Presbyterum, qui plurima ad loca ſancta dona ſecum deferret. CLAVES SANCTI SEPVLCHRI AD CAROLVM MISSÆ.

IESV CHRISTI ANNVS 800.	LEONIS PAP. III. ANNVS 5.	CAROLI IMP. 1. IRENES ITERVM 4.	Indict. 8.

C Octauum ingreſſuri ſalutis ſeculum, ab anno Caroli Imperatoris primo, quem hactenus Regem vocauimus, auſpicamur. Non pauci qui annos Chriſti à natali eius die numerant, Imperium Caroli ſequenti anno ordiuntur; cum his contentionis funem minimè trahimus, ſed noſtra de more proſequentes, inchoatum Auguſto nomen & rem hoc anno ſignamus.

Hoc igitur anno Carolus Romam venit: *Pridie quam illò veniret*, inquit Anonymus, *Leo Papa apud Numentum occurrit, & eum magna veneratione ibidem ſuſcepit:* (die nimirum vigeſima tertia Nouembris Dominica) *poſt cœnam, qua ſimul refecti ſunt, illo ibi manente, Pontifex ad Vrbem proceſſit, poſteroque die in gradibus Baſilicæ Beati Petri Apoſtoli, cum Epiſcopis, & vniuerſo Clero conſiſtens aduenientem Regem, & ex equo deſcendentem, laudes dicendo, & gratias agendo ſuſcepit, & cunctis pſallentibus in Eccleſiam eiuſdem Beatiſſimi Apoſtoli, Deum glorificans, & magnificans introduxit. Facta ſunt hæc octauo Kal. Decemb.* Hæc Anonymus: Rhegino *viij. Idus Decembris* habet. Addunt alij, ex quibus deſcripſit Baronius, Pontificem miſſis obuiam Romanæ Vrbis vexillis, ordinatis etiam atque diſpoſitis per congrua loca tam Peregrinorum quàm Ciuium turmis, qui venienti laudes dicerent, Carolo ſtuduiſſe. CAROLVS ROMAM VENIT. D

Poſt ſeptem verò dies, pergit idem Anonymus, *Rex concione vocata, cur Romam veniſſet omnibus patefecit, & exinde quotidie ijs, propter quæ venerat facienda, operam impendit. In quibus vt maximum, ita difficillimum erat, quod primo inchoatum eſt, de inueſtigandis videlicet quæ Pontifici obijciebantur criminibus. Qui tamen poſtquam nullus eorundem criminum probator eſſe voluit, coram omni populo in Baſilica B. Petri Apoſtoli, Euangelium ferens ambonem conſcendit, inuocatoque ſanctæ Trinitatis nomine, de obiectis criminibus ſe iureiurando purgauit.* Hæc Anonymus. CVR CAROLVS ROMAM VENERIT. E

Qui cùm ait eorundem criminum nullum probatorem eſſe voluiſſe, id cauſæ eſt, quia vt alij narrant, vniuerſi reſponderunt: *Nos Sedem Apoſtolicam, quæ caput eſt omnium Dei Eccleſiarum, iudicare non audemus, nam ab ipſa nos omnes, & Vicario Chriſti iudicamur, ipſa autem à nemine iudicatur.* Nihilominus tamen

tamen Leo Pontifex, Præcessorum vestigia sequens, sponte nec vllis legibus A
obstrictus, aut Successoribus præiudicium faciens, sed vt veritatis luce quibusuis vel minimis suspicionibus aduersum iret, prædicta sententia se liberauit.

CLAVES SANCTI SEPVLCHRI AD CAROLVM ALLATÆ.

Eodem autem die, quo Leo Pontifex se coram Populo purgauit, Zacharias Presbyter, quem Rex Hierosolymas miserat, cum duobus Monachis, quos Patriarcha cum eo ad Regem misit, Romam venit; ij benedictionis gratia claues Sepulchri Dominici, & loci Caluariæ cum Vexillo detulerunt: quos Rex benignè susceptos per aliquot dies secum detinuit, & redire volentes remuneratos absoluit. Ita Anonymus. Paulò aliter Rhegino, qui ex duobus illis Monachis alterum de Monte Olіueti, alterum de Bethlehem ab Episcopo Hierosolymorum missos, (fuit is Ioannes B
Patriarcha) & præter claues Sepulchri Dominici ac loci Caluariæ, claues etiam Ciuitatis cum Vexillo detulisse scribit; denique cùm dies aliquot à Rege fuissent detenti, mense Aprili, puta sequentis anni, discessisse. Adhuc aliter ij, ex quibus Baronius accepit: alterum nempe ex Monachis venisse de Sabæ Monasterio, & præter claues Sepulchri Dominici, & Caluariæ, claues etiam Ciuitatis, & Montis Olіueti attulisse. Circa hæc tempora, nisi confundatur cum modò dictis, verisimile est contigisse quod narrat [a] Eginhardus, Aaron Regem Persarum seu Sarracenorum, qui exceptis Indijs totum pene tenebat Orientem, Carolo, summo fuisse amore coniunctum, vt huius gratiam, Regum & Pontificum totius orbis amicitiæ præponeret, adeoque solum illum honore, & amicitia sibi colendum iudicaret. Vnde factum, vt Legatos eius cum donarijs, ad venerandum Saluatoris Sepulchrum accedentes, non solùm libenter admiserit, sed concessis primùm quæ petebant, sacrum etiam illum, & salutarem locum eius potestati adscripserit. Hinc ortus est quorundam error, vt cùm munera Carolo cum clauibus missa legissent, Terram Sanctam ab eo armis recuperatam scriberent, cùm non nisi donatione Regis Sarracenorum id euenisse constet. C

a In vita Caroli.

CAROLVS A LEONE CORONATVR AVGVSTVS.

Ipso porrò die Natali Domini ad Missarum solemnia, cùm omnibus congregatis, fuisset ingressus Basilicam B. Petri Apostoli, coram Altari vbi ad orationem se inclinauerat, assistens, Leo Papa coronam capiti eius imposuit, cuncto Romanorum populo ter acclamante, CAROLO AVGVSTO A DEO CORONATO, MAGNO, ET PACIFICO IMPERATORI ROMANORVM, VITA, ET VICTORIA. *Post quas laudes*, inquit Anonymus, *à Pontifice more antiquorum Principum adoratus est*; (honoratum, siue adsalutatum puta, neque enim moris vnquam fuit inferiorem à superiore adorari) *& deinde, omisso Patritij nomine*, IMPERATOR, ET AVGVSTVS *appellatus. Facta sunt hæc anno octingentesimo, Indictione octaua, ipso die Natalis Domini, qui tùm in feriam quintam inciderat.* Qui tamen, vt initio notauimus, annum à die Natalis auspicantur, hanc Coronationem in sequentem annum conijciunt. Theophanes in eo labitur, quòd coronatum Carolum existimet Kal. Ianuarij Indict. nonæ, contra Latinorum omnium sententiã. D E

Eodem die, & filium Caroli Regem vnctum à Pontifice fuisse tradit Anastasius. Post paucos verò dies, habita de ijs quæstione, qui Leonem Pontificem anno superiore indignè tractauerant, tanquam læsæ Maiestatis rei, capitis damnati sunt; intercedente tamen Pontifice, vita, & membrorum integritate salua, exilio proscripti abiere.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS 801.	LEONIS PAP. III. ANNVS 6.	CAROLI MAG. IMP. 1. IRENES ITERVM 5.	Indict. 9.

HVNGARI OB SVSPECTVM CAROLI IMPERIVM TVMVLTVANTVR.

PAnnonia inter hæc nouis tumultibus ad arma ſpectabat: accepto ſiquidem nuntio, de Carolo ad Imperium ſublimato, ſuam ab eo ferociam infringendam rati, niſi maturè proſpexiſſent, vires omnes intendebant, vt ſeruire nollent, qui ſe ad domandas nationes factos arbitrarentur, proinde graſſandum in omnes gloriæ loco ducebant; occurrendum etiam Carolo decreuerant, ſi is aduerſum veniret, extremoque prælio decertandum, vt vel ſemel de eo victores, libertatis antiquæ fiducia potirentur, vel certè maiori cum gloria omnes caderent, quàm ignominioſum ſeruitutis iugum ſubirent. Nec parum accendebat animos ſponte efferatos, Theodo ille regulus, qui nuper eierato Chriſto rurſum ad partes defecerat; nihil proficientibus ijs, qui Chriſtum adhuc religiosè obſeruantes ſaniora in medium conſulebant.

Hæc inter Carolo Ticini agente, nunciatum eſt Legatos Aaron Regis Perſarum, & Abraham Ammirati Africæ Piſas appuliſſe, quibus ipſe obuiam mittens, inter Vercellas & Eporedium ſe exhibuit; & munera quæ ſecum attulerunt, ſumma cum voluptate, & veneratione ſuſcepit; Corpus nimirum S. Cypriani Carthaginenſis, & Sperati Epiſcopi Scillitanorum martyrum primi, vnà cum capite Pantaleonis martyris Nicomedienſis, olim hinc in Africam deportato. Pro alijs, quæ deſerri commodè non poterant, in Africa relictis, claſſem è Liguria miſit. Fuit in his Elephas viſendæ magnitudinis, qui ſicut Carolo gratiſſimum fuit munus, ita reliquis omnibus ſpectatu delectabile. Ita dum Hungari diſceſſionem parant, Sarraceni Reges magno Dei beneficio in fœdera, & amicitiam Caroli tranſeunt.

IESV CHRISTI ANNVS 802.	LEONIS PAP. III. ANNVS 7.	CAROLI MAG. IMP. 2. NICEPHORI 1.	Indict. 10.

CArolum Auguſtum, in Hungaria præter vnum bellum, reliqua per Legatos geſſiſſe conſtat. An verò ipſe expeditioni interfuerit ante ſuſceptum Imperium, vel poſtea, in ambiguo eſt; nonnullis ex euidentia geſtorum in hoc alterum inclinantibus: quamquam ſi Annales Francorum inſpiciamus, difficile videbitur, ſiue hoc anno ſiue proximè conſequenti, ſpatium inuenire temporis, quo in Hungaria tanta geri potuerint, quanta ipſum confeciſſe legimus, niſi tanto Imperatori ſatis fuerit, interuallo trimeſtri plura etiam & maiora Deo ſingulariter fauente perficere.

HVNGARI BVLGAROS CONTRA CAROLVM SOLICITANT.

Porrò Hungari maiora omnia, quàm vnquam contra alios, contra Carolum inſtaurantes, ſiue metu, ſiue gloriæ cupiditate, non deſtitere Bulgaros ſibi confines in partes ſolicitare, atque etiam Nicephorum Orientis Imperatorem, qui tum recèns Irene Auguſta in exilium relegata, Tyrannidem occuparat, aduerſus

ſus Carolum incitare. Quippe qui Legatis ab Irene pacis confirmandæ cauſa ſuſceptis, viciſſim miſerat, qui perpetua concordia ſancita, matrimonium quoque Auguſtæ cum Carolo ineundum expeterent. A qua re ipſam minime abhorruiſſe tradit [a] Zonaras: idque Hungari præſagientes, ne Caroli potentia totius Orbis aucta Imperio, in ſuam perniciem vergeret, quoquo modo conabantur intercedere. Verùm enim fruſtra laboratum eſt. Nam Nicephorus cum iiſdem Legatis, qui ad Irenem venerant, & tragœdiam Auguſtæ in ordinem redactæ oculis ſpectarant, conditiones pacis firmarat, ſuoſque ad Carolum mittendos decreuerat. A

[a] In Niceph.

B

Indict. 11.

IESV CHRISTI ANNVS	LEONIS PAP. III. ANNVS	CAROLI MAG. IMP. 3. NICEPHORI 2.
803.	8.	

ADfuere tandem cum Legatis Caroli Conſtantinopoli reuerſis, miſſi quoque à Nicephoro, qui ab Imperatore honorificè ſuſcepti conditiones pacis ſcripto acceperunt, & datis à Carolo literis Romam petiuere, vt cum Leone quoque Pontifice tranſigerent. Quare pacata in præſens Italia, nec non primo Imperij biennio compoſitis in Norico, & Germania rebus, Carolus hoc anno in Bauariam vnde in Hungaros moueret, magno apparatu profectus eſt. Ob oculos ei verſabatur nupera Theodonis à Chriſtianis ſacris defectio, Geroldi caſus, atque etiam Herici Foroiulienſis, apud Tarſaticam Liburniæ Ciuitatem, inſidijs oppidanorum ab Hungarorum Ducibus, vt ferebatur, interfectio; ſuper omnia verò domita ſemel adeo bellicoſa natione, proferendæ Chriſtianæ religionis cupiditas. C

CAROLI EXPEDITIO ADVERSVS HVNGAROS.

Cæterùm cùm iam Pannoniæ ſuperioris fines attigiſſet, memor, qua cum gente ſibi res eſſet, forti & Chriſtiani nominis inimica, ſolemnia triduo ſacra militi indicit. Nam quia communis erat opinio, Hungaros ad flagellanda mortalium, ſed maximè Chriſtianorum peccata, diuinitus deſtinatos, & his poſtremis temporibus ad affligendum Galliarum Regnum, & commiſſa in Deſiderium Viennenſem Epiſcopum, Columbanum item atque Gallum ſanctiſſimos viros, ſcelera vindicanda fuiſſe excitatos; Carolus & metum ſuis adimere, & religionem religione vincere ſtudebat: ratus, quidquid tandem criminis admiſſum fuiſſet, tanta malorum conflictatione ſatis eſſe expiatum, vltroque diuinam miſericordiam flectendam, vt flagellum auertendo, inſolentiùs flagellantes vel conuerteret, vel Chriſtianis armis compeſceret. D E

Quare toto triduo Chriſtum ſalutis auctorem, primùm in vota vocat, deinde Sanctorum, quos propter luiſſe Rempublicam creditum eſt, opem implorat; denique Martinum præcipuè ex Hungaris natum, ſed Gallis Antiſtitem datum, interceſſorem exorat; vtrique parti vt adeſſe velit, Chriſtianis victoriam, Hungaris vniuerſis ex ea victoria fidem Chriſti reportando. Vtrique reſpondit euentus. Hungari Chaba Rege, qui votis omnium ad hoc bellum gerendum lectus erat, in campo Sicambriæ occurrentes, ingenti prælio funduntur. Victis Carolus hanc facit optionem, *qui Chriſti nomen vltro daturi ſunt, liberi ſunto: qui renuiſſent, adempta cum fortunis libertate, vita duntaxat permittitor.*

CAROLVS VICTIS CHRISTVM OFFERT.

A *tor*. Multi pàtria religione se exuere, ne vestigales forent, & facultates amitterent: pauci charitate succensi. Cum obstinatis paulo durius actum, nihil tamen præter clementiam: Vrbis duntaxat expugnatæ, (Sicambriæ huic nomen, vulgo veteri Budæ) mœnia diruta, ne occasio rebellandi esset; vectigalia ciuibus modestè imperata, ijdemque arma tradere, & Templa Idolorum demoliri iussi.

Porrò qui sacris concionibus persuasi, sponte se Christo asseruissent, benignè habiti sunt, honoribus, & immunitate donati; quibus placeret, stipendiarij effecti, ac vt discernerentur, Cruce signati; vtrisque deinde nobilitatem B primam à religione, & Caroli authoritate accersitam ad posteros transmittentibus. Nec verò matronarum non seruata est pudicitia: omnibus vita concessa, nulli planè vis illata, raro Ducum, & militum exemplo. Sed enim Carolus Deo militabat, ac vt plurimos Christo lucraretur, omnes seruatos cupiebat; idcirco nimium dolens, quòd Chaba Rex in vinculis detentus, donec de salute sponte capienda consuleret, è medio sublatus esset. Sibi ipsi manus intulisse narrant quidam, siue mœrore confectum, quòd tot nationum sub alijs Regibus victor, Rex ipse succubuisset; siue metuentem ne Christiana sacra suscipere cogeretur. Vtcunque tamen conscia morte peremptum Carolus ho- C norificè sepeliuit. CHABA REX SIBI MANVM INFERT.

Erant Hungaris Sicambris inter alia Templa Idolorum, Martis & Herculis Aedes, quemadmodum præ cæteris religiosæ, ita sumptuosæ: hos enim gens fortissima sibi Deos adoptarat fortunæ suæ rectores; his in Vrbe regia solenni ritu litabat magno etiam vicinorum oppidorum, & pagorum concursu. Quare, vt Carolus ad Christi sacra viam emuniret, has in primis dirui iussit, & Christiano ritu operari cupientibus, in extrema parte Vrbis sub monte Diuæ Genitricis Mariæ Templum statuit. Hìc Hungaros prima sacra ex pietate celebrasse fama est, creuitque in dies religio loci, vbi antequam Turcæ superio- D ri seculo vrbem occupassent, deuotissimè finitimi vndique populi supplicatum confluere soliti erant, prima religionis indeptæ incunabula illic venerati, & Albæ Mariæ Sacellum primum Christianis in Hungaria nominibus appellantes, quod lapis erectus, ea adhuc tempestate indicabat. Plura autem loca, & ciuitates insignes, nomine Albæ ab Hungaris vocatas, eo putant aliqui, quòd progenitorum suorum vocabula libentissimè vsurparent. Hungari namque ab Hunnis, Hunni à Leucis, id est Albanis Asiaticis, qui à Scythis sunt orti (si quæ Procopio Græco fides) originem duxerunt; nisi malimus gentem Albæ, hoc est candidæ, & immaculatæ Dei Genitrici ab ortu religionis E deditam, hunc eius nomini, & honori primum dedicasse locum; deinde exerente se pietate, plures etiam fundasse insignes ciuitates. PRIMVM DIVÆ MARIÆ TEMPLVM APVD HVNGAROS.

Vt verò tanta initia maiora in dies capesserent incrementa, Carolus compositis rebus, non solum præfecit virum è sententia satagentem, (Chaganus is erat eiusdem generis, à baptismo dictus Theodorus) verùm etiam Sacerdotes reliquit amplificandæ religioni idoneos, haud ignarus duratas bellorum sæuitia mentes, non facilè religione mansuescere. Si verò, vt commodè haberent, liberaliter prouidit, nihilominus partem repertæ prædæ in futura emolumenta seruauit. Nam reliquum ex immensis, quas Hungari congesserant opibus, vbique in Templorum, in Sacerdotiorum vtilitates distribuit; neque tamen CHAGANVS HVNGARIS PRÆFICITVR.

Hungaros abunde iam ditatos, desiderare quicquam passus est. A

LEGATI HUNGARORUM AD CAROLUM. Expugnata Sicambria, seu veteri Buda, Carolus victricia signa per omnem Pannoniam circumtulit, habens vndique Legatos Hungarorum obuios, vltro se imperata facturos pollicentium. Id præsertim faciebant quos Caroli humanitas, sanctioris religionis, vt ipsi interpretabantur, index, haud parum permouerat; addito etiam rebus cadentibus honorifico prætextu; Carolo sanè nihil erat antiquius, quàm non sibi, sed Christo regnum acquirere. Itaque cum victis, aut vltro se dedentibus, nihil inclementer actum: fortunæ duntaxat emendatæ, arma deponi iussa, leges cum præsidijs vbi res ferebat, impositæ: præcipuè tamen Sacerdotes, & sacrorum præfecti constituti, qui de more conuocato populo, Christianam legem traderent, Deo supplicare docerent, veram denique religionem, abolita veteri superstitione, amplificarent. *Hac ratione dispositis Pannoniarum causis* (inquit Rhegino) *in Bauariam reuersus est, & Natalem Domini ibidem celebrauit.* B

In Chron. ad an. 803.

OBITUS IRENÆ. Hoc demum anno in Oriente, mensis Augusti die nono, feria quarta, defuncta est Irene Augusta, ærumnis confecta in Lesbo Insula, ad quam Nicephori sæuitia relegata fuerat. Insignis sanè patientiæ merito emendauit quæ in filium Constantinum commiserat: vnde ingentem à Theophane, ceterisque Græcis Scriptoribus, pietatis laudem, felici exitu coronatam reportauit. C

IESU CHRISTI ANNUS	LEONIS PAP. III. ANNUS	CAROLI MAG. IMP. 4. NICEPHORI 3.
804.	9.	

Multa à Carolo, siue à suis, hoc anno in Pannonijs gesta alij perscribunt, quæ ad nostros Annales haud faciunt. Hoc vnum memoria dignum, quod biennio antea fecerat, per omnem Germaniam, & Galliam, Scholas nimirum instituendo, vbi æque ingenuorum ac seruorum filij artes liberales docerentur; id etiam in Pannonia fieri iussisse, quò facilior esset, à primis elementis ingeniorum cum moribus ad religionem traductio; nec fefellit euentus, quando cultura duntaxat desiderabatur aptis erudiri ingenijs, quemadmodum consequentes ætates docuerunt, floruisse inter Hungaros in omni literarum genere viros præstantes. D

CAROLUS IN PANNONIA SCHOLAS INSTRUIT.

Hoc anno, Carolo Aquis existente, narrat Rhegino *nunciatum fuisse ei, Iesu Christi Domini Nostri sanguinem in Mantua ciuitate fuisse repertum. Imperator ad Papam direxit rogans, vt veritatem rei perquireret; qui accepta occasione Roma exeundi, primo Longobardiam, quasi pro inquisitione prædicta profectus est; deinde arrepto itinere subitò ad Imperatorem vsque peruenit, mansitque apud illum dies octo.* Hæc Rhegino. Addunt alij, re multum examinata, certis miraculorum argumentis constitisse, sanguinem eum fuisse, qui tempore Passionis ex Christi corpore, vel vt alij notant, ex latere fluxit; non autem eum, qui Beryti ex sacra Christi imagine manarat. De qua veritate extare dicuntur sacra diplomata Romanorum Pontificum, vt de his non sit amplius dubitandum: *Sed ego non vidi*, addit Baronius. E

Hoc itidem anno Leonem Papam iterum in Germaniam venisse, constat

ex

A ex Epiſtola S. Ludgeri. Inter alia verò, quæ geſſit, memorabilis eſt pro re noſtra, Altarium ad S. Martinum Coloniæ Agrippinæ conſecratio. Nam cùm in omnibus Galliæ ac Germaniæ Prouincijs, inſignis ſemper fuerit cultus S. Martini, tum verò à quo eiuſdem auſpicijs Carolus Hungaros Chriſti religione imbuendos vicit, ſingulariter excellere cœpit, Templis paſſim, vel Aris excitatis. Acceſſit Suitberti, de quo in Chronicis ad annum decimum ſeptimum ſuperioris ſeculi diximus, celebris inter Sanctos deſcriptio, præſente Imperatore facta; qui vt Martini ope in Hungaris ad Chriſtiana ſacra adducendis, vſus fuerat; ita Suitberti patrocinio in Saxonum, Friſonum, aliorumque Germaniæ B populorum conuerſione plurimum momenti eſſe piè didicerat. *Apud Surið in vita S. Suitberti martyr.*

Quanquam de cætero Chriſti miles Petrum Apoſtolorum Principem, fortunæ, & rerum geſtarum ſic adoptarit, vt eius interceſſione nihil non ſe poſſe apud Deum confideret. Quare & Saxoniam tot bellis conflictatam, eius auxilio tandem ſubiectam ſibi obueniſſe credidit; eaque de cauſa penſionis velut quodam iure totam eidem obtulit. Non eſt cur hoc propter, authoritatem Gregorij Papæ Septimi rogemus, aſſerentis: *Magnus Imperator Saxoniam obtulit Beato Petro, cuius eam deuicit adiutorio, & poſuit ſignum deuotionis, & libertatis, ſicut Saxones habent ſcriptum, & prudentes illorum ſatis ſciunt.* Sic Gre- C gorius: Nam id de more Caroli fuit, vt cum deuictis prouincijs religionem pactus, eas continuò Principi Apoſtolorum tributarias redderet: præclaro ſanè exemplo, quod ad heredes tranſmiſſum, ſerò tandem in alienis ſucceſſoribus hæſit. Idem verò quin de parte Pannoniæ recens conquiſitæ fecerit, dubium non eſt, ea pietate præludens Stephano Regum Chriſtianorum primo, & Sancto, qui deinde totam poteſtate complexus, Romanæ Eccleſiæ ſacram eſſe conſtituit: quod in loco dicendum erit. SAXONIA D. PETRO OBLATA. *Lib. 8. Epiſt. cap. vlt.*

IESV CHRISTI ANNVS	LEONIS PAP. III. ANNVS	CAROLI MAG. IMP. 5. NICEPHORI 4.
805.	10.	

D *Indict. 13.*

Biennio poſtquam Carolus ex Pannonia reuertit, Hungari Saxonum exemplo, qui ſingulis ferme annis rebellare ſoliti erant, aliarumque gentium argumento, deficiunt. Spreto, quem illis Carolus præfecerat, Chagano, ſeu Theodoro Duce, ſacris tamen nuper ſuſceptis, non vſquequaque temeratis, ſi liberis eſſe liceret. Quare Pipinus filius, deinde Rex Italiæ Prouinciam ſortitus, aduersùm eos mittitur; multiſque prælijs tandem inclinatos in officio continet, & quantum poteſt in fide; quibus religio penitius inſederat, con- E firmat; cæteros vt exempla meliorum ſequantur, multis hortatur. HVNGARI DEFECTIONEM TENTANT.

Aliquandiu verò rebus in Hungaria moderatus in Italiæ regnum reuocatur, quòd fama vulgaret Græcos in Italia nouos motus concire, & Beneuentanos Græcorum Imperio finitimos, cum eis ſocietatem armorum iniuiſſe. Itaque res Hungarica Carolo Caroli Magni item filio obuenit, qui ſtatim profectus nihil prætermiſit eorum, quæ ad Hungaros in pace continendos pertineret, optimi patris haud degener filius; eo maximè genitorem exprimens, quòd non armis magis, quàm virtute Chriſtiana gentem haud dum aſſuetam ſuperare conaretur, in eum finem plures ſanctitatis, & religionis magiſtros ſecum adducens;

A

Indict. 14.	IESV CHRISTI ANNVS 806.	LEONIS PAP. III. ANNVS 11.	CAROLI MAG. IMP. 6. NICEPHORI 5.

HVNGARI PACEM TVRBANT.

HVngari sub Carolo iuniore nouis tumultibus exciti, paucorum scelere pacem turbarunt. Itaque cum eo sæpius congressi leuioribus prælijs, & modò victi, modò victores, vno tandem prælio fere debellati florem iuuentutis suæ desiderarunt. Tum damnatis votis, inesse in religione Christiana vim periurij vltricem agnoscentes, modestiùs se habuerunt, quòd & à Carolo iusto bello peterentur, & à Slauis ea occasione assiduis latrocinijs vexarentur. Erat enimuero res notatu, & miseratione digna, gentem, quæ tot regiones diripuisset, tunc prædæ fuisse non modò Francis iustis hostibus, sed & prædonibus Slauis. Sed talis est humanarum rerum vicissitudo. In hac victoria, Dux factionis Hungarorum in potestatem Caroli cum ingenti gaza venit, quæ Augusto missa, cessit partim in sacra xenodochia, & valetudinaria, partim ad Aedes sacras, quæ tremore terræ corruerant, restituendas. Ita quæ olim sacris locis expilatis euersa fuerunt, velut postliminio recepta sunt. B

CAROLI VI-TORIA.

Hoc item anno, præter dictam victoriam, diuersas alias expeditiones à filijs Caroli, quos antea tripartito regno heredes scripserat, feliciter gestas, memorant Annales Francorum. Venisse præterea ad ipsum legationem Venetorum ac Dalmatarum; denique munera missa ab Aaron Rege Sarracenorum; ea fortasse, de quibus supra ad initium huius seculi diximus, quæ inter, horologium admirando artificio laboratum celebre fuit. C

Indict. 15.	IESV CHRISTI ANNVS 807.	LEONIS PAP. III. ANNVS 12.	CAROLI MAG. IMP. 7. NICEPHORI 6.

D

HVNGARI RESIPIVNT.

CArolus Augustus, nondum plane confecto bello Pannonico, Carolum filium reuocat, de summis rebus consilium habiturus. Hungari porrò non parum aduersa fortuna fracti, causamque mali animis retractantes, iterum de religione cogitant, huius cura spem meliorum pensantes. Et pœnituit eos Chagani spreti. Itaque ad Carolum Augustum mittunt, sanctius & certius fœdus imposterum culturi, simul & auxilia contra Slauos, adeoque contra Bohemos, principem Slauorum nationem, impetrant. Caroli filius iterum destinatur, & vt Slauos coerceat, demandatur. Is illico profectus, non minori conatu pro Hungaris, quàm paulo antea contra illos, bellum gessit. Non vno sanè prælio debellatum fuisset, nisi Lescho Dux hostium, non Imperatoris modò, verum etiam militis officium in acie præstans, dum nullum certaminis finem facit, fortiter occubuisset. Tunc Slauorum vis cessit. Et Hungari experimento didicerunt, nulla re magis, quàm Christiana religione, fortunæ malignitatem expiari. Non pauci ex maioribus, Chagani Ducis exemplo, eam susceperunt. E

Quis

A Quis autem Leschus iste fuerit, quem alij Lechonem, [a] Blondus, & [b] Sabellicus Leonem appellant, obscurum est apud Scriptores. Meliores Leschum secundum Polonorum Ducem fuisse putant, subrogatum non Lescho illi, qui ob principatum fraude obtentum trucidatus est, sed qui primus à duodecim Palatinis post septingentesimum & quinquagesimum vel sexagesimum Christi annum Polonis præfuit. Nam de cætero, plures alij fuerunt, longè ante à conditore Lescho nomen ducentes, qui circa annum quinti seculi quinquagesimum, principatum apud Polonos orsus est, fratre eiusdem Ciecho apud Bohemos initiante; vt hoc propter mutua ab illis temporibus vtriusque gen- LESCHVS QVIS. a Dec. 1. lib. 1. b Ennead. 8. lib. 9.

B eris necessitudo, & subinde vnus vtrique ius dixerit; tametsi cognatio sanguinis à Lechone conditore ducti, postquam annos centum quinquaginta in principatu tenuisset, anno Christi septingentesimo defecerit. Eodem porro amicitiæ vinculo, creditur & hic Leschus, Polonis iuxta ac Bohemis præfuisse, eoque pro his contra Carolum, à quo cæsus est, arma sumpsisse.

Hoc igitur anno exeunte bellum id confectum est, quod octo annos vario tenuit euentu. Vicit nimirum Carolus Augustus ea felicitate, qua semper in propaganda religione Christi fuit vsus; neque aliàs facilè nationem multarum gentium domitricem, quibus alia bellandi cura fuit, deuicisset, nisi BELLVM IN HVNGARIA CONFECTVM.

C pro regno Dei, non pro ampliando tantum Imperio, res ei fuisset. Ac quamuis non omnes Christiana sacra suscepissent, Caroli tamen iunioris virtute, qui rebus aderat, à veteri insolentia sibi temperarunt, eum tanquam *filium fortunæ* venerati; dictoque libenter parentes, etsi libertatis pristinæ, cuius subinde consilia agitabant, non immemores.

Non multo post Carolus cum Sarracenis immissa classe, præfecto Burcharde in Sardinia, & Corsica pugnauit, iterumque eos profligauit, exemplo Hungarorum agnoscentes, cælestem adesse Carolo virtutem in bellis. Quanquam Sarraceni cladem suam, impietati quoque suæ debitam vltro faterentur; quòd SARRACENI VICTI A CAROLI CLASSE.

D anno superiore pyraticam exercentes in insula Patelaria, sexaginta Monachos captiuos in Hispaniam abduxissent, eosque vendidissent.

Eodem verò tempore, & Aaron Sarracenorum in Oriente Princeps, amicus Caroli, hostis Nicephori, comparata valida classe Rhodum pessundedit, & Myram Lyciæ ciuitatem, Episcopatu Nicolai nobiliorem, aggressus est. Hic arcam reliquiarum eiusdem Sancti disijcere parans in aliam, huius loco suppositam irruit, ac totam contriuit. Ita illusus quidem ille non idcirco prauæ voluntatis pœnam declinauit. Verùm mox inde recedens, disiecta ventorum turbinibus classe, & magna ex parte fluctibus obruta, vix ipse euasit; & pœ-

E nitens facti, magno suo damno didicit, quantum sit piaculi, reliquijs sacris temerario ausu voluisse manus inijcere.

IESV CHRISTI ANNVS 808.	LEONIS PAP. III. ANNVS 13.	CAROLI MAG. IMP. 8. NICEPHORI 7.	Indict. 1.

CArolus Augustus dum de Rege Hungaris dando deliberat, occurrit Chaganus. Hic enim suorum, quos omnes ad fidem adducere non vale- CHAGANVS PRÆFECTVRA HVNGARIÆ SE ABDICAT.

 bat,

bat, obstinationis pertæsus, & calamitatem ob diuersa religionis studia facilè A futuram, prioraque prioribus mala metuens, Carolum Augustum adijt, petitaque vacatione, locum vnà sibi dari postulauit habitandum, in quo cum lectissimis qui sequi vellent, religionis socijs, Deo sibique vacare liceret; nec solum à Slauorum incursionibus, verum etiam à negotijs regni turbisque curarum tutum esse. Scribunt aliqui Chaganum, quem inepte Tullium Principem Auarorum vocant, quicquid iuris in Pannonia habebat, Carolo donasse; neque tamen hunc, quoad Chaganus viueret, se pro Rege gessisse, tametsi Carolum filium instar collegæ Regis præsidere iussisset.

Optione igitur data, Chaganus elegit Caruntum, vt alij corrupte Caruantum, & Sabariam cum terris interiacentibus. Prior locus est superioris Pannoniæ metropolitana ciuitas, & vetus olim Romanorum florensque colonia, in ea Danubij ripa, quæ à Norico, hoc est Cecio monte in Hungariam extenditur. Quo situ Vienna *Pisonium* euntibus ruinæ visuntur, amplissimæ ciuitatis ad stadij pene longitudinem propagatæ, ex quibus non longè oppidum Diuæ Petronillæ à Carolo Magno, vt fertur, constructum vestigia quædam exhibet. Caruntum non nemo putauit eum esse locum, qui hodie Hungaris *Kormendum* dicitur, non longè Sabaria distitum: similitudo vocabuli errorem fecit: hoc enim oppidum non Caruntum, sed Scarabansia olim dicta fuit. Sabaria porrò notissima quoque olim Colonia Romanorum, postea tamen ortu Diui Martini Turonensis, & vt quibusdam placet, pridem antea martyrio Quirini nobilior. Hæc igitur loca cùm Chaganus benignè à Carolo susceptus impetrasset, *muneribus*, vt Eginhardus inquit, *donatus redire permissus est*. Qui reuersus quoad vixit, vitam quietam, & ex sanctitate institutam egit; Carolo interdum rebus Hungarorum non sine optimatum gentis consilio moderante.

al. Posonium. — SABARIA MARTINI PATRIA.

Sunt qui pugnam aduersus Bohemos seu Slauos habitam, & Leschonis Ducis interitum ad annum quintum supra octingentesimum referant; sicut & secessum Chagani eidem anno adscribit Eginhardus, & Rhegino: sed nos ex D vetusto manuscripto rationes temporum ducentes, Leschonis interitum biennio, abdicationem verò Chagani triennio serius enotauimus.

Quod ad Orientales res spectat; hoc anno Crunnus Bulgarorum Dux ante Paschæ solemnitatem, acie contra Sardicam direpta, hanc dolo cepit, & ex militia Romanorum, præter multitudinem priuatorum, sex millia capitum peremit. Contra quos Nicephorus feria tertia hebdomadæ sacræ egressus, nihil dignum memoria gessit.

AARON PRINCIPIS SARRACENORVM OBITVS.

Hoc anno præterea, Sarracenorum Princeps Aaron, amicus Caroli Imperatoris, moritur. Cuius filij Mauhmat, & Habdalla de regno, & principatu E certantes, non inter se solum omnia cæde miscuerunt, verum etiam Christianos inuoluerunt; vt ea de causa, & Ecclesiæ in Ciuitate sancta desertæ lugerent, & Monasteria passim, cœnobiaque in lauris, & desertis Palæstinæ florentia, Monachis destituerentur.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS 809.	LEONIS PAP. III. ANNVS 14.	CAROLI MAG. IMP. 9. NICEPHORI 8.	Indict. 2.

CHaganus in Hungariam reuersus, paucis admodum mensibus, ne dicam septimanis, superuixit, & Sabariæ diem suum piè obijt; hoc vno maximè dolens, quòd non omnes suæ gentis, Christianos compellare liceret; OBITVS CHAGANI SABARIÆ.
B Quibus tamen extremum vale dicens, id vnicè commendabat; vt si saluos se vellent, remque Hungaricam conseruatam, Christo mature nomen darent, ne serò supremæ huius admonitionis eos pœniteret. Valuit dictum apud multos, plerisque tamen inane visum.

Successit eidem Chaganus alter, filius an consanguineus, sed planè einsdem animi. *Qui continuò*, inquit Anonymus, *vnum de optimatibus suis misit, petens sibi honorem antiquum, quem Chaganus* (puta senior) *apud Hunnos habere solebat. Cuius precibus Imperator assensum præbuit, & summam totius regni, iuxta priscum eorum ritum habere præcepit*. Hæc Anonymus. Hinc patet Chaganum CHAGANVS IVNIOR SVCCEDIT.
C iuniorem non tantum successisse in ditionem, quæ Sabariam inter & Caruntum Chagano seniori relicta erat, sed pleno iure totam Pannoniæ Prouinciam obtinuisse, *iuxta priscum ritum*; hoc est, nullo alio collega aut præside à Carolo adiuncto; nam de cætero, quod ad ritum religionis spectabat, orthodoxam Romanæ Ecclesiæ fidem intemeratam esse iussit, & quod licuit propagari voluit.

Quare sicut in conuentu in villa Theodonis habito, triennio ante, nimirum sexto supra octingentesimum Christi anno, in testamento condito, & Prouinciarum, hereditatisque tres inter filios distributione, nulla fit mentio Panno-
D niæ, quia suis illam concessit regibus; ita neque decretum refixit, nisi mortuo post biennium Chagano. Cuiusmodi autem ea fuerit distributio, seu decretum diuisionis, refert Eginhardus in fine descriptæ à se vitæ Caroli Magni, & multo fusiùs Baronius ex Pithœi Bibliotheca, ad annum Christi sextum, & octingentesimum.

Res Imperij Orientalis hoc anno male se habent, ob sordidam Nicephori auaritiam, moresque intolerabiles. Verùm peiori loco eas constituerunt, quæ in Conciliabulo Constantinopoli coacto edita sunt: vbi inter alia in gratiam Imperatoris nefaria & planè pudenda, sententia lata est, Leges nimirum diuinas
E non ex æquo omnibus positas, sed in Regibus cessare: Martyres non esse nominandos, si qui Ioannem vel Chrysostomum imitati pro veritate, & iustitia sanguinem fudissent. Plura recenset Theodorus Studita, qui magna constantia restitit, in epistola ad Leonem Papam, & epistolá ad Euprepianum, in qua Synodum hanc vocat *proditorum carnificinam*, & *Mœchosynodum*. Operæ precium foret eam epistolam legere plerisque politicis Principum adulatoribus, qui suas præceptiones, tanquam ex diuinis sanctionibus, in scelerum leges flectunt.

Eodem anno mense Nouembri, Aquisgrani Concilium habitum est de processione Spiritus sancti: quam quæstionem Ioannes quidam Monachus Hierosoly- CONCILIVM AQVISGRANENSE DE PROCESSIONE SPIRITVS SANCTI.

solymis primò concitauerat. Non autem fuit dubitatum apud Latinos, quòd Spiritus sanctus à Patre Filioque procederet, sed quòd apud Hispanos Gallosque addita particula Symbolo, *Filioque*, quærebatur, num benefactum esset, vt ita auctum Symbolum in Ecclesia caneretur, cùm antea licentiam obtinuissent Franci à Leone Pontifice canere duntaxat Symbolum Nicænum, siue dixerimus Cōstantinopolitanum, absque eiusmodi additione. Missis ob eam caussam à Carolo viris, diu Pontifex dissuasit: tandem vetuit, & in Basilica S. Petri ad eiusdem confessionem duas tabulas argenteas affigi iussit, in quarum altera, A

De reb. Eccl. cap. 22. Symbolum latinè, in altera græcè descriptum absque additione legi voluit. Vvalafridus Strabo tradit vsum cantandi Symbolum à tempore damnatæ hæresis Felicianæ, in Gallia atque Germania fuisse frequentatum; eaque ratione factum, vt Constantinopolitanum potius quàm Nicænum in Ecclesia caneretur, quòd musicis modulis aptiùs responderet. Melius dixisset id factum, quòd de Diuinitate Spiritus sancti magis expressam præferret sententiam. Verum de his satis. B

Hoc eodem tempore adfuere Aquisgrani, Legati Leschonis siue Leschi, de pace cum Carolo acturi, eidemque munera tulere, quæ Eginhardus *tributum* appellat. Fuit hic Leschus iunior, filius illius, quem superius fortiter occubuisse diximus, à Carolo Caroli filio interfectum, non propter latam Hungaris opem, aut propter infestatam, vt quidam putant, Saxoniam; sed potius, C quòd Hungaris iam Carolo deditis, præmolestus, & Dux Bohemorum, grauis esset.

IESV CHRISTI ANNVS 810.	LEONIS PAP. III. ANNVS 15.	CAROLI M. IMP. 10. NICEPHORI 9.

Indict. 2.

CHAGANIS IVNIORIS OBITVS.

HOc anno Chaganus secundus, siue iunior, diem suum obijt; neque alius ex eadem gente successit, sed Hungaria in formam Prouinciæ redacta, D leges Magistratusque à Carolo accepit, ac in aliquot ætates Reges, seu Duces suos habere desijt; nisi velimus Carolum filium, qui aliquando pro Rege agebat, Chagano iure testamenti successisse. Nam, vt aliqui scribunt, decretum diuisionis illius, quod anno octingentesimo sexto Carolus pater edidit, de quo nos anno superiore diximus, ita deinde fuit contractum, vt Pipino Imperij nomen, Italiamque ac circumiectas inferni maris insulas; Carolo Pannonias, & quicquid Mediterranearum regionum de Græco reciperetur; Ludouico Galliam, Germaniamque destinaret.

Verùm, quod spectat ad Græcam ditionem, in eo videtur incisa hæc deliberatio, quòd firmata pace inter Nicephorum Græcum, & Carolum Magnum E Imperatores, nihil amplius recuperandum relictum est. Quamuis enim, vt scribit Eginhardus, Carolus sub tributo redegerit Istriam, Liburniam, atque Dalmatiam, excepit tamen Ciuitates maritimas, quas ob amicitiam, & iunctum cum Nicephoro fœdus, eum habere permisit: neque solum, verùm etiam cum successoribus eiusdem, Michaele, & Leone, firmam stabiliuit concordiam, nulla vt inter partes, cuiuslibet scandali remaneret occasio. Quin etiam Venetias superiori anno à Pipino captas, quòd Nicephoro antea fauissent, eisdem restituit: quæ quidem pax hoc anno tractari cœpta, sequenti confecta est.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS 811.	LEONIS PAP. III. ANNVS 16.	CAROLI MAG. IMP. 11. NICEPHORI 10.	Indict. 4.

CArolus cùm aliquot annis ante, vt vidimus, de regnis inter filios distribuendis constituisset, hoc anno de mobilibus testamentum condit. Extat forma eius testamenti apud Eginhardum, ex qua, & pietatis, & pruden- CAROLI TESTAMENTVM QVALE.
B tiæ argumenta insignia, Principes, & quibus superest quid relinquant petere possunt; vnàque normam instituendæ voluntatis vltimæ condiscere. Executus singula est ex præscripto Ludouicus filius, qui *diuina*, vt ait Eginhardus, *iussione successit*.

Porro hoc eodem anno Carolus eiusdem Imperatoris natu maior, qui Pannoniæ, siue ex Chagani, siue ex patris institutione præerat, pridie nonas Decembris die Barbaræ sacro, feria quinta ex hac vita migrauit. Nullus deinde quoad Carolus imperauit, ex regio sanguine Hungariæ præfuit, sed per Legatos ex optimatum sententia administrata est, religione Christiana quantum li- CAROLVS HVNGARIÆ PRÆSES OBIT.
C cuit, tuta, & Sacerdotum diligentia, tametsi nondum fundatis Ecclesiarum cathedris, conseruata.

Hoc anno Nicephorus Imperator, cum Bulgaris congressus, primùm eos fudit; sed neglecta pace, victoria insolenter vsus, à Bulgarorum Duce Crunno, ex desperatione animos capiente, circumuallatus, numine quodammodo impellente, sese in periculum ineluctabile induit, magnaque nobilium suorum parte miserabiliter trucidatus est. Hic fuit tantorum scelerum exitus, à Theodoro Studita contempto dudum ante prænunciatus. Nouissimum fuit flagitiorum exemplum, Ecclesijs publico censu temere imposito tributa exigere. NICEPHORI IMPERATORIS INTERITVS.
D Dissuadentibus, obduratum sibi cor, instar Pharaonis ostendebat. Discant Ecclesiarum, & iurisdictionis Ecclesiasticæ oppressores. Caput amputatum Crunnus multis diebus è ligno suspensum, confluentibus nationibus in ostentationem prostare iussit: demum cranio apte in craterem argenteum deformato, potum Principibus Sclauinorum propinauit, de opprobrio gloriatus.

Successit Nicephoro omnium ordinum consensu, Michael Curopalates, Mitissimus appellatus, à Nicephoro Patriarcha coronatus: nec diu post Theophilactus quoque filius patre optante, Imperator decernitur, & ab eodem Patriarcha, feria quinta diademate ordinatur. SVCCEDIT MICHAEL CVROPALATES.

E

IESV CHRISTI ANNVS 812.	LEONIS PAP. III. ANNVS 17.	CAROLI MAG. IMP. 12. MICHAELIS CVROP. 1.	Indict. 5.

HOc anno multi Christianorum ex Palæstina, immensam Arabum sæuitiam fugientes, migrarunt. Quia enim non erant qui Syriam, Ægyptum, & Africam regerent, Arabes sine lege grassati, funesta omnia, & impia perpetrabant. *Quin etiam*, inquit Theophanes Monachus, *in alma Dei nostri*

ciuitate

ciuitate, hoc est Hierosolymis, colenda loca sancta Dei Genitricis, & Resurrectionis ac Caluariæ, seu reliqua, profanata sunt; similiter & Lauræ eremi opinatissimæ S. Charitonis, & Sabæ, & reliqua Monasteria, & Ecclesiæ desertæ facta sunt: alij verò percepto martyrio interempti sunt, alij verò Cyprum, & ex hac Byzantium properarunt; quos Michael pius Imperator, & Nicephorus sanctissimus Patriarcha benigna munificentia receperunt. Hæc Theophanes. A

Non parum hinc animi accessit & Hungaris, quorum pectoribus religio Christi nondum penitus insederat, audito præsertim Nicephori interitu, victore Bulgaro, cum quo Hungaris conueniebat. Maxime verò, quòd is, ea clade quamplurimis Christianorum potitus, nolentes Christum eiurare multis tormentis excruciatos, non vno mortis genere crudeliter affecisset. Memorat gloriosum horum certamen Basilius Imperator in Menologio, necnon Romanum Martyrologium ad diem Iulij tertiam supra vigesimam. Id quamuis anno superiore contigerit, hoc tamen loco visum est meminisse, occasione Arabum, qui eadem perfidia sæuitiam Bulgarorum imitati, maioribus etiam, & funestioribus Ecclesiæ flagitijs cumularunt. B

IESV CHRISTI ANNVS 813.	LEONIS PAP. III. ANNVS 18.	CAROLI MAG. IMP. 13. MICHAELIS CVROP. 2.

Indict. 6. C

CArolus Imperator habito generali conuentu Aquisgrani, filium suum ex Hildegarda, Ludouicum Aquitaniæ Regem Imperij corona donat, & Bernhardum nepotem ex Pipino genitum, Italiæ præfecit. Scilicet morbo, & senectute pressus cùm diem obitus sui appropinquare sentiret, euocato filio suo Ludouico, coram frequenti Senatu, & populo in Aquisgranensi Palatio, piam admodum concionem habuit, quæsiuitque ex singulis, an placuisset nomen Imperatoris filio imponere. Illis vnanimi consensu respondentibus, Dei hanc esse voluntatem, die prima Dominica cultu Regio perrexit ad Ecclesiam, ad Altare nomini Iesu consecratum; in eoque deposita aurea corona, alia quam ipse gestabat, postquam diu cum filio orasset, eum omnibus audientibus monuit, *vt Deum timeret, diligeret, mandata eius seruaret, Ecclesias Dei tueretur ac protegeret, fratribus, sororibus, nepotibus, propinquis omnibus, indeficiente charitate semper adesset: Sacerdotes vt parentes honoraret, populos vt filios diligeret, superbos, & insolentes in viam salutis vel coactos dirigeret: Cœnobia, & pauperes consolaretur, fideles ministros, & Deum timentes constitueret, quibus munera iniusta odio essent: nullum ab honore sine causa discretionis deijceret: semetipsum omni tempore coram Deo, & omni populo irreprehensibilem ostenderet.* D E

CAROLVS IMP. LVDOVICVM FILIVM IMPERATOREM DECERNIT.

Quibus dictis interogauit, an præceptis suis obediens esse vellet. Ludouicus omnia cum Dei gratia cari parentis mandata se facturum vt recepit, tum pater iussit eum suis manibus coronam, quæ in Altari erat, tollere, & capiti suo imponere in memoriam mandatorum, quæ receperat.

Ita peractis Missarum solennijs reuersi sunt in Palatium, Ludouico parentis senis, eundo, & redeundo, & quandiu apud ipsum erat, gressus sustinente: quem non post multos dies, magnificè donatum remisit in Aquitaniam, non

sine

A ſine lacrymis, cùm vtrique mutuò ſe amplexantes, & oſculati diuiderentur. Hæc ex Thegano huius temporis ſcriptore. Qui præterea addit: *Poſtquam à filio diuiſus eſt Carolus, nihil aliud eum agere cœpiſſe, quàm vacare orationibus, & eleemoſynis, & libris corrigendis: nam quatuor Euangelia Chriſti, quæ intitulantur nomine Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis, in vltimo ante obitus ſui diem, cum Græcis, & Syris optime correxerat.* Hæc iſte.

Non omittendum hoc loco, antequam Carolus naturæ debitum ſolui ſſet, miſiſſe eum legationem ad Michaelem Curopalatem, qui tamen priuſquam miſſi adueniſſent, Imperio ſe abdicarat, Leone Armeno, malo omine, ſucce-B dente. Factum id proditione eiuſdem Leonis, qui Bulgaris graſſantibus occurrentem Michaelem deſeruit: Ita is iniquiore fama, tanquam bellandi imperitus exercitum cladi obieciſſet, vltro ceſsit, & cum vxore Procopia, & natis Theophilacto, & Ignatio Monaſticen amplexus eſt. Magna tum ſtrages Chriſtianorum edita, qui defectionem à Chriſto, vitæ antepoſuerunt.

Quippe iam Leone Principatum obtinente, Crunnus ex ſuperiori victoria elatior, vrbem ipſam regiam obſedit; ſed munitiorem expertus, quàm vt tumultuariè caperetur, reuerſus Hadrianopolim, ad cuius obſidionem, fratrem reliquerat, eam vi expugnauit: captumque Epiſcopum Manuelem vi-C rum ſanctiſsimum, brachijs priùs amputatis, mox gladio per medium diſſectum feris ad deuorandum obiecit. Non impune; nam diuinitus ob tantum ſcelus excæcatus, ſuiſque exoſus, ab ijſdem fracta fune gula viuendi finem fecit. CRVNNVS HADRIANOPOLIM CAPIT.

Nihilo melior illo filius impietatis paternæ heres, Zocus imperium ſuſcipiens, reliquos omnes Chriſtianos captiuos, cùm ad renunciandum Chriſto cogere nequiuiſſet, diuerſis tormentis affectos crudeliſsimè obtruncauit. Celebrat horum gloriam Menologium Baſilij Imperatoris ad diem Ianuarij vigeſimam. Quæ porro ſtrages ſicut Chriſtianorum animos conſternauit, ita longe lateque impietatis cultores, quemadmodum anno ſuperiore de Hun-D garis diximus, erexit; inclinante præſertim Caroli Imperatoris cura, quem ſceptro propemodum, & gladio poſito, quietem adamaſſe fama diuulgarat.

IESV CHRISTI ANNVS	LEONIS PAP. III. ANNVS	LVDOVICI I. LEONIS ARMENI I.	
814.	19.		Indict. 7.

E HOc igitur anno Carolus Auguſtus, ætatis ſuæ ſeptuageſimo ſecundo (vno minus ſcribit Anonymus,) ex quo regnare cœperat quadrageſimo ſeptimo, Imperij verò decimo quarto, febre valida correptus accedente pleuriſi, ſeptimo poſtquam decubuit die, ſacra communione percepta deceſsit, die vigeſima octaua Ianuarij in ſabbato, hora diei tertia. Eius pium obitum inter alios deſcripſere eius temporis ſcriptores Eginhardus, Theganus, Monachus Engoliſmenſis: In quibus Theganus, *Sciens*, inquit, *quòd facturus eſſet (poſtquam ſcilicet Dominico Sacramento exitum ſuum muniuiſſet,) extenſa manu dextera, virtute qua poterat ſignum ſanctæ Crucis fronti imprimens, & ſuper pectus, & omne corpus conſignauit. Nouiſsimè autem colligens pedes ſuos, extendens brachia, & manus ſuper corpus, clauſit oculos, pſallens hunc verſum leniter:* OBITVS CAROLI IMPERATORIS.

In

In manus tuas commendo spiritum meum: statim post hæc in senectute bona plenus dierum perrexit in pace. A

Et postquam descripsisset pompam funeris, & sepulchri, *Nemo*, inquit, *referre potest, quantus planctus, & luctus pro eo fuerit per vniuersam terram: Etiam inter Paganos plangebatur*, quasi pater orbis.

Tribus vltimis eius vitæ annis notat Eginhardus, cælo terraque visa esse signa atque portenta, cognita etiam ab ipso, esse sui obitus argumenta; crebra nimirum Lunæ, Solisque deliquia; frequentem Palatij Aquensis, vbi degebat, tremorem; fulmina, ruinas regiæ, incendia, & plura id genus, quæ sane admiranda refert idem Author. Addit Hermannus, *& Cometam apparuisse terribilem, qui cùm Imperatorem cogitabundum reddidisset, ad Eginhardum conuersus, dixit mutationem regni, mortemque Principis prætendere. Cui ille: Scriptum est, inquit Imperator: A signis cæli nolite timere. Contra Carolus: Non aliud timere debemus, nisi qui nostri, & huius creator est syderis: sed eius clementiam laudare tenemur, qui nostram inertiam, cùm peccatores simus, talibus admonere dignatur indicijs. Quia ergo talia portenta cùm apparent, omnes communiter tangunt, omnes pro posse ad meliora festinare debemus, vt misericordiam in illo dominante consequi valeamus. Et piè creditur quòd hac humilitate Deum placauit, quia non super eum plaga peruenit, sed super Italiam, incursu Sarracenorum.* Hæc Hermannus. Verum in Eginhardo, seu, vt ille appellat, Egmardo, nihil simile inuenio. B C

CAROLI VIRTVTES.

Maximus sanè Imperatorum, siue pietatem, religionem, iustitiam, siue reliquas virtutes militares spectes: qui si collegam dignum in Orbis Imperio sortitus fuisset, & qualis in Occidente Carolus, talis in Oriente Nicephorus fuisset; haud dubiè vniuersum Romanum Imperium instaurari facile potuisset: nempe, si quemadmodum ille ad prædomandam Europam animum aduerterat, ita iste ad subigendam Asiam Africamque ingenium reuocasset. Verùm hoc optare quidem possumus; videre an alicui mortalium ante suprema tempora contingat, nescimus.. D

Ita porro Carolus, cuius res gestæ plura volumina requirunt, æquata præstantissimi cuiusque antiquorum Principis gloria, vita defunctus est; quem vniuersa Christiana Respublica extinctum luxit, omniumque iudicio inter Diuos referendum esse censuit. De quo quid vlterius senserit Baronius, libet hic ex verbo tanti Scriptoris, in memoriam tanti Imperatoris adiungere.

Huius, inquit, *si animæ, sicut & corporis, spectes formam, planè ex his, quæ de ipso scripta sunt ab eo*, (nempe Eginhardo) *tum ab alijs eius temporis scriptoribus, dignum virtutum exemplar intueberis; religionis verò omnibus absolutum numeris simulacrum; cui nec mea sententia qui præcesserunt, vel postea successerunt Imperatores penitius æquari valeant. Sed nec in moribus etiam haberet æqualem, nisi ipse coniugalem castitatem concubinarum introductione fœdasset: sed posterior maculas istas pœnitentia iugis abstersit, dum carnem suam, senilem licet, cilicino super nudum corpus inhærente iugiter indumento attriuit.* Hæc Baronius. E

GALLICANA ECCLESIA NATALEM CAROLI CELEBRAT.

Mittimus hoc loco fabulosa, quæ de Carolo scribunt Turpinus Archiepiscopus, Franciscus Petrarca, de magico fœminæ incantamento, & quidam alij, præsertim de peccato, quod in Sacramento reuelare præ pudore omiserat, Ægidij meritis abolito. Illud sanè egregiarum eius virtutum merito factum, vt Ecclesia Gallicana diem Natalem celebret, habeantque inter Sanctos

A ctos recensitum Aquisgranensis Ecclesiæ tabulæ. Quin etiam post annos centum sexaginta sex, Friderico imperante, vt habet Baronius, cum à Paschali Papa, catalogo Sanctorum adscriptum testatur diploma, quod in Aquisgranensi Ecclesia asseruatur. Verùm quia Paschalis ille, Schismaticus, haud legitimus fuit Pontifex, eiusmodi Canonizatio recepta ab Ecclesia Romana non est; eamque ob causam, nec nomen Caroli illatum in Martyrologium Romanum. Moneo hoc loco, si id Friderico, puta Primo, imperante factum sit, non duntaxat centum sexaginta sex, sed trecentos sexaginta sex, vel etiam plures annos, ab obitu Caroli numerandos.

B Ceterùm, quia non inuenitur diploma illud legitimos Pontifices aboleuisse, aut impugnasse, aut prohibuisse, res sic tacito permissu perseuerat. Existimo tamen, & expressum deinde sequentium Pontificum accessisse consensum, vt in propria Ecclesia, quæ sepulti corpus habet, rite coli possit: quando deinde is cultus in alias quoque Ecclesias Belgij, & Germaniæ ita hodie propagatus est, vt in ijsdem Carolus sanctitatis titulo, proprioque Officio, & annua solemnitate colatur ac celebretur. Dignus, cui Imperatores, & Reges Christiani in Ecclesia quoque Romana tot beneficijs, & meritis immortalibus eidem deuincta, honorem, & cultum decernendum curent. Sed hæc hactenus.

C Hoc eodem anno Leo Imperator Orientis misit ad Angelum Patriciacum Ducem Venetorum corpus S. Zachariæ cum parte Dominicæ Crucis, & vestis, alterius etiam, quæ fertur fuisse Deiparæ Virginis. Id hodie colitur in Templo, quod Zachariæ nomine statuendum Venetijs dictus Princeps curauit. Par est credere, Venetos Constantinopoli versantes id procurasse apud Imperatorem Iconoclastam, & à cultu sacrarum reliquiarum auersum; vt quas ipse non honoraret, alijs honorandas concederet: nisi etiam hoc munere conciliare sibi voluerit Venetos, qua ardebat inuidia aduersus Occidentis Imperatores concitandos.

D Sub eodem Leone Imperatore, sed incertum quo anno, Iustiniano Duce; ijdem Veneti mira dexteritate, & felicitate per mercatores acquisiuerunt corpus sancti Marci Euangelistæ, & Venetias detulerunt, cùm trecentis circiter annis ante ab Heraclio Imperatore eiusdem sedem dono accepissent; vt diuinitus quodammodo suæ sedi restitutus Diuus Euangelista videri possit. Quid verò sentiendum sit de illa Theatinorum narratione, qua sacrum hoc depositum Venetijs ad se migrasse tradunt, in historicis ad Martyrologium notationibus ostendemus.

Ludouicus, audita patris morte, ex Aquitania Aquisgranum venit, summoque omnium consensu ac fauore eidem successit; & ad suscepti Imperij administrationem cura conuersa, legationes gentium, tum quæ ad patrem priùs venerant, absoluit; tum quæ deinde ad se missæ sunt recentiùs, suscepit. Inter has præcipua fuit Constãtinopoli missa; nec defuere ex Pannonia, qui Ludouici ingenium & obseruarent, & an vitutes patriæ ex animo elucerent, diligenter intenderent; vt vel timere, vel contemnere perinde ex occasione nossent. Misit is ex filijs suis Pipinum in Aquitaniam, Lotharium in Bauariã, vnde & rebus Pannoniæ attendere posset, donec aliud constitueretur. Alibi lego missos ex Pannonia ad Ludouicum primores, & Legatos, quibus cum de regni administratione pacate egit, lecturus ex eorum gente, qui nomine regio rerum satageret.

E

A

Indict. 8.

IESV CHRISTI ANNVS 815.	LEONIS PAP. III. ANNVS 20.	LVDOVICI IMP. 2. LEONIS ARMENI 2.

HVNGARI NOVA MOLIVNTVR.

DEfuncto Carolo, Hungari Ludouicum Italiæ ordinandæ, sed præsertim seditioni compescendæ, quam nonnulli principes viri contra Leonem Pontificem concitarant, ac etiam legationibus excipiendis intentum conspicati, occasionem obseruabant, qua Regnum suum ad pristinum statum reuocare possent. Proinde cùm non essent, qui res religionis sicut antea, vel metu religiosissimi Principis Caroli curarent; paulatim neglectis diuinis, & pacis consilijs, ad arma respexerunt, & quo euentu bellum gesturi forent, deliberarunt. Obtulit se Lindeutus in inferiori Pannonia nobilitatis primæ, qui aliquot vrbes secum trahens manifesta defectionis signa extulit. Id cùm Ludouicus per fidos suos accepisset, maturè occurrendum ratus, legiones ad compescendum misit. B

Interim hanc defectionem aliunde compensauit Deus, profugientibus ex Hispania compluribus, qui diræ seruitutis sub Sarracenorum iugo impatientes, vt Christo seruirent, bonis suis relictis, in Gallias ad Ludouicum venerunt. C Quos omnes ille non solùm benignè suscepit, sed agris concessis, liberos, & æqua conditione cum Francis, imò & tributis immunes esse iussit.

Indict. 9.

IESV CHRISTI ANNVS 816.	LEONIS PAP. III. ANNVS 21.	LVDOVICI IMP. 3. LEONIS ARMENI 3.

INterea studijs Hungarorum in diuersa tendentibus, quòd alteram Pannoniam, nimirum inferiorem, tenebat Lindeutus; alteram superiorem, dubium, pro se, an pro Ludouico regeret, Cadolaus; defectio in ambiguo versabatur, inter Principes æmulationis propinquitate discordes. Mox etiam ferro, antequam adessent copiæ Ludouici, decertatum est; & victus Lindeutus, Ludouici quoque hostis efficitur, qui æquior Cadolao tanquam è fide rem gerenti, rebus Hungariæ adiungitur; æquatisque pacis conditionibus, quietus interim Reipublicæ status redditur. D

OBITVS LEONIS PAPÆ.

Moritur hoc anno Leo Papa, postquam Ecclesiæ præfuisset annos viginti, menses quinque, dies decem & septem, vt Anastasius habet. Contigit obitus eiusdem die vigesima quinta Maij in sabbato. Successit Stephanus Diaconus, qui nondum post consecrationem suam exactis duobus mensibus, quammaximis itineribus ad Ludouicum contendit, præmissis interim duobus, qui, vt inquit Monachus Anonymus, *quasi pro sua consecratione Imperatori suggererent.* E

Hoc eodem anno tradunt rerum Hispaniæ Scriptores; repertum Compostellæ corpus venerandũ S. Iacobi Apostoli fratris Ioannis: qua de causa actum ab Alphonso Rege cognomento Casto, vt translata sede Hiriensi, Cõpostella Episcopali honore insigniretur; quod à Leone Papa III. concessum affirmant. Consulẽdus Baronius ad hunc annũ, qui circa eandẽ rem plura notatu digna memorat.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS 817.	PASCHALIS PAP. ANNVS 1.	LVDOVICI IMP. 4. LEONIS ARMENI 4.	Indict. 10.

STephanus Papa à Ludouico Romam reuersus mense Octobri exeunte, nec dum postea exacto mense tertio, postquam sedisset menses septem, dies tres, vigesima quinta Ianuarij feria quinta, ex hac vita migrat, clarus miraculis, vt Theganus siuè Thiegandus affirmat. Succedit Paschalis ex Monasterio assumptus, magnæ vir sanctitatis, die Ianuarij vigesima octaua, omnium plausu, & communi lætitia susceptus. STEPHANI PAPÆ OBITVS.

B

Ludouicus Aquisgrani Conuentu habito, Lotharium primogenitum suum corona donat, & nominis atque Imperij socium constituit; cæteros autem Reges appellatos, alterum Aquitaniæ, alterum Bauariæ præficit. Nec multo post Bernardum nepotem suum, Regem Italiæ, aduersum se coniurasse vt accepit, ex Gallia, Germania, Hungaria copias euocauit.

Audiuit ibidem, & Legatos ex Hispania Abidarahman filij Abulaz Regis Sarracenorum. Venerant hi pacis petendæ causa, defuncto iam aut deiecto Abulaz, cum quo pax triennium seruata, cùm inutilis videretur, abrumpenda censebatur; eo maximè, quòd, vt diximus supra ad annum decimum quintum, dira seruitute Christianos premeret: quibus tamen cum Ludouici metu tolerabiliorem fecisset fortunam Abidahraman, ita dimissus est, vt cauta pacis conditione, pendens animi, in officio contineretur.

C

In hoc eodem Conuentu enituit liberalitas æque ac pietas Ludouici in Romanam Ecclesiam, quando auum suum Pipinum, & genitorem Carolum imitatus, donationes B. Petro, Paschali Papæ, & eius in perpetuum successoribus factas partim confirmauit, partim restituit, non paucis etiam auxit. Neque solum, sed liberam Romani Pontificis electionem, & coronationem esse iussit. Eius constitutionem ex parte pro argumento suis decretis inseruit Gratianus; integram tamen ex monumentis Vaticanis recitat ad hunc annum Baronius. Dist. 63. Ego Lotharius.

D

IESV CHRISTI ANNVS 818.	PASCHALIS PAP. ANNVS 2.	LVDOVICI IMP. 5. LEONIS ARMENI 5.	Indict. 11.

E

LVdouicus coniuratione Bernardi patefacta, ac coniurationis authoribus in potestatem redactis, omnes, etsi iudicio Francorum capitali sententia damnatos Aquisgrani, luminibus tantum iubet orbari. Episcopi in eodem scelere deprehensi, Synodo depositi, partim Monasterijs mancipati, partim proscripti.

In Oriente feruet Orthodoxorum persecutio sub Leone Armeno; quorum martyria ex parte describit Theodorus in carcere: sed plurium nomina, secundum dies, quibus passi sunt, recensent Græcorum Menologia. ORTHODOXORVM PERSECVTIO.

Adfuere hoc eodem anno Ludouico missi à Lindeuto Duce Pannoniæ in-

Anonym. Ludouici domesticus in annal. ad ann. 818.

ferioris, qui suo nomine Cadolaum Comitem, & Marcæ Foroiuliensis Præfectum crudelitatis, & insolentiæ accusabant. Ita callidè res nouas moliebatur. A Aderant & aliarum nationum Legati, Abotritorum videlicet, ac Burnæ Ducis Gudustanorum, & Timotianorum, qui nuper à Bulgarorum societate desciuerant, & ad Ludouici fines se contulerant. Quos omnes benigne audiuit ac dimisit.

Indict. 12.

IESV CHRISTI ANNVS	PASCHALIS PAP. ANNVS	LVDOVICI IMP. 6. LEONIS ARMENI 6.
819.	3.	

B

LVdouicus Conuentu Aquisgrani celebrato, dum Ecclesiæ Gallicanæ laboranti consulit, nihil interea pro fide inter Hungaros propaganda literis adeo dignum accessit; vt ideo qui isthic erat status enascentis quodammodo, nisi obtereretur, Ecclesiæ, non sine fluctuatione seruaretur. Editæ demum capitulares eiusdem Conuentus Constitutiones, non semel ab Apostolica Sede confirmatæ.

LINDEVTVS IN PANNONIA REBELLAT.

Interim Lindeutus in Pannonia iterum rebellar, contra quem missus à Ludouico exercitus, parum prospere rem gerit. C Id propter Lindeutus superbia elatus, Legatis missis pacem simulatè, propositis quibusdam conditionibus, petit; quas Ludouico abnuente, ille in perfidia obfirmatus vicinas circumquaque gentes ad bellum solicitat: sed & Timotianorum populum, qui dimissa Bulgarorum societate, ad Ludouicum inclinarat, ita falsis persuasionibus illexit, vt perfidiæ illius socius, & adiutor existeret. Huic Baldrichus, qui Cadolaó febre extincto successerat, obuiam factus in Carantanis, iuxta fluuium Drauum, ducentem exercitum parua manu fundit, & è prouincia fugat. Lindeutus in Dalmatiam euadens ad Colapium fluuium obuium habet Bornam Ducem Dalmatiæ; D cum quo prælio conferens Dragomosum socerum amittit: mox mense Decembri occasionem nactus, valida manu Dalmatiam ingressus, ferro & igne vastat. Ad extremum tamen graui suorum damno facto à Borna coactus est excedere. Ita consilijs Hungarorum in bella distractis religio progressum habere non potuit.

LINDEVTVS VINCITVR.

Indict. 13.

IESV CHRISTI ANNVS	PASCHALIS PAP. ANNVS	LVDOVICI IMP. 7. LEONIS ARMENI 7.
820.	4.	

E

LVDOVICVS BELLVM CONTRA LINDEVTVM DECERNIT.

MEnse Ianuarij Ludouicus Aquisgrani senatum habuit. In eo de Lindeuti Pannoniæ Ducis defectione deliberatum, decretumque est, vt tribus simul exercitibus, sed diuerso ingressu, Pannoniæ pars illi subiecta peteretur; Borna etiam Dalmatiæ Duce primum per Legatos, deinde coram, quid facto opus foret suggerente. Transacta hyeme tres illi exercitus seorsim mittuntur: primus ex Italia per Alpes Noricas, alter per Carantanorum prouinciam, tertius per Bauariam, & Pannoniam superiorem. Et primus quidem Alpium transitu,

A situ,hostiumque manu, alter itineris longitudine, & Drauo flumine obiecto retardabatur, qui nihilominus feliciore vsus fortuna, quanquam tribus in locis negocium ei facesserent, & hoste ter superato, &Drauo transmisso,ad destinata loca peruenit. Contra hæc Lindeutus nihil tum molitur; munitione duntaxat in arduo monte excitata se suosque continuit, nihil de bello, vel pace inferens. Tertius,qui per Pannoniam superiorem iter fecerat exercitus, in transitu Draui, ex locorum, & aquarum insalubritate grauiter affectus, magna ex parte morbo concessit. Reliqui duo coeuntes, illata locis vastitate, sine damno reuersi sunt; sed neque idcirco insolentia Lindeuti coërcita.

B Plurimi à Leone Armeno ob cultum sacrarum Imaginum proscripti, & Romam confugientes à Paschali Papa benignè excepti sunt, constructo etiam Græcis Monachis egregio ad S. Praxedem monasterio, *vbi diu noctuque*, vt inquit Anastasius, *Græca modulationis psalmodia, laudes omnipotenti Deo, Sanctisque illis ibidem quiescentibus persoluerent.* Multa quippe Sanctorum corpora in cœmeterijs dirutis iacentia, Paschalis vndique conquirens, hoc templo condiderat, cum impietate Leonis maiori sanctitate certans, vt qui reliquiarum sacrarum cultum planè sublatum ardebat. PASCHALIS PIETAS ERGA GRÆCOS MONACHOS

In ipsis porro, sequenti mense, Domini Natalitijs, feria item secunda, hora LEONIS ARMENI INTERITVS.
C noctis prope decima, Leo Armenus Orientis Imperator Iconoclasta, Deo,bonisque omnibus inuisus, postquam pulsis pluribus orthodoxis, non paucis metu reductis, innumeris, aut squalore carcerum enectis, aut immanibus supplicijs e medio sublatis, Ecclesiam dirissimè afflixisset,Deo scelerum pœnam reposcenti, interficitur à coniuratis,Michaele Amoriensi authore in eum incitatis. De eius interitu fertur oraculum Sibyllinum inscriptum libro cuidam Bibliothecæ Imperatoriæ, quo præter oracula, signa etiam Imperatorum coloribus depicta continebantur. Nempe exprimebatur fera, Leo pictus,cui supernein dorso litera X, ad ventrem vsque visebatur producta, & à tergo vir accur-
D rens, Leonemque hasta per ipsam literam configens. Quod oraculum obscurum, solus ea tempore Quæstor interpretatus est, fore nimirum Leonem aliquando Imperatorem, qui ipso Christi Natali die mala morte esset interiturus.

Plures de eiusdem cæde antequam patraretur,oblatæ visiones, & ipsimet Leoni, & matri; quæ propterea non semel tragicè suspirans, eum ab Iconomachorum hæresi reuocare non desistebat. Videri possunt apud Ignatium in Tarasio, & Cedrenum; iucundæ lectu, & quæ hodiernis Iconoclastis, si quid humani sensus habent, terrori esse queant. Sed hic satis sit,cælitus etiam vocem
E editam, quæ lætum de eius morte nuncium multis patefecerit, & nauicularios quosdam, qui audiuissent, notato tempore veritatem deprehendisse.

Sunt qui interitum Leonis in annum sequentem conijciant, sed nos antiquiorum vestigia secuti, huic anno adscribimus. Successit ex vinculis Michaël Balbus, Amorij in Phrygia natus, nihilo, vel certe non multò melior Leone, insignis scelerum architectus.

A

Indict. 14.	IESV CHRISTI ANNVS 821.	PASCHALIS PAP. ANNVS 5.	LVDOVICI IMP. 8. MICHAELIS BALBI 1.

PATRIARCHA GRADENSIS APVD IMPERATOREM ACCVSATVS.

Fortunatus Patriarcha Gradensis cùm à quodam presbytero suo, nomine Tyberio, apud Imperatorem fuisset accusatus quòd Lindeutum Pannoniæ Ducem ad perseuerandum in perfidia, qua cœperat, hortaretur, eumque ad castella sua munienda artifices, & murarios mittendo iuuaret, & ob hoc ad palatium venire iuberetur; primo velut iussionem impleturus in Istriam profectus est; inde simulato reditu ad Gradum ciuitatem, nullo suorum, præter eos, cum quibus tractauerat, suspicante, nactus occasionem, clam nauigauit, veniensque Iaderam Dalmatiæ ciuitatem, Ioanni Præfecto prouinciæ, fugæ suæ causas aperuit; qui eum naui statim impositum Constantinopolim misit. *Anonymus in Ludouico.* B

TRES EXERCITVS IN PANNONIAM MISSI.

Mense Septembri Conuentu Aquisgrani habito, de bello Lindeutico tractatum est, ac tres exercitus ordinati, qui imminente æstate in Pannoniam ingressi rebellium agros per vices vastarent. Autumnalis satio pluuiarum assiduitate, quibusdam locis impedita est, quam hyems adeo prolixa atque aspera subsecuta, vt non solum minores riui, ac mediocres fluuij, verum & maximi omnes, Rhenus videlicet, Danubius, Albisque ac Sequana, cæteraque per Galliam atque Germaniam Oceanum petentia flumina, adeo solida glacie stringerentur, vt triginta eoque amplius diebus plaustra huc atque illuc commeantia, velut pontibus iuncta sustinerent. C

CONSTANTINOPOLIS OBSIDETVR.

Quod ad Orientem spectat; hoc anno Decembri mense Constantinopolim obsedit Thomas quidam transfuga ad Sarracenos, apud quos eiurata fide Christi multos annos permansit; postea vero reuersus, cùm se Constantinum, homo obscurissimis natalibus, Irenæ Augustæ filium finxisset, magna nefariorum manu collecta, Armeniam primùm, Leone adhuc imperante, occupauit; deinde verò crescente ausu, & cætu, cùm magnam præterea classem comparasset, Michaele iam creato hoc anno Vrbem obsedit. *Cedrenus.* D

Indict. 15.	IESV CHRISTI ANNVS 822.	PASCHALIS PAP. ANNVS 6.	LVDOVICI IMP. 9. MICHAELIS BALBI 2.

E

Exercitus ex Italia ad conficiendum contra Lindeutum bellum in Pannoniam tertiò mittitur; adeo nihil magni pro Religione apud Hungaros agi potuit, dum ius in armis versaretur, pietatis exigua ratio haberetur. Manebat Lindeutus Sisciæ, quæ vrbs in Pannonia superiori iuxta Colapis confluentiam in Sauum, quondam sita, hodieque monumenta quædam præclara ostendit; nunquam tamen clarior, quam Episcopi sui S. Quirini sanctitate, qui sub Galerio, circa annum Christi quintum supra trecentesimum illustre martyrium fecit, quemadmodum in Apparatu dictum est. Cæterùm Lindeu-

A deuctus Siſcia relicta, ad Sorabos, qui tum Dalmatiæ partem obtinebant, confugit, & vno ex Ducibus eorum, à quo receptus eſt, per dolum interfecto, ciuitaté eius in ſuam redegit poteſtatem, miſſis tamen ad exercitum Imperatoris legatis ſuis, ad cuius præſentiam iturum ſe recepit.

Fuit hic annus portentis inſignis in Thuringia, & Orientali Saxonia, de quibus Monachus Anonymus, Sigebertus, & reliqui Annales Francorum. Longè tamen diriora fuere, quæ Orientem concuſſerant, terræmotus nimirum, fames, eluuiones maris, incendia; quæ pluribus perſequitur Theodorus Studites, vbi de rebus ſuo tempore geſtis, & Cedrenus in Annalibus. Quæ omnia *Stud. Epiſt. ad Leon.*
B præter clades à diuerſis Tyrannis Orientali Imperio illatas, non niſi in vltionem perfidiæ Principum accidiſſe plerique boni cenſuerunt.

Autumno exeunte, Ludouicus Francofurdum profectus, generali Conuentu celebrato, de Orientalibus Regni ſui finibus deliberauit. Adfuere inter alias legationes, etiam Auarùm, vt loquitur Anonymus, hoc eſt Hungarorum ex Pannonia miſſi ſuarum partium viri, & qui Lindeutum non ferebant. Quos Imperator benignè exceptos poſtquam vtilitati eorum, & rebus regni ex ſententia prouidit, in fide confirmatos, & honorificè donatos penſatis muneribus dimiſit.

Obſidione Conſtantinopolitanæ vrbis extracta, de qua ſuperiori anno diximus, Rex Bulgarorum Michaeli Imperatori auxilium ſponte impendens
C præſto fuit, & Thomam Tyrannum cum ſuo exercitu profligauit: quem Imperator Hadrianopolim confugientem, & à ciuibus deditum lento demum ſupplicio perire iuſſit. Ita Vrbs liberata eſt, ſed perfidia Michaelis Dei beneficio non emendata, vt idcirco Europa, & Aſia tota diuinitùs ingentibus malis conflictata miſerè lueret. *Cedrenus.*

IESV CHRISTI ANNVS	PASCALIS PAP. ANNVS	LVDOVICI IMP. 10. MICHAELIS BALBI 3.
D 823.	7.	*Indict. 1.*

TErruere mortales hoc etiam anno tam in Oriente, quàm in Occidente, crebrò viſa, atque audita prodigia: terræmotus inuiſitati, ignis de cælo lapſus, ex quo plurimæ conflagrationes locorum, præſertim in Saxonia, pluuia verorum lapidum inſani ponderis, & grandini admixtorum, fulmina horrenda, fulgura ſereno cælo, atque interdiu cadentia; denique ex his omnibus calamitas frugum ingens, hominum, animalium peſtilentia. Addi poteſt, in
E territorio Comenſi in vico Grabadona (hodie inſigni oppido) in Eccleſia S. Ioannis Baptiſtæ, Imago S. Mariæ puerum Ieſum gremio ſuſtinentis, ac Magorum munera offerentium, in abſide einſdem Eccleſiæ depicta, atque ob nimiam vetuſtatem pene iam abolita, tanta claritate bidui ſpacio effulſit, vt omnem ſplendorem vincere videretur; tametſi Magorum imagines, præter munera, quæ offerebant, ea claritas minimè irradiaret. *Aimoinus, Sigebertus, Monachus Anonymus, reliqui Annales Francorum.*

Quæ quidem prodigia, quod ad ſacram Imaginem ſpectat, ad confutandos eos referri poſſunt, qui etiam in Gallijs ſacrarum Imaginum cultum inſuper abolendũ cenſuerunt: in quem errorẽ, ſi licuiſſet, Ludouicum etiam Imperato-

rem

rem pertrahere sunt conati. Multa porro ad placandum iratum Deum Imperatoris iussu facta à pijs Christianis memorant Annales, quæ & in capitularibus Francorum leguntur, imitando sane posteris exemplo. A

Lib.5.cap.136.

Non paucis tamen venit in mentem displicere Deo, inter res caduci Imperij procurandas, minus diligenter Christi regnum inter gentes proferri; quod negata illa in supra memorato prodigio, Magorum (qui Gentium primitiæ fuere) Imagini claritas videbatur prætendere. Quare inter alios Ebbo Rhemensis Archiepiscopus, legationem ad procurandam gentium salutem à Paschali Papa suscipiens, ad Danorum conuersionem adiuncto Halitgario profectus est; quam postea Ansgarius, diuina opitulante gratia, feliciter peregit. Optandum erat idem fieri in Hungaria: sed ciuilia bella, & spectantes ad defectionem partes, religioni proferendæ locum non dedere; nec parum fuit iacta à Carolo fundamenta, ne penitus obruerentur, vtcunque seruare, quoad Deo disponente in altum educi possent; etsi alioqui Ludouicus, quemadmodum Regni, & Imperij heres erat, ita etiam studio propagandi Euangelij, patris optimi pietatem conaretur imitari. B

HVNGARORVM CONVERSIO IMPEDITA.

Ad hæc verò ex sententia molienda, illud hoc anno commodi accessit, quod de interitu Lindeuti certus nuncius aduenisset. Is nempe, relictis Sorabis, cùm in Dalmatiam ad Lindemuslum auunculum Burnæ Ducis peruenisset, aliquantum temporis cum eo fidenter moratus; dolo tamen ipsius est interfectus. C

LINDEVTI DVCIS HVNGARIÆ INTERITVS.

Neque tamen hic annus diuina prouidentia immunis omnino fuit à procurata gentium salute; ad hunc quippe reuocant aliqui primam Morauorum conuersionem, quibus fauet Gaspar Bruschius in sua Patauia, dum de Rinchario, alijs Rainhario, aut etiam Reginardo Antistite, & Episcopo Patauiense, *fuisse eum virum bonum, & qui Episcopale officium fideliter egit, & more boni Pastoris, verbo simul, & exemplo legem Christi ita docuit, vt prouinciæ suæ tunc temporis subditos Morauos Christo lucratus vnda salutari ablueret, primus factus eorundem verus Apostolus*. Hæc iste. Ex quibus non minimum redundasse in Hungariam, eidem Antistiti subiectam, par est credere. Sed quémadmodum author luxat tempora, dum Rinchariū obijsse tradit anno huius seculi vigesimo octauo, eodemque, vt ipse putat, Paschalis Primi Romani Pontificis septimo; ita Cyrillo, & Methodio, quos primos religionis suæ antesignanos vendicant Moraui, titulos præuertit, nisi his tota adiacentium quoque populorum conuersio, Rinchario verò quædam duntaxat initia adscribantur. D

Lib.1.num.10.

Constat porro, Paschalem quadriennio prius, hoc est anno vigesimoquarto excessisse. Quod autem ad Rinchariū spectat, sicut de serie Antistitum Laureacensium, tandem in Patauienses desinentium confusa tradunt scriptores, ita ordinem annorum haud rite nectunt. Manuscriptum vetustum, quo vtimur, Arginhardum (sic enim vocat Rainharium) anno huius seculi decimooctauo electum fuisse tradit; sexto verò post anno, diu litigiosum obtinuisse pallium, ac tandem decimoquinto Archiepiscopatus anno vita functum esse. Quæ si vera sunt, in plerisque putando, erratum sit oportet. Sed ne veritati, quæ palam est, errore temporum præstruatur, reducenda quamproxime sunt ad genuinos Romanorum Pontificum annos gesta, quæ eorum nomina, & authoritatem præ se ferunt. E

I E-

A

IESV CHRISTI ANNVS 824.	EVGENII PAP. II. ANNVS 1.	LVDOVICI IMP. 11. MICHAELIS BALBI 4.	Indict. 2.

LVna, iij. Nonas, seu quinta Martij, feria sexta, hora noctis secunda deliquium patitur: tertio inde mense, pridie Idus Maias, siue die decimaquarta, feria item sexta, Paschalis Papa, postquam Ecclesiæ cum laude præfuisset annos septem, menses tres, dies sexdecim, vel secundùm Anastasium septendecim, ex humanis excessit. In eius locum, per contentionem populi cùm plures fuissent electi, Eugenius tamen Archipresbyter, Tituli S. Sabinæ, vincente nobilium parte subrogatus est, sexta post die, nempe decimanona Maij, feria quarta; & Zinzinus Antipapa neglectus: cuius tamen factione cùm tota vrbs flagraret, coactus est Imperator Lotharium filium, & socium Imperij Romam mittere. Qui profectus, & ab Eugenio honorificè susceptus, cum eodem res Ecclesiæ composuit, & libertati Romanæ Ecclesiæ in his, quæ spectant ad electionem Pontificis, edita constitutione prospexit; nec non statum populi Romani, quorundam Præsulum peruersitate deprauatum, eiusdem Pontificis beneuola assertione correxit. *Monachus Anonymus.* PASCHALIS PAPÆ OBITVS. B EVGENIVS PAPA II. C

Circa mensem Decembris adfuere legati Michaelis Imperatoris, cum quibus, & Fortunatus Patriarcha Gradensis nuper, sicut diximus, quod Lindeuti defectioni fauisset, Constantinopolim profugus; quem Michael Imperator epistola ad Ludouicum Imperatorem missa, Archiepiscopum Venetiæ nominat. Nihil pro eo Legati Michaelis coram Ludouico locuti sunt: ipse tamen eum de causa fugæ percunctatus, Romam ire iussit, vt causa à Pontifice cognosceretur.

D Inter hæc Legatos Bulgarorum in Bauariam venisse intelligens Ludouicus, eis obuiam misit, ac vt ad tempus congruum vsque illic manerent, præcepit. Legatos tamen Abotritorum, quos Bulgaris conterminos Daciam Danubio adiacentem incolere alibi diximus, qui & ipsi aduentare nunciabantur, adesse iussit. Hi cùm a Bulgaris inique se infestari quererentur, & ideo contra eos auxilium poscerent, domum reuerti, & tempore Bulgarorum Legatis constituto, redire sunt iussi. *Anonymus.*

Hoc anno legitur editum diploma illud à Ludouico Pio, quod extat apud Lazium, in quo de adiectis suæ ditioni, & conuersis à Carolo Magno Hungaris, E multisque Ecclesijs apud eos ædificatis, luculentum editur testimonium: Neque solùm, sed ex horum præterea terris quædam loca fuisse adscripta Patauiensi Episcopatui, vnde inopiæ suæ ex deuastatione profectæ splendidè consuleret. Est autem huiusmodi. *Lib. 12. de Resp. sect. 7. cap. 6.*

IN NOMINE DEI SALVATORIS NOSTRI IESV CHRISTI.

LVDOVICVS diuina ordinante prouidentia Imperator Augustus. Nullum fidelium nostrorum ambigere credimus, qualiter Dominus, & genitor noster beatæ memoriæ, pijssimus Imperator Carolus Regnum Hunnorum suæ ditioni, non sine magno præliorum labore subiugauerit, & homines terræ illius cultui Christianæ religionis mancipaueris, LVDOVICI DIPLOMA.

uerit, in tantum, vt iam in eadem prouincia multas Ecclesias ob Dei reuerentiam, & reuocari, & à fundamentis extrui faceret. Inde Dei iussu super deuastationem, & inopiam Patauiensis Episcopatus, misericordia motus, plus cæleste, quàm terrenum lucrum desiderans, quædam loca in eius Ecclesiæ vtilitatem templis ornauit, in qua sanctus Valentinus corporaliter requiescit, & vbi tunc Vvaldaricus venerabilis Episcopus præerat; tradens illi, hoc est in prouincia Auarorum, quendam locum, qui vocatur Lytaha, & in terra Hunnorum Leisenmurum, Treysmam: & quædam alia, quorum vocabula iam obsoleuerunt, & Lazij coniectantis ingenium exercent. Hæc pro re nostra satis, vt appareat, quæ inter Pannoniæ, & Noricorum Ecclesias olim cognatio fuit, vt ab vno diu Pastore regerentur. A B

Indict. 3.

IESV CHRISTI ANNVS 825.	EVGENII PAP. II. ANNVS 2.	LVDOVICI IMP. 12. MICHAELIS BALBI 5.

AB interitu Lindeuti non prorsus videtur esse defectio sopita; sed lente spirabat in animis eorum, qui Lindeuti partes secuti erant. Sed nec Ludouico videbatur quippiam apud Hungaros tentandum prius, quam cùm Bulgaris transegisset. Adfuere tandem horum Legati, & de finibus inter se, & Francos constituendis disceptabant; quibus auditis, & datis ad eorum Regem literis, Lotharium filium ex Italia regressum suscepit; minorem verò natu Ludouicum, quo propior Hungaris esset, in Bauariam direxit. C

LVDOVICVS IVNIOR MITTITVR IN BAVARIAM.

Hoc anno magnus ille Anachoreta Ioannicius insigni miraculo, vt Moyses alter ex Ægypto Hebræos, ita captiuos Romanorum è vinculis, & carceribus Bulgarorum in libertatem asseruit: nam intermissa ob caritatem vitæ solitariæ quiete, vbi ad eos penetrasset, solo Crucis signo, & custodias fefellit, & vinculis claustrisque portarum perfractis, eos in lucis splendore tota nocte traduxit; & ne Dei obliuiscerentur, qui secum hanc misericordiam fecisset, atque eius mirabilia suis filijs nota facerent admonitos, in Christianorum fines, & ad propria transmisit; ipse verò ad pristinam quietem, & silentium in monte Thricalicis iterum se recepit. D

EVGENIVS LEGATVM PER PANNONIAM CONSTITVIT.

Huic etiam anno, nec alij verosimilius annecti potest, quod authores sui ab Eugenio Secundo factum tradunt de instituto Vrolpho Laureacensi, per Morauiam, Pannoniam, & Mœsiam Legato Apostolico: quanquam adeo in scribendo discordes, vt conciliari non facile queant. Patauienses Catalogi Vrolphum hunc successisse volunt Vvalderico, qui suæ Ecclesiæ præfuit ab anno supra septingentesimum quinto ac septuagesimo. Sequitur hos Lazius, & decimumtertium in serie Laureacensium locat, licèt alij decimumoctauum numerent. Bruschius in sua Patauia falsissimè Vvalderico subijci affirmat, sed Rinchario, seu Rainhario, cuius supra iam meminimus, successisse, pro explorato habet, anno, quemadmodum putat, huius seculi vigesimonono: in quo tamen, vt aliàs adnotauimus, hæret error manifestus, quando quadriennis ante viuere desijt Eugenius. E

Lib. 12. de Rep. Rom. cap. 5.

Lib. 7. num. 21. Ad an. 823.

Omnes tamen consentiunt, fuisse hunc Vrolphum non Laureacensis tantùm, & Patauiensis Ecclesiæ, quemadmodum præcessores sui fuere, Præsulem,

verùm

A verùm etiam totius Hunnorum, & Morauorum Prouinciæ, adeoque Pannoniarum, necnon Mœsiæ Pontificem (vt loquuntur) Maximum, eoque munere functum annis vndecim, temporibus Eugenij Secundi, si initia spectemus, nam Eugenij Pontificatus triennium paulò excessit. Refert porro Eugenius in epistola ad dictarum Prouinciarum Episcopos data, accessisse Vrolphum ad Limina Principum Apostolorum, tum religionis, tum iuris sui vindicandi gratia; eundemque populis nuper conuersis, quorum ipsi saluti operam dedit, præclarè commendat. Eam epistolam, quia multum facit ad rerum in loco tractandarum notitiam, hic cum Lazio ex verbo damus.

B

EVGENIVS Episcopus Seruus seruorũ Dei, Rachfredo sanctæ Fauianensis Ecclesiæ, & Methodicis Ecclesiæ Speculiensis, Meconi Origiturensis Ecclesiæ, atque Alchunino sanctæ Netrauensis Ecclesiæ, pariq; modo Annoni sanctæ Vetuariensis Ecclesiæ Episcopis, simul & Tutundo; necnon Moymaro ducibus exercitus Huniæ, quæ & Auaria dicitur, atque Morauiæ. Desiderio salutis animarum vestrarum, filij in Christo charissimi, cum audissemus Christianissimam conuersionem vestram, & sanctæ Fidei, bonorumque operum vestrorum processum, summo gaudio, atque letitia fuimus exhilarati. Quia diuina in vobis operante clementia, vt Apostolus ait, vbi abundauit delictum, ibi EVGENII EPISTOLA AD EPISCOPOS MORAVIÆ, ET PANNONIÆ.

C *superabundat gratia; atque quomodo sancta Dei Ecclesia nostris temporibus, quotidianum in electione vestra suscipit incrementum. Cuius optabilis rumoris index, fuit Reuerendissimus Vrolphus, sanctæ Laureacensis Ecclesiæ Archiepiscopus, & sanctissimus frater noster, vester autem spiritualis pater, qui per suam sanctam prædicationem adoptiuos Deo vos genuit filios. Is itaque ad Apostolorum Limina orationis causa veniens, nouam Ecclesiam, Apostolicis benedictionibus informandam, subnixe commendauit, quam Domino auxiliante catholicè gubernandam, in vestris partibus suscepit. In quibus, & quondam Romanorum quoque, Gepidarumque ætate, vt lectione certum est, in septem Episcoporum parochias, Antecessores sui iure metropolitano obtinuerant Diœcesim.*

D

Quia igitur ex iustitia, & lege, præfatus Deodignissimus Archiepiscopus debito obligatur, vt illi terræ prius Christicolæ, atque suorum antiquitus Antecessorum creditæ prouidentiæ, quam nunc vos Dei omnipotentis occulto mediante iudicio, velut hæreditatem possidetis, ipse Euangelicus agricola, diu negata spargat cælestis vitæ semina, atque in lucrandis Christo animabus rediuiuam de vobis nutriat segetem. Quem verò doctissimum diuini oraculi Ministrum, saluti vestræ cognoscentes per omnia necessarium, fide & exemplo probatum, meritò erga illam, Apostolicam seruantes sententiam, qua dicitur: Quomodo credent sine prædicatione, aut quomodo prædicabunt, nisi Ad Rom. c. 10.

E *mittantur? ab hac sancta Romana Matre Ecclesia, vobis eum Rectorem transmisimus, atque in præfatis regionibus Huniæ, quæ & Auaria appellatur, seu Morauiæ, prouinciarum quoque Pannoniæ, & Mœsiæ, Apostolicam vicem nostram, & diœcesim, atque ius Ecclesiasticum exercendi, & vsum, ac potestatem Antecessorum suorum, videlicet sanctæ Laureacensis Ecclesiæ Archiepiscoporũ, sibi successoribusque suis canonica authoritate committimus, atque huius constitutionis decretum nostræ subscriptionis priuilegio roboramus. Pallium quoque iuxta consuetudinem antiquam sanctitati suæ dedimus. Quod ita sibi concessimus, sicut Prædecessores nostri, suis Prædecessoribus concesserunt, priuilegiorum suorum simul integritate seruata: cuius dilectioni quamuis hoc merito permittemus.*

Propter

Propter vestras autem petitiones super hac re flagitantibus, ad honorem suum nostram Apostolicam vicem, & auctoritatem insuper accumulauimus, quod nunquam suis permissum est prioribus, quatenus & vos Confratres, & Coepiscopi deinceps reuerentiam ei ampliorem exhibere sciatis, & in sana doctrina cœlestis eruditionis ad ædificationem vestram, vt filij sapientes obediatis. Atque vos Laici primates, ac vulgus saluberrimis præceptis suis non velut homini, sed Deo humiliter obtemperetis; & in fide Catholica, quam per Dominum Iesum consecuti estis, fortes permaneatis. Nam totius artifex doli diabolus, cuius dominio, & pompis in sacro baptismate renunciastis, iacturam, & damnum vestræ salutaris surreptionis moleste patitur, ac per varias occasiones zizania perfidiæ seminando, velut inulta iniuria bacchatur, ac vt vestrum aliquis terga vertat sanctæ professioni, incessanter molitur. Quapropter sæpe dicti Archiepiscopi, videlicet Pastoris vestri à Deo destinati, institutionibus benignas aures præbete, qui vos, & versutiam satanæ cauere, atque eius æternos cruciatus euadere instruit, ac ipse in die Iudicij, de bonis operibus vestris, seculorum Domino perpetua remunerandos gloria præsentabit. A B

Ad perfectam autem, & necessariam eruditionem vestræ salutis, vt comperimus, non sufficiunt pauci, qui modo constituti sunt vobis Episcopi: quia plures sunt adhuc gentilitatis errore ibidem detenti, ad quos propter inopiam præconum, diuini verbi nondum peruenit notitia Christi. Idcirco enim, vt accrescat turba fidelium, studeat solertia vestra, pro mercede, & remissione peccatorum vestrorum, adminiculum, atque iuuamen præbere Reuerendissimo Vrolpho Archiepiscopo, quatenus dudum illic constitutorum Episcoporum numerus impleatur. Qui congrue constituti, & vobis posterisque poterunt esse proficui, scilicet ad restaurationem Ecclesiarum propter nomen Domini, de possessionibus vestris, quas redditus, dotesque earum, fama diuulgante quondam fuisse noueritis, æternam sufficentiam vobis comparantes, eisdem Ecclesiis, ipsi conferatis, idoneisque viris ad hoc ministerium electis, maxime in illis locis, si opportunitas, & vtilitas commendauerit, ordinentur Antistites, vbi indicia ecclesiarum, & ædificiorum Sedes Pontificales olim fuisse demonstrant. Sin autem, illius arbitrio, & deliberationi, qui vel vbi concedantur Episcopi, concedimus, cui vicem nostram apud vos Ecclesiastici regiminis per omnia commisimus. Valete. C D

Hactenus epistola Eugenij, quæ si cui minus videbitur è ritu, & more scripta, tempori condonet, dum aliquid lucis capiat ad antiquam veritatem eruendam. Eandem breuioribus in hunc sensum reddit Bruschius.

EVGENIVS EPISCOPVS, SERVVS SERVORVM DEI.

EVGENII EPISTOLA CONTRACTIOR. *RADFREDO Fauianensis, Methodio Speculunensis Ecclesiæ, atque Albino Nitranensis, & Annoni Vetuariensis Ecclesiæ Episcopis, simul, & Tutundo, nec non & Mannaro Ducibus, & optimatibus, vniuersisque exercitibus plebis Huniæ, & Morauiæ salutem, & Apostolicam benedictionem. Vrolphum reuerendissimum sanctæ Laureacensis Ecclesiæ Archiepiscopum, sanctissimum fratrem nostrum, ab hac sancta Romana Ecclesia vobis Rectorem transmisimus, atque in præfatis regionibus, Huniæ (quæ & Auaria appellatur) scilicet, & Morauiæ, prouinciarum. que Pannoniæ, & Mæsiæ Apostolicam vicem nostram, atque ius Ecclesiasticum exercendi, authoritatem committimus. Cuius dilectioni ad honorem suum, nostram Apostolicam vicem, & authoritatem nostram insuper accumulamus: quod nunquam suis permissum est prioribus. Quatenus & vos Confratres, & Coepiscopi deinceps reueren-* E

A *uerentiam ei ampliorem exhibere sciatis: atq; vos Laici primates, ac vulgus saluberrimis præceptis suis, non velut homini, sed tanquam Deo humiliter obtemperetis*. Hæc iste.

Quæ si mutuo conferantur, nonnihil diuersitatis præferunt, cùm in hac posteriori non fiat mentio Misconis, Origiturensis Ecclesiæ Episcopi, & pro Alchunino Nitranensi *Albinus* legatur. Cætera suam ipsa variationem verbo magis, quam sensu edunt; nisi tamen remoretur animum, quod affirmat Lazius, Vrolphum hunc apud Batauiam electum, à Ludouico Boioariæ, & Francorum Rege, id nominis Secundo, obtinuisse veterem Laureaci Sedem, ac Diœcesim per Morauiam vsque, & Pannoniam prolatam. B Hoc tamen ne longius sit à vero, de Ludouico intelligendum est Imperij habenas moderante: sed quo tempore adhuc pene impuberi, Ludouicus pater Boioariam, & Pannonias regendas credidit. Alioqui ab Eugenij Secundi ætate non paulò recedat oportet; tametsi & huiusmodi prætextu adhibito non proximè sit accessurus.

Ex his porro liquet nunquam à Romanis Pontificibus, etsi magnis vndique conflictarentur malis, depositam vsquequaque fuisse Religionis propagandæ curam, sed subinde neglectam, aut certè remissam ab ijs, quorum proximè muneris erat, sæpius etiam potestate Principum à fide alieno- C rum impeditam; vt tamen essent interdum viri fortes, qualis fuit Vrolphus ab Eugenio commendatus, qui religione quadam tacti, ex propria indole excitati officium dignè facerent. Apparet præterea multo tempore ante, dictas regiones non solùm aspexisse lucem Euangelij, sed etiam Religionem ex instituto Romano habuisse ordinatam, distributis per prouincias Episcopis, & Sacerdotijs ritè fundatis: quorum alterum ab Apostolis, aut qui proxime ab his missi sunt, acceperint oportet; alterum non longè post Ecclesiæ crescenti accessisse certius est, quàm vt dubitari queat. Etsi verò deinde temporum iniuria fatiscente sanctitate, nec vbique rite fir- D mata religione, gentilis impietas incessit; nunquam tamen ita memoria omnis pristinæ vocationis deleta est, vt posteri illatam denuò lucem, non reuocasse potius, quàm nunquam cognitam admisisse videri possint. Fides horum ex Apparatu adstruitur.

Quæ autem sint septem Episcoporum Parochiæ, quarum meminit Eugenius, ex eadem epistola videtur innotescere. Præcipui quippe Morauorum, & Pannoniæ Episcopi tunc erant *Fauianensis*, vbi hodie Vienna Austriæ; *Speculunensis*, vbi Olomucensis Morauiæ; *Nitrauiensis*, seu Nitranensis, hodie Lazio Nitria Hungariæ; *Origiturensis*, Turna, seu potius Tiranauia E eiusdem prouinciæ, quam olim ad Morauiæ regnum pertinuisse vnà cum præcipuis Comitatibus ad Vagi fontes sitis existimat Lazius; *Vetuariensis*, quæ antiqua Morauorum Ecclesiæ sedes, hodie rudera tantùm ostendit argumento oppiduli, & castri, quod vetus nomen Vetaua vtcunque retinet, in finibus Bohemiæ, atque Morauiæ. Vtramque Sedem aliquot ante secula ab Hungaris destructam, sicut etiam Metropolitanam Laureacensem, nec ampliùs postea fuisse restitutam; inter alios scribit idem Lazius. His si addas Pannoniæ inferioris, & Mœsiæ diœcesim, quarum meminit Eugenius, septenarius emergit numerus Parochiarum. Cætera quæ huc spectant, ex Apparatu chronico petenda sunt.

QVI FVERE SEPTEM EPISCOPI MORAVIÆ, ET PANNONIÆ.

Meritò tamen miraberis lector, illa ætate latam adeo fuisse Laureacensis Archiepiscopi iurisdictionem, vt Pannoniam omnem, & Mœsiam occuparet; vtramque puta, hoc est superiorem, quæ Seruiam, Moldauiam, Vvalachiam, & Hungariam continet; itemque inferiorem, cui Bulgaria vniuersa adnumeratur: nisi fortasse per Mœsiam cum Tzetsa Hungariam ipsam intelligas, alieno tum rectam in sacris arbitrio, quoad recentiùs tota ad Christum conuersa, suum ipsa Primatem ex lege Sedis Apostolicæ acciperet. Sed enim ea tum fuit conditio Laureacensis vrbis olim florentissimæ Præsulis, vt Apostolici Legati munere functus, latè quidem sua, sed Romana authoritate latissimè præsideret. Quæ non ante restricta fuit, quàm cùm singulæ deinde Prouinciæ religionem haud sparsim, sed vnitis populorum animis amplexæ, suos sortirentur Ecclesiæ Summates qui Romano Pontifice iubente ius dicerent. Tum Bulgaria quoque mox iterum Christo concilianda, à Romano Pontifice leges, & Antistites accepit, sicut pridem antea Romanas partes respexerat. Quanquam Imperatores Græci litigiosam deinde rem fecerunt, ac tandem vsurparunt, quæ consensione, & religione, Romani iuris fuit, vt in loco ostendetur.

Indictione 4.

IESV CHRISTI ANNVS 826.	EVGENII PAP. II. ANNVS 3.	LVDOVICI IMP. 13. MICHAELIS BALBI 6.

REX DANORVM AD FIDEM CONVERSVS.

HOc anno Rex Danorum Arialdus (Anonymo Herihortus) cum coniuge cæterisque suis ad fidem Christi cōuersus, Moguntiæ in Ecclesia S. Albani sacrum lauacrum suscepit. Reginam Iudith Imperatrix e fonte leuauit: Imperator, ne iccirco Arialdus in regno suo detrimentum faceret, Comitatū in Frisia eidē contulit. Diximus alibi Ebbonem Archiepiscopum Rhemorum, cōsilio Imperatoris, & authoritate Romani Pontificis ad Danos, Euangelij inferendi gratia concessisse. Fecit is quidem, vt non pauci ad Christum accederent: sed in Apostolatu non perseuerans, quod aduersus Ludouicū machinatus fuisset, Episcopatu deiectus priorem gloriam obscurauit. Eam tamen excepit Ansgarius, non Danorum tantum verum omnium Aquilonarium Apostolus nominatus, ob immensos labores exanthlatos: deinde à Gregorio Quarto consecratus est primus Archiepiscopus Danorum, Suedorum, Sabenorum, & generatim omnium illarum partium, Sede tamen in Hamburgensi ciuitate constituta. Scribunt de hac re *S. Rembertus* eius discipulus, & successor, *Aimoinus*, *Albertus Crantius*. Verùm Adamus Bremensis biennio pòst Danos conuersos fuisse tradit Suedorum populos ab eodem Ansgario, rursum ab Imperatore cum socijs suis ad id Apostolici muneris postulato.

Remb. ap. Sur. die 4. Febr. Aimoin. lib. 4. cap. 3. Crant. in Metrop. lib. 1. c. 19. Adam. lib. 1. cap. 16. 17.

Cur non eadem cura tangeret ituros in Pannoniam quosdam, fortasse mirabitur quispiam. Verùm pacandæ primum erant Imperij, & circum circa stabiliendum Christi regnum, vt deinde in Pannonijs, vel religione, vel armis decerneretur. Quanquam in Hungaria non defuisse, qui religionem vtcunque pro tempore curarent, satis apparet ex eo, quòd apud Ludouicum essent continuo, vel ab Hungaris missi, vel Pannonici limitis Præfecti, qui de Regni,

A gni, seu Prouinciæ commodis tractarent; dum interea Bulgarorum animi in nouos motus spectare viderentur. Nam cùm anno superiore de finibus constituendis à Ludouico non ex sententia retulissent, Rex remisso cum litteris ad Imperatorem nuncio vrgebat, vt sine mora, terminorum definitio fieret; vel si id minus placeret, suos quisque terminos sine pacis fœdere tuerentur.

Quæ postulatio suspensum habens Ludouicum protracta est, quòd præsertim fama vulgarat Regem Bulgarorum, à suo quodam optimate, aut regno pulsum, aut interfectum. Cuius rei cognoscendæ gratia, misit viros
B in Carantanorum prouinciam; neque tamen aliquid certi accipiens, Bulgarum Legatum ad se vocatum, sine literis dimisit, atque huiusmodi dubiæ expectationes, curæque Ludouici in Abotritos, & Habderahman Regem Saracenorum distractæ, nihil in Hungaria magni circa religionem fieri permittebant. Non desunt, qui scribant Bulgaros, Pannonias inuadentes, primo quidem conatu à Ludouico repulsos; verùm cùm Huido Aquitaniæ Præfectus rebellasset, Habderahmanni Saracenorum Regis auxilijs fretus, omittere tantum bellum necesse fuit. Vnde Bulgari per medias Pannonias, in Dalmatiam infesto agmine penetrarunt.

C

IESV CHRISTI ANNVS	VALENTINI PAP. ANNVS	LVDOVICI IMP. 14.	Indict. 5.
827.	I.	MICHAELIS BALBI 7.	

HOC anno Eugenius Papa, post annos tres Pontificatus, menses duos, & dies viginti tres, humanis valedicit, die Augusti vndecima, quæ erat Dominica: eidemque communi omnium suffragio successit Valenti- D nus Diaconus, magnæ vir sanctitatis, intra vnum mensem, & Pontificatu, & vita functus; vt hoc solùm assumptus fuisse videatur, quò ex culmine cælum peteret. Vacauit Sedes dies tres, quam vigesimaquarta Septembris in sabbato, legitimè non minus, quam dignè inijt Gregorius huius nominis Quartus, Tituli sancti Marci Presbyter Cardinalis, priùs virtutum omnium corona decorus, quàm insula Pontificis redimitus, quippe qui latibula quærens, vt tantum fugeret honorem, à populo violento extractus, & incassum reluctatus, impositus est. O raram Pontificis virtutem!

EVGENII PAPA OBITVS. VALENTINVS PAPA. GREGORIVS IV.

Est porro hoc loco diligenter notandum, quo tempore Hungarorum E ferocia quodammodo subsedisset, occulto Dei iudicio, datum Saracenis robur in Christianos ad vlciscenda dubio procul peccata, quibus ira cælestis prouocabatur, vix, vt aliqua natio reperta sit ab hoc flagello immunis: eoque dirius apparuit tandem protractum supplicium, quòd gentem immanitate barbaram religio Christi mansuefacere nunquam hactenus integre potuit; cùm alioqui ferocissimos olim, & opinione omnium ad castiganda populi peccata immissos Hungaros, tandem mores Christianorum emolliuere, & ad recipiendum Euangelium adduxere.

Causam tanti mali dedisse creditum scelus Michaelis Balbi impij in Oriente Imperatoris, quod Euphrosynam Constantini, vt ferebatur filiam, virginem

SCELERA MICHAELIS.

Deo sacram, inuitam, & e monasterio violenter abductam, temeratis legibus A diuinis, coniugio sibi copulasset. Illicò secuta pœna, vt missus in Cretam ad expellendos Saracenos exercitus ad internecionem deletus fuerit, ne nuncio quidem cladis superstite; necnon tota ab Orientali Imperio Dalmatia defecerit. Verùm hæc facta anno superiori. Hoc autem anno scelerati Principis exemplum secutus est minister sceleratior Euphemius, turmæ cuiusdam in Sicilia Dux: virginem is quoque sacram e Monasterio raptam traduxit, non alias leges quàm Imperatoris factum intuitus. Id cùm fratres virginis Imperatori questi fuissent, is Præfecto Siciliæ mandauit, vt Euphemio tam obscœni criminis authori nasum amputaret.

DALMATIA DEFICIT.

Poterat hic meminisse sui, quàm acer sit stimulus, de alio sumere pœnam B sceleris, quo ipse implicatus tenebatur. Id verò præsentiens Euphemius, ad Africæ Arsiram, seu Præfectum, transfugit, omnemque Siciliam Romani Imperatoris nomen pactus, eidem subijcit: quanquam mox à quibusdam Syracusanis astu circumuentus, & capite truncatus, id non diu tulit. Interim tamen Agareni, seu Saraceni, non Siciliam duntaxat omnem, sed & Calabriam, & plerasque Italiæ partes occupauerunt, omnia incursionibus, & populationibus funestantes. Denique & illi Saraceni, qui Hispaniæ maxima ex parte rerum potiebantur, Christianos residuum tenentes, varijs afflictionibus C premebant, eorum fines, ferro igneque vastantes, vt mirum non sit Ludouicum Imperatorijs curis huc auocatis, Pannoniæ rebus non vsquequaque prospexisse.

Huius porro cladis præsagia credita esse memorat Anonymus, visas multoties in cælo acies, & terribilem nocturnæ coruscationis in aëre discursum: Secuta mox & illa in Pannonia vastatio, quam Bulgari Slauis in ea sedentibus, misso per Drauum nauali exercitu, ferro, & igne intulerant, & expulsis eorum Ducibus, Bulgaricos eis rectores constituerant: hoc modo lacessendum Ludouicum rati, à quo de finibus definiendis nihil certi acceperant; D idque Hungarorum Duces dissimulaturos arbitrabantur, quòd plures ex ijs Ludouici partes ægrè sequerentur. Quæ omnia clausit mors duorum Pontificum Eugenij, & Valentini, de qua paulò ante diximus.

PANNONIÆ VASTATIO.

Indict. 6.	IESV CHRISTI ANNVS 828.	GREGORII PAP. IV. ANNVS 1.	LVDOVICI IMP. 15. MICHAELIS BALBI 8.

Diximus anno superiori, Bulgaros Pannoniæ infestos fuisse, & quidem E in fines Pannoniæ quoque superioris eatenus penetrarant, vt negligentia Præfectorum impunè vastarent. Qua de causa Baldericus Dux Foroliuiensis, quòd eius ignauia id factum audiretur, honoribus à Ludouico priuatus est, & limes inter Comites quatuor diuisus.

Post hyemem exactam, in ipso quadragesimali ieiunio paucis ante sanctum Pascha diebus, terræmotus Aquisgrani factus Ludouicum Imperatorem terruit; mox ventus adeo vehemens coortus, vt inter sublimia ædificia, etiam insignem Dei Genitricis Basilicam plumbo tectam non modica ex parte nudaret, plerosque attonitos habuit. Accidere & binæ defectiones Lunæ, altera

prima

A prima die Iulij, feria tertia primo diluculo, cùm in suum occasum tenderet: altera media nocte Natalis Domini, qui tum in feriam quintam inciderat. In Vasconia annona de cælo pluit frumento similis, sed grana breuiora habens. *Anonymus, & Sigebertus.*

Est autem memorabilis hic annus edicto eiusdem Ludouici Imperatoris de expiatione peccatorum facienda: nam etsi palam esset innumera scelera Orbem inundasse, eadem tamen causas esse tantarum, quibus Regnum Franciæ præsertim colluctabatur, calamitatum, vel dæmones ex abreptitijs fatebantur. Quemadmodum contigit, puella quòd ab ijsdem vexaretur, Traie-
B ctum ad reliquias nuper allatas sanctorum Martyrum Petri, & Marcellini adducta, quæ Latini sermonis ignara cùm esset, dæmone loquente presbytero interroganti hæc reddidit, quemadmodum refert Eginhardus, & ex eo Baronius. *Ego satelles sum, & discipulus Satanæ, & multo iam tempore apud inferos ianitor fui; sed modo per annos aliquot, cum socijs meis vndecim, Regnum Francorum vastaui, frumentum, vinum, & omnes alias fruges, quæ ad vsum hominum de terra nascuntur, iuxta quod iussi eramus, enecando deleuimus, pecora morbis interfecimus, luem, & pestilentiam in ipsos homines immisimus; omnes quoque aduersitates, & cuncta mala, quæ iam diu pro meritis suis patiuntur, nobis facientibus, & ingerentibus, eis acciderunt.* Hæc dæmon. Eg...
C

Iuuat & cætera recensere, non extra propositum horum Annalium; dum ad religionem hoc tempore faciant. Cùm vlterius presbyter de sceleribus quæreret, quænam illa essent tantorum causæ malorum, attexuit dæmon, & populi malitiam, & Principum iniquitates. Quædam vtrisque communia, & quotidiana peccata, cuiusmodi sunt periuria, ebrietates, adulteria, homicidia, furta, rapinæ, odia etiam inter propinquos, & amicos, simultates, simulationes, circumuentiones, iniquæ mensuræ, iniusta pondera, falsa testimonia, dierum festorum, & religionis cultus negligen-
D tior; denique raræ eleemosynæ, quòd plerique quiquid Deo, vel pauperibus dare iubentur, sibi perire arbitrantur. Alia verò Principum, & Rectorum propria, munera nempe non iustitiam diligere, plus hominem quàm Deum metuere, pauperes opprimere, viduas & pupillos recurrentes non audire, nulli iustitiam, nisi mercanti facere, turpibus lucris seruire; dignitate denique, vt innumera mala taceantur, ad superbiam, vanam gloriam, & luxum abuti.

Quæ tunc omnium ore vulgata cùm Imperator accepisset, ingemuit eò miseriarum deuoluta esse tempora, in quibus dæmones alioqui incentores
E vitiorum, doctores hominum essent, eosque de correctione commonerent. Id propter generali per totum Regnum indicto ieiunio, & consulto Senatu Ecclesiastico, quatuor Concilia celebranda sanxit, Moguntiæ nimirùm, Parisijs, Lugduni, & Tolosæ; vbi plures Metropolitani cum suis suffraganeis conuenientes, dum in medium consulere iuberentur, duo maximè quærebant. *Primum, quid à Principibus, reliquoque populo, vel ita vt diuina authoritas docet, aut aliter teneretur; vel quid inde ex parte, vel toto neglectum sit, quo minus seruaretur. Alterum, quid in Pastorum moribus, conuersatione, & actibus inueniri posset, quod diuinæ regulæ non responderet, aut planè contrarium esset. Vndque inuestigare mouebantur, quæ occasiones in vtroque ordine fecis-*

sent, vt à recto tramite deuiaretur. O sanctum, & necessarium consilium, A si crebrò, cum euentu repetatur.

Atque hæc quidem promulgatio facta est hoc anno, eodemque duo Concilia celebrata; nam Parisiense, cuius etiam acta extant, anno sequenti habitum est; Maguntinense verò longè postea.

Indict. 7.	IESV CHRISTI ANNVS 829.	GREGORII PAP. IV. ANNVS 2.	LVDOVICI IMP. 16. MICHAELIS BALBI 9.

B

GREGORII STVDIVM IN SARRACENIS AVERTENDIS. SArraceni iam potiti Sicilia, vt supra diximus, vniuersas Italiæ oras classe piratica infestabant, ac vt totam subijcerent Italiam, animum adiecerant. Id præsentiens Gregorius Pontifex, imminentibus malis mature, vel in extremis occurrendum ratus, Ostia Tiberina, mœnibus iam vetustate collabentibus, nouis muris munire aggressus est, eandemque ciuitatem veterem, in nouam mutare; quam etiam absolutam de suo nomine Gregoriopolim dixit. Fecisse hæc pro salute populi diuinitus inspiratum tradit Anastasius.

Porro ad fructum edicti Ludouici pro expiatione peccatorum facienda, re- C
Lib. 5. cap. 12. uocari potest, quod, vt Aimoinus scribit, *Tunc cœperint deponi ab Episcopis, & clericis cingula baltheis aureis, & gemmeis cultris ornata, exquisitæ vestes, sed & calcaria talos ornantia relinquit; monstro enim simile ducebat,* (Ludouicus Imperator) *si Ecclesiastica deputatus familia conaretur aspirare ad secularis ornamenta gloriæ.*

Hoc etiam anno, mense Iunij celebratum est Concilium Parisiense, cuius supra meminimus. Multa in eo salutariter constituta ab Episcopis, quæ etiam Imperatori seruanda videbantur, eaque ipsi, ne silentij apud Deum redargui possent, per appendicem insinuarant. Ea fere concernebant officia D Principum erga iura sanctæ Ecclesiæ seruanda, quæ diuersis occasionibus labefactabant. Non immerito autem Eginhardus de Ludouico dolens, testa- Lib. 3.
tur, eum quæ diuinitus admonitus esset, non nisi ex parte seruasse, alijs magna iactura Imperij prætermissis, vt exitus declarauit; ob quæ, & ipse dignè luit. His malis multum fomitis præbuisse Sacerdotes innuit eadem Appendix; quòd partim negligentia, partim ignorantia, partim cupiditate, in secularibus negocijs, & solicitudinibus mundi, vltra quam debuerint, se occupauerint.

OBITVS MICHAELIS IMPERATORIS. Hoc denique anno Michael Balbus, cùm imperasset annos octo, men- E ses nouem, dies septem, dysenteriæ morbo extinctus est, ipsis kalendis Octobris, feria sexta: nemine lugente, nec laudante, quin potius omnibus plaudentibus, & scelestum caput diris deuouentibus. Eius improbam vitam multis describunt Zonaras, Curopalates, Cedrenus; vix tamen dignis coloribus. Successit ei Theophilus, haud degener filius, simulatione bonitatis fortasse etiam peior.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS	GREGORII PAP. V. ANNVS	LVDOVICI IMP. 17. THEOPHILI 1.	Indict. 8.
830.	3.		

GRegorius Papa, dolens crebris Sarracenorum incursionibus vexari, & vastari suburbium vrbis Romanæ circa Ecclesiam beati Petri Apostolorum Principis, intendit illic vrbem nouam ædificare. Ad id consilio, &
B auxilio Imperatoris animatus, nouam fabricam cœpit, sed non perfecit: Leo enim huius nominis Quartus, cœptum opus absoluit. *Sigebertus*. Hinc Ciuitas Leonina appellata.

Hoc etiam anno, Theophilus Orientis Imperator, qui Michaeli successit, aduersus Orthodoxos ad stabiliendam hæresim Iconoclastarum, violentus insurrexit.

Ingentes in Ludouicum Imperatorem conspirationes detectæ, exortæ à filijs & principibus, maximè quòd Bernhardum Hispanum hominem, Hispaniarumque limitum Comitem, defensionis suæ causa vocasset in Aulam, præfectumque
C cubiculi constituisset. Pipinus filius ardebat, & exercitum contra Patrem iam pararat. Sed Lotharius alter filius, eidem conciliatus, fecit vt qui totam æstatem absque Imperij viribus transegisset, pristinum imperandi vigorem reciperet. Bernhardus tamen Hispanus dimissus est, & Iudith Imperatrix eiusdem suspicione laborans, cùm monasticum ipsa sibi velum imposuisset, à Pipino in Monasterium S. Radegundis retrusa.

D

IESV CHRISTI ANNVS	GREGORII PAP. IV. ANNVS	LVDOVICI IMP. 18. THEOPHILI IMP. 2.	Indict. 9.
831.	4.		

LVdouicus etsi magnis molestijs conflictatus, nunquam tamen intermisit, vt quæ ad sacros Ecclesiæ ritus spectarent, diligentissimè curaret; qua etiam de causa Amalarium Fortunatum hoc anno Romam ad Gregorium Papam misit, de ordine Responsoriorum à festo Pentecostes vsque ad Aduentum Domini interogaturum, & vt ex Romana Ecclesia Gallicani Antiphonarij corrigerentur, & augerentur. Quæ iccirco hic à nobis dicuntur, vt coniectura
E fiat, quo zelo maiora etiam religionis causa tractarit; quæ, si Annalium Scriptores, minuta quæque, & ridicula complexi adnoxtassent, in conquirendis modò ijs, quæ pro fide in Hungariam propaganda, à Carolo Magno, Ludouico eiusdem filio, cæterisque successoribus piè gesta sunt, non magnopere laboraremus; nisi tamen ea seorsim perscripta temporum iniuriæ, & calamitas inuiderint.

LVDOVICI STVDIVM CIRCA ECCLESIASTICA.

Illud non immemorabile hoc etiam anno contigit, Imperatore in villa Theodonis existente, venisse ad eum plures Legatos, sed præcipue tres à transmarinis Sarracenorum partibus, e quibus vnus Christianus erat, missos. Hi grandia suæ regionis munera adferentes, diuersa nimirum genera aromatum, & pannorum,

norum, cùm pacem exorassent, plenis in patriam votis reuersi sunt. Hunc suæ pietatis fructũ tulit Ludouicus, vt quamuis domesticis malis vexatus, quia tamen quæ religionis, & Ecclesiæ sunt, pro viribus curare non destitit, à religionis hostibus vltro gratiam eius ambientibus coleretur: quæ res, haud parum conatus reliquorum infidelium repressit, ac præsertim nequid à contumacibus Hungarorum tentaretur, effecit. *Annal. Ludou.* A

Indict. 10.

IESV CHRISTI ANNVS 832.	GREGORII PAP. IV. ANNVS 5.	LVDOVICI IMP. 19. THEOPHILI 3.

B

IN Oriente Theophilus tyrannus, bellum adersus Orthodoxos ob cultum sacrarum Imaginum promouet, multoque crudelius vrget, quàm fecerant Leo Armenus, & Michael Balbus pater. Ille namque coli tantùm vetuit, Michael verò, pictis noluit addi hoc vocabulum *Sanctus*; At enim Theophilus, ne coloribus quidem formari voluit, immo neque etiam pingi, sed feras, & aues earum loco exprimi. Cæterùm licèt Iconoclasta fuerit Theophilus, non tamen Hagiomachus, quippe qui, & Sanctos coleret, & Dei Genitricis Ecclesias frequentaret, immo quod maius est, etiam erigeret. *Ioannes Curopalata.* C

Inter hæc in Occidente fluctuabant res Ludouici Imperatoris, cùm ipse in carcerem coniecisset filium Pipinum, qui inde à suis noctu subductus eripitur. Quare ipsum regno priuat, idque inter Carolum, & Ludouicum diuidit: sed res effectum sortita non est.

Hoc etiam anno Imperator Lodouicus, cum Magistratibus S. Ansgario de salute gentium gratulatus, publicæ ingentes Christo gratias agit. Mox habito generali Sacerdotum Concilio, votum parentis impleri cupiens, *Amaburg* Ciuitatem Transalbianorum, Metropolim statuit Danorum, Suconum, itemque Slauorum, aliorumque circumiacentium populorum; eique Cathedræ primum Archiepiscopum constituit S. Ansgarium, à Dragone Metensi Episcopo, Cæsaris fratre germano, consecratum roborante; id factum Gregorio Quarto Apostolica authoritate pallij donatione. *Adamus Bremensis.* D

S. ANSGARIVS PRIMVS HAMBVRGENSIS ARCHIEPISCOPVS.

Lib. 1. cap. 17.

Lego Ludouicum, constitutis in Imperio rebus, animum adiecisse ad res Ecclesiæ ex præscripto Caroli patris, etiam in Hungaria ordinandas, partim educendo ad frugem, quæ pridem Carolus parens fidei semina iecisset; partim sublato nomine Prouinciæ, & constituto eis ex sua gente Rege pio, quod ipsi maximè optabant, paulatim omnes ad Ecclesiam Romanam adducendo; quo minus tamen pius hic conatus effectui mancipatus sit, domesticas magis turbationes, quàm exterorum insultus præpediuisse. E

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS	GREGORII PAP. IV. ANNVS	LVDOVICI IMP. 20.	Indict. 11.
833.	2.	THEOPHILI 4.	

LVdouicus Imperator,conſpirantibus iterum in eum filijs, ſimulque Epiſcopis quibuſdam, cogitur ſe abdicare, rurſuſque horum perſuaſione redigitur ad publicam pœnitentiam peragendam. O tempora, ô mores! Ne- LVDOVICVS COGITVR IMPERIO SE ABDICARE.
B ſcio an ſimile quid vnquam Sol viderit, quàm iudicio ſeruorum, quos ex ſtercore exaltauerat, diſcingi gladio, & indui cilicio. Narrat rem totam Thietgandus, vnà enumerans octo capita criminum, magna ex parte ridicula, contra leges, & iura; vt non immerito, qui tunc res geſtas Ludouici deſcripſit, tantum facinus ſit deteſtatus, & Thietgandus in Ebbonem Rhemenſem Epiſcopum horum omnium architectum acerbiùs declamarit. Habetur tota rei narratio in Annalibus Francorum,ex Pithoei Bibliotheca editis, ex quibus deſcripſit Baronius ad hunc annum. Quid ad hæc dicant Principes, vel tanti Imperatoris humilitatem, & pietatem, non debitam ſibi in-
C iuriam vltro ferentis, quaſi ex religione iudicatum eſſet, conſpicati; vel quæ Ludouico obijciebantur, ſibi cum eo magna ex parte communia, tanquam ſi iure fiant, & ſibi licita ſint, ad animum ducentes? Quanta enim verò pietas Ludouici, quanta erga Sacerdotes reuerentia, quibus, vel iniuſtè, præter æquitatem, & calumnioſè damnantibus maluit obtemperare, & ſeſe vltro Imperio abdicare; quam fucatæ horum religioni, & zelo reſiſtendo, in religionem impingere.

Dum porro hæc in Ludouicum agerentur, adfuere Legati à Theophilo Conſtantinopolitano Imperatore ad Ludouicum miſſi, quos vnà cum mu-
D neribus ſuſcepit Lotharius, iterumque dimiſit, nihil reportantes præterquam lugubris tragœdiæ, in qua miſerandam perſonam egit Ludouicus nuper Imperator, & quam ipſi ſuis oculis viderant, repræſentationem: vt deinceps Occidens Orienti exprobrare minimè poſſet, Irenæ Imperatricis, de qua ad annum huius ſeculi alterum diximus, deiectionem, à Legatis Caroli ad eam miſſis ſpectatam; quando Occidens in deponendo Ludouico longè magis erubeſcendum facinus Orbi obtulit.

E

IESV CHRISTI ANNVS	GREGORII PAP. ANNVS	LVDOVICI IMP. 21.	Indict. 12.
834.	7.	THEOPHILI 5.	

QVi cum Ludouico remanſerant, indignitate rei permoti, ad reſtituendum eundem Imperio deliberant, & quamprimùm ingentem exercitum cogunt. Id Lotharius cernens, & ſibi metuens, culpam in Epiſcopos reiecit, quorum iudicio cuncta peracta teſtatus eſt. Paulo poſt in Eccleſia S. Dionyſij reconciliatus Ludouicus, & miniſterio Epiſcoporum armis iterum accinctus, reſtitutus eſt, tanta populi exultatione, vt nemo diem ſibi lætiorem LVDOVICVS RESTITVTVS IMPERIO.

rem illuxisse gratularetur. Quin ipsa quoque elementa, & cælum hilarari videbantur; quippe vsque ad illud tempus tanta procellarum vis, pluuiarumque vehementia incubuerat, vt inundantes aquæ, ventorumque turbines alueos fluminum impermeabiles redderent. Verùm restituto Ludouico pristinam illico omnia serenitatem, ventorum sæuitia in placidam auram conuersa, recepe-runt. A

Factum id authoritate Gregorij Papæ, Paulus Æmilius in Ludouico haud obscure significat, dum ait decretum abrogationis Imperij Ludouici, ab ipso Gregorio Papa fuisse rescissum: ob quam causam acerbo se odio Lotharij obiecerat; Quin & Iudith Augustam, voluntate Gregorij restitutam, addit Marianus Scotus. Omnibus vero, qui in eum peccassent inuiti, indulsisse affirmat Thietgandus. Denique filios cum lætitia, & paterna pietate suscipiens, Pipinum in Aquitaniam, Lotharium cæteris nocentiorem, sed suppliciter veniam petentem, in Italiam, cæterosque ad loca sibi congrua contentos, & hilares dimisit. B

LVDOVICVS FILIIS, ET PERSECVTORIBVS INDVLGET.

Indict. 13.	IESV CHRISTI ANNVS 835.	GREGORII PAP. IV. ANNVS 8.	LVDOVICI IMP. 22. THEOPHILI 6.

C

PERSECVTIO ORTHODOXORVM IN ORIENTE.

GLiscit in Oriente persecutio Orthodoxorum ob cultum Imaginum, Ioanne Patriarcha sexto, magicis artibus imbuto, plurimum fomitis addente. Sed præcipuè detonat in Methodium Patriarcham, qui post dira verbera, viuus in sepulchrum iussu Theophili inter duos latrones conclusus est; quasi aduersus Saracenos in aciem progressus, eius precibus minime adiutus fuisset, eaque de causa victus capitis discrimen vix euasisset.

Contra, hoc anno Gregorius monet Ludouicum Imperatorem de celebtando in Gallia, & Germania festo Omnium Sanctorum prima Nouembris; quod hactenus à ducentis iam circiter annis ex instituto Bonifacij Quarti Ecclesia obseruabat; vt mirum sit, tam tarde in his Prouincijs susceptam fuisse eam religionem. D

Indict. 14.	IESV CHRISTI ANNVS 836.	GREGORII PAP. IV. ANNVS 9.	LVDOVICI IMP. 23. THEOPHILI 7.

E

LOTHARIVS ECCLESIAM ROMANAM TVRBAT.

LOtharius Italiæ Rex Gregorio Papæ infensus, Romanam Ecclesiam haud leuiter perturbat: sed pro eadem Ludouicus Imperator parens laborare non destitit, per Legatos commonens Lotharium, memor vt esset, quibus pactis Regnum Italiæ ab se dono accepisset, vt nimirum Ecclesiæ Romanæ in primis, ne quid detrimenti ea faceret, curam haberet. Compensauit Deus hanc pietatem Ludouico, vt & Hungaros pacatos, immo paratos ad iussa haberet, etsi Præfectorum iniuria non parum lacessitos, & Normandos in Frisios grassantes, absque hominum cæde fugatos intelligeret; ac denique princi-

pes

A pes ſeditionis nuper aduerſum ſe concitatæ, & quibus ipſe pepercerat, lues diuinitus immiſſa vltro extingueret. Quæ omnia Hungari, tametſi nondum Chriſtianæ pietati, (ſi paucos excipias) addicti, in religionem verterunt; nec dubium, ſi affuiſſent viri diuino zelo præditi, qui eam cogitationem Euangelica doctrina fouiſſent, non tardaturam fuiſſe multorum ad Chriſtum conuerſionem, eorum præſertim, quibus Caroli Magni ſanctitas, & fortunæ recordatio altiùs inhæſiſſet.

B	IESV CHRISTI ANNVS 837.	GREGORII PAP. IV. ANNVS 10.	LVDOVICI IMP. 24. THEOPHILI 8.	Indict. 15.

LVdouicus Imperator cæleſtibus admonitus ſignis, tanquam proximè moriturus multa ſanctè pieque diſpoſuit. Aſtronomus ipſe, qui res geſtas ad eodem deſcripſit, *Mediante* inquit, *feſtiuitate Paſchali dirum ſemper, ac triſte portentum ibidem* (nempe Aquiſgrani) *Cometa ſidus in ſigno Virginis apparuit, in ea parte eiuſdem ſigni, qua penulam eius, ſubtus caudam verò Serpentis cornumque* LVDOVICI OBITVS PRÆSIGNATVS.
C *conſtringunt. Quod cùm non more errantium ſeptem ſyderum Orientem verſus peteret, per vigintiquinque dies (quod mirum eſt dictu) idem ſidus, & Leonis, & Cancri, necnon Geminorum tranſiens ſigna, in capite Tauri, tandem ſub Aurigæ pedes, igneum globum iubarumque prolixitatem depoſuit, quas vſquequaque porrexerat antea. Quam rem cùm primum Imperator talium ſtudioſiſſimus conſpexiſſet, conſtitit; & antequam quieti membra committeret, auitum quendam, itemque me, qui hæc ſcripſi, & qui huius rei ſcientiam habere credebar, percontari ſtuduit, quid ſuper ea mihi videretur*. Hæc Aſtronomus.

Qui deinde die craſtino cùm nonnulla ediceret, plura reticeret. *Vnum*
D *eſt*, inquit Ludouicus, *quod ſilentio premis: mutationem enim Regni, mortemque Principis hoc portento monſtrari dicunt.* Ad quæ Aſtronomus cùm illud Ieremiæ protuliſſet, *A ſignis cæli ne timueritis, quæ pauent gentes*; ille ſolita magnanimitate & prudentia, *Non alium, inquit, timere debemus præter illum, qui noſtri, & huius ſideris creator eſt. Sed eius clementiam non ſatis laudare, & imitari poſſumus, qui noſtram inertiam, cùm ſimus peccatores, & impœnitentes, talibus indicijs dignatur admonere. Quia ergo, & me, & omnes communiter hoc portentum tangit, omnes pro poſſe, & ſapere ad meliora feſtinemus; ne forte miſericordiam, illo prorogante, & noſtra impœnitudine impediente, nos illa inueniamur indigni*. Hæc Ludouicus.

E Simile quippiam & plane ex verbo dixiſſe Carolum de apparitione Cometæ, ſupra in loco retulimus ex Vvernero, qui præterea addit *Carolum hac humilitate Deum placaſſe, quia non ſuper eum plaga peruenit, ſed ſuper Italiam incurſu Sarracenorum*. Suſpicamur tamen erraſſe Vvernerum, & quod de Ludouico dictum oportuit, Carolo attribuiſſe; credendum Aſtronomo, qui cum Ludouico præſens, ea de re ſermonem habuit, & conſilium. Hunc Vvernerus philoſophum nomine Egmardum appellat, dicturus fortaſſe Eginhardum, qui Carolo à ſecretis, eiuſdem vitam conſcripſit. Verùm nihil ſimile reperitur in Eginhardo, non vtique omiſſuro, ſi eueniſſet; ſed neque in Monacho anonymo, qui omnia Caroli geſta diligenter perſecutus, de hoc Comete, & Caroli VVERNERI ERROR CIRCA COMETEN.

philo-

philosophia non tacuisset. Idem verò scripsit & gesta Ludouici, sed in anno A
huius seculi vigesimooctauo, Ludouici decimoquinto, desijt. Proinde errasse Vvernerum, siue quiuis alius sit Author Fasciculi temporum, longe post scribentem, manifestum est.

Pergit idem Astronomus narrare, quomodo Ludouicus noctem illam insomnem, Dei laudibus, & obsecrationibus duxit. In crepusculo verò vocatis aulicis eleemosynas quamlargissimas, tam pauperibus, quàm seruis Dei Monachis, Canonicisque porrigi iussit; Missarum solemnia per quoscunque potuit, celebrari petijt; non tantùm sibi metuens, quantum Ecclesiæ sibi creditæ prospiciens: in quo quidem pio studio tota æstate perseue- B
rauit.

	IESV CHRISTI ANNVS	GREGORII PAP. IV. ANNVS	LVDOVICI IMP. 25. THEOPHILI 9.
Indict. 1.	838.	11.	

PIPINI OBITVS

HOc anno defungitur Pipinus filius Ludouici Imperatoris, Rex Aquitaniæ. Quare Ludouicus eam Prouinciam Carolo filio tribuit, & par- C
tito inter hunc, & Lotharium iam in gratiam receptum vniuerso Imperio, tradit Ludouico Boioariam. Pannonia Imperatori parebat, per legatos interdum recta, alioqui diuisioni Imperij connexa. Ferunt eam, Ludouicum sibi seruasse, quòd de filiorum fide, periculo suo iam doctus, noluit Hungaris, alicui ex ijs, cui nimirum in diuisione obuenisset, adhærentibus, nouis machinationibus occasionem præbere. Cæterùm ex prædicta diuisione rursus obortæ sunt discordiæ, Ludouico indignante, & pro Pipino puero, Pipini defuncti filio, non paucis nobilibus insurgentibus, quòd à Patris regno visus esset exclusus. Hinc turbatæ rursum Galliæ, ipsaque præsertim Aquitania D
factiosorum vehementer est agitata tumultibus.

	IESV CHRISTI ANNVS	GREGORII PAP. IV. ANNVS	LVDOVICI IMP. 26. THEOPHILI 10.
Indict. 2.	839.	12.	

FVit hic annus bellicis tumultibus turbulentior, cùm Imperator aduersus Ludouicum filium rebellantem, exercitum mouit, eumque ad E
reconciliationem adegit. Quod nisi fuisset, Ludouicus filius Boioariæ Dominus, facilè inde circumuentis Pannoniarum Præfectis, Hungaros in partem pellexisset; quod non parum verebatur Imperator. Hæc autem rebellio sopita potius, quam extincta: Aquitaniam quoque ob Pipinum inofficiose, vt videbatur, prætermissum, commotam facilè compescuit.

Cometen in signo Arietis apparuisse, & per aliquot dies, plurimos instar stellarum ingiculos per cælum discurrisse, notat Sigebertus.

A

IESV CHRISTI ANNVS 840.	GREGORII PAP. IV. ANNVS 13.	LVDOVICI IMP. 27. THEOPHILI 2.	Indict. 3.

HOC anno Eclipsis Solis facta est iij. Non. siue quinta die Maij, feria quarta in Vigilia Ascensionis Domini, inter octauam, & nonam diei horam, de qua Domesticus Ludouici, qui eius res gestas scribebat, hæc tra-
B dit. *Quo tempore deliquium Solis contigit, tertia die Litaniæ maioris, insolito modo; in tantum enim lucis recessu, tenebræ præualuerunt, vt nihil à noctis veritate differre videretur: Stellarum namque ratus ordo ita cernebatur, vt nullum sidus lucis solaris hebetudinem pateretur; quin potius Luna, quæ se ei aduersam præbuerat, paulatim Orientem petendo primum corniculatim illi lumen à parte Occidentali restitueret in morem sui, quando prima, vel secunda cernitur, & sic per augmenta totam venustatem, tota rota Solis reciperet. Quod prodigium licèt naturæ adscribatur, tamen lamentabili exitu consummatum est. Portendebatur enim per hoc, maximum illud lumen mortalium, quod in domo Dei super candelabrum positum, omni-*
C *bus lucebat, pijssimæ recordationis Imperatorem dico, maturrimè rebus humanis subtrahendum, mundumque eius discessu in tenebris tribulationum relinquendum.* Hæc iste.

Non diu post Ludouicus cœpit fastidio tabescere, & nauseanti stomacho ad cibum potumque intendere, crebris suspirijs vrgeri, singultibus quati, ac per hoc virtute destitui; tandem lectulo se committere. *Porro quis explicet,* ait idem auctor, *eius pro Ecclesiæ statu solicitudinem, vel pro eius concussione mærorem? quis enarrare lacrymarum flumina, quas pro acceleratione diuinæ clementiæ fundebat? Non enim se recessurum dolebat, sed quod futurum nouerat gemebat, dicens se miserum, cuius extrema clauderentur tantis miserijs. Denique à* LVDOVICI ÆGRITVDO.
D *Drogone Metensi germano suo, coram pluribus Præsulibus, Sacramentis munitus, & ad exitum confortatus, cùm & filio suo Ludouico, monente Drogone, quæ in se peccasset, condonasset, piè in Domino obdormiuit, die Mensis Iulij prima, feria quinta, octauo & quinquagesimo post dictam Eclipsim die, triennio ab apparitione Cometæ, duobusque circiter mensibus expletis: anno vitæ suæ sexagesimoquarto, additis sex mensibus,* vt quibusdam placet. EIVSDEM OBITVS.

Eius pium obitum multis enarrat idem Domesticus author, & Nithardus eius temporis scriptor, & Caroli Magni ex Berta filia nepos, ex quibus Baronius: *Illud notandum, monente Drogone, vt Ludouico filio condonaret, primùm* Lib. 1. ad fin.
E *quidem amaritudinem quandam animi sui demonstrasse, deinde parumper deliberantem, viribus quantulíscunque collectis, enumerare conatum, quot, & quantis incommodis ab eo afflictus sit, quidue contra naturam, & Domini praeceptum ea de causa commeruerit: denique subiunxisse; Quia ipse ad me venire satisfacturus nequit, ego quod meum est ago, vobis testibus, & Deo, omnia quæ in me peccauit, illi remitto. Vestrum autem erit illum monere, vt si ego illi toties perperam gesta indulserim, ille tamen sui non obliuiscatur, qui canos paternos deducit cum dolore ad mortem, & in talibus communis Patris Dei præcepta, minasque contempsit.* Hæc Ludouicus. LVDOVICVS FILIVS PATERNI OBITVS CAVSA.

Nam filius Rex Ludouicus, etsi anno superiori à patre, aduersus quem cum

exercitu venerat, sed maiorem vim formidans, ab armis recessit, veniam impetrasset; rursum tamen memoria præteritorum, quod cùm ipse patrem ex Imperio deturbatum, & custodiæ mancipatum, vendicasset in libertatem, & in Imperium reuocasset; ab ipso nihilominus in diuisione Regnorum, vt ei videbatur, neglectus fuisset, ægerrime ferebat; Carolum nempe natu minimum inter fratres, & ex alia coniuge genitum, sibi præponi. Ea de causa tanquam furens, iterum ad arma conuersus Germaniam populabatur. Hæc nimirum patris ætatem senilem, ex abundantia pituitæ, hyemis præcipuè tempore, male affectam grauabant magis; eoque maximè, quòd sacro quadragesimali ieiunio, quod ipse pacatè, multisque pietatis operibus religiosè transigere, & celebrare solebat, nunc propter discordiam fugandam, præcipitémque filij furorem compescendum, & animi & corporis agitatione indefessa negligere oportebat, eo tandem, vt vidimus, morbo ingrauescente, extinxerunt. A B

Obseruandum etiam, quòd instante migrationis articulo, cùm fratrem Drogonem nutu vt poterat accersisset, ei cum Sacerdotibus illico præsenti, verbis quibus potuit, & signis se commendans, benedici ab eodem, & quæ in egressu animæ fieri solent fieri postulauit. Ea vero dum fierent, conuersa in sinistram facie indignabundus, quanta virtute potuit, cacodæmonem sibi duntaxat visum, hoc verbo *Huz Huz* iterato, abegit, quod Germanice dictum, idem significat, ac *Foras, Foras*, subintellige, *Abi*. Quo dicto elatis in cælum oculis, ceu victor, læto adeo vultu intēdebat, nihil vt à ridente differre videretur. C

Sic tandem viuere inter mortales desijt Ludouicus Imperator, reuera Pius & Pij filius, qui tantum Romanæ Ecclesiæ tribuit, vt Caroli genitoris sanctæ referret exemplum. Carolus enimuero, quod ex Angesiso notat Heroldus, & ex vtroque Genebrardus, Aquarum Sextiarum, ob sua, maiorumque suorum præclara in Sedem Apostolicam merita, concessum ab Hadriano eligendorum Præsulum restituit, eaque de causa Capitulum peruulgauit: Ludouicus hoc ipsum non firmauit solùm, sed iuribus præterea, quæ hinc à successoribus obtendi potuissent, purè, & simpliciter renunciauit: Addit Bonfinius, creandorum quoque ius Romanorum Pontificum, in festis Paschalibus sponte eum remisisse, nimirum iuxta ea, quæ supra ad annum decimumseptimum memorauimus: Nam alioqui legendorum duntaxat, infra Summum Pontificem facultatem concessam tradunt alij, huiusque renunciationem ex Ansegiso, & Germanorum, Francorumque legibus referri apud Gratianum. D

Lib.1 leg. Fràc. cap. 78. *De sacr. elect. Iure.* *Dec.1. lib.10.* *Sacrorum Canonum dist.63.*

Ad hunc hannum reuocant aliqui, tametsi quadriennio serius enotet Lazius, initia Hardouici Episcopi Patauiensis, quem idem Hervvicū, Bruschius Hardouicum, manuscriptum nostrum vetus Harturicum appellant. Fuit is Laureacensis vnà, & Patauiensis Antistes, secundus ab Vrolpho, cui successit Legatus Apostolicæ Sedis per Moraujam, & Pannoniam constitutus. De quo hæc habet Bruschius. *Iuuauiensem* (hoc est Salisburgensem) *Ecclesiam superbientem, & cristas nullibi non erigentem, humiliauit iterum, suamque Patauiensem, & rebus, & honoribus exaltauit; Imperantibus Ludouico Pio, Lothario, & Ludouico Secundo; quibus omnibus, & singulis, singulariter charus fuit.* Quot autem annis præfuerit, sicut & reliqui omnes præcessores, & successores, magna varietate notatur à Scriptoribus; quam pro re nata insinuasse tantùm satis est, ne cōciliare potius studeamus, quàm ad veritatē propius accedere. E

Lib.12. de Rep. cap.5. *Lib.1. Pat. n.22*

Quod

A Quod ad Orientem attinet, Theophilus Imperator Saracenis quartùm arma inferens, magna Syriæ parte vastata, inter alias vrbes, quibus potitus est, Zozopetram Amerumnis Principis patriam euertit, quantumuis ille multum, sed frustra oraret, vt natali vrbi parceretur. Quæ res tanto dolore Amerumnem affecit, vt vitam sibi acerbam existimaret, nisi Theophilum vlcisceretur; cuius patriam cùm Amorium Phygiæ maioris præcipuam vrbem esse cognouisset, eam oppugnare statuit. Qua tandem capta, ingentem multorum millium stragem edidit, nulli ætati, aut sexui parcens, & occubuere non pauci merito Christianæ religionis, & quòd Christo renunciare nollent. Ex his quadra-
B gintaduo apud Orientales in numero habentur. Sed hæc expugnatio sequenti anno contigit. *Zonaras*. To.3: in Theof.

IESV CHRISTI ANNVS 841.	GREGORII PAP. IV. ANNVS 14.	LOTHARII IMP. 1. THEOPHILI 12.	Indictione 4.

DEfuncto Ludouico, successit Lotharius, miraque rerum, sed funesta facta conuersio. Nam Lotharius, quem Ludouicus pater contra Ludouicum filium rebellem deliberaturus, paulo ante obitum ex Italia euocarat, eo sublato, aduersa omnia patris decretis moliebatur: Contra, Ludouicus indignè ferens, Carolum fratrem natu minimum à patre Galliæ regno admoueri, nunc communi animo, consilioque cum eodem, aduersus Lotharij fratris cupiditatem bellum decernit. Nempe Lotharius, quòd & maximus stirpis esset, Augustusque destinatus, ad se omnia reuocabat, & qui ne patri quidem Augusto pepercisset, multò ferocior in fratres erat. LOTHARIVS SVCCEDIT LVDOVICO. C

Quare hoc anno die vigesimaquinta Iulij, die Resurrectionis festo, in finibus LVDOVICVS ET CAROLVS CONTRA LOTHARIVM.
D Altisiodorensium ad Fontanedum, seu Fontaniacum vicum acriter inter eos dimicatum est; cædes miserabilis facta, cumuli corporum cernebantur, omnis prope nobilitas Francica cæsa pertinaci inter se certamine, contrarijs enim studijs distracta in duas se partes diuiserat. Nomen victoriæ apud Carolum, Ludouicumque mansit, an etiam causâ æquior? nam Lotharius dolis rem egisse fertur, nec redimi pacem passus; proinde ab inuitis, periurus, cruento certamine victus est. Cætera persequitur Nithardus, cui in hac re plus fidei, quàm Sigeberto habendum, qui hanc pugnam in sequentem annum reijcit. Lib. 2. & 3.

In hoc prælio non pauci Hungari, fideles perinde, ac infideles, Ludouico ad- HVNGARI LVDOVICVM COMITATI.
E fuerunt, atque etiam desiderati sunt; manentibus interea suspensis reliquorum animis, quos in tanta fratrum Principum discordia longe distractos, ne quid ex occasione mouerent, bonorum, ac præsertim Sacerdotum, vigilantia continuit. Quemadmodum enim Francorum Reges, plures Episcopos, & Sacerdotes secum ducere soliti erant, quorum consilijs, & precibus iuuarentur: ita non pauciores, qui religioni domi præessent, & cœptis apud Deum sanctioribus votis fauerent, constituere consueuerant. More deinceps apud Germaniæ, Galliæ, multoque magis Hungariæ Principes seruato, sanctè quidem, & eximio cum religionis fructu; donec obrepente abusu, Sacerdotes, & Episcopi, officij sui immemores, acierum quoque duces ambitiosè optarentur, atque vltro sese

magno Reipublicæ malo ingererent. Porro in re præsenti Ludouici,& Caroli A
partibus iustitia quoque belli adfuit, quòd ex consilio Sacerdotum, fratris, &
sanguinis Christiani miserti, pacem præoptassent.

Hoc eodem anno Theophilus Imperator postremùm aduersus Saracenos ducens,impar viribus collatis signis, non solùm victoriam cessit, sed Persarum proditione in capitis discrimen adductus, vix fuga salutem seruauit. Relicti in captiuitate nobiliores quique, vt superiori anno dictum est, martyrium tulere, quos inter duo supra quadraginta, atque in his Theodorus fortis, aliàs Craterus, Theophilus, & Bebuzicus præcipui exercitus duces, enituere. Saraceni victoria abusi, præclaram quoque Phrygiæ maioris vrbem Amorium, B
horrendo excidio inuoluere. Quibus cladibus animo fractus Imperator, & mærore confectus, in lethalem morbum incidit. Pluribus hæc narrant Curopalates, & Zonaras.

Indict. 5.	IESV CHRISTI ANNVS 842.	GREGORII PAP. IV. ANNVS 15.	LOTHARII IMP. 2. MICHAELIS III. 1.

C

THEOPHILI IMPERATORIS OBITVS.

THeophilus Imperator cùm superiori anno, auxilij cõtra Saracenos petendi causa ad Francos Principes misisset, audito Legati sui Theodosij in itinere obitu, spe decidit, & mærore aucto, sub initium huius anni, die trigesima Ianuarij, feria secunda, vita functus est. Sub extremis pœnituisse eum erroris, & à Deo misericordiam consecutum, tradit Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus, idque Theodoræ Augustæ multis lacrymis salutem coniugis demerenti diuinitus fuisse reuelatum. Successit Michael filius. Et paulò post studio Theodoræ, Methodij Patriarchæ, & tutorum Michaelis, Ecclesia respira- D
uit, fractis Iconoclastarum animis, & restituto sacris Imaginibus honore pristino. Ob tantæ rei memoriam anniuersariè colendam institutus est, vulgo Erectionis Sacrarum Imaginum, sed Græcis Orthodoxiæ vocabulo insignitus, quam quotannis præclaræ ad populum conciones, hodieque lectæ celebriorem fecerunt.

In expos. in Ct. Flor. sess. 5.

Lotharius Imperator, collecto rursum exercitu, rursum experiri aduersus vtrumque germanum Ludouicum, & Carolum tentat; sed validiori isti occurrentes exercitu, illum auertunt, qui deinde cum paucis ad ripam Rhodani Viennam se recepit. Exin verò in annum induciæ factæ, & delecti vtrinque qua- E
drageni Proceres, quorum fide, prudentiaque, fida & æqua pax componeretur. Conuenit, vt Franciæ Rex Carolus diceretur, ea, que Arari, Rhodano, Scalde, Mosa, Oceano, Pyrenæo: saltu contineretur; Ludouico, Germania, & Hungaria cederet; reliquæ opes, Italia, ac Imperium penes Lotharium forent. Pipini adolescentis nullus respectus extitit. Eam diuisionem adnitentibus in Conuentu Aquisgranensi Episcopis, ex authoritate factam esse, scribit Nithardus Caroli Magni nepos, eiusdemque temporis scriptor, & gestis præsens.

Paulus Aemilius in Carolo Calao.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS 843.	GREGORII PAP. IV. ANNVS 16.	LOTHARII IMP. 3. MICHAELIS III. 2.	Indict. 6.

HOc anno confecta est pax inter fratres de regno dissentientes, quæ anno superiori tractari cœperat. Interim verò Hungari hanc dissensionem, suam occasionem rati, diu noctuque agitabant, qua ratione imperarent po-
B tius quàm parerent: vnde spem defectionis ex Ludouici morte conceptam, haudquaquam minuit imperium Lotharij satis coarctatum, ipso, vt honorem Imperatoris tueretur, dubio procul in multa distracto. Quam etiam ob causam, haud pauci boni, qui religioni studebant, & Sacerdotum opera pacem fouebant, excedente Ludouico iuniore, & Lotharij rebus inclinantibus, aut saltem in medio constitutis, quid consilij animis perciperent, ex euentu pendebant, pluribus aduersum ire non ausi.

Fuit porro hic annus Italiæ lugubris, ex ingenti clade à Saracenis vniuersæ Campaniæ, atque Samnitibus illata, capto Beneuento, exusta Capua, innumeris ITALIÆ CLADES A SARACENIS.
C alijs locis vastatis. Scribit de hac re Nithardus, eius temporis scriptor. Propagatum id mali in bene longum tempus Italiam omnem concussit, & partim distraxit; quando, qui auctores erant incendij, accersitis seorsim Saracenis, eam triginta ferè annorum spatio, ferro & igni exercuerunt. Quæ res, Lothario ad extinguendum intento, magnam Hungaris ad defectionem moliendam præbuit occasionem.

Cumulauit hanc calamitatem obitus Gregorij IV. qui post annos Pontificatus sexdecim, diem clausit extremum vigesimatertia Septembris, Dominica. Sunt, qui eius decessum in sequentem annum conijciant; sed nos Ana- OBITVS GREGORII PAPÆ.
D stasium, & Annales Francorum hoc loco sequimur.

IESV CHRISTI ANNVS 844.	SERGII PAP. II. ANNVS 1.	LOTHARII IMP. 4. MICHAELIS III. 3.	Indict. 7.

GRegorio subrogatur Sergius Secundus, decima die Februarij, Dominica, deiecto Ioanne Diacono, qui Sedem violenter occuparat. Quo die SERGIVS II.
E tanta in Vrbe nix effusa est, vt vbique candicata cerneretur. Id plerique in omen gaudij traxerunt; sed euentus fefellit.

Hoc audito Lotharius Imperator, Ludouicum filium suum, iam Italiæ Regem, coronandum ad Vrbem mittit cum Drogone patruo suo, vt Imperatoris nomen sortiretur: Cui Sergius coronam imposuit, & acclamante vniuerso populo, Imperator, & Augustus salutatus est. Ita *Ado Viennensis*. At Anastasius Sub anno 841.
Regem Longobardorum duntaxat creatum scribit, nec permissum, vt & Romani eidem fidelitatem iurarent; quam tamen Lothario patri Sergius sacram esse iussit. Certiora tamen alij scribunt, verè nimirùm Ludouicum à Sergio coronatum fuisse Imperatorem, idque sepulchralis eius titulus à Leone Ostiensi, Leo Chron. Cass. lib. 1. cap. 29.

Sigon. de Reg. Ital. lib. 1. ad hunc annum. & Diplomata à Sigonio allata attestantur. A

Vt filio Imperium Lotharius procuraret, iam initio deliberarat; suorum tamen suasu non à Gregorio, sed à successore id impetrandum decreuerat. Quod vt illico faceret, variæ in Imperio tumultuum suspiciones, sed qui præsertim ab Hungaris in pristinam libertatem intentis formidabantur, vrgebant. Ita enim rebatur Lotharius occurrendum, si vel filio curam armis compescendi relinqueret, vel ipse propiùs ad fines admotus, authoritate coerceret. Verùm Hungaris aduersum huiusmodi conatus animos addebat inopina Bernardi Barcinensis Ducis cædes, hoc eodem anno à Carolo Aquitaniæ Rege patrata; ob quam Reges consanguineos, & fratres in bella ciendos, haud dubiè rebantur; adeoque abstracto à Noricis Ludouico, Præfectos Pannoniæ facilè opprimendos. Erat Bernardus olim à Patre Ludouico Pio Imperatore Septimaniæ Ducatu donatus, qua causa reliquos filios in patrem insurrexisse alibi diximus. Hunc modò incautum, nec aduersi quippiam suspicantem, Carolus frater occidit, & regnorum quietem turbasse creditus est; quòd ea de causa Vuilhelmus Bernardo natus, excelsi animi iuuenis, patris necē vlturus, Habdaraghamo Saracenorū Principi adhęsisset, eiusque auxilio cædibus omnia misceret. B

RAMIRI DE SARACENIS MIRACVLOSA VICTORIA. In hunc annum incidit admiranda illa Ramiri Regis Oueti in Hispania contra Saracenos victoria. Quibus negatum quod petebant, quinquaginta nobilium, totidemque de plebe puellarum à Ramiro tributum, ingenti clade illata pensatum est; Ramirus quippe, monitu in visione Iacobi Apostoli, eodemque mane equo, & vexillo candido in acie præeunte, postquam expiatis gratiarum Sacramentis exercitus animis, hostium castra inuasisset, septuaginta ferè millia, reliquis fugatis, internecioni dedit. C

	IESV CHRISTI ANNVS	SERGII PAP. II. ANNVS	LOTHARII IMP. 5. MICHAELIS III. 4.	
Indict. 8.	845.	2.		D

REGIS BVLGAROVM CONVERSIO. HOc anno Bogaris Bulgarorum Rex ad fidem Christi conuertitur, Theodora Augusta adnitente. Forte soror Bogaris aliquando capta, dum in aula degeret, sacro baptismate est initiata, & literis erudita. Eam frater repetijt, Theodoro Cuphara viro erudito vicissim reddito. Puella in Bulgariam reuersa, fratri Christianam religionem, de qua iam à Cuphara didicerat, instillare non destitit. Sensit vim conscientiæ Bogaris, neque tamen assensit, donec diuina manus accessisset, pestilentia, & fame regnum vrgente, eaque de causa plurimis pereuntibus. Tum enim animi dubius admissurum se, quem soror prædicabat, Christum in pectus recepit, idque vt subiectus populus faceret; præcepit, si eum depulsorem tantæ calamitatis expertus fuisset: Nec mora; communi omnes voto Christum inuocant, & illico potentiam, & opem sentiunt. Euentu præstito missis ad Theodoram Legatis, petijt hominem, à quo arcanis Christianæ religionis eruditus, sacro fonte ablueretur. Cui Augusta magna animi voluptate gratulata, Pontificem ad id muneris idoneum misit. E

Fuit etiam aliud, quod Principi religionem inijceret; nam cùm venationi sine modo deditus esset, vt etiam domi otiosus in animalium pictis figuris animo

A mo venationem exerceret; fortè Methodium Monachum pingendi peritum accersijt, vtque domum recens constructam, id genus animantium picturis ornaret, quæ spectantibus terrorem, & metum incuterent, commisit, suo cæteroqui arbitratu ad artis normam facturum. Is verò nihil terribilius esse ratus secundo Christi aduentu, hunc ibi ad viuum expressit. Finito opere conspicatus Princeps, ex altera parte iustorum cætum coronari, ex altera verò impios puniri, & à Methodio percepta picturæ mente; statim pristinam eiurat superstitionem, imbutusque à Misio Episcopo Christianæ religionis mysterijs, ab eodem intempesta nocte sacrum percepit baptisma.

B Sed enim plurimi Bulgarorurum optimates, cum ob deserta maiorum instituta detestati, cùm per seditiones è medio tollere conarentur, ille parua manu, prælato Crucis signo, obuiam factus, consertoque prælio, victis aduersarijs, effecit vt omnes Christi sacra amplecterentur. Tum etiam per Legatos ab Imperatrice petijt, vt quia gens sua locorum angustijs premeretur, Romani agri aliquid sibi concederetur, perpetuam pacem, & belli societatem pactus. Annuit Imperatrix, & quicquid inter regionem, quæ Ferrea dicitur, ac priùs Romanos, ac Bulgaricos fines distinguebat, ac Debeltum interiacet, eis concessit. Eam regionem Bulgari cùm accepissent, Zaguram appellarunt.

REX BVLGARORVM SEDITIOSOS VINCIT, ET AD CHRISTVM CONVERTIT.

C Atque hæc est altera Bulgarorum conuersio post annos sexagintaocto, si primam eam faciamus, quæ contigit, Telerico eorum Principe sub Leone Quarto Orientis Imperatore, ad Christum adducto. De qua re diximus superius ad annum nonagesimum quintum supra septingentesimum. Quia tamen Telerici conuersio non fuit totius gentis, idcirco aliqui ab hoc anno auspicantur Bulgarorum conuersionem, etsi aliquot post annis, quòd nondum omnes Euangelio assensissent, sub Nicolao nimirum Pontifice, perfectam velint. Vnde satis apparet Hungarorum gentem in parte, diu ante ad Ecclesiam Romanam accessisse, etsi tota non nisi post Bulgaros Christo nomen dederit.

HVNGARI, AN BVLGARI PRIVS CONVERSI.

D Hæc ferè circa Orientalia. In Occidente Northmanni sub Rege Horich, Gallias inuadentes, omnia cæde, rapina, & incendio miscuere, per Sequanam vsque Parisios delati, cùm prius in Frisia, tribus prælijs confligentes, in duobus postremis superiores, innumeros internecione deleuissenr. Huius funestæ cladis meminit Lupus Abbas Ferrariensis, & Francorum veteres Annales, sed pluribus eam describit Aimoinus, tantorum malorum fontes è discordia ciuili, & dissensionibus Christianorum Principum designans. Neque tamen silet, intercessione S. Germani, quam implorarant, sumptam illico de tanta crudelitate multiplicem vindictam, vt faterentur Northmanni maiorem in Gallijs mortuos, quàm viuos habere virtutem, nullumque sibi inuenisse resistentem, præter Germanum senem mortuum.

Epistola 31. ad Gumelonem. Lib. 5. de gestis Franc. cap. 6.

E Quod cùm diceret Ragenarius vnus ex Ducibus, continuò tremens, ac pauens, humi corruit, terrifica voce testatus, à Germano se grauissimè flagellari; & Christiana sacra spondens, si euasisset, in perfidia tamen non multo post extinctus est. In hoc rerum statu Ludouicus, contra atque Hungari cogitassent, in Bauaria se continebat, & ne quid in Hungaria turbarum cieretur, prudens satagebat: misit nihilominus ad Principem Northmannorum Legatos, qui pacem suaderent. Hi postmodum quid in Gallijs Northmanni perpetrassent, quidue vicissim è cælis, opitulante Germano, pertulissent, cum admiratione ex ordine retulerunt.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS	SERGII PAP. II. ANNVS	LOTHARII IMP. 6.
846.	3.	MICHAELIS III. 5.

Indict. 9.

Northmanni non contenti superiori strage, quicquid inter Ligerim, & Karum continebatur, in fauillam redigunt, & mox Turonum obsident. Vergente obsidione Turonenses in se reuersi, exemplo Parisiensium, S Germani auxilium implorantium, ipsi quoque ad D. Martini patroni sui opē confugiunt: nec mora: raptum piè sacrum eius corpus ad locum, in quo violentior belli impetus furebat, deferentes, mortuum, pro viuis propugnatorem opponunt. *O admirabilem virum*, exclamat hic Odo Cluniacensis, *qui dum adhuc viueret, Signipotens appellatus, vigorem virtutis astris intulit, defunctus etiam bellipotens, triumphatos hostium cuneos, sola sui præsentia confecit*. Fugiunt ergo Dani; (ita vocat Northmannos, quòd Danis finitimi erant, & maris accolæ) fugientes, Turonici persequuntur, pars gladio cadit; pars capta reducitur; nonnulli fugæ subsidio elabuntur. Ita vsque ad sextum lapidem eos persecuti, triumphatoris sui corpus gloriosè cum hymnis deferunt. Neque solùm, sed quo loco constiterat, Ecclesiam condunt, quæ à belli euentu, SANCTI MARTINI BELLI sortita est vocabulum. Adhuc verò celebrata Synodo, diem solemnem aduersariam instituunt, quo per vniuersam Diœcesim huius victoriæ memoria quarto Idus Maij (contigit feria quarta) recoleretur, quæ non alio nomine rectius, quam *Subuentionis* censeretur.

Lib. de translatione S. Martini.

B

C

Non est, quòd miremur, toties Northmannos à morte Caroli Magni erupisse in bella; Nam ille reliquarum nationum Septentrionalium domitor, eos prælio deuictos quidem, sed leui clade affectos, nec religionem, nec iura, nec magistratus à Francis accipere coëgit. Id propter eo defuncto, ad piraticam redierunt, tantùm oræ maritimæ infesti, ac primum Francorum occursum refugere soliti, Carolo Rege, fessa malis ciuilibus Gallia, interiora petere ausi, ægre sustineri potuerunt. Contra Hungari bello asperiores, durantibus prælijs, tandem magna ex parte victi, & religionem cum pace sunt pacti, & Præfectos ius dicentes acceperunt. Proinde quanquam ad bella cienda more auito promptiores, ne tamen pro arbitratu, ac temere erumperent, quà officio, quà religione continebantur. Hanc tamen plerique, nondum firma radice acta, libertati postponentes, in omnem, si quæ ex voto se offerret, tametsi moratam, intendebant occasionem.

D

E

Illis itaque sub Lotharij Imperio, & Ludouici regno nondum erumpentibus, sed peccatis indignationem Dei magis ac magis prouocantibus, aliunde prouisum de flagello. Nam Saraceni ex Africa instructa classe trajcientes, inopinè suburbia trans Tyberim posita deprædari primùm, deinde sacrosanctas ipsas Basilicas Principum Apostolorum Petri, & Pauli, auro, gemmisque locupletes expoliarunt. Ac tum impletum videtur dictum Ezechielis: *Adducam pessimos de gentibus, & possidebunt sanctuaria eorum*. Et quamuis veneranda Apostolorum, aliorumque Martyrum corpora, intacta, ipsæque Basilicæ à flammis immunes manserint, auro tamen, quo erant intectæ Confessiones, eodemque alta-

SARACENI ROMÆ BASILICAS PETRI, ET PAVLI SPOLIANT.

Cap. 7.

A altaria nudata, omnia ornamenta direpta, & portæ ipsæ, eo quo erant opertæ argento despoliatæ. Ita *Anastasius, Leo Ostiensis, Francorum Annales*. Nimirum cùm non possent vrbem intrare, Ecclesiam S. Petri nondum muris circunductis vrbi conclusam, vastauerunt; eademque clade Basilicam Pauli via Ostiensi inuoluentes, multis interfectis, per Appiam viam iter remensi sunt. Neque tamen diù impune tulerunt: nam Caieta cum præda soluentes, & post aliquot dies iam patriæ proximi, cùm vicinos montes intuerentur, & nautico more plausu inter se, & gratulatione perstreperent, obuios habuere Principes Apostolorum nauicula vectos; & sciscitantibus tantæ hilaritatis causam, cùm ipsi quæ gessissent præcipuè contra Basilicas Petri, & Pauli, ordine, & gestiendo retulissent: Hi contra ipsis etiam querentibus, quinam essent; *Nos* inquiũt, *sumus, quorum domos diripuisse gloriamini, non impunè laturi*. Quo dicto ipsi quidem euanuerunt: sed è vestigio ingens subsecuta procella vniuersas naues confregit, vectoresque omnes, paucis exceptis, qui nuncij cladis, & mirabilium Dei forent, demersit. Hæc ferè ex Leone Ostiensi, postquam plurimam stragem passim à dictis Saracenis illatam menorasset. SARACENI DIVINITVS VLTI *In Hist. Cass. lib.1.c.29.*

B (margin letter beside "ipsi quæ gessissent")

Hoc anno scribunt aliqui initium factum conuersionis Boëmorum, Ludouico satagente, adductis quatuordecim Ducibus ad baptismum. Id si verum est, non parum accessit ad Hungaros vicinitate gentis coërcendos, aut saltem exemplo continendos. Sunt tamen, qui eorum conuersionem ad tempora Stephani Papæ Septimi, aut etiam seculo serius, ad Ioannem Decimumquintum, sextumue reijciant, fortasse de Regni totius deductione locuti. *Sigebertus ann. 846.* *Platina. Pius 2. in hist. Boem. Ireneo. lib.3. c. 13.*

C (margin letter beside "est, non parum accessit")

IESV CHRISTI ANNVS 847.	LEONIS PAP. IV. ANNVS I.	LOTHARII IMP. 7. MICHAELIS III. 6.	*Indict. 10.*

D

HOc anno Sergius Papa, expletis Pontificatus annis tribus, & mense vno, diem clausit extremum, die duodecima Aprilis feria tertia; eodemque die votis omnium, ipso duntaxat inuito, & plane coacto, successit Leo Quartus: cuius prima cura fuit, Basilicas Principum Apostolorum à Saracenis, quod superiori anno diximus, deformatas, pristino splendori restituere, & extirpandis peccatis, ob quæ diuina indignatio prouocata fuerat, sedulo incumbere. OBITVS SERGII PAPÆ.

Celebris hac de causa fuit Leonis electio, quòd Romanis non ausis consecrare electum, nisi interposito prius consensu Imperatoris, ipse maiori authoritate obuiam iuit, adeoque apud Lotharium euicit, ne quid nisi ex sacrorum Canonum præscripto ageretur, vicissim pollicitus seruaturum se illibata iura Imperialia, & quæ à suis præcessoribus Romanis Pontificibus fuissent constituta: Vtnimirum Pontifices, quemadmodum interpretatur Nicolaus Papa, pro cultu rerum temporalium legibus vterentur Imperialibus. Nam quod de capitulis, vel præceptis Imperialibus indistrictè seruandis, recepit Leo Papa, de libris capitularibus Regum Francorum Caroli Magni, & Ludouici Pij intelligendum est; qui magna ex parte, ex Concilijs, & Decretis Romanorum Pontificum accepti, per Romanos item Pontifices sunt comprobati; non illi, qui vulgo circumferuntur corrupti à Schismaticis, & Hæreticis, ac subinde ab indoctis, SVCCEDIT LEO IV. *Dist 63. c. Inter nos.* *In Epist. ad Michael. Imper.* *Dist. 10. c. Quoniam* *Dist. 10 de capitulis.*

E (margin letter beside "ritate obuiam iuit")

doctis, contra Ecclesiasticas constitutiones allegantur. Acquieuere porro Imperatores voluntati Leonis, vnàque eidem postulanti annuerunt, suis vt Romani legibus antiquis, intemerate vti sinerentur, nec alias admittere cogerentur. Idque vt firmum esset, decreto Lotharij, quod inter leges Longobardorum extat, cautum est. A

Dist. 10. c. Vestrum.

Lib. 2. tit. 58.

Indict. 11.

IESV CHRISTI ANNVS	LEONIS PAP. IV. ANNVS	LOTHARII IMP. 8. MICHAELIS III. 7.
848.	2.	

B

LEo Pontifex, ne Saracenorum incursu Ecclesia Beati Petri in posterum periclitaretur, cœptam à Leone Tertio Ciuitatem ædificare, & muro circunducere pergit, Lothario Imperatore, & fratribus Regibus Francorum, pecuniam ministrantibus, summa, & Pontificis, & pij Imperatoris voluptate. Vrgebat opus, quòd certo nuncio perlatum esset, classem Venetam ad sinum Crotoniatem penitus fuisse excisam, vt ne lembus quidem incolumis euasisset.

C

Indict. 12.

IESV CHRISTI ANNVS	LEONIS PAP. IV. ANNVS	LOTHARII IMP. 9. MICHAELIS III. 8.
849.	3.	

LEO VRBEM REFICIT.

SAracenos ex Africa ingenti iterum classe in Italiam ad Vrbis excidium venturos, cùm intellexisset Leo, muros circunduci, portas validè firmari, quindecim turres, quas funditus dirutas, per circuitum Vrbis reperit, nouis fabricis restaurari, duas præterea iuxta ripam Tyberis extrui præcepit, easque non solùm lapidibus, sed etiam ferreis catenis muniri: denique sciens Sanctorum intercessione plusquam aheneis muris vallari, ac tutas esse ciuitates, innumera Sanctorum corpora, quæ diu occulta iacuerant, summo studio, & voluptate collecta, intra Vrbis mœnia singulari, & honore, & religione, digno loco reposuit; omnibus ipse operis, curis, & rebus præsens, omnium satagebat, nullis parcens, neque laboribus, neque sumptibus. Nec spes eum fefellit, vt euenta ostenderunt. Saracenis quippe ad portum Romanum appellentibus, conflictus primum initus cum Neapolitanis, Amalphitanis, & Caietanis, diuinitus vt Vrbi classe subuenirent excitatis; deinde vehemens ventus repente coortus, classem infidelium disiecit; plures fluctibus hausit; non pauci emergentes partim è patibulis suspensi, partim operis Basilicæ Principis Apostolorum, quam ante triennium deprædati fuerant, mancipati, magni id beneficij loco duxerunt. Sic plane obtenta illa admirabili de Turcis nauali victoria, sub Pio V. sancti fœderis authore, mancipia, quæ in partem prædæ venerant, ad præficiendam murorum eandem Basilicam ambientium, structuram à Pio Quarto inchoatam transcripta, cæmentarijs seruierunt. Vt hinc intelligamus consilia Dei, neque ex Turcarum esse potentia, sed propter peccata nostra, quòd regnent. D E

SARACENI AD PORTVM ROMANVM.

EORVM CLADES.

Porro, quæ contra Saracenos, Deo fauente, gesta sunt, Leo Papa ad Lotharium

A rium Imperatorem gratulabundus perſcripſit, cui imprimis gratum id accidit. Enimuero pace iam cum fratribus conſtante, cùm religionis propagandæ ſtudium in animum demiſiſſet, ferebatur Hungaros omni conatu aduerſum motūros, ne quid, in obfirmato more ſibi decederet; quibus aliunde quoque perſpectum erat, Imperium non vno bello laceſſendum, ſi quid in religionis mutatione, circunquaque contra ſubditos Imperator attentaſſet. Cæterùm, vbi innotuit Saracenos, qui alioqui omnem Principum Chriſtianorum vim, vel ſoli aduerſum ſe conſciſcere poterant, non ſemel nec vno in loco fuſos, ratum erat Lothario, Hungaros ſaniora conſilia capturos, aut ſaltem quieturos.

B Hoc eodem anno S. Helenæ corpus, quod olim à Conſtantino Magno Imperatore filio, in Mauſoleo porphyretico conditum fuit Romæ in Eccleſia SS. Martyrum Petri, & Marcellini, per Thatgiſum, ſeu Theagiſum Monachum, tranſlatum ſcribit Sigebertus, & in diœceſi Rhemenſi, magna veneratione collocatum. *In Chronico.* Verùm de eius corpore, ſicut etiam de B. Magdalenæ, & Lazari reliquijs, vetus eſt controuerſia inter Græcos, & Latinos, vbi depoſitæ fuerint. Illud inſuper Veneti, quod notat Baronius, ex Oriente delatum *Ad an. 849.* poſſidere ſe gloriantur, quod etiam digno cultu proſequuntur; tametſi Nicephorus, & Suidas, alijque eam Romæ ſepultam affirment. *Lib. 8. Hiſt. c. 31. In Hiſt. v. Veſtales.* Verùm de hac C re ad hiſtoricas Martyrologij annotationes, aut vbi de peculiari Hungarorum erga Helenam religione occaſio ſe obtulerit, in loco agemus. Certè Nicephorus Romæ quidem mortuam, ſed non in Palatio, vt Suidas, neque in Baſilica SS. Petri, & Marcellini ſepultam, verùm extra vrbem, in templo rotundo, & vrna marmorea depoſitam ſcribit; hinc verò biennio poſt Conſtantinopolim, vnà cum vrna delatam.

IESV CHRISTI ANNVS 850.	LEONIS PAP. IV. ANNVS 4.	LOTHARII IMP. 10. MICHAELIS III. 3.	Indict. 13.

D

NORTHMANNI GRASSANTVR IN FRANCIA.

Northmanni Godefrido Duce, per Sequanam aſcendentes Caroli Regnum prædantur: ad horum exactionem Imperator Lotharius frater in auxilium vocatus, cùm ſibi cum hoſte pugnandum eſſe putaret, Carolus clam mutato conſilio, & degeneri animo, Godefridum cum ſuis in ſocietatem Regni recipit, & terram eis ad habitandum, & colendum concedit. Grauiter id tulit Lotharius, Principem ſanguinis ſui Northmanno piratæ ſuccumbere, ab E eodemque tam fœde redimere pacem, Regni conſortio: Idcirco re infecta in ſua reuerſus eſt. Hanc Lotharij in fratrem, & Galliæ Regnum propenſionem Deus compenſauit, nihil vt interea turbatum ſit in Imperio; neque Hungari, quibus alioqui oblata hinc erat occaſio nouas res moliendi, quicquam laceſſiuerint. Contra tamen, quàm fida fuerit Northmannorum ſocietas Carolo, euentus docuit.

Cur autem in Hiſpania victi, in Gallia verò victores euaſerint Northmanni, eam afferunt cauſam Annales, quòd Carolus Eccleſias proſtituerit laicis; contra Ramirus Regnum ſuum vectigale fecit Eccleſiæ S. Iacobi. Ob ſimilem cauſam fuiſſe creditur Ludouicus frater Caroli, aduerſus Boemos pugnans,

cui bello spiritus malignus sese præfuisse per os arreptitij, publicè protestatus est, & per se, & per socios, spiritus scilicet superbiæ, & discordiæ, egisse vt Franci terga verterent. Ita *Sigebertus*. A

Mirum verò, tam citò Boemos ad rebellium incitatos, si verum est Ludouici opera superiori anno, quatuordecim eorum Duces Christiana sacra suscepisse, qui tam repente in animum induxerunt, Christo nuncium remittere, vt dæmone belli Duce rem agerent? Longè etiam admirabilius, Hungaros tam parata occasione minimè vsos, quando societate cum Boemis coalita, plurimum profecturi erant, non duntaxat ad excutiendum Ludouici dominatum, verùm etiam ad inferendum in aliena regna principatum. Cælesti prouidentia factum reor, ne tot malis quassata res Christiana detrimentum irreparabile faceret, quando etiam dira fames adeo Germaniam afflixerit, vt illa, quæ quondam in obsidione Hierosolymorum grassata est, si Francorum Annalibus credimus, mitior haud fuerit. B

DÆMON QVID MESSANÆ LOCVTVS.

Lubet hoc loco fortasse, non extra rem notare, quod pene oculis nostris vidimus, Messanæ prolocutum ex arreptitio dæmonem dixisse, *Merorim* sibi nomen esse, & ex eo hospitio paulo post migraturum in Italiam, & vltra Alpes, vt vniuersam Europam varijs misceat amaritudinibus; id propter se cum legione missum ex inferis. Agebatur tum annus huius seculi, quo hæc scribimus, nempe decimisexti, nisi fallor, vigesimusoctauus, belli, quod inter Christianos Principes gerebatur prope decimus. An verum dixerit, euentus hactenus attestatur. C

Indict. 14.	IESV CHRISTI ANNVS 851.	LEONIS PAP. IV. ANNVS 5.	LOTHARII IMP. 11. MICHAELIS III. 10.

D

LVDOVICVS IVNIOR BENEVENTVM LIBERAT.

Ludouicus Lotharij filius, admodum adolescens, Longobardorum precibus, per Bassacium Abbatem motus, in Italiam venit aduersus Saracenos, & Beneuentum liberauit, prouinciamque Beneuentanam æquo iure partitus est inter Radelchim, & Siconulphum, Saracenis omnibus, qui Beneuenti erant, ipso die vigiliarum sacræ Pentecostes, extra vrbem ductis, atque ad vnum iugulari iussis, vnà etiam Duce ipsorum Massar capite cæso. Paucis post diebus, compositis rebus ad sua remeauit, à patre Imperatore cum plausu exceptus, & ab indole commendatus; quem iccirco & rebus Hungariæ præficiendum è sententia iudicauit. E

In mem. Sanct. lib. 1. cap. 1.
Leo Ostien. lib. 1. cap. 31.

Cæterùm, si in Italia profligati sunt Saraceni, in Hispania sub Habdarraghmano Principe crudelius incubuerant, multorum Martyrum sanguine fuso, non hoc anno duntaxat, sed etiam superiore, de quibus scribit Eulogius presbyter Cordubensis. Ita qui Northmannos vicerant, de Saracenis diuerso pugnandi genere victoriam reportarunt; & quæ inter vepres infidelium latebat Ecclesia, cæde martyrum virere cœpit, atque efflorescere.

A

IESV CHRISTI ANNVS	LEONIS PAP. IV. ANNVS	LOTHARII IMP. 12. MICHAELIS III. 11.	
852.	6.		*Indict. 15.*

HOc anno, qui sextus est cœptæ Ciuitatis nouæ prope Vaticanum, eandem Leo Quartus perfecit, ac de suo nomine Leonianam, seu Leoninam dixit. Facta est dedicatio solemnis die septimo & vigesimo mensis Iu- B nij, in sabbato, pridie S. Leonis Papæ, tota Vrbe Romana, mira lætitia per consequentes etiam dies personante. Quo autem ordine, & ritu peracta sit, ex Anastasio Bibliothecario ad hunc annum describit Baronius. CIVITAS LEONINA DEDICATA.

Idem verò Pontifex, haud multo post, ex habitatoribus insulæ Corsicæ, qui ob frequentes Saracenorum incursiones coacti fuerant natale solum vertere, coloniam deduxit in ciuitatem Portuensem, suffragantibus etiam Imperatoribus Lothario, & Ludouico filio. Nec mitiùs interea deſæuijt furor eorundē in Hispanijs, continua martyrum accessione; tametsi lugendus adeo illic esset Ecclesiæ status, vt vno excepto, reliqui Episcopi Tyranno manus dederint, SARACENI IN HISPANIIS PERSEQVVNTVR CHRISTIANOS. C dubio fidelibus exemplo, nisi repentinus Tyranni interitus, plurimorum fortitudinem armasset ad excipiendam vltro successoris Mahomad primogeniti, perinde capitalis Ecclesiæ hostis, persecutionem.

IESV CHRISTI ANNVS	LEONIS PAP. IV. ANNVS	LOTHARII IMP. 13. MICHAELIS III. 12.	
853.	7.		*Indict. 1.*

D NOrtmanni per Ligerim fluuium venientes, ciuitatem Nannetensem repentina irruptione inuadunt, omnia cædibus, incendijs, & rapinis miscentes. Pontificem Ciuitatis Guihardum, ipso die sabbato Paschæ, dum Baptismum ex more celebraret, in Basilica interficiunt, Clerumque trucidant; mox omnem in circuitu regionem vastantes, Andegauensem primùm, deinde Turonicam occupant vrbem, Ecclesiamque S. Martini Confessoris, nemine resistente succendunt. Aliqui tamen hæc contigisse quadragesimotertio huius seculi anno volunt, & cum ea incursione, cuius ad annum quadragesimum sextum meminimus, confundunt: sed lubet sequi, præter dictos au- *Rhegino. Sigebert. Otho Frisingensis.* E ctores, veteres Francorum Annales Pithœanos.

Porro Dei prouidentia factum est, vt antequam Turonensis Ciuitas inuaderetur, & Basilica incendio traderetur, Corpus S. Martini, quod in ea asseruabatur, inde sublatum ab eiusdem Ecclesiæ Clericis Antisiodorum transferretur. Ac tum accidit insignis illa piæ disceptationis cognitio: nam cùm crebrescentibus in aduentu Sancti miraculis, oblationes quoque fidelium crescerent, Clerici Antisiodorenses ad se quoque spectare vtilitatem inde prouenientem contendebant, quòd ea miracula vtriusque Pontificis, Germani videlicet, ac Martini meritis fieri dicerent. Contra illi, *hæc*, aiebant, *miracula in aduentu Martini, nec prius edita, à nobis faciunt, nobisque commoda adin-*

 dicant.

dicant. Vt porro contentio dirimetur, optione facta, leprosus, qui fortè aderat, in medio vtriusque Antistitis, periclitandi gratia sistitur: factumque, vt qua parte Martinum spectabat, curaretur, altera manente infecta; eadem verò ad Martinum conuersa, totus homo incolumis euaderet. Sic pia contentio sedata Martino gloriam cumulauit, Germani modestiam commendauit, quòd tanti Pontifex meriti, qui & mortuos suscitauit, domi suæ hospiti suo concesso honore, videri inferior voluerit. A

Ad an. 846. Lib. de Transl. S. Martini.

Diuersam hanc esse translationem reliquiarum S. Martini, ab ea delatione, qua Turonum ciuitas defensa est, vt in loco diximus, satis constat ex Odone Cluniacensi, qui hanc illa tribus lustris posteriorem affirmat; tametsi iuxta probam aliorum putationem, septimo post anno circiter contigerit. Cur autem in posteriori hoc incursu, non eadem ac in priori fuerit Turonensium fiducia, nec recordati sint Subuentionis, pro qua solenne festum instituerant; vt iccirco vulgo diceretur Martinus fugasse Hastingum, sed fugisse Rollonem: hoc inquam, propter occulta Dei iudicia, non videtur ad examen reuocandum. Si quid tamen à rerum euentu conijci potest, imbecillitati fidei Turonensium, aut etiam peccatis populi tribuendum est potius, quàm defectui præsentis, per implorationem Sanctorum, diuini auxilij; & ne in hac sola repositam spem existimarent, si fortasse de cætero vitam sanctitati parem haud ducerent. B C

Indict. 2.

IESV CHRISTI ANNVS	LEONIS PAP. IV. ANNVS	LOTHARII IMP. 14. MICHAELIS III. 13.
854.	8.	

LEo Centumcellas ciuitatem qnadraginta annis ante à Saracenis captam, & solo æquatam restituit, alio tamen loco munitiori diuinitus ei per visum ostenso; eamque solenniter dedicatam, Leopolim nominat, Romamque reuertitur Augusti mensis die decimoquinto, feria quarta. D

Nortmanni in patriam reuersi, postquam viginti annos Franciam attriuissent, intestino bello inter se commisso, vsque ad internecionem delentur, vt de regia stirpe vnus duntaxat puer remaneret. *Sigebertus*. Meminit huius interitus Nortmannorum, & vetus Chronicon à Pithœo editum; appellatione Danorum, Nortmannos intelligens, iuxta ea, quæ alibi diximus: quod etiam faciunt Eginhardus, & ex eo Adamus Bremensis, Helmoldus, vt de alijs recentioribus taceamus. E

In vita Caroli Magni. Lib. 1. Chron. cap. 7.

Indict. 3.

IESV CHRISTI ANNVS	BENEDICTI PAP. III. ANNVS	LOTHARII IMP. 15. MICHAELIS III. 14.
855.	1.	

LEONIS PAPÆ OBITVS.

LEo Quartus Pontifex optimus hoc anno, non post multos dies, quàm Ludouicum Regem à se dimisisset, piè in Domino obdormiuit, decimaseptima die Iulij, feria secunda; cuius memoria inter Sanctos relata, eadem

A dem die per annos celebratur. In eius locum absque mora, consensu omnium subrogatus est Benedictus patria Romanus, ex presbytero tituli Calisti: factione tamen Legatorum Ludouici intrusus est Anastasius, olim tituli S. Marcelli, ante biennium in Concilio Romano à Leone canonicè depositus, quòd, vt Anastasius Bibliothecarius narrat, parochiam suam per annos quinque contra Canonum instituta deseruerat, in alienis demoratus: sed neque duobus Concilijs in eius causa congregatis, etsi non solùm missis tribus Episcopis, sed etiam literis Apostolicis vocatus, adesse voluit, atque ideo consensu omnium depositus, & sacerdotali honore priuatus est. Hic ita-
B que, vt dicebamus, intrusus est: verùm resistente magna constantia Romano clero, populoque, deiectus; & iterum, non multo post, astu Legatorum intrusus, Benedicto legitimè vocato tandem cedere coactus est, ipsis vltro annuentibus Legatis, quòd voluntati Dei frustra se aduersari agnoscerent, etsi interim, haud parum laboris Benedicto, pijsque omnibus, indignis modis facessiuissent.

SVCCEDIT BENEDICTVS.

ANASTASIVS INTRVSVS.

Hoc eodem anno Lotharius Imperator, conuocatis Regni Primoribus, mundo coram eis valedicens, Imperium deposuit, & filijs, Ludouico Italiam, Lothario regnum, quod in Francia possidebat, præter prouinciam
C Carolo traditam, reliquit. Ita humanis omnibus curis se abdicans, sub habitu Monastico sanctitatem professus est in monasterio Prumiacensi Lotharingiæ, quam à suo nomine dici voluit. Id Monasterium ipse quondam construxisse, & dotasse fertur. Mouit illum ad hoc ipsum vitæ institutum pij sermo parentis, quem sub extremis ad filios de vanitate mundi, & æternis cogitandis habuit. Qui sane ab eo tempore altius animo Lotharij inhærens, in summa tandem Imperij gloria, hoc edidit exemplum, mortalibus admirandum, sed à paucis exceptum. Nec tam pio studio dilata diu merces æternitatis: vix enim paucos menses laudabiliter exegit, & breui curriculo spatium gloriæ immensum, vita functus confecit, hoc eodem an-
D no, sed quo die, incertum: Nam alij vigesimumsextum Septembris, alij vigesimumoctauum, nonumue notant: alij denique in trigesimum Octobris conijciunt, sepultumque dicunt in abside templi eiusdem monasterij.

LOTHARIVS IMPERIO SE ABDICAT.

FIT MONACHVS.

ET MORITVR

Atque hæc quidem de Imperio ob monasticum institutum à Lothario abdicato, plerique Francorum, & Italorum Scriptores affirmant; ex Germanis non item omnes: sed neque inscriptio sepulchralis, quæ in Codice Vaticano Conciliorum Galliæ habetur, licèt alicubi falso sub nomine Henrici Tertij scripta referatur, quicquam eius rei, quod maxime oportuisset,
E meminit, tametsi sat eleganti carmine, pleraque eiusdem gesta comprehendat.

IESV CHRISTI ANNVS 856.	BENEDICTI PAP. III. ANNVS 1.	LVDOVICI II. IMP. 2. MICHAELIS III. 15.	Indict. 4.

MIchael Orientis Imperator, legationem ad nouum Pontificem, & dona mittit. Idem facit Ignatius Patriarcha, dans Legatis Acta Synodalia, quibus probaretur legitimè facta Gregorij Asbestæ Syracusani Epi-

REX LAZORVM ROMAM VENIT. scopi schismatici depositio. Cum his creditur venisse Rex Lazorum orationis causa ad Limina Apostolorum, plura etiam dona afferens, de quibus scribit Anastasius. Hunc alij Regem Saxorum dicunt, & Ludouicum filium Ludouici Pij, qui Rex Saxorum vocatus est, fuisse putant, minus rectè: Nam is Ludouicus, tempore Benedicti Romam non vidit, neque sub eodem vita functus legitur; quod tamen de hoc Rege Lazorum affirmat Anastasius: Eum nimirum finita oratione reuersum in Regnum suum, & post paucos dies vitam finiuisse. A

Verisimile est Regem istum Lazorum, qui populi Scythia oriundi sunt, ex ijs fuisse, qui Hunnis sub Iustiniano Imperatore conuersis dati fuere initio, Ducum vocabulo duntaxat; quod deinde stabilitis prouinciæ rebus, quam Iustinianus habitandam eis in Asia prope Colchidem concessit, in nomen Regium, in serie sibi succedentium transiuit. Ita prorsus, si in Pannonia nonnihil detrimenti Religio, secundùm obitum Caroli Magni fecit, non tamen penitus apud omnes Hungaros defecit, quando apud Lazos, etsi à Pannonibus vtcunque remotos, ad hæc vsque tempora integram permansisse legamus. Qui verò Regem hunc remota trans mare Caspium plaga venisse contendunt, plura confundunt: neque enim illic fundatum hactenus fuit Euangelij Regnum; tametsi fortasse superessent, qui acceptam à maioribus Apostolica prædicatione fidem, velut ducta per manus paucorum traditione, inter paganos vtcunque conseruarint. B C

IESV CHRISTI ANNVS 857.	BENEDICTI PAP. III. ANNVS 3.	LVDOVICI IMP. 3. MICHAELIS III. 16.

Indict. 5.

LVdouico Imperante, Hungari ad tempus sub Ludouico Germaniæ Rege, & Imperatoris patruo, beneuolentia magis, quàm authoritate continebantur, ne quid turbulenti molirentur. Mirum, hac occasione minimè vsum Ludouicum Regem, vt relicta a maioribus virtute, Regnum Euangelij apud Hungaros stabilire conaretur, cœptis à Carolo abauo insistens. Ita quo longiùs à primo sanguine discessum est, hoc magis studium religionis propagandæ deferbuit. Affulsit tamen nonnihil spei, quòd Comitijs ad S. Quintinum habitis, Carolus Caluus eandem cum fratruelibus Lotharij filijs, quam cum Ludouico fratre pacem, concordiamque coluerat, illibatam se seruaturum testatus est. D E

Alb. Crantz. Hist. Nort. lib. 2 cap. 2. 3. 4. Hoc anno contigisse putant quidam simulatam ab Haddingo Northmannorum Duce Baptismi susceptionem, eaque fraude Lunam Etruriæ Ciuitatem portu celeberrimam cepisse, quam ipse Romam esse putauerit, ad quam deuastandam diu antea Italiam petere designauerat. Vereor ne fabulose ista dicantur; sicut etiam, post baptismum, eundem se mortuum simulasse, elatumque per mediam vrbem patria pompa, repente ex feretro exiliuisse, & subornata suorum funus comitantium manu, ciues cæcidisse. Aliam huius vrbis euersionem, vix dissimili figmento tradunt alij. Non pauci simulationem hanc Hastingo Dano, parua nominis mutatione tribuunt; neque

tamen

A tamen Italiæ, sed Anglicanæ Ecclesiæ funestam fuisse memorant; ac præterea non hoc anno, sed octuagesimoseptimo huius seculi accidisse volunt.

IESV CHRISTI ANNVS 858.	NICOLAI PAP. ANNVS 1.	LVDOVICI IMP. 3. MICHAELIS III. 17.	Indict. 6.

HOc anno, postquam in Pontificatu vixisset annos duos, menses sex, B dies decem, vitam cum morte commutauit Benedictus Papa, die decimasexta Februarij feria quarta, præcipua apud omnes sanctitate commendatus. Successit Nicolaus natione Romanus, patre Theodoro Regionario; miroque omnium consensu, ac præsentis Ludouici Imperatoris applausu coronatus est vigesimoquarto Aprilis, die Dominico. Paulo ante ab Vrbe discesserat Ludouicus; sed cognito Benedicti transitu, citato cursu reuersus est: nec dici potest, quantis pietatis, & humilitatis obsequijs Nicolaum prosecutus sit, vicissimque hic quanta charitate responderit.

BENEDICTI PAPÆ OBITVS.

SVCCEDIT NICOLAVS.

Hoc eodem anno, turbato Galliarum statu, cùm sub Carolo Rege omnia C prædonibus, factiosisque hominibus paterent, nullusque locus legibus ecclesiasticis, vel ciuilibus esset, vocatus est Rex Germaniæ Ludouicus, adeo precibus lacessitus, vt nisi populo periclitanti quamprimum subueniret, auxilium à paganis sibi petendum affirmarent; tyrannidem Caroli, malorum omnium causam, haud amplius tolerabilem rati. Nec multo post adfuit ille valido aduersus Carolum exercitu, qui tum in expeditione contra Northmannos ad ripam Ligeris morabatur; eoque viribus diffiso, rerum potitus, cùm ad Regnum componendum animum adiecisset illic hyematurus, importunè obnunciata Soraborum rebellione, coactus est ad propria reuerti. Ita Carolus vt D priùs, ex insperato, Regni habenas liberas nactus est.

Quod spectat ad Sorabos, Ptolemæo Serbi dicuntur, Asiæ Sarmaticæ incolæ. Laonicus Chalcondilas ex Septentrione eos venisse, & in antiqua Triballorum regione, hoc est, in Mysia superiore mansisse tradit: nec videtur dissentire Plinius, qui circa Meotides paludes olim habitasse notat. Iidem postea non solùm Bulgaris, & Rascijs, immo & Croatis proximi, in Europa consedere, magnam Dalmatiæ partem occupantes, vt scribit Aimoinus; verùm etiam in vastum Poloniæ campum, & hinc in Misniam, Lusatiam, & vicina Albi loca peruasere, quæ iuxta Helmoldum in Occasum ruens, primo E impetu Boëmos alluit eum Sorabis, medio cursu Slauos dirimit à Saxonibus; Eginharto verò, Thuringos à Sorabis Sala fluuius diuidit. Atque hi fuere, qui Ludouicum ordinandis Galliæ rebus intentum, rebellione distraxerunt, vetusta indole; vt qui olim Pannoniam quoque inferiorem incolentes, & in Principem suum Constantinum Magnum arma conuertere parantes, eiusdem concione animos posuere.

SORABI QVI.

Lib. 9. c. 9. & 19

Lib. 6. Hist. c. 7.

Lib. 4. hist. c. 1.

Lib. 1. Chron. Slau. cap. 2.

In vita Caroli.

Hac occasione nihil ab Hungaris tentatum fuisse, quo se in pristinam libertatem vendicarent, cùm non paucæ apud eos Soraborum reliquiæ expullularent, mirabitur non nemo; neque tantùm tribuet beneuolentiæ Ludouici, quàm fortasse aut religioni paucorum studia pacis amantium,

aut certè singulari Dei prouidentiæ; quæ sub Nicolao tanto Pontifice ad plurium gentium salutem facto, non permisit Euangelij cursum diabolicis intercipi conatibus; vt quantum in Hispanijs, alijsque partibus Occidentis, Saracenorum furore, effuso Martyrum sanguine inundaret, quantumque in Oriente, Schismaticorum aduersus Ignatium Patriarcham tumultibus, religio obfuscaretur, tantum mox aliarum occasione gentium sanctitas efflореret, & per orbem Christianum explenderet. A

IESV CHRISTI ANNVS 859.	NICOLAI PAP. ANNVS 2.	LVDOVICI II. IMP. 4. MICHAELIS III. 18.

Indict. 7. B

CONCILIVM TVLLENSE PRO FIDE PRO PAGANDA.

HOc anno habitum vniuersale Tulli Concilium duodecim Prouinciarum; in quo principaliter actum de tollendo schismate; de restituendo statu Ecclesiæ, in Gallijs pene collapso; de pace, & iustitia in populo Christiano procuranda; ac tandem de religione per orbem propaganda. Dignum sanctitate Ecclesiæ consilium, si semper euentui respondeat.

Actum etiam de scholis ex instituto Caroli Magni restituendis, ac præsertim de genuina sacrarum Scripturarum interpretatione; Quia, vt Canon ibidem conditus affirmat, *Diuinæ scripturæ (quod nimis dolendum est, & perniciosum maximè) verax & fidelis intelligentia iam ita dilabitur, vt vix eius extrema vestigia reperiantur.* Hæc Canon. Quæ nescio an non huic quoque tempori congruant, quo Politici libertate opinandi plane in Atheismum declinant, sacramque Scripturam errori suo famulari cogunt, parati illam eiurare, nisi ad sensum faciat. C

Ad hunc annum meminit Sigebertus, Ludouicum plurima contra Slauos prælia strenue gessisse., & capto eorum Principi Rastrich, ob violatam fidem, oculos erui iussisse. Dubium, quos hic Saluos intelligat: nam qui à Danis, siue Northmannis sub tributum missi fuerunt, hi, quemadmodum & Northmanni, fœderibus & prælijs ita retenti sunt à Ludouico, vt cùm Franciam totam vastauerint, regno eius pepercerint; cæteri verò, quos ipse perdomuerat, nisi post eiusdem mortem, si quæ inter alios Helmoldo fides, vnà cum Boëmis, Sorabis, Susis iugum non excussere. D

Lib. 1. Chron. Slau. cap. 7.

IESV CHRISTI ANNVS 860.	NICOLAI PAP. ANNVS 3.	LVDOVICI II. IMP. 5. MICHAELIS III. 19.

Indict. 8. E

HOc anno sancita inter quinque Francorum Reges Carolum, & Ludouicum fratres, nepotesque ipsorum Lotharium, Ludouicum, itemque Carolum mutua concordia, magnum religio Christiana sui polliceri visa est incrementum; omniaque spectabant ad augendum Dei cultum, & Ecclesiarum splendorem. Acta sunt hæc in Synodo Confluentana, die quinta Iunij, feria tertia, firmatis vtrinque Latina, ac Germanica lingua pactis, & Procerum

A cerum vtriusque ordinis, Ecclesiastici nimirum, & secularis, attestatione roboratis. Et respondisset votis diuinus fauor, nisi Carolus pacta infregisset, qui dominandi cupidine tactus, nulla suæ, suorumque salutis habita ratione, ferebatur præceps in malum, inuadendis alienis regnis intentus; vt iccirco Ludouicus frater, & Lotharius fratris natus, Nicolao Pontifici meritò per literas conquesti sint, eximio submissionis exemplo Pontificem Romanum, ceu Patrem communem, & Arbitrum implorantes, ac vt Carolum monere, atque etiam Apostolica censura dignaretur emendare, quasi ad sacra eiusdem vestigia prouoluti, multipliciter, vt habet epistola, deprecantes; Quippe turbatæ B res Ecclesiæ inter Christianos ingens offendiculum præbebant recèns conuersis, alienos autem à fide ad nouos motus ciendos prouocabant.

IESV CHRISTI ANNVS 861.	NICOLAI PAP. ANNVS 4.	LVDOVICI II. IMP. 6. MICHAELIS III. 20.	Indict. 9.

C Nicolaus epistola ad Michaelem Orientis Imperatorem, vigesimaquinta Septembris data, inter alia agit de iuribus Romanæ Ecclesiæ in Oriente restaurandis, quæ per Episcopos illic constitutos Romana authoritate administrabantur, Thessalonicense Metropolita vicem Romani Pontificis fungente, per Epirum nouam & veterem, per Illyricum præterea, Macedoniam, Thessaliam, Achaiam, Daciam Ripensem, & Mediterraneam, Mœsiam, Dardaniam, & Præualim; idque antiquo instituto à temporibus Damasi, Siricij, Innocentij, Bonifacij, Cælestini, Sixti, Leonis, Hilarij, Simplicij, Felicis, atque Hormisdæ Sanctorum Pontificum sacris dispositionibus seruato. Hinc apparet, eodem sensu Pannoniæ quoque iura ad Apostolicam sedem PANNONIA IVRIS APOSTOLICI. D reuocanda, siue id de Transyluania intelligatur, quæ Daciæ vocabulo comprehenditur; siue de ipsa Pannonia, quam Iustinianus adiungit. Vtramque videntur intellexisse, qui Panno-daciam dixerunt, lingua & sermone hodieque Nouel. 119. l. 509. cognatam.

Porro, quòd Nicolaus seorsim nominet Illyricum, Macedoniam, & vtramque Daciam, generali vocabulo diuersas eiusdem nominis Prouincias significat; alioqui Macedonia, & Dacia, generatim sumptæ, plures sub se numerabant prouincias: Macedonia quidem Achaiam, Macedoniam primam, Cretam, Thessaliam, Epirum vtramque cum parte Macedoniæ secundæ, seu Sa- E lutaris: Dacia verò Daciam Ripensem, & Mediterraneam, Pannoniarum affines, Mœsiam primam, Dardaniam, & Præualim, cum parte item Macedoniæ Salutaris. Omnes porro tam Macedoniæ, quàm Daciæ, atque etiam Illyrici Prouinciæ, vno generali *Illyrici* vocabulo dicebantur, sicut etiam ab vno omnes Illyrici Præfecto, cui diuersi parebant Duces, olim regebantur: eademque forma in spiritualibus, vnus idemque olim Macedoniæ, ac Daciæ Primas fuit, Romani Pontificis Vicarius, nempe Thessalonicensis Metropolita, nulli Patriarcharum subiectus.

Durauit hoc Iuris specimen vsque ad tempora Iustiniani Imperatoris; qui vt patriam suam Acridam Dardaniæ, seu Bulgariæ Vrbem, Iustinianam primam

mam à se nuncupatam, nobilitaret, legem statuit, Archiepiscopum primæ Iustinianæ, habere sibi subditos Episcopos vtriusque Daciæ, Triballiæ præterea; seu Præualenos, Dardaniæ, & Mœsiæ, superioris denique Pannoniæ; quos omnes ab Acridano consecratos volebat, & hunc eodem iure illis moderari, quo Romanus Pontifex Episcopis sibi subiectis præesse solet. Ita paulatim traducta hoc modo, sed præsertim ad Constantinopolitani Patriarchæ partes, Reipublicæ Ecclesiasticæ forma, non vulgarem conuersionem iura Romani Pontificis acceperunt. Constat enimuero nouæ Romæ Episcopum, & Imperatoris authoritate fretum, & Regiæ Vrbis dignitate elatum, quò Oecumenici Patriarchæ titulos, diu anxieque quæsitos, certa sibi ratione confirmaret; eòque suas omnes admouisse machinas, vt quamplurimas, & quascunque Christiani Orbis Ecclesias in suam fidem pelliceret.

Lib. Not. Prouinc. — Conc. Constant. sub Menna Act. 1.

Hinc scilicet, Theodosio Secundo rerum potiente, Atticus Patriarcha Illyricum sibi subijcere, omnium primus tentauit: ac mox etiam Acacius prætextu turbarum, quæ in subrogando Episcopo Antiochiæ futuræ erant, Antiocheni Patriarchæ electionem à Constantinopolitano fieri, ab Zenone Imperatore obtinuit; deriuassetque ad suos perpetuam hanc prærogatiuam, ni Romanæ Vrbis Pontifex Simplicius summa vi obstitisset. Thessalonicensem quidem Ecclesiam, cuius in Romanam Sedem fides egregio Leonis Primi testimonio collaudatur, quamuis Apostolicæ Cathedræ vices diu tenuisset, tandem Græcorum artibus ad Constantinopolitani Episcopi Diœcesim transisse, Pontifices Romani questi sunt non semel, vt plenæ huiusmodi querelarum sint Nicolai Primi (quod hic agimus) ad Michaelem Imperatorem epistolæ: Hadriani item primi ad Constantinum, & Irenem. Tandem verò, sicut in loco dicemus, & de Bulgariæ Ecclesiarum iure à Grecis vsurpato, frustraque à Romanis vendicato, frequentissima est mentio in Conciliorum Actis. Quam Græcorum ambitionem Anastasius Bibliothecarius sugillat his verbis. *Sed quia isti* (Romani Pontifices) *cum Petro super petram veræ confessionis stantes, pestiferam suggestionem audire possunt, obaudire non possunt; mox illi* (Imperatores Romani) *qui nunc Græcorum appellantur, quando aliter eos lædere nequeunt, patrios & antiquos terminos proferunt, priuilegia Sedis Apostolicæ corrumpunt, & pene omnia iura disponendarum diœcesum auferunt, atque suis hæc fautoribus, consentaneis, & sectatoribus conferunt; cum quibus etiam ius, quod Sedes Apostolica super prædictas regiones habuit, quia iuxta se sitæ videbantur, vsurpant, & Constantinopolitanæ Sedi nequiter applicant.* Hæc Anastasius, nescius futurorum, quæ designauit. Addere verò poterat exemplo ad posteros mittendo, hoc solùm inde obuenisse Græcis, vt diuina eos persequente vltione, quod Ecclesiæ Romanæ detraxissent, Saracenis cederent, & rebus sensim in deterius prolabentibus, Orientale minuerent Imperium, quoad totum dira Turcarum tyrannide oppressum, principatum cum seruitute miserè commutaret.

L. 6, C. de Sacrosanct. Eccl. — L. 45. C. de Episc. aud. C. Theodos. — Epist. 13. 14. 15. — In præfat. ad 8. Synod. Nicæn.

Scythæ per Euxinum mare progressi ad Angustum, omnia loca, & Monasteria cùm diripuissent, vsque ad insulas Byzantio adiacentes peruenerunt, nihil non, siue sacri, siue profani, prædando miscentes, nec hominis vllius vitæ parcentes. Eodem furore Monasterium Ignatij Patriarchæ vastatum eatenus est, vt non modò supellex omnis prædæ cederet, verùm etiam viginti ac duo familiares eius, barbara immanitate securibus membratim conciderен-

A ciderentur. Horum fama in Pannoniam perlata fomitem addidit erupturæ mox flammæ, quam discordia fratrum Regum paulatim excitabat. Quare nihil minus pro religione actum est, quàm vt si quæ illic scintilla in paucorum animis adhuc vigeret, non penitus extingueretur; Nicolao in omnem interea iuuandi Hungariæ occasionem intento, si per tumultus in Orientali Ecclesia suscitatos licuisset. Hîc quippe Schismaticorum factione omnia ardebant, omnisque in Ignatium Patriarcham sanctissimum, adspirante Photio, flamma torquebatur.

Accidit autem, vt instante mense Augusto, Constantinopolitana Ciuitas B ingentibus tremoribus quadraginta continuos dies quateretur, nullo non ædificio præsentem in momenta ruinam minante, cunctisque incolis timore mortis extra se positis: & cùm ad cætera vox deficeret, id solùm crebro inclamarent, vnam esse terræmotus huiusce causam, impietatem aduersus Ignatium Patriarcham exercitam. Quo factum, vt principes persecutionum iurarent, nullo malo fore Ignatio, omnibusque alijs, quibuscum, & apud quos latuisset, quicquid hactenus intentatum fuisset; proinde securè in medium veniret precibus suis iram Dei auersurus. Prodijt tum Ignatius, & bonorum omnium plausu exceptus, præsenti periculo consuluit, omnium amore non minus, C quàm admiratione celebris.

IESV CHRISTI ANNVS	NICOLAI PAP. ANNVS	LVDOVICI II. IMP. 7. MICHAELIS III. 21.	Indict. 10.
862.	5.		

Basilica S. Sophiæ Constantinopoli incendio conflagrat, magno Vrbi damno illato; neque solùm, sed præterea in die Ascensionis Domini, D ingenti terræmotu vniuersa ciuitas concussa est, omnibus id in vltionem scelerum ad summum excrescentium attestantibus; quòd præsertim Michael Imperator, puerili leuitate res sacras ludibrio habens, ipse Sacerdotes, & Pontifices ludo sine vlla religione, & reuerentia ordinaret; Inter quos sicut antea Grillum quendam sceleratum scurram, ita modò Theophilum nescio quem Protospatarium, ridiculum histrionem, & ex omni turpitudinis colluuione prodeuntem, illis Patriarcham præponendo nominauit, quo risum sibi, & sui similibus prouocaret. O dementem impietatem! vt non puderet eum publicè dicere: *Quod Christianis est Ignatius, Bardæ Photius; id mihi Theophilus.*

E Ille porrò terræmotus fuisse perhibetur maximus omnium, qui à memoria hominum Constantinopoli auditus est; & cùm vespere cœpisset, durauit totam noctem consequentem. Vox etiam inarticulata, terra & mare missa, ingenti metu, & horrore cunctos percellebat. Qua de causa Basilius Thessalonicensis Imperatorem adiens, & à turpi illa & impia sacrarum rerum imitatione dehortatus, quòd scurrili eo scelere quammaxime Deum irritari affirmauit, id effecit, vt ab offenso sanctis monitionibus scelerato Imperatore validis in faciem pugnis cæderetur; neque solùm, sed terga flagris oneratus, & dentibus radicitus excussis, parum abfuerit, quin bonus senex morte afficeretur. Ad quæ omnia ridebat Patriarcha Photius, mercenarius, & mimorum gratiam

gratiam diuinæ postponens, *Canis mutus, bestia*, vt Nicetas loquitur, *fœmineo vultu virum agens, atque sacerdotali specie perstrepens*. A

Interim in Occidente frequentibus Concilijs Reipublicæ operam nauans Nicolaus, dum vel renascentes resecat errores, vel mores Principum corrigit, à proferendo ad Gentes nondum conuersas Euangelio impeditur. Romæ quidem coacta Synodo, Theopaschitas in Oriente socordia Pastorum repullulantes damnat: Aquisgrani verò coacto à Lothario Francorum Rege suorum Episcoporum Conuentu, quo amore Vualdradæ pellicis iuuenili ardore exæstuans, nouæ tragœdiæ parabatur argumentum, ne quid emergat, diligenter inuigilat. Iterumque ob exagitatas tum ex dicta causa, tum ex alijs, Gallias, noua ipse comitia indicit ad Sablonarias, Francorum Regibus Ludouico, & Carolo, necnon Lothario nepote adesse iussis. Denique Lothario pro re sua sat agente, aliud Metis Concilium cogit, missis Roma Legatis, qui moderarentur. Tanta rerum mole grauatus Nicolaus, curam quidem salutis gentium minime deposuit; sed quo minus efficaciter exerceret, retardatus est. B

Indict. 11.	IESV CHRISTI ANNVS 863.	NICOLAI PAP. ANNVS 6.	LVDOVICI II. IMP. 8. MICHAELIS III. 23.

C

GREGORII SYRACVSANI DEPOSITIO.

HOc anno Romæ collecta Synodo, deponitur Gregorius Syracusanus, qui inter alia mala Photium merè laicum, Episcopum consecrauit. Deponitur & Photius, restituiturque S. Ignatius Patriarcha. Verùm Photius obstinatus, Catholicos primum persequitur, deinde coacto conciliabulo, summum Pontificem Nicolaum damnat, & anathemate ferit.

Nihil interim Nicolao agere licuit, quemadmodum destinarat, pro conuertendis ad Christum infidelibus, donec huiuscemodi monstra primùm in Ecclesiam irrepentia exturbaret. Singularis tamen prouidentia Dei fuit, ne rebus Christianorum perturbatis, aliquid interea molirentur Pagani, non nisi ingenti damno sarciendum. Nam interim, & corrigenda erat Synodus Metensis, quæ pridem nulla causa iusta, Thietbergam legitimam coniugem à Lothario Rege seiunxerat, eidemque Vualdradam submiserat; & animaduertendum in eos Episcopos, quorum authoritate id factum erat. Consulendum præterea Galliarum regno, ex incostantia Caroli Regis in pace seruanda vacillanti: denique castiganda duorum præsertim Episcoporum, Guntharij Coloniæ, & Theutgaudi Treuirensis insolentia; quos quia Nicolaus Papa, ob iniquam aduersus Thietbergam Reginam sententiam dignitate priuarat, eò furor præcipitarat, vt & Ludouicum Imperatorem multis mendacijs confictis, Nicolao insensum redderent, & ipsi temeritate prorsus sathanica Photio schismatico, cæterisque eiusdem sectarijs se adiungerent. Quæ sane curæ Nicolaum distrahentes, & Principes Christianos suspensos habentes, gliscente etiam Michaelis Imperatoris aduersus eundem indignatione, mirum non est, si locum propugnandæ inter gentes fidei non reliquerint. D E

Sed nimirum turbatis vbique, maximè tamen in Oriente, rebus, cùm hìc Conciliabula, in Occidente Concilia cogerentur; Nicolai virtus enituit, vt

tot

A tot tantisque fluctibus penè obrutus, clauum tamen Ecclesiæ summa prudentia, & immota animi tranquillitate, & mente intrepida moderaretur: tametsi vtrobique ipsos suos Legatos è latere passus fuerit proditores, præuaricatores, & desertores. Itaque & Metensem Synodum, de qua superiori anno indicta meminimus, aboleuit; & Episcopos iniquæ sententiæ authores damnauit; & denique Legatos suos auro corruptos, digna seueritate perstrinxit.

IESV CHRISTI ANNVS	NICOLAI PAP. ANNVS	LVDOVICI II. IMP. 9. MICHAELIS III. 23.
864.	7.	

B Indict. 12.

NIcolaus causam Lotharij Regis de dimissa vxore legitima, & pellice in coniugem accepta, definiturus, Synodum Romæ parat; sed frustra: nam Episcopos Galliarum Regni Caroli, atque Lotharij inuitans, Regibus ipsis multas tergiuersationes, & excusationes interponentibus, quòd Episcopi abesse non possent, res protracta est, indignè ferente Romano Pontifice.

C

IESV CHRISTI ANNVS	NICOLAI PAP. ANNVS	LVDOVICI II. IMP. 10. MICHAELIS III. 24.
865.	8.	

Indict. 13.

NIcolaus Arsenium Hortensem Episcopum, & Apostolicæ Sedis Apocrisarium, Legatum mittit in Franciam ad Ludouicum Regem, & Carolum fratrem eius, necnon Lotharium nepotem eorum ad pacem, & concordiam inter eos renouandam. Præclarè, & magnificè omnia gessit; tum D quoque Thietbergam Reginam Lothario restituit, & Vvaldradam pellicem in Italiam duci præcepit, pro se rationem coram Pontifice reddituram. Vt verò Lotharius Reginam receptam legitimè sibi coniunctam, deinceps decenter tractaret, duodecim ex Optimatibus eiusdem Regis, iuramento firmare coëgit.

Hoc etiam anno Michael Imperator Constantinopolitanus, Michaelem Protospatharium Romam misit Legatum ad Nicolaum Pontificem. Digna fuit legatio moribus eius corruptissimis, dignæque literæ, quæ à Photio lutulento Patriarcha compositæ fuerint, & Romæ Synodalis sententiæ publico decreto igni traditæ. Respondit Nicolaus literis Pontificem decentibus, pluri- E bus eum instruens, leuitatem, & inscitiam redarguens, superbiam, & fastum fungo æquiparans, ignauiam sugillans; velut, qui Romanæ Vrbi excidium minaretur, interea paganos in ipsis Constantinopolis suburbijs grassantes, & innumeros mortalium cædentes, compescere non valeret. Plura verò blasphemijs, & iurgijs plena contra Deum, & Ecclesiam, leui duntaxat manu tetigit Nicolaus, ne quod ex insania quadam corruptæ mentis prolatum esset, non contemnere videretur.

Hoc etiam anno, magnus ille Danorum, & Sueonum Apostolus S. Ansgarius, ex hac vita feliciter ad Cælum migrat, die tertia Februarij, feria sexta. S. ANSGARII OBITVS.
De eius Apostolicis virtutibus multa Adamus Bremensis, & qui eidem successit, Lib. 1. Hist. c. 31.

cessit, eiusque vitam descripsit Rembertus Diaconus, necnon in Historia Archiepiscoporum Bremensium Eupoldus Lindenbruchius. Illud inter alia de eo refert Adamus, Episcopos tam voce, quàm literis crebro monuisse, vt vigilarent supra Dominicum gregem, hos arguendo, illos obsecrando: idem verò Regibus Romanorum pro sua legatione, Regibus verò Danorum pro Christiana fide crebrò mandasse. Extant eius epistolæ plures de hoc argumento; vnam ad omnes Episcopos scriptam hoc fine claudit: *Deprecor vt apud Deum intercedatis, quatenus hæc legatio crescere, & fructificare mereatur in Domino. Iam enim, Deo propitio, & apud Danos, & apud Sueones fundata est Ecclesia Christi, & Sacerdotes absque prohibitione proprio funguntur officio. Omnipotens Deus faciat vos omnes huius operis pia beneuolentia participes, & in cælesti gloria Christi coheredes.* Hæc Ansgarius. A B

In Ansgario.

Atque vtinam, vt ipse Christi legatione apud Danos, & Sueones perfunctus est, ita Principum Christianorum zelo alij apud alios intendissent; feliciùs cum Republica actum fuisset. Sed enim non fuere tam felicia Nicolai sanctissimi Pontificis tempora, quibus virtuti, & religioni eius, Principum studia respondissent, vt turpe fuerit in ipsis regnis discordiam, in Ecclesia schismata vigere, hæreses insurgere, ante fores Paganismum, & Gentiles prope excubare. Ad quos dum non mittuntur, qui ad Christi fidem rudes morum erudiant, in ipsis Ecclesiarum aulis irrepsere, qui scissiones, & scandala excitarent; neque solùm, sed qui aliquando regno Christi, vel saltem Principibus Christianis sacramentum dixissent, paulatim negligentia horum excusso iugo, vel ad pristinam infidelitatem reciderent, vel in suos conuersi Principes, Dei iusto iudicio eos humiliarent, regnis, & prouincijs fœdam vastitatem inferrent. C

HVNGARI REBELLANT.

In Chronicis ad hunc annum.

Enimuerò hoc eodem anno, cùm non esset qui Hungaros in officio, religione contineret, hactenus enim à morte Lotharij, beneuolentia duntaxat Ludouici vtcunque morabatur, meditatum diu bellum signis explicuerunt; & ne species deesset, Christianitatis nomen, vt loquuntur Hermannus, & Vrspergensis, aggressi sunt; omnem nimirum, si possent, Christianam cum religione potentiam extincturi, & maiorum suorum, Attilæ præsertim, consilia reuocaturi. Ad hæc non minimam præbuerat occasionem ipse Ludouicus, quòd ad Caroli fratris sui Regnum sibi occupandum, cum exercitu ingressus in Gallias, Germaniam copijs priuauit; vt non facile esset, qui Hungaris, si libuisset, aciem educentibus, resistere posset. Quanquam deinde fortuna mutata, in Germaniam reuersus, tantùm non serò sapuit. D

E

Indict. 14.	IESV CHRISTI ANNVS 866.	NICOLAI PAP. ANNVS 9.	LVDOVICI IMP. II. MICHAELIS III. 26.

BVLGARORVM REX MICHAEL AD ECCLESIAM ROMANAM ACCEDIT.

Dum Hungari bellum moliuntur, nomen Christianitatis, vt dicebamus, aggressi: dum etiam Michael Imperator superbo schismate in Romanam Ecclesiam armatur; ipsa nouo populo, & nouo Rege, altero scilicet Michaele Bulgarorum augetur. Hic enimuerò, dato nomine Christo, gremium

matris

A matris Ecclesiæ requirens, honorificentissimam legationem hoc ipso anno mittit ad Nicolaum Pontificem. Ita Principibus dormientibus, vel propter summi Pastoris zelum, & vigilantiam, non semel Deus salutem populorum operatus est, nouaque gentium accessione suam fortunauit Ecclesiam. Id sane meritis Nicolai Pontificis in orbe exuberantibus tribuit Anastasius; vt non solùm Michael ipse Christum agnoscens sacro Baptismate cultum Idolorum expiaret, verùm etiam ad Christi Vicarium Legatos mittens, nec paucis eum donis honorans, piè exquireret, quid sibi vlterius pro salute faciendum esset, quidue erga reliquum populum Bulgaricùm adhuc Baptismi expertem B agendum foret.

Qua voluptate animi Sanctus Pontifex vnà cum Ecclesia Romana præ lætitia pene in se conuulsa, hanc legationem exceperit, dici non potest; in ingentes illico Deo omnipotenti gratiarum actiones votis omnibus cum clero, & populo effusus. Contigere hæc mense Augusto. Legatis porrò honorifice habitis, & aliqu andiu retentis, interim Nicolaus, Paulum Populoniensem, & Formosum Portuensem, magnæ sanctitatis Episcopos, constituit, quos ad prædicandum illis Euangelium dirigeret. Nam etsi ex dictis supra ad annum quadragesimumquintum, constat nonnullos ex ipsis iam antea gentilitate abdica-C ta, ad Christum respexisse; oportuit nihilominus mittere, qui radice religionis altiùs in horum animis firmata, reliquos etiam doctrina, & exemplis legis Christianæ paulatim emollitos ad veram Fidem traducerent; ne rursum ciuili, & domestico bello inuicem lacessiti, quemadmoum Hungaris accidisse ostendimus; noxiæ libertatis ductu in pristinos mores deflecterent. *Anno 845.*

Nam quòd nuper Rex Bogaris, susceptis Constantinopoli Christianis sacris, in regnum reuersus, subditos omnes baptizari præcepisset, adeoque coëgisset: hi demum machinantibus quibusdam Græcis, & Armenis subdolis, iniuriam animis voluentes, in Regem, & Christianos omnes immani ferocitate D insurrexerunt, Regem in primis è medio sublaturi, & alium, qui in reliquos instituti veteris Christo eiurato, vindex esset, proclamaturi. Verùm Bogaris ex fide suscepta, Christi potentia fretus, cum suis acie instructus, præeunte Crucis signo occurrit; commissoque prælio insignem adeo victoriam reportauit, vt seruatis duntaxat mediocribus, & infimis, turbaque imbelli, omnes rebellionis duces, & superstitionum capita cum omni genere, suo gladio sint recisa; vt tum quodammodo stabiliri potuisse religio Christi videretur, nisi deinde errores seminassent Schismatici, quibus Romana Ecclesia grauis erat, iterumque ad pristinum gentilitatis ritum prauis suggestionibus aditum pa-E tefecissent: quem nouus hic demum Rex, diuino proculdubio consilio, sua primum, ac deinde populi sui conuersione, obstruere conatus, ne deinceps patere posset, sapientissimis à Nicolao consultis inquisiuit: ea senis ac centum capitibus continentur. Ad quæ singula Nicolaus vna epistola, quæ videbantur respondens, reliqua Legatis commendauit explicanda.

In his non pauca sunt, quæ postea à tempore Diui Stephani primi Regis Hungarorum cum his communia fuerunt. Dignum illud notatu, quod capite trigesimotertio affertur. Sciscitantibus enimuerò Bulgaris, quid signi in posterum prælium inituris præferendum esset, cùm hactenus equinam caudam in vexillo prætulissent; Nicolaus præclaris argumentis suadet, Crucis signum

sequendum esse: quo nimirum & Moyses olim mare diuisisset, & Amalech interfecisset Gedeon, quique Madianitas superasset, quo denique in Cœlo rutilo fulgore spectato, & Angelis dicentibus, *In hoc signo vince*, Constantinus Magnus Maxentium debellasset, & plerique Christiani Reges & Principes certam de Fidei hostibus victoriam, ac triumphum reportassent. Hoc quo ad bellicum signum; nam de cætero Leonem coronatum Bulgaris insigne Regni fuisse tradunt sui Scriptores. Hungaris tamen euentu longe feliciori, & belli & Regni character Crux geminata successit, cùm olim in vexillis Aquilam coronatam, vt Bonfinius, & Michael Ritius, & Nicolaus Olaus, habentem Asturem ex genere accipitrum tam in signis, quàm in scutis ab Attila acceptum retulere: quod quidem insigne ad tempora vsque Geysæ Ducis conseruarunt. A B

Maur. Ab. de Regno Slauorũ. *Deca.1.lib.3.* *De rebus Hũg. lib.1.* *In Attila c.3.*

Planè verò quibus gradibus apud Bulgaros incessit religio Christiana, iisdem pene apud Hungaros perrexit; vt non semel armis impietatis exercita, quòd ab initio non omnes Christo manus dedissent, interdum tantùm non omnino extincta in paucorum animis ægrè spirauit. Semper certè aliquos inter eos fuisse Christianos à Chagano conuerso, ab ipsis, inquam, Caroli Magni temporibus, ne vetustiora repetamus, dubium non est; tametsi qui illis postea religioni præfuerint, vsque ad Stephani Regis ætatem, vix sciamus; siue negligentia Scriptorum, siue quòd Principibus difficile fuerit eam ordinare, nondum emollitis iugo Christi bellicosæ gentis ceruicibus. C

BVLGARI FACILIVS CONVERSI.

In eo tamen feliciores fuere Bulgari, quòd non longo interuallo à prima conuersione spontanea Regum voluntate, & ipsi tandem vno qui dissensissent prælio victi, concesserint; Hungaris, si eos vniuersim consideres, seriùs, & difficiliùs inflexis; quanquam deinde ingenti successu, & sanctitatis gloria claris. Cæterùm, vt primo Chagano Duce Hungarorum conuerso, reliquos quoque eius nominis fuisse reperimus Principes, apud quos religio Christi seruata est ad tempus; ita, & à primo Bulgarorum Rege Christiano, qui ex Bogari Michael dictus est, hunc etiam secundum, an tertium, qui sub Nicolao Pontifice Christiana sacra suscepit, Michaelem religioso velut quodam vocabulo appellatum ex dictis constat; plurésque eadem appellatione censitos, consequentibus etiam seculis legimus; quasi religionis vnà, & Principatus Bulgarorum nomen esset. D

Hoc etiam exemplo, & quod ad annum sequentem de Ruthenis conuersis afferemus, iuuat condiscere diuinæ circa sanctam Ecclesiam argumenta prouidentiæ; vt toties noua nec sperata gentium ad Fidem accessione eam cumulet, quoties seducti aliqui, & rebelles populi ab ea discessionem faciunt. Id si à condita Catholica religione certa experientia docuit, tum verò rerum superiori seculo gestarum euentus comprobarunt; quando Regnorum quorundam in Europa defectionem, ingens in nouo Orbe infidelium conuersio compensauit: Vt si semper creditum sit, Sanguinem Martyrum semen esse Christianorum, prorsus casum quorundam à fide, plurium esse resurrectionem dubitari nequeat; *Non enim permittit Deus aliquem cadere*, inquit Angelicus Doctor, *quin alios erigat*, ita attestante Spiritu sancto: *Conteret multos & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis*. In id præsertim intenta Summorum Ecclesiæ Pastorum cura, si præcipuo muneri suo satisfaciant: quid enim pro salute populorum sibi commissorum, pro quibus & sanguis Christi effusus interpel- E

3. par. q. 53. a. 6. *Iob 34.*

terpel-

A terpellat, non impetrent Vicarij Christi, si fide, cuius magistri sunt, totaque ad Deum fiducia accedant?

Hoc præterea anno, quinta die Maij vita functus est Hardeuicus Archiepiscopus Laureacensis, & Episcopus Patauiensis, per Morauiam, Pannoniamque Sedis Apostolicæ Legatus, de quo supra diximus, postquam annis vigintisex egregia cum laude præfuisset: Lazius octingentesimo quinquagesimonono defunctum putat. Sed præstat sequi alios, quibuscum manuscriptum vetus nostrum consentit. Successit Hermenricus, Lazio Erinricus, ex Ostrogothis & Alemannis, qui aliquandiu in Pannoniarum Prouincia Dalmatis, & Gothis B vicini habitarunt, oriundus. Sed sine cura pallij sedisse eum notat Bruschius; immo veterem Laureaci Sedem neglexisse, & iura omnia cum priuilegijs Pataujum transtulisse, tradit Lazius. *Ad an. 840.* *Lib. 12. de Rep. cap. 5.* *In Pat. num. 23.*

Hoc etiam anno Theodora Imperatrix, mater Michaelis Imperatoris, sanctissima fœmina pie in Domino obdormiuit, post mortem inter Sanctos relata. In Græco Menologio Basilij Imperatoris, vndecima Februarij, eius dies natalis digno ob restitutam fidem orthodoxam celebratur elogio. OBITVS THEODORÆ IMPERATRICIS.

IESV CHRISTI ANNVS 867.	NICOLAI PAP. ANNVS 9.	LVDOVICI II. IMP. 12. MICHAELIS III. 26. BASILII MACED. 1.	*Indict. 15.*

C

PEr idem tempus, inquit Rhegino, *ad hunc annum*, *gens Saracenorum in Beneuentum ex Africa veniens, vniuersam pene regionem illam inuaserunt, cædibus, rapinis, & incendijs omnia depopulantes. Contra quos Ludouicus Imperator exercitum contrahit, & veritus ne forte aduersus innumerabilem hominum multitudinem vires Regni non sufficerent, ad fratrem* (Lotharium) *in Galliam Legatos* D *mittit, omnino exposcens, vt ad præfata nequissimæ gentis vires extenuandas, audaciamque refrenandam, sibi cum Dei auxilio, virtuteque Francorum opitularetur. Qui nihil cunctatus exercitum cum ingenti industria vndecunque contrahit, fratrique quanta potuit celeritate in adiutorium venit; vbi plurima bella gesta sunt non solùm fortiter, sed etiam feliciter, Deo opem ferente.* Hæc Rhegino. Verùm aduentus Lotharij ad Ludouicum contigit hoc anno, cùm Ludouicus anno superiori iam in procinctu esset. Quæ autem in ea expeditione per aliquot annos gesserit idem Ludouicus, capta tandem ciuitate Bari, & Seoda Principe Saracenorum, omnibusque Barbaris ad vnum ferro trucidatis, Leo Ostiensis sigillatim, & diligenter prosequitur. E SARACENI CIRCA BENEVENTVM GRASSANTVR. LVDOVICI CONTRA SARACENOS GESTA.

Cæterùm Lothario non æquè prosperè successit ea expeditio, ita de eius obstinatione ob repudiatam Reginam vxorem, & ascitam in thorum pellicem, pœnam exigente diuina iustitia. *Inter hæc*, inquit Rhegino, *exercitus Lotharij graui peste fatigatur, ex insueto quippe calore, & intemperie aëris dissolutus dysenteria, & lienteriæ morbo corripitur: ex qua plaga innumerabilis multitudo extincta est: plurimi etiam aranearum morsibus perierunt; vt iam tunc daretur intelligi, quòd propter duritiam, & cor impœnitens, Deus non solùm Lothario, verùm etiam omni regno eius aduersaretur. Reuertitur ergo in Franciam non sine graui dispendio suorum, vt dictum est.*

Hoc anno perueniſſe Legatos Nicolai ad Regem Bulgarorum, maximaque gentis deuotione ſuſceptos tradit Anaſtaſius, *& continuò cœpiſſe ſalutaribus populum edocere monitis, & à minimo vſque ad maximum ſacro fonte, Dei gratia abluere, omnemque ritum Chriſtianæ fidei (ſicut à ſanctiſſimo Papa inſtructi fuerant) & conſuetudinem Bulgaris tradidiſſe. Rex porro tanto cœpit ardore fidei Chriſti flagrare, vt omnes à ſuo Regno pellens alienigenas, Græcos nimirum, & Armenos, alioſque id genus ſeductores, qui alia quàm Eccleſia Romana doceret, ſuggererent, ſolis duntaxat prædicatoribus ab Apoſtolica Sede miſsis, populum auſcultare, & obedire vellet.* Quod vtinam & reliqui non ſolùm Bulgariæ, ſed Orbis Chriſtiani Principes, poſt acceptam ſemel ab Eccleſia Romana ſanam doctrinam, præſtitiſſent; nec furibus aliunde quàm per oſtium irrepentibus, aures præbuiſſent, hodieque Græcorum Imperium ſtaret, Romanorum verò, ſua culpa, tot hæreſum malis labefactatum, ad ruinam haud tenderet. A B

Idem verò Rex Bulgarorum, noua ad Nicolaum miſſa legatione, Formoſum, à quo Chriſtiana ſacra cum ſua gente ſuſceperat, ſuo Regno poſtulauit Archiepiſcopum, plúreſque pro inſtruendo deinceps immenſo populo, mitti Doctores Apoſtolicos, enixè petijt. Quod intelligens Nicolaus, ingenti lætitia cum tota Eccleſia Romana perfuſus, gratias Deo debitas publicè rependit: mox verò plurimis coram ſe accerſitis presbyteris, quos idoneos reperit, Euangelij gratia in Bulgariam direxit, vnàque cum ipſis Dominicum Triuenſem, & Grimoaldum Polymartienſem, Epiſcopos deſtinauit; vt quia Formoſus Eccleſiam ſibi creditam haud commodè poterat dimittere, ex his presbyteris, ad Archiepiſcopatus dignitatem, qui dignus inueniretur, in nomine Domini tandem eligeretur, & Sedi Apoſtolicæ conſecrandus mitteretur. C

QVI EPISCOPI AD BVLGAROS MISSI.

Ad huius gentis conuerſionem *Ludouicus Chriſtianiſsimus Rex, qui Germanis imperabat*, inquit Rhegino, *non mediocre præbuit ſupplementum*. Idem verò Ludouicus & Hungaris moderabatur, vt mirum videri queat, pium Regem, alienæ gentis ſaluti magis quàm propriæ ſtuduiſſe; niſi hinc conijcias non defuiſſe etiam tum in Hungaria, qui religioni ordinandæ præeſſent; tametſi fuerint plures alij, qui Sathanæ regno addicti, ad rebellandum Chriſto, & Regi doloſe ſuaderent: Quorum machinationibus eò tandem eruperunt, vt Reipublicæ Chriſtianæ ingentem laborem faceſſerent, ſibi verò plurimum officerent. Et alioqui non latebat Hungaros, quàm proſpero inceſſu nuper nata Religio apud Bulgaros gradiri cœpiſſet: quippe qui toties vltro citroque commeantes Apoſtolicæ Sedis Legatos, per ſuos fines Ludouici Regis mandato ſæpiùs excepiſſent, & cum honore deduxiſſent, late iam vulgante fama, quam ob cauſam illi mitterentur; vt non immeritò Hungarorum animos, & religio ſubire, & ſtimulus quidam agitare potuerit, ne quid præter ſanctitatem, & virtutis decus committerent. Sed enim, quemadmodum habuere Bulgari, qui illos à religione dehortarentur, & ab ea iam ſuſcepta retraherent; ita & Hungari prorſus id farinæ Dæmonum miniſtros, qui conſtantiam eorum labefactarent: vt hinc, quod aliàs monuimus, condiſcat Lector, parem ferè Hungaris fuiſſe cum Bulgarorum religione ac fortuna progreſſum. D E

NICOLAI LEGATI INDIGNE A MICHAELE IMPERATORI TRACTATI.

Enimuerò cùm Michaelis Conſtantinopolitani Imperatoris inſania nutarent res Græcorum, eaque de cauſa Nicolaus ad ipſum etiam Legatos deſtinaſſet, reuo-

A reuocatum, si fieri posset, ad saniorem mentem, eosque cum Legatis in Bulgariam missis proficisci vellet: ij quidem à Bulgaris honorificè excepti, & deducti extra fines, vix pedem Constantinopolim perrecturi extulerunt, cùm illis finium custos Theodorus aduersum factus, quamprimum retro facessere iracundè, verbisque probrosis minatus est: neque solùm, *sed cunctantes percussis equorum capitibus, nulla reuerentiæ habita ratione, retraxit, ni citissimè parerent, indignissimè tractandos*. Hæc quidem Theodorus. Cæterùm Imperator ipse Legatis Bulgarorum apud se manentibus, ita fertur dixisse: *Nisi per Bulgariam Missi Sedis Apostolicæ venissent, nec faciem meam, nec Romam diebus vitæ suæ viderent*. B *At Legati*, subdit Anastasius, *per quadraginta dies illic residentes, vt cognouere quia hoc Imperator Græcorum fieri iusserat, terga vertere, & Romam hæc eadem nunciantes coacti reuersi sunt*.

Pluribus hæc prosequitur Nicolaus Papa in epistola ad Francos Episcopos, præcipuè verò ad Hincmarum cæteris doctrina præstantem. In qua inter alia, quæ odio, & inuidia Græcus Imperator cum suis contra Nicolaum, & Ecclesiam Romanam obijciebat, hoc erat: *Quia*, vt inquit Nicolaus, *Regem Bulgarorum Michaelem nomine cum gente sua, Christi fide suscepta, à Sede B. Petri institutores, & doctrinam expetijsse audierunt; Volentes quippe, & nimium anhe-* C *lantes eosdem Bulgaros à beati Petri subiectione subducere, suoque Imperio sub prætextu Christianæ religionis callidè subiugare, talia de Sancta Romana Ecclesia non habente maculam neque rugam, aut aliquid huiusmodi, prædicant, quatenus illi vtpote adhuc in fide rudes, hæc audientes, nos quasi noxios, & diuersarum hæresum squalore respersos vitent, deiectent, atque penitus deserant*. CVR NON ADMISSI LEGATI NICOLAI.

Et post nonnulla: *Ordinatis igitur tam quæ Bulgarorum gentis congruere fidei rudimentis cognouimus, quàm quæ Constantinopolim mittere disposueramus, Missos quoque nostros, cum Legatis iam nominati Regis, per ipsius transituros regionem direximus. Quos Imperatores Græcorum* (Michael puta, & Bardas) *non solùm re-* D *cipere minimè consensere; verùm etiam vehementer auersati Bulgaros, animos commouere, eo quòd per suam eos terram transire permiserint; nihil aliud proculdubio innuentes, nisi quòd eos, si per subiectas sibi regiones transissent, illis periculis traderent, quibus prædictæ Vrbis hæretica Principes, sæpe Sedis Apostolicæ Legatos pro causa fidei, vel correctionis ecclesiasticæ destinatos tradidisse leguntur*. Hæc Nicolaus, qui prætereà addit eosdem Imperatores scripsisse epistolam Regi Bulgarorum, *non nisi in lacu blasphemiæ tincto calamo, & luto erroris pro atramento vsos*; quam ipse Rex per Legatos Apostolicæ Sedis illinc redeuntes, Romam transmisit.

Interea verò miserabiliter occiso Barda, quemadmodum prædictum fuit, PHOTIVS POLITICVS PERVERSVS. E prima die mensis Aprilis, feria tertia, Photius auctor schismatis, & malorum omnium causa, contra ac viuentem, cui Patriarchatum debebat, honorare adulando solitus est, in mortuum probra omnia conijciebat. Ita politicus sophista Photius pro re, & tempore, suo genio velitabatur, pro Principum voluntate se vertens: nec multo post Imperatori Synodum cogere, & Nicolaum Pontificem Romanum, vices redditurus, condemnare persuadet; collectis vndique suis Episcopis, & quibusdam sordidis homuncionibus tali Synodo, & Patriarcha non indignis: neque solùm, sed Principes Ecclesiæ Romanæ, præsertim Occidentales, atque inter hos præcipuè Ludouicum, & coniugem eius Engilbernam, magnis muneribus tentat, si fortè in partem pelliciat, pollici-

tus eos in vrbe Constantinopolitana se Imperatores dicturum, si causæ suæ patrocinati, Nicolaum ex Ecclesia vi depellerent. A

POLITICORVM INGENIA

Hinc intelligas Lector, nunquam defuisse tempora, nostris similia, in quibus specie religionis, & iustitiæ, vt sibi videtur, tuendæ gratia, Principes Christiani à Politicis committuntur, & miserè inter se collisi religionem lacerant, seipsos cum republica Christiana pessundant. Certè, quod subinde submissi quidam Politici in partes Hæreticorum, simplices Catholicorum animos sollicitant, magnoque scandalo multos alioqui ad suscipiendum pronos, à Catholicis sacris auertunt, id olim fecere Græci schismatici Bulgaris, vt tentatis Principum Catholicorum, Ludouici præsertim Regis, animis, iustitiam prætexentes, religionem exarmarent, ac tum sanctitatem se ordinaturos pollicentes, cùm laxata hæresibus habena res in primis pollicitas stabilire satius arbitrantur. Hæc Principum dolo, an inuidia, religioni propagandæ, vbique, vel apud Antipodas intercedunt, ne Christi Ecclesia, magis quam terreni spatia regni proferatur. Nec desunt, qui sectæ suæ contra Romanam Ecclesiam patrocinati, Schismaticum Patriarcham in rem vltro vocant, præclarum scilicet Synagogæ caput habituri, contra ac quondam Photius ad se accersebat; & quem iste honorem Regibus pollicebatur, isti Capiti Schismatico deferunt, hoc se aduersus Vicarium Christi Romanum Pontificem insolenter efferre gestientes. Sed illa demum est impudens arrogantia, velle Ludouicum Imperatorem dicere, si Romanum Pontificem, à quo & Imperium & nomen Augusti acceperat, deposuisset; ecquis huiuscemodi Arbitrum Orbis non irrideat? B C

Illud tamen laude dignum tempore huius Michaelis accidisse memorat Curopalates, quòd Rhos gens Scythica (*Rhosicos* vocat Zonaras in Basilio Macedone, Cedrenus *Russos*, Nicephorus *Ruthenos*) ad fidem Christi respicere cœpit. *Loca*, inquit, *intra Euxinum Pontum, omnemque ipsius maritimam regionem exerciens Rhos prædabatur ac percurrebat. Sunt autem Rhos gens Scythica ad Arctoum Taurum habitans, effera & agrestis; ipsique Constantinopoli graue intentauit periculum: sed tamen haud ita multo post diuinam experti iram domū rediere. Quorū legatio Constantinopolim cùm venisset, petijt & supplicauit vt sacrum sibi baptisma impertiretur: quod impetratum est.* Hæc Curopalates. Qui quod ait, non multo post diuinam iram expertos baptismum expetiuisse, ad tempora Basilij Macedonis respexit; cuius anno Imperij vigesimo, quemadmodum infra dicemus, primùm religioni consentientes, sacro fonte abluti sunt. Vnde quod Photius Patriarcha Schismaticus in epistola circulari ad Patriarchales Orientis Sedes data, cuius meminit Baronius ad annum octingentesimum sexagesimum tertium, gloriatur de Bulgaris nuper conuersis, atque etiam de Ruthenis ad Christum adductis, quod ad hos attinet, similis mendacij est, atque illud de Armenis, eodem modo Ecclesiæ acquisitis: quod tamen longè post contigit. Cæterùm, sicut verum est Ruthenos ad Orthodoxam fidem sub Basilio Macedone reuersos, circa annum Christi octingentesimum septuagesimum, ita à vero alienum id contigisse salutis anno supra nongentesimum octuagesimo vel nonagesimo, quemadmodum tradunt, qui eorum conuersionem ad tempora Basilij Iunioris cum Constantino imperantis conijciunt. Dixi, ad Ecclesiam reuersos, nam à primis Ecclesiæ incunabulis ipsos fidem D E

rece-

A recepisse, à qua deinde, vt in pluribus factum, defecisse, infra ostendemus.

Sed tandem hoc anno Michael Imperator vitæ & scelerum finem fecit, cùm non multò ante, Basilium Imperatorem designasset; cuius tamen sana suadentis obiurgationes ferre non valens, Basilicinum quendam remigem leuissimus homo purpura, ac diademate pro Basilio ornat; & mox eidem, si quo modo è medio tollere possit, insidias struit. Eius rei non ignarus Basilius, facinus præuertit, submissisque percussoribus, vino à cœna obrutum ac temulentum miserabiliter mactat, resecta scilicet vtraque manu, & ense in pectus abdito, vt ventre etiam traiecto, intestina effluerent. Contigit hæc cædes in Regia ad B Diui Mamantis, vnde Nicetas à beato Martyre Mamante interfectum tradit. Ita vltione diuina luit, qui toties monitus, pietate contempta, non resipuit. Imperauit cum matre annos quindecim, menses octo, solus nouem, decimo inchoato. *Erat initium Indictionis primæ, dies vigesimaquarta mensis Septembris,* (feria quarta) *cùm Basilius ad palatium euectus*, inquit Nicetas, *Imperator proclamatur*.

MICHAELIS IMPERATORIS CÆDES.

Zonaras in Michaele.

In Ignatio.

Is quamprimum misit Chalcedonem reuocatum ab itinere, quos Photius Romam destinarat ad Nicolaum Pontificem dementer anathemate feriendum: postera verò die à nece Michaelis, Photium à Nicolao Tertio iam damnatum C è Patriarchali sede deiecit. Mox Imperatoria naui pro Ignatio exulante missa, eum ad vrbem regiam reducit, ac multis laudibus ornatum Ecclesiæ suæ, vniuersa ciuitate exultante, restituit, die Dominico vigesimatertia Nouembris, quo tempore primum nouem ab hinc annis pulsus fuit. Denique de his omnibus literas humanitatis, reuerentiæ & obsequij plenas in omnibus deferens, ad Nicolaum dedit, die mensis Decembris vndecima, quæ tamen, illo dies ante circiter viginti defuncto, successori Hadriano redditæ sunt. Hoc quippe eodem anno Nicolaus Pontifex sanctissimus, postquam Ecclesiam constanter & victoriosè rexisset annos nouem, menses sex, dies viginti, plenus meritis migrauit ad Dominum, decimatertia Nouembris, feria quina, collacrymante eius obitum tota Ecclesia, & ipsis elementis, aëre præsertim sereni-D tatem diu negante, luctum præferentibus. De eius laudibus dignum Rheginonis est hoc elogium: *Post beatum Gregorium vsque in præsens, nullus Præsul in Romana Vrbe Pontificali honore sublimatus, Nicolao videtur æquiparandus. Regibus, & Tyrannis imperauit, eisque ac si Dominus Orbis terrarum præfuit: Episcopis, & Sacerdotibus, Religiosis ac Domini mandata obseruantibus, humilis, blandus, pius, mansuetus apparuit: Irreligiosis à recto tramite exorbitantibus terribilis, atque austeritate plenus extitit; vt meritò credatur alter Elias Deo suscitante E nostris temporibus surrexisse, etsi non corpore tamen spiritu, & virtute.* Hæc Rhegino. Eundem & Ioannes Diaconus huius temporis Scriptor, in Cœlum receptum in gloria Sanctorum, vnà cum sancto Gregorio peruisum apparuisse scribit. Sed & successor eius Hadrianus summis eum semper laudibus prosecutus, in literis præsertim ad Orientales, modò nouum Eliam, modò nouum Phineem appellat, aliisque honorificis nominibus commendat.

SVCCEDIT BASILIVS.

Non multis ante mensibus, ex Oriente accesserant Cyrillus & Methodius Monachi, pertæsi status Ecclesiæ sub Imperatore discolo in peius demutatæ. Ab his eadem fortasse de causa asportatum corpus sancti Clementis Romani Pontificis, & in Chersoneso Martyris, Romamque allatum, tradit inter alios

Leo

Leo in Chron. Cass. Anast. epist. ad Carolum Regẽ: data Kal. Apr. Indict. 8. Baronius in not. ad 23. Nouemb. In vita Episc. Olom. De Regn. Slau.

Leo Ostiensis; quod tamen Anastasius Bibliothecarius Constantino Philosopho, & temporibus Hadriani Papæ iunioris tribuit, cui tanquam testi oculato subscribit Baronius. Nihil hic erroris; Nam eundem Cyrillum Thessalonicæ natum, Constantinum Philosophum antea vocatum, tradunt eiusdem vitæ Scriptores Docleates, Dubrauius, Augustinus Morauus, ex his Maurus Abbas Ragusæus. A

Successit autem Nicolao Hadrianus natione Romanus, decimoquarto Decembris, die Dominica, ex Presbytero tituli sancti Marci, vnanimi omnium consensu assumptus, non vna diuinitus præsensione, multis iampridem antea præuisus. B

Indict. 1.

IESV CHRISTI ANNVS	HADRIANI PAP. II. ANNVS	LVDOVICI II. IMP. 13. BASILII MACED. 2.
868.	1.	

LEGATIO HADRIANI AD BVLGAROS.

Destinatam ad Bulgaros à Nicolao legationem, sed eius morte intercedente, in Vrbis luctu hærentem, Hadrianus quamprimum hoc anno expedit, in omnibus Nicolai vestigijs incessurum se probans; mirifica in Ecclesiæ consessu laudatione sanctitatem eius deprædicat, & data ad Synodum Trecensem epistola, nomen eius in diptychis Ecclesiarum, & inter sacra Missarum solemnia memorandum præcipit. Mox à conuersione gentium auspicatus Apostolicum munus, Cyrillum atque Methodium Monachos Ordinis S. Basilij, mittit ad prædicandum Slauis Euangelium; quorum linguam didicerant. Venerant hi paucis ante mensibus, vt diximus, ex Oriente Romam. Verùm defuncto paulò post Nicolao Pontifice, mansere quousque Hadrianus succederet, à quo honorifice habiti, ad dictum Apostolatum missi sunt. Ex his tamen alter, nempe Cyrillus, apud Morauos officio functus, Methodius verò Pannonicæ quoque, seu Hungaricæ Ecclesiæ curam assumpsit, idque opportunè, ob gliscentes amore libertatis pristinæ factiones. Quo fit, vt minus rectè à quibusdam Methodius Morauorum duntaxat vocetur Apostolus, quando ex registro Ioannis Octaui satis apparet, perinde cum Cyrillo Slauis etiam fuisse præpositum, sed præterea Pannoniæ quoque eidem accessisse Apostolatum. Quanquam hæ omnes Prouinciæ cum Morauiæ nomine censerentur, eodem sensu existimet Æneas Syluius Hungariam Morauiæ Regibus paruisse. Certè Martyrologium Romanum, memoriam faciens Cyrilli, & Methodij, tanquam in Morauia Episcoporum, cùm subdit multas illarum regionum gentes cum earum Regibus ad fidem Christi eos perduxisse, satis indicat, Morauorum siue ditionem, siue appellationem, non adeo angusto spacio fuisse arctatam, quin plures complecteretur Reges, aut saltem Regulos, ad summum aliquem maioris potentiæ respicientes. C D E

Non multo post literas ad Ludouicum Germaniæ Regem dedit, quibus eum ad pacem hortabatur cum Ludouico Imperatore seruandam, ne isto bellum Domini contra Saracenos gerente, interim ille fines absentis ingressus, turbas & seditiones in Imperio cieret. Nouerat nimirum Hadrianus, inueterato, sed malo Principum Christianorum vsurpari exemplo, vt non habita

ratio-

A ratione cognationis, aut fœderis, aut religionis, perſæpe etiam ſanguinis, dum alter contra infideles, alioſque Catholicæ Eccleſiæ hoſtes, belli, & curarum ſatagit; alterum hinc ſibi ceu diuinitus paratam occaſionem ad inuadendam eius ditionem arbitrari: ex ea nempe prudentia politica, qua dominandi libido iura omnia metitur, nullumque fœdus ſanctum ducit. Et fortaſſe inter alios prætextus, quos Ludouicus Rex Germaniæ, occupato cum Saracenis Imperatore, obtendebat, ſpeciem quandam habere videbatur inquies Hungarorum ingenium, quos diuturni ocij, & vt rebantur, ignauiæ pertæſos, inuadendarum ſolicitabat amor prouinciarum, quibus diripiendis maB iores eorum aſſueti erant; quod tamen vt decentius fieret, auſpicia Ludouici Regis tutabantur, ex id genus tempeſtate Regni incrementa ſpectantis.

Hoc eodem anno Baſilius Imperator honorificam ad Hadrianum Pontificem legationem miſit, viciſſimque Hadrianus ad eundem mittendam deſtinauit; ac interim occaſione redeuntis Conſtantinopolim Theognoſti olim Exarchi, qui inde ob pietatem extorris Romæ ſeptennium commoratus eſt, literas dedit ſuauitatis pleniſſimas, quibus Baſilium dilectiſſimum filium, & Chriſtianiſſimum Imperatorem à Deo protectum appellans, eidem ob res pie geſtas benedixit, & cum diuturnitate vitæ & Imperij, prolis optimæ ſucceſſioC nem, inimicorum ſubiectionem, cæteraque omnia proſpera precatus eſt. Extant eæ literæ inter Acta Synodi octauæ intextæ. Ita Photio deiecto, Ignatioque reuocato, reflorere viſa eſt Eccleſia Orientalis. Illud etiam iucundè accidit, quòd Michaelis Imperatoris literas blaſphemiarum in Apoſtolicam Sedem, & Nicolaum Pontificem plenas, Baſilius Romam miſerit, eandemque magna ſua gloria, Sediſque Apoſtolicæ honore, necnon ingenti Nicolai laude, populo acclamante, & Orbe Chriſtiano applaudente, iudicio Synodali, medium Vrbis forum crematas vidit.

BASILII AD HADRIANVM LEGATIO. — *Act. 7.*

Porro Hadrianum conuerſioni gentium ſeriò intentum fuiſſe, vel ex ea D Lotharij Regis epiſtola, quamuis ſimulatæ mentis indice, clarum euadit, in qua inter alia hæc habet. *Et quidem vltra quam fari poſsit congratulamur, quòd Bulgari, & alia Paganorum feritas ad limina Sanctorum Apoſtolorum inuitatur; immo quòd Sancta Eccleſia iuxta vaticinium Prophetæ, dilatat locum tentorij ſui, & longos facit funiculos ſuos, ac pelles tabernaculorum ſuorum extendit: ſed non modicè contriſtamur, quòd tam crebro illuc anhelando, audientia prædeceſſoris veſtri potiri non valeamus.*

HADRIANVS FIDEI PROPAGANDÆ STVDIOSVS. — *Iſaia cap. 54.*

Ita Lotharius, qui ſæpe monitus de abijcienda pellice, & reducenda coniuge legitima, & Sedem Apoſtolicam, & non vnam hac de cauſa Synodum collectam ludificatus eſt; ſæpius ſe Romam venturum profeſſus, terE giuerſando iudicium ſubterfugit.

LOTHARII TERGIVERSATIO.

IESV CHRISTI ANNVS	HADRIANI PAP. ANNVS	LVDOVICI II. IMP. 14. BASILII MACED. 3.	
869.	2.		*Indict. 2.*

TAndem Lotharius ab Hadriano admiſſus; & honorificè exceptus, poſt aliquot dies iudicio experiri non renuit. Interrogatus verò cùm omnia

LOTHARIVS ROMAM VENIT.

nia velatis verbis sana affirmaret, post solemnia Missarum ad periculum Corporis, & Sanguinis accersitur. Hic accepto in manibus Sacramento Hadrianus: *Si*, inquit, *innoxium te cognoscis ab adulterij scelere, fixumque mente propositum tenes non amplius admittendæ pellicis, fidenter accede, & Sacramentum salutis percipe: sin te conscientia accusat, iterumque ad vomitum redire animus est, nequaquam sumere ausis, iudicium tibi & condemnationem paraturus.* Hæc Hadrianus. A

LOTHARIVS TEMERE IVDICIVM S. EVCHARISTIÆ EXPERITVR. Verùm Lotharius incidere in manus Dei viuentis paruipendens, obfirmatè, ceu causæ fidentiam probaturus, accessit, & sumpsit; idemque fecere præmissa attestatione, sequaces, & fautores eius. Sed enim non diu impunè tulerunt, experientia teste, discentes illud Pauli; *Qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit*. Lotharius enim vix Roma egressus morbo corripitur, & Placentiam perueniens diem miserè claudit extremum, octauo Augusti feria secunda, hora diei secunda, cum paulò ante calamitosam suorum, & totius fere nobilitatis Regni peste extinctæ cladem lacrymantibus inspexisset oculis; & paucos haberet, qui exanime corpus *in quodam monasteriolo*, quemadmodum loquitur Aimoinus, *secus ipsam ciuitatem terræ mandarent*. Hæc Baronius in superiorem annum conijcit, corrigitque Rheginonem, qui huic anno subscribit: sed cum Rheginone sensit etiam Aimoinus, quem Baronius de obitu, & sepultura Lotharij dilucidiùs narrantem laudat. Is verò cùm dicat die Dominica, circa horam nonam inopinatò exanimem pene effectum fuisse, & obmutuisse, in crastinum verò hora diei secunda mortuum; idque sexto Idus, hoc est octauo die Augusti, quod ex Rheginone sumit Baronius; clarum euadit in hunc annum sexagesimum nonum supra octingentesimum incidisse, neque enim anno superiori concurrit feria secunda cum octauo Augusti die. B

LOTHARII CLADES.

Lib. 5. cap. 31. C

LOTHARII OBITVS.

Defuncto Lothario, Hadrianus ad Principes in eius Regno constitutos scripsit, vt Regnum Ludouico Imperatori, tanquam fratri legitima successione debitum seruarent, exclusis, qui quouis alio iure minus competente prætenderent. Sed enim Proceres Regni adhortationem Pontificis negligentes, à Ludouico Imperatore defecerunt, & Carolo Caluo Lotharij patruo adhæserunt. D

Interim expediti ab Hadriano ad Basilium Imperatorem Legati Apostolici, de quibus anno superiori dixeramus, Constantinopolim perueniunt. His à Basilio Imperatore perhonorifice susceptis, celebrata est octaua Synodus Generalis, Constantinopolitana quarta, contra Photium pro S. Ignatio Patriarcha: Legati fuere Donatus Episcopus Ostiensis, Marinus Diaconus, & Stephanus Nepesinus. Nondum absoluta Synodo adfuere & Legati Ludouici Imperatoris pro coniugio incundo filiæ suæ cum primogenito Basilij: fuere isti Anastasius Bibliothecarius Apostolicæ Sedis, Suppo Comes, consobrinus Augustæ, & Euerhardus præpositus mensæ Imperatoriæ. Agebantur hæc consensu Sedis Apostolicæ, & meminit huius legationis Aimoinus in gestis Francorum, aitque Basilium ante hæc, in Adriaticum mare classem direxisse, Ludouico Imperatori contra Saracenos in Apulia bellum gerenti, opem laturam. Ea tamen fœdera nuptiarum quo minus effectum sortirentur, Græcorum illiberali actione factum creditur. E

OCTAVA SYNODVS GENERALIS.

Lib. 5. cap. 22.

Eodem

A Eodem planè tempore adfuere & Legati Regis Bulgarorum, qui in Synodum admissi, vnà cum Legatis Ludouici Imperatoris consederunt, vltima die Februarij feria tertia. Disceptatum hic, Romanæ an Constantinopolitanæ Ecclesiæ Bulgari subijciendi essent; quod definitum cupiebant Bulgari: multis vltro citroque propositis, nihil conclusum est. Obtendebant Vicarij Patriarcharum Orientalium, Bulgaros olim Græcis subiectos fuisse, & ab eis Sacerdotes ante Paganismum scilicet accepisse. Contra Legati Sedis Apostolicæ ab ijsdem nuper conuersis, Ecclesiæ Romanæ ius repetebant, non secus ac olim à conuersa Dardania, totaque Thessalia: addebant, Latinos modò etiam B Sacerdotes in Bulgaria versari, adesse & Episcopos, à quibus fidem docti essent; immo & à Romana Ecclesia missum, quem ipsi, concedente Romano Pontifice, in Archiepiscopum eligere possent. Addebant & Bulgari, se regionem suam à Græcorum potestate armis euicisse; vnde sequebatur, quòd etsi Græcos Sacerdotes in ea repererint, amissa tamen dominatu Paganorum Bulgarorum, ordinatione Græcorum, non ampliùs ab his, sed à quibus modò Fidem recepissent, eam expectandam. Accedebat, Michaelem Principem, initio conuersionis, Beato Petro Apostolorum Principi cum totius Regni populo se tradidisse; neque solùm, sed pietatem Regis in tantum erga Principem C Apostolorum creuisse, vt manu capillos suos apprehendens coram Apostolicæ Sedis Legatis protestaretur his verbis: *Omnes Primates, & cuncti populi Bulgarorum cognoscant ab hodierno die me seruum fore, post Deum, beati Petri, & eius Vicarij.*

LEGATI REGIS BVLGARORVM IN SYNODVM ADMISSI.

BVLGARI GRÆCIS AN LATINIS SVBDITI.

BVLGARIA INITIO B. PETRO SVBDITA

Hæc & multa id genus proposita fuere, nec vno modo tentatum, vt Romanæ Ecclesiæ ius decederet: sed cùm Pontifici; Legati intentionem in antiquis iuribus fundatam prætenderent, neque circa præsentem quæstionem definiendam aliquid ab Apostolica Sede in mandatis se habere affirmarent, res infecta permansit.

Reuersis porrò ex Bulgaria Legatis Apostolicis, vnà cum eisdem venit Petrus à Rege missus, petens ab Hadriano, vt vel Marinum Diaconum, qui D Constantinopoli pro Sede Apostolica egerat, Archiepiscopum consecratum ad Bulgaros mitteret; aut aliquem ex Cardinalibus presbyteris, ad id muneris idoneum, & à Bulgaris eligendum dirigeret. Pontifex tamen Siluestrum Subdiaconum eligendum cum Leopardo Anconitano, & Dominico Triuentense misit, addens in literis, se petitioni regiæ, quemuis alium petendo concessurum, Marino duntaxat, atque Formoso exceptis, quorum præsentia, ob res in Constantinopolitana Synodo gestas, Romæ opus erat.

BVLGARI AB HADRIANO ARCHIEPISCOPVM PETVNT.

E

IESV CHRISTI ANNVS	HADRIANI PAP. II. ANNVS	LVDOVICI II. IMP. 15. BASILII MACED. 4.	Indict. 3.
870.	3.		

LVdouicus Germaniæ Rex, minis Carolo intentis quòd Regnum Lotharij inuasisset, ab eodem in Regni consortium adsciscitur. Tunc etiam vbique iam notus licet, altius sese extulit Hincmarus Rhemensis, ne quid minus Occidens Oriente haberet: qui, vt nuper aduersus Nicolaum Pontificem

HINCMARVS RHEMENSIS NOTATVR.

ficem Schismaticus Patriarcha Photius, ita Franciæ Primas ad Hadrianum literas dedit, prudentiam carnis sapientes; hoc etiam versutior, quòd suo ingenio vsus, ex aliorum mente se scribere simularit. Cupiebat Hadrianus abstentum Carolum Caluum Regem, quòd Ludouici iunioris regnum hereditarium iniustè possideret, neque vllis precibus, aut monitionibus flexus concederet. Ea de causa, nisi Carolus resipisceret, vt Hincmarus mandatum Apostolicum rite exequeretur præceperat. Verùm is prætextu interposito declinauit, deditque epistolam ad Hadrianum, quæ, sicut & altera, quam Carolus Rex ipso dictante scripsit, sententijs scatet ad saliuam politicorum factis, fucata sacræ Scripturæ interpretatione, quas isti vt dulcissimas lambunt, & aduersus Ecclesiasticas sanctiones, Pontificiamque authoritatem plerunque promunt. Magni vtique nomine viri, & si variam scientiam spectes, apprime exculti, sed eneruis argumenti, quem venalis prudentia carnis in foro suo versari non permittit. Refert ad hunc annum Baronius fragmenta epistolæ ad Hadrianum missæ, eaque perstringit: integram cum reliquis eiusdem opusculis edidit non ita pridem Ioannes Cordesius Lemouicensis presbyter. Toto autem fere decimo Annalium Tomo, si alibi, quæ sparsim de eo memorat Baronius, ostendunt ingenij characterem, toties à doctis viris notatum, quoties à suis sequacibus in rem suam instar oraculi producitur. Id hoc loco insinuare visum fuit, ni quæ sæpius tractanda pro iuribus sacris occurrunt, obiectu huius periclitari fortasse queant. A B C

IGNATIVS NOTATVR DE IVRE VSVRPATO.

Hoc anno Ignatius Patriarcha auxilio Basilij Imperatoris, notatur vnà cum Legatis Bulgarorum misisse in eam prouinciam, tanquam ad Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diœcesim pertinentem, creatum à se Episcopum, vnà cum alijs Clericis. Mirum id videri possit, cùm iam à Romano Pontifice accepissent, ex quibus eligere Bulgari ipsi poterant ab eodem consecrandum; & satis constat, in contentione illa, de qua superiori anno egimus, à Legatis Apostolicæ Sedis vetitum Ignatio recèns Sedi restituto, ne quid in hac re iniussu Romani Pontificis attentaret, idque eum his verbis recepisse: *Absit à me, vt ego his præsumptionibus contra decorem Sedis Apostolicæ implicer, qui nec iuueniliter ago, vt mihi subrepere valeat, nec ita similiter deliro, vt quod in alijs reprehendere debeo, ipse committam.* Hæc Ignatius. D

Frustra etiam cauerit Anastasius Bibliothecarius, in præfatione ad octauam Synodum, de hac re nihil in ea definitum, ne aliquando Græci contrarium obtendere possent; scilicet re disceptata, Constantinopolitano Patriarchæ ius Bulgaricæ Ecclesiæ ordinandæ cessisse. Omnino enim è voto Græcorum constitutum fuisse quis dixerit, si Ignatius Patriarcha, Romanæ Ecclesiæ per omnia commendatus, ex officio creatum à se Episcopum Bulgaris misit? neque enim aliter præsumendum de tantæ sanctitatis viro: Sed neque rectè à quibusdam dicitur, post peractam octauam Synodum, referentibus gesta Sedis Apostolicæ Legatis, Hadrianum vltro id Ecclesiæ Constantinopolitanæ Patriarchis indulsisse, merito Ignatij ita flagitante; quando id Hadrianus scriptis deinde ad Basilium literis, inter alia satis acriter perstringit, fauore nimirum Imperatoris Ignatium præsumpsisse; vtque imposterum ab eiusmodi dispositione coërceatur monet, alioqui canonicam haud vitaturus vltionem. Bulgaros autem ad Constantinopolitanam aliquando spectasse Sedem, ex ijs E

quæ

A quæ suo loco dicta sunt, colligitur. Errant autem qui ab Ignatio Theophilactum Bulgaris Episcopum datum affirmant: hinc enim, (nisi alius fuerit prior eius nominis, de quo non constat) tribus deinde seculis euolutis claruit Bulgarorum Archiepiscopus sub Comnenorum, & Ducarum familiæ Imperatoribus; cuius etiam extant in sacrum Euangelium lucubrationes, & alia scriptorum monumenta.

Cæterùm, quod de more Diaboli suam quoque ciuitatem construentis est, vt quos Christus per suos ad Ecclesiam sanguine suo redemptam vocat, eos ille per suos item ministros auertere conetur; hoc anno præclaro patuit argumento. B Nam quod superioribus annis Græci quidam schismatici, deinde Armeni de subuertendis recens conuersis Bulgaris tentabant, nunc demum Manichæi maiori labore moliebantur, quippe qui iam Armeniam, & minoris Asiæ partem occuparant, Christianamque religionem penitus labefactarant. Itaque missione in Bulgariam adornata, omnes vires intendebant, vt Regem cum vniuerso Regno ad suam sectam pertraherent, miro ad id efficiendum instructi artificio. *Lib. de Manich. secta.* Scribit hac de re Petrus Siculus, Manichæorum progressum complexus, quo tempore à Basilio Imperatore Legatus ad eosdem in Tribricam regionem missus est, ad permutandos captiuos. Eam verò historiam ad C Archiepiscopum Bulgarorum misit, monens de conatu Manichæorum.

Eandem fuisse Hungarorum sortem varij euentus docuerunt, vt toties amplexi Christum, non pauci ex ijs Principes à primo ferè ex Scythia egressu, & deinde propagante religionem Carolo Magno, toties omnium remiserint; nefariam ad id nauantibus operam Arianis primùm, deinde Græcis schismaticis, postremùm etiam Manichæis, quos plurimum apud eos valuisse, nondum conuersa tota gente, legimus; vt non solùm eiurata orthodoxa religione, ad eos deficerent, verùm etiam imbuti superstitionibus, ad magica sacra animos appellerent, arcanis Dæmonum apprimè dediti.

D Contra tamen euenit, vt dum isti Bulgaros euertere moliuntur, hi fide robustiores effecti, Manichæis illuserint; ex alia verò parte frendentibus istis, plures etiam Iudæi, in quibus non minimum Manichææ sectæ præsidium erat, opera Basilij Imperatoris Christum agnoscerent; neque solùm, sed vt Rhosii quoque, quos alij Rossolanos, Ruthenosque vocant, Euangelio manus darent. *BVLGARI IN FIDE CONSTANTIORES EFFECTI.* *RVTHENORVM CONVERSIO.* Erat hæc gens Scythica ad Arctoum Taurum habitans, quemadmodum supra ex Curopalate retulimus, effera, & agrestis, vrbique Imperatrici graue intentans periculum; loca intra Euxinum Pontum, omnemque maritimam regionem exercitu percurrens, ac deprædans: sed paulò post *Ad an. 866.* E diuinam experta iram, domum redijt, & legatione mox Constantinopolim missa, Christiana sibi sacra impertiri petijt.

Paulò expressius hæc tradit Zonaras in Basilio Macedone: *Hunc nimirum pace cum gente Rhosica facta, effecisse vt illa in cognitionem arcanorum nostrorum perueniret; & cùm se baptizari velle promisissent, Pontificem eis misit. Cæterùm à sua religione ad nostram transituri tergiuersabantur, & dubitabant: Ac nisi miraculum viderimus, inquiunt Pontifici, qualia tu multa à Christo facta esse doces, & in specie* (addit Curopalates) *quale asseris trium puerorum in fornace; nunquam doctrinam tuam amplectemur. Tum is, petite, inquit, quod vultis. At illi dixerunt: Liber, qui de Christo docet, est in ignem conijciendus; qui si inuiolatus manse-*

ſerit, argumento nobis erit, verè Deum eſſe, qui à te prædicatur. Aſſenſo Epiſcopo, rogus eſt incenſus. Pontifex cùm manibus, & oculis in Cælum ſublatis dixiſſet; Glorifica nomen tuum Chriſte Deus; ſacrum Euangelium in rogum imponit, quod diù in flamma relictum illæſum manſit. Eo miraculo Barbari obſtupefacti, prædicationi crediderunt, & vt ſacro baptiſmate initiarentur flagitarunt. Ita Zonaras, & alij Græcorum Scriptores, quos inter paulò fuſius Curopalates. A

Quare quòd Roſſorum conuerſionem alij ad annum ſexageſimum ſeptimum huius octaui ſeculi referant, vel etiam ante; quod in calumnioſa illa ſua in Latinos circulari epiſtola Photius pluribus iactat; non de totius gentis, ſed de partis conuerſione ſub Michaele Imperatore facta intelligendum eſt. B

RVTHENI OLIM CONVERSI. Aliàs tamen diximus, Ruſſos ſeu Ruthenos, à naſcente Eccleſia Chriſtum agnouiſſe. Id tradit inter alios Matthæus Michael rerum Polonicarum Scriptor, vbi de antiquitate religionis Ruſſorum: *Inter Sanctos*, inquit, *Ruſſi colunt plus Thaddæum Apoſtolum, aſſerentes quod eos conuerterit, & Fidem Chriſti docuerit; deinde & Bartholomæum ſanctum Dei Apoſtolum venerantur, per quem multos articulos, vt aſſerunt, de Fide acceperunt.* Hæc ipſe ex traditione populi accepta; quibus magis aſſentitur Baronius in Appendice, de Ruthenis à Sede Apoſtolica receptis, quàm ijs, qui eorum Chriſtianitatem ſerius cœpiſſe tradant, nempe circa annum Domini nongenteſimum octuageſimum, vel nonageſimum. Reperitur quippe in Generali Concilio Antiocheno, ſub Tiberio Pontifice, & Iouiano Imperatore, anno trecenteſimo ſexageſimotertio, adfuiſſe Antipater Epiſcopus Rhoſſos ſeu Rhos, qua nomenclatura Græcis Ruthenos dici alibi oſtendimus, idemque cum reliquis ſynodali epiſtolæ ad Iouianum datæ, apud Socratem ſubſcripſiſſe. C

Ad an.867. Lib.2.cap.1. Tom.7. Lib.3.cap.21.

Cæterùm, ſicut ex culturæ defectu ager ſylueſcit, ita apud Ruthenos, dormientibus dubio procul Paſtoribus, iniuria temporum, religio penitus eſſe deſijt; donec quingentis fere poſt annis, circa hæc tempora repaſtinata eſt, imperante nimirùm in Oriente Baſilio ſeniore, ſeu Macedone, qui poſt Michaelem ſolus rerum potiri cœpit; non verò imperante Baſilio iuniore, qui cum Conſtantino centenis & amplius annis deinde ſucceſſit, quemadmodum alibi ex mente Græcorum Scriptorum, Nicephori, Cedreni, Zonaræ, Curopalatæ deduximus. Niſi fortè & hoc tempore contigerit, aut partem Ruthenorum, quæ hucuſque pagana manſit, conuerſam, aut qui defecerant, reuerſos: quod dicimus propter ea, quæ infra ad annum nongenteſimum quinquageſimum nonum de Elga Regina, eiuſque poſteris narranda erunt. D

Quæ omnia prætermiſſa ab ijs, qui res Ruſſorum ſeu Ruthenorum proſecuti ſunt, meritò miratur Baronius; ſicut & illud nobile monumentum, quòd Ruſſorum Regnum Romanæ Eccleſiæ ſit donatum. Qui Regum hoc tam illuſtri facto ſe nobilitarit, non inuenio: conſtat tamen Regem Demetrium à Gregorio Papa Septimo, dono S. Petri, Regnum obtinuiſſe; qua de re exſtat Epiſtola eiuſdem Pontificis, data decimoquinto Kal. Maij, Indictione decimatertia, anno nimirum milleſimo ſeptuageſimoquinto, Pontificatus ſecundo. Verùm non multò poſt expulſus à fratre Tyranno Demetrius ad Henricum IV. Imperatorem confugit; de qua re Lambertus, & Sigebertus, ille ad milleſimum ſeptuageſimumquintum, hic ad ſeptuageſimumtertium annum. E

Quamuis autem donatum Eccleſiæ Romanæ Regnum, & ab eadem rurſum recep-

A receptum à Tyranno fuerit occupatum, nunquam tamen eiusdem populi ab Ecclesia Romana deferbuit deuotio singularis, quæ & Græcis æmulationem mouit eatenus, vt quemadmodum antea Bulgaros, ita deinde Ruthenos semper ad partes suas auertere sint conati, facti ipsi Schismatici. Et quidem aliquandiu licet obtorto collo in errorem suum ipsos pertraxerint, ipsi tamen nunquam in matrem respicere desierunt, quemadmodum id in totius Christianæ religionis theatro, hoc est in Oecumenico Florentino Concilio Isidorus Archiepiscopus disertè testatus est, dum vnà cum Bessarione Trapezuntio, Nicæno Archiepiscopo, Græcorum omnium cum Latinis concordiæ au-
B thor fuit; eaque de causa cum eodem Bessarione in Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium ordinem meritissimè cooptatus est.

Sed enim relabente iterum miserè Græcorum Ecclesia, in eandem secum ruinam traxit & Ruthenam; neque tamen ita allisit, quin hæc, illa dormiente, post centum quinquaginta annos sui pœnitens erroris resipuerit, habitisque sacris Comitijs anno millesimo quingentesimo nonagesimoquarto,& concepto iterum orthodoxæ religionis voto, anno sequente ad Clementem Octauum legationem miserit, coram quo in sacro Purpuratorum Senatu, solenni ritu, & schisma eiurauit, & edita sanctiori confessione, in Sanctæ Ro-
C manæ Matris Ecclesiæ gremium sese totam deposuit. Verùm de his suo loco.

Porrò hoc eodem anno Photio, Basilij Imperatoris iussu in exilium misso, non longè post Constantinopolitana ciuitas graui terræmotu concussa est. Id Photius (quod solent hæretici) in vindictam exilij sui euenisse interpretatus, ad Gregorium Diaconum & Chartularium mira exaggeratione describit, gratias Deo agens, quòd sibi præesse Constantinopolitanæ ciuitati minimè contigerit, quo tempore clades à seculo omnium maxima eam flagellauit.

D

IESV CHRISTI ANNVS 871.	HADRIANI PAP. II. ANNVS 2.	LVDOVICI II. IMP. 16. BASILII MACED. 5.	Indict. 4.

Diximus anno superiori, Hadriannm scriptis ad Basilium Imperatorem literis, reprehendisse factum Ignatij Bulgaris Antistitem dantis; quam epistolam aliqui hoc anno datam, quarto Idus Nouembris, Indictione quinta notant, fortasse dicturi, quarta; aut certo sequenti anno scripta sit necesse
E est. Ad eundem ipsum etiam Ignatium datas eodem tempore ab Hadriano literas constat, quibus eundem tum ob multa alia, tum ea de causa redarguit, quòd Latinos presbyteros & Episcopos, nulla dignitatis habita ratione, expelli mandasset. Vnde Grimoaldus Episcopus, qui illuc missus ad erudiendam gentem, absque licentia summi Pontificis reuersus, libellum eidem porrexit, causatus à Græcis se expulsum, quòd, vt ipsi mentiebantur, ex lata sententia in Synodo Oecumenica, Bulgariam suã assererent esse diœcesim, atque prouinciam. Cæterùm Grimoaldus, etsi multa in medium attulisset, culpam deriuare non potuit; ea etiam ex parte infamia notatus, vt inquit Anastasius in vita Hadriani, quòd ex Bulgaria ditissimus reuersus est: id quod ho-

dieque multis cum Grimoaldo commune est. A

Hoc eodem anno Ludouicus Imperator in Vigilia Pentecostes Romam ad S. Petrum venit, & postridie ab Hadriano inter Missarum solemnia coronatus est, vnàque cum eodem ad Lateranense Palatium eques & coronam gestans perrexit. Scilicet, cùm antea coronatus iam esset Imperator, hac coronatione legitimus Lotharij defuncti in Regno Galliæ successor declaratus est, vsurpante Regnum Carolo Caluo, quem vnà cum Episcopis Metensis Synodi Hincmarus illegitimè, Romano Pontifice contradicente, coronauerat.

Post hæc Ludouicus Imperator Basilij Imperatoris legationem suscepit: hortabatur Basilius, vt nomine Basilei abstineret, multa friuola adstruens. Quin B etiam ante annum allatis Constantinopolim Hadriani Pontificis per Legatos literis, nomen Imperatoris Ludouico impertitum abradi iusserat, reclamantibus Apostolicæ Sedis Legatis. Respondit Ludouicus, vicissimque missa legatione, hominis arrogantiam, & inscitiam irrisit, quòd non intelligeret, quid nomen Basilei significaret, quod ipse tamquam singulare sibi soli vendicaret; cùm interea & Chaganus, Rex, vel Dominus Auarùm, siue Hungarorum, Principes etiam Nortmannorum, & Bulgarorum Reges vocarentur.

LVDOVICVS DERIDET BASILIVM IMPERATOREM.

C

Indict. 5.

IESV CHRISTI ANNVS	HADRIANI PAP. II. ANNVS	LVDOVICI II. IMP. 17. BASILII MACED. 6.
872.	5.	

HOc anno Basilij Imperatoris ad Ludouicum Germaniæ Regem honorifica legatio circa festum Epiphaniorum Ratisbonam peruenit; eique inter cætera munera Crystallum miræ magnitudinis, auro gemmisque preciosis ornatam, cum parte non modica salutiferæ Crucis obtulit: Vicissim verò donatos, & magno splendore habitos per dies aliquot redire cum muneri- D bus ad Basilium quoque ferendis permisit.

Cæterùm, idem Basilius offensus literis Ludouici Imperatoris, ad dolos conuertitur, & Adelgisum Ducem Beneuentorum ad defectionem solicitat; qui proinde Ciuitatibus Ludouico subiectis, vt Græcos sequerentur persuasit: & nihilominus amicum se Ludouico simulans, venientem Beneuentum honorifice excipit, ac vt fatigatum nimis exercitum ad tempus dimittat inducit: mox cum Duce Saracenorum Seodam (alijs Sangdam) quem Imperator Bari capta, detinuerat, Imperatorem aggredi, vinculis alligare, vel si resisteret, palatium incendio consumere deliberat. Res accidit ex sententia: & resistente E nonnihil Ludouico, cùm proditores flammam palatio minarentur, eò adegerunt Imperatorem, vt se dederet. Ab ijs detrusus in carcerem, non inde antea dimissus est, quàm pacta oblata Sacramento firmaret. Id commeritum Ludouicum putauit inter alia Herembertus huius temporis Scriptor, quòd is capta Bari, Seodam mortalium sceleratissimum è medio non sustulerit, iuxta dictum prophetæ illius: *Quia dimisisti virum morte dignum, erit anima tua pro anima illius.* Paulò ante pro recuperanda Capua à Græcis occupata, illuc iratus duxit; quem vt ciues placatum redderent, corpus S. Germani, sui velut pro pace intercedentis, ei obuiam miserunt: cuius occursu mitior factus, ciues

3. Reg. 20.

A ciues expulsis Græcis in gratiam recepit, & mox reuersus Beneuentum in prædictas insidias incidit. Corpus S. Germani acceptum, in Galliam postea secum deportasse quidam affirmant.

Porro hoc eodem anno Hadrianus Papa, postquam Pontificatum tenuisset annos quatuor, menses decem, & insuper dies septendecim, beato fine quieuit, primo die Nouembris feria sexta; eidemque successit Ioannes Archidiaconus, die decimaquarta Decembris in Sabbato.

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAP. VIII. ANNVS	LVDOVICI II. IMP. 18. BASILII MACED. 7.	
873.	1.		Indict. 6.

B

LVdouicus Imperator Romam veniens, coram summo Pontifice de Adelgisi Ducis Beneuenti perfidia conquestus est. Ioannes eum à iuramento absoluit, affirmans non esse Sacramentum, quod metu mortis, contra Reipublicæ salutem dixisset. Adelgisus à Senatu Romano hostis iudicatus est; bellumque aduersus eum decretum. Quod cùm ipse intellexisset, fuga sibi C consuluit, & in Corsicæ Insula aliquandiu latuit. Non multò tamen postea, Ioannis Pontificis opera Ludouico reconciliatus est. LVDOVICVS ROMAM VENIT.

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAP. VIII. ANNVS	LVDOVICI II. IMP. 19. BASILII MACED. 8.	
874.	2.		Indict. 7.

IOannes Papa, & Ludouicus Imperator Roma Veronam profecti, cum Ludouico Germaniæ Rege, eodem ex condicto veniente, de Republica D Christiana promouenda deliberarunt. Tunc etiam oblata Ludouico Regi diuinitus visio nocturna; qua genitorem suum Ludouicum Pium Imperatorem in angustijs constitutum, hæc ad se verba latinè dirigentem audiuit: *Adiuro te per Dominum nostrum Iesum Christum, vt me eripias ex his tormentis, in quibus detineor, vt tandem aliquando vitam possim habere æternam.* Quibus Ludouicus filius perterritus, per cuncta Regni sui monasteria enixè postulauit, vt deuoti Religiosi pro anima patris sui preces, & sacrificia Deo offerrent; ipse interea nullum pietatis opus prætermittens, quibus charo genitori subE ueniret. LVDOVICI VISIO DE TORMENTIS PATRIS SVI.

Miretur hic sanè Lector, Imperatorem adeo pium triginta & amplius annis ab obitu, luentem adhuc pœnas culpis debitas, & exclusum à Beatorum consortio, tametsi toto orbe terrarum à laudabilibus gestis celebris haberetur; vt hinc discant Principes, haud satis esse bene viuere, plurimaque Deo placita facere, nisi etiam impediant, adeoque non permittant plura in Regnis suis legi Dei fieri contraria. *Si*, inquit Scriptor huius temporis in Annalibus Francorum, *hæresi Nicolaitarum firmiter, & viriliter restitisset, si monita Gabrielis Archangeli, quæ Einhardus Abbas duodecim capitulis comprehensa ei obtulit legenda, obseruare curasset; forsitan talia non pateretur.* Ad ea dubio procul CVR IN PVRGATORIO DETENTVS LVDOVICVS PIVS.

reuocari potest minus procurata quarundam gentium ad Christum conuersio, aut susceptæ iam religionis neglgentior cultus, qui inter Hungaros, præsertim incuria Principum deferbuerat, rursum repullulanti paganismo occasionem præbens, illo rei Christianæ statu, ad quem Carolus Magnus Hungariam adduxerat, paulatim deformato. A

Quæ porrò fuerint duodena illa, aut etiam plura capita, Ratleicus, qui ex Albrico cæco, cui facta est visio, vt descripta Ludouico traderet, apud Einhardum Abbatem non memorat. Addit duntaxat: *Quid illa capitula continerent, aut quid ab eo* (nempe Ludouico) *factum aut dimissum, alio potius in loco, quàm in isto commemorandum*. Et paulò post, Angelum dixisse Albrico ea valde necessaria fuisse, non solùm ad cognoscendum, verùm etiam ad faciendum Principi, in cuius Regnum Martyres isti, puta Petrus, & Marcellinus, cuius formam Angelus præferebat, aduenerant. Vtique constitit non otiosam fuisse reuelationem, verùm ad auertenda illa mala, eademque maxime intentam, quæ si monitis Imperator paruisset, euentura non erant: quia tamen maiori ex parte neglexit, ingruentibus illis adeo pressus est, vt post immensos labores & dolores, vix tandem ægre eluctaretur. B

Lib. 3. cap. 22.

CVR LVDOVICVS MVLTA PASSVS.

PRINCIPES BONI, POTENTES APVD DEVM.

Hinc discant oportet Principes, quàm curæ sit Deo, vt sibi populisque subditis ex sanctitate moderentur, eaque de causa nihil esse, quod in hunc finem si fidentes religionis implorent, cælitus impetrare haud queant, exemplo puta Salomonis, cùm is nondum excidisset. Quare meritissimò præstanda est Principibus, haud facilè expiabilis noxa, si sui muneris obliti, ex libidine præsunt non prosunt, quasi regna ipsis, non ipsi regnis facti essent. Hinc fit vt longè à præscripto sanctitatis agentes, apud Deum fiducia minus valeant, sed vnicum in prudentia carnis præsidium habentes, Rempublicam arte humana tractent, & dum voto suo respondeant, communem populorum salutem, susque deque habeant. Quorum tamen consilia Deus alio cernenda albo seruat, etsi interim occulto iudicio in regna, populosque expiet. C D

Inter hæc Saraceni ex Africa magno exercitu ingruentes Salernum obsident, Duce Aldila, qui cùm nihil non immanitatis, atque etiam impudicitiæ, in Templo Deo dicatis, atque adeo in ipsis Altaribus sacris committeret, delapsa diuinitus è tecto super impium caput trabe, extinctus est. Cui mox subrogatus Abimelech Eunuchus nihilo fortunatior fuit. Quippe superueniente Ludouici exercitu, iterum profligatus cum suis, vix euasit. Ita Dei beneficio Salernitani longa obsidione liberati sunt.

IESV CHRISTI ANNVS 875.	IOANNIS PAP. VIII. ANNVS 3.	LVDOVICI II. IMP. 24. BASILII MACED. 9.

Indict. 8. E

HOc anno, die Dominica, secunda Ianuarij obijsse Hermenricum Laureacensem, de quo supra dictum est, Legatum Pannoniarum (si Pallij curam habuisset) tradit Bruschius, nec post se præter nudum nomen reliquisse aliud, vt pote ignauo ocio ad mensas torpentem, nec de gubernanda Ecclesia solicitum. Eidem successisse Engelmarum, siue, Angelimarum, testatur idem, sed

A sed errat dum ait id factum sedente ad Romanæ Ecclesiæ gubernaculum Hadriano Secundo: hic enim triennio ante excesserat. Ita nec verum est præfuisse Ecclesiæ suæ sub Pontifice Maximo Ioanne Nono, quando Hadrianum non Ioannes Nonus, sed Octauus secutus est.

Ad hunc annum referunt quidam Slauorum conuersionem, de qua Helmoldus in Annalibus hæc habet: *Tradit etiam veterum antiqua relatio, quòd temporibus Ludouici Secundi egressi fuerint de Corbeia Monachi sanctitate insignes, qui salutem Slauorum sitientes, impenderunt seipsos ad subeunda pericula, & mortes pro legatione verbi Dei; peragratisq; multis Slauorum Prouincijs, peruenerunt* B *ad eos qui dicuntur Rani, siue Rugiani, & habitant in corde maris: Ibi fomes est erroris, & sedes Idololatriæ. Prædicantes ergo verbum Dei cum omni fiducia, omnem illam Insulam lucrati sunt, vbi etiam Oratorium fundauerunt, in honorem Domini ac Saluatoris Nostri Iesu Christi, & in commemorationem S. Viti, qui est Patronus Corbeiæ.* Lib. 1. Chron. Slauor. cap. 6.

Hoc anno, inquit Rhegino, *locustarum inæstimabilis multitudo mense Augusto ab Oriente veniens, totam penè peruastauit Galliam. Maiores erant cæteris locustis, habebantque sena alarum remigia: & mirum dictu est, vt castrorum acies distinctis ordinibus per aëra ferebantur, vel terræ incumbentes castrametabantur.* LOCVSTARVM EXERCITVS SIGECENS. C *Duces cum paucis exercitum, vnius diei itinere præibant, quasi loca apta multitudini prouisuri; circa horam nonam vbi Duces pridie venerant insidebant, nec à loco mouebantur, quousq; sol suum repræsentabat ortum: tunc per turmas suas proficiscebantur; vt in paruis animalibus disciplinam militarem cerneres: segetibus vescebantur, quæ ab eis ita depastæ sunt, vt velut immani tempestate consumptæ viderentur. Spatium diurni itineris, quatuor aut quinq; milliaribus extendebatur. Peruenerunt autem vsque ad mare Britannicum, & superficiem terræ cooperientes; in quod Deo volente, violento ventorum flatu impulsæ, atque in profundum asportatæ, demersæ sunt. Æstu verò atque refusione Oceani reiecta littora maritima repleuerunt;* D *tantaque congeries facta est, vt ad instar montium cumulata coaceruarentur. Ex earum fætore ac putredine aër corruptus dirum pestem finitimis generauit, ex qua multi perierunt.* Hæc Rhegino.

Quæ sanè inundantem paulo pòst ex diuersis partibus calamitatem præsignasse videri possunt; cui fortasse præluserit, etsi locustarum exercitum præcesserit, obitus Ludouici Imperatoris, qui hoc eodem mense Augusto contigit, die secunda, feria quarta. Verona translatum eius corpus Mediolanũ, in Ecclesia diui Ambrosij conditum est, insigni Epitaphio laudes eius promente, quas tamen diuerso elogio breuibus ita expressit Rhegino. *Fuit iste Prin-* LVDOVICI IMP. OBITVS. E *ceps pius & misericors, iustitiæ deditus, simplicitate purus, Ecclesiarum defensor, orphanorum, & pupillorum Pater, eleemosynarum largus largitor, seruorum Dei humilis seruitor, vt iustitia eius maneret in seculum seculi, & cornu eius exaltaretur in gloria.* Succeßit huic Carolus Caluus Rex Franciæ, decepto Ludouico Rege, & Carolomanno; inuitatus tamen à Ioanne Papa, à quo & coronatus est in die Natiuitatis Domini, qui incidit in Dominicam: tametsi iudicio Hadriani Pontificis, sicut Gallia debebatur Ludouico Germaniæ Regi, ita etiam Imperium; vt idcirco Anonymus huius temporis scriptor, & passim alij, eum Galliæ Tyrannum vocent, & qui recens Senatum Populi Romani, more Iugurthino corrupit, Ioannemque Papam timidum, & incon- SVCCEDIT CAROLVS CALVVS.

stan-

stantem in sua vota pertraxit, vt vltro eum per Legatos inuitaret, neglecto A iure Ludouici Regis, & iudicio prædecessorum Pontificum. Et potuisset in animum demittere, Carolum paulo ante Italiam inuasisse, & omnes thesauros, quos inuenire potuit, quasi vna manu collegisse: Vt idcirco Ludouicus Rex Germaniæ iratus Carolomannum cum exercitu aduersus eum destinaret; ipse vero, quò Carolum Italiam deserere cogeret, in Franciam duceret. Quibus ille auditis, Carolo aurum, & argentum, gemmasque copiosas obtulit, iurauitque se quamprimum Italia excessurum, & Ludouici Regis arbitrio hoc Regnum relicturum, si exercitum abduxisset. Quod cùm Carolomannus præstitisset, ille celeriter Romam reuersus, & Senatum, & Ioannem Pontificem in suam, vt dicebamus, sententiam pertraxit. B

Indict. 9.

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAP. VIII. ANNVS	CAROLI II. IMP. 1. BASILII MACED. 10.
876.	4.	

Caroli Imperatoris huius creationem etsi tribus Synodis peculiaribus, Romana, Ticinensi, Pontigonensi, affectatè potius quàm maturè deliberatã, C plures viri Principes, & Scriptores improbarunt. Inter alios Baronius huc applicat illud Prouerbiorum: *Hæreditas, ad quam festinatur initio, in nouissimo benedictione carebit.* (Prou. cap. 20.) Notat vero Ioannem in conferendo Imperio, non inhæsisse vestigijs præcessoris Hadriani, qui Carolum hunc inuadentem Regnum Lotharij nepotis defuncti, quod ad germanum eius Ludouicum Imperatorem spectabat, iteratis monitionibus, comminationibus, atque etiam ecclesiasticis censuris exagitasset: Ioannes contra, eundem pœna dignum, imo & Regno priuandum, neruos Apostolici vigoris demittens, Imperio auxit: Scilicet ita dictante malesuada prudentia carnis, qua qua tandem de causa. Exitus tamen declarauit Ioannem, Ecclesiæ Romanæ inutilem dedisse Imperatorem. Et ex hoc tempore cœpit, vt cùm præter antiquorum morem, (exceptis ijs quæ spectant ad Fidem) successores minus tenaci firmoque pectore insisterent vestigijs præcessorum, innumera in Ecclesiam mala redundarent. D

LVDOVICI GERMANIÆ REGIS OBITVS.

Cæterùm Ludouicus Rex Germaniæ hoc anno obijt Francofurdi die vigesima octaua Augusti, feria secunda, & die sequenti in Monasterio S. Nazarij propere sepelitur. Carolus enim Imperator vt primum accepit eum defunctum, ad eripiendum filijs Regnum, misit exercitum. Quare vix parente sepulto, Ludouicus filius cogitur imparatus ad bellum formidolosum progredi, & trabea funerali ad militarem campum festinus accurrere; sed invitus atque detrectans, præmittens frustra Legatos pacis, incassum etiam à Ioanne implorans iudicium Apostolicæ Sedis. Quin præterea, missis decem cordatis viris, qui coram eo de iure per aquam feruentem, & frigidam, per ferrum item candens experirentur, tametsi illæsi omnes periculum fecissent, nihil tamen obtinuit: proinde ad Deum exercituum magna fide conuersus, quod petijt impetrauit. E

Nam etsi longè viribus impar, coactus tamen armis decernere, vbi coram innumero Caroli exercitu cum paucis comparuit, tantus repente illum timor inua-

A inuasit, vt turpi fuga saluti suæ consuleret; eundemque Imperatrix secuta, præ ingenti pauore abortum faceret, reliqui cruentatis indefesso calcarium vsu, equorum lateribus, immobiles tamen hærerent, nec fugæ nec pugnæ apti, frustra in auram enses vibrarent, ac interea continuò caderent. Has pœnas dedit nouus Senacherib, qui primùm Galliæ Regnum heredi legitimo eripuit, mox Imperium dolo & astu inuasit, denique Regnum paternum summa à filijs Ludouici iniuria auertere conatus est; omnia ex eorum consilio gerens, quorum maxima est, regnandi causa nullum ius sanctum esse. Acta sunt hæc octauo die Octobris feria sexta, Plura de his Baronius ad hunc annum,

B

IESV CHRISTI ANNVS 877.	IOANNIS PAP. VIII. ANNVS 5.	CAROLI II. IMP. 2. BASILII MACED. 11.

Indict. 10.

Saracenis Romanam Ecclesiam, & ditionem non vna clade infestantibus, Ioannes Papa plures, vt superiori, ita etiam hoc anno literas dedit ad Carolum Imperatorem, quibus auxilium contra eosdem implorauit. Inter alia, *Epist. 21. xvij. Cal. Decembr. Indict. 10.* C in mentem quoque ei, velut sanctissime actum fuisset reuocauit, *quòd Ecclesia spreto* (ita enim habet) *magno, & bono fratre*, (Ludouico videlicet) *amore Dei, & gratuita voluntate, tanquam alterum Dauid eum elegit, & praelegit, atque ad Imperialia sceptra prouexit*. Neque solum, sed cum quibusdam literis *Epist. 32.* decimatertia Februarij datis misit ad eundem palmas virides benedictas, ritu mutato, cùm Dominica Palmarum, qua in Ecclesia ex antiquo instituto benedici consueuerunt, non esset. Ita victoriæ signum ante prælium, victoria nunquam secutura destinauit.

In qua tamen licet angusti, & humilis, ne dicam abiecti animi epistola, D vnum est contra prauos Politicos notandum, quos alibi quoque perstrinximus: *In Censf. nu. 45.* qui nimirum ex eo quòd Rex Salomon Abiatharum Pontificem Sacerdotio priuari, & exulare iussit, *Lib. 3. Reg. cap. 2.* triumphale vexillum conantur aduersus potestatem Ecclesiasticam erigere. At nos id genus exempla tametsi friuolè induci in lege gratiæ multis deduxerimus; nihilominus pluribus in hanc rem allatis interpretationibus, & retortis absurdis, euicimus id factum interueniente Sadoch Summi Pontificis consensu, & Salomone duntaxat Pontificiam cum Synedrio sententiam exequente. Quo loco etiam probauimus, illo tempore, nec vnquam aliàs, duos fuisse Summos Pontifices, pari in sacris E potestate, non item in criminis excessu. Hanc plane interpretationem Ioannes Pontifex, cætera eruditus, aut supponit, aut potius confirmat, dum Carolo suppetias aduersus Saracenos morante, quodammodo collati Imperij beneficium exprobrat. *Quasi nos*, inquit, *non vos authore Deo, in Imperium coronauerimus, & vobiscum in omnibus quasi cum sapientissimo Salomone, vt quondam ille fidelis Sadoch Sacerdos, aduersus alterum* (nempe Ludouicum Germaniæ Regem) *minimè steterimus; nec cuncta quæ pro vobis debuerimus facere, fecerimus: quasi non hodieque manui vestræ speciali voto, & prærogatiua plenam benedictione palmam, sicut & cernitis, destinemus aduersus visibiles hostes & inuisibiles triumphantem*. Hæc Ioannes.

Quin

Quin etiam Legatis ad Carolum missis, vt in Italiam veniret, orauit; venienti magnis, & properatis itineribus aduersum iuit, & Vercellis exceptum Papiam vsque deduxit: hinc Romam reuersus, cùm à Lamberto Comite, quem Imperator auxilio miserat, nomine Imperatoris obsides Romanorum procerum filij peterentur, in magnas se coniecit angustias; sat timidè se excusans, id non esse è consuetudine Romanorum, totam Ecclesiam in se concitauit, tanquam si pro melle felle eam potasset; nimirum in Carolo ad Imperium vocando, & coronando: Nec dubium, quin id consilij in malum consultoris redundasset, nisi ob tyrannidem Caroli, suprema adhuc danda pœna, mors nimirum intercessisset. A B

CAROLI IMP. OBITVS. Mortuus itaque est Carolus die sexto Octobris, in Dominica, in loco Barios dicto, & sepultus Vercellis in Ecclesia sancti Eusebij. *Nam cùm leuatum corpus in feretro, extra Italiam deportaretur, & intolerabilis ex putredine cadaueris*, inquit Rhegino, *baiulantes grauaret, coacti sunt illud terræ mandare; post septennium tamen ossa Parisios translata in Monasterio S. Dionysij honorificè condita sunt*; Quæ pluribus persequitur Aimoinus. Atque ita Ioanni Pontifici, præclaro Deus argumento ostendit, quàm vana erat salus hominis, in quem sperabat. (Lib. 5. cap. 35.)

C

Indict. 11.	IESV CHRISTI ANNVS 878.	IOANNIS PAP. VIII. ANNVS 6.	LVDOVICI III. IMP. 1. BASILII MACED. 12.

CAROLO SVCCEDIT LVDOVICVS FILIVS. SVccessit Carolo Ludouicus filius, non diu & ipse gubernaturus. Hoc porro anno Ioannes Papa legationem decernit ad visitandam Ecclesiam Constantinopolitanam: Id antea iteratis literis petente Basilio, ad tollendum schisma, quòd qui ex parte Photij erant, Ignatio communicare recusabant, continuis aduersum eum turbis excitatis. Iisdem Legatis post peracta Constantinopolitana negocia, visitationem Bulgaricæ Ecclesiæ iniunxit, vnàque literas ad Ignatium Patriarcham dedit, ob vsurpatam iurisdictionem eum reprehendens; quibus inter alia à Damaso Papa vsque ad Paganorum eruptionem, Bulgariam, quantum ad Ecclesiasticam moderationem, iuris Romanæ Ecclesiæ fuisse ostendit: deinde verò minatus priuationem communionis, nisi intra dies triginta ex tota Bulgaria expulisset omnes, quos vel ipse, vel Episcopi sui ordinassent, ipse vero omni iure illius Ecclesiæ se abdicasset: ita vt post duos menses à die acceptæ epistolæ numerandos, ipso facto priuatus censendus foret; velisi contra non obediendo pertinaciter animum obfirmasset, etiam Patriarchatus dignitate, & summi Sacerdotij priuilegio excideret. D (Epist. 78. data mense Aprilis.) E

Scripsit & alias literas ad Michaelem Regem Bulgarorum, quibus hortabatur vt ad Ecclesiam Romanam rediret: alias item ad Petrum Comitem, vt hoc ipsum Regi Bulgarorum persuaderet; denique ad Episcopos omnes, & Clericos Græcos, minatus illis priuationem vsus sacri ministerij quo fuerant initiati, nisi intra dies triginta inde recessissent. (Epist. 75. & 77. mens. April. die 16. & 20. Epist. 76. die 16. April. Epist. 79. eadem die.)

Hinc insolentia creuit Photij, quòd constaret Ioannem Pontificem nonnihil offensum Ignatio; proinde admiranda impostura leuitati Imperatoris Basilij

A filij illudens, composita videlicet eius, vxoris, & filiorum constructa mendacijs tanquam mysterijs genealogia, reditum impetrauit, & totus in animum Principis homo vaferrimus se immisit. Describit eam imposturam pluribus Nicetas, & Constantinus Manasses Græcus Historicus. Sed quod optatissimum illi fuit, paulò post eius reditum, luctuosus bonis omnibus contigit Ignatij Patriarchæ obitus, vigesima tertia Octobris feria quarta, quo die in Ecclesia Orientali fit commemoratio S. Iacobi Apostoli fratris Domini, cui vnice deuotus in vita erat Ignatius; eodemque die & memoria eius in Menologijs locum inuenit. IGNATII PATRIARCHÆ OBITVS.

B Non inuenitur ab Ignatio impleta Ioannis Octaui iussio, neque tamen, ex lite eidem intentata, quippiam de sanctitate decerpitur; cùm quæ iuris Ecclesiæ suæ esse sibi persuaserat, iuramento obstrictus, æternæ etiam salutis dispendio defendere teneretur; neque enim alienam inuadere, sed traditam à præcessoribus possessionem iure sibi retinere cogitauit; cui dubio procul sponte cessisset, si id licere sibi credidisset. Eius porrò sanctitatem admirandus exitus, & multiplicia miracula comprobarunt.

Triduo post obitum Ignatij, Photius inuasit Sedem Constantinopolitanam. Quæ autem vltio diuinitus sumpta sit de Imperatore, leuissimo Ignatij fautore, C & qui aliquando constantiam præseferens in magna Synodo, non nisi opera Diaboli Photium Constantinopolitanam Sedem recuperaturum, si vnquam, dixerat, pluribus narrant Nicetas, & Curopalates: scilicet de primogenito eius Constantino, optimo alias filio, extincto; Syracusarum, vrbe pulcritudine, & tot victorijs celeberrima, ab Agarenis exiguo temporis spatio excisa, cùm paulò ante & Gregorius Syracusanus schismaticus, à Photio ad Nicænam sedem translatus perijsset. Anim. 6. Epist. 64.

Inter hæc, quod spectat ad curam Ioannis Pontificis circa partes Norici, inuenimus scripsisse eum mense Nouembris ad Theodomarum Archiepiscopum D Iuuannensem, hodie Salisburgensem, concesso ei Pallio, vt apud Carolomannum Regem pro Ecclesia Romana assidue interueniat; & quæ B. Petrus apud Bugoariam, iure proprietaris possidet, eiusdem industriæ committit, vnà monens vt deinceps annuos eorum reditus sine mora Romam transmittat.

Extat ea epistola, inter datas à Ioanne sexagesima quarta, mense Nouembris, hac Indictione vndecima exarata: In hunc modum.

THEODORO ARCHIEPISCOPO IVVANNENSI.

Idcirco tuam fraternitatem tanto Pallij decore studuimus decorare, vt Christo opi- E *tulante, & ante Dei oculos bonis, & sanctis operibus polleas, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, à qua potus præclari poculi sumis, deuotus semper fidelis existas, eius in futurum effectus particeps, cuius locata perpetualiter fundamentis consistis; & apud Carolomannum Regem dilectum filium nostrum quotidianus interuentor pro Romana Ecclesia hortamur existas. Inter hæc, ea quæ B. Petrus Apostolus apud Bagoariorum terram iure proprietatis possidet, tuæ industriæ sagacitatique committimus: quatenus amodo, & deinceps annuos eorum redditus Romam sine mora transmittas. Data mense Nouembris. Indit. xj.*

IESV CHRISTI ANNVS 879.	IOANNIS PAP. VIII. ANNVS 7.	IMP. OCCIDENT. VACAT BASILII MACED. 13.

Indict. 12.

LVDOVICI IMPERATORIS OBITVS.

LVdouicus Imperator septimo Imperij mense, decimo Aprilis, in die Parasceues vita fungitur. Id patris & aui iniquitas commeruit. Basilius Imperator restitutionem Photij vrget, eamque sine vlla huius pœnitentia, quin maiori in dies aduersus Latinam Ecclesiam insolentia, à Ioanne Papa impetrat, B magno totius Ecclesiæ scandalo, quòd pluris fecisset gratiam Imperatoris, quàm sanctissimorum præcessorum scriptis obfirmatam, & iuramentis stabilitam de Photio nunquam recipiendo sententiam. Tantum verò abest, vt à Basilio vel Photio impetrarit quod volebat, vt maiori huius insolentia contemptus sit; eaque de causâ in prouerbium abierit, Ioannem Octauum Papam, fuisse fœminam, vtpote qui resistere nesciens eunucho, quasi omni sacerdotalis constantiæ robore eneruatus, nomen contumeliæ ferret. Atque hinc erupit fabula de Ioanna Papissa; quam Marianus Scotus, Platina, alijque ex istis, imprudenter veri insulso figmento obtruserunt. Sed plurimi doctissimi viri egregie confutarunt, quos C inter recentissime palmam extulit Leo Allatius, multis eruditis lucubrationibus clarus, & plane ludos facit, qui hinc Ecclesiæ Romanæ pueriliter officere se existimant.

Illud turpius videri queat, non solùm restitutum à Ioanne Photium, verùm etiam Basilio, & filijs eius singulariter missa legatione commendatum, tanquam semihomine pestifero nemo sanctior esset; vt nescias, quo pacto tanta deceptio in Romani Pontificis pectus cadere potuerit. *Quanta autem mala eiusmodi factum Ioannis sequuta sint*, inquit Baronius, *nemo puto numerare facile poterit, vt puta quæ tunc cœpta, in hanc vsque diem infeliciter eadem perseuerent*. Addi potest, om- D nia continuis incrementis in dies crescere, eorum Politicorum consilijs, qui Photium Principem meritò adorare queant.

Porrò cùm à Photio nihil recti, præsertim circa iurisdictionem in Bulgaros exercendam, impetraret Ioannes; ad ipsum Regem Bulgarorum legationem misit, qua de re plures eiusdem extant epistolæ; quibus hortatur, vt ad fidem & obedientiam Romanæ Ecclesiæ, qua, seductus vnà cum suis discesserat, reuertatur, & Legatos mittat: ijsdemque de causis eiusdem Regis optimates, & consiliarios anxie interpellat; nec non Sedesclauo Slauorum Comiti amicè præcipit, vt Legato ad Regem Bulgarorum misso, iter securum præbeat, ac necessaria E suppeditet; sed neque apud istum quicquam effecit. Ita factum pœnitentia dignum, vltio quædam continuo secuta esse videtur, neglectus reuerentiæ, qua maior esse vix queat.

Epist. 174. 189. 192. 187. 197.

Epist. 175.

Epist. 176.

Miraberis hic lector, cur in tanta rerum turbatarum occasione factiones Hungarorum non eruperint. Id ante omnia Diuinæ prouidentiæ attribuendum est, qui Gallia à Nortmannis, Italia à Saracenis vexata, pluribusque Christianorũ Regnis intestino malo laborantibus supremam hanc afflictionem accedere non permisit, tempestiuè satis peccatis, id poscentibus erupturam: deinde verò singularis Methodij, nuper ab Hadriano missi, cura ac diligentia fecit,

ne

A ne religio ſat labefactata, ſupremum detrimenti faceret: qui licèt Morauorum præfectus eſſet Eccleſijs, Cyrillo tamen rerum optime apud iſtos ſatagente, in proxima Pannoniorum vtcunque ſpirante Eccleſia, ſuam operam deſiderare paſſus non eſt, quo minus Sacerdotibus iſthic religionis curam qua poſſent agentibus, ipſe conſilio & auxilio præſto eſſet, idque primaria dignitate; vt iccirco à Ioanne Papa litteræ ad ipſum directæ ſint, tanquam ad Pannonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopum. Epiſt. 195.

Accidit tamen hoc anno, vt calumniam paſſus, quòd aliter quàm coram Apoſtolica Sede profeſſus fuiſſet, populum ſibi commiſſum doceret, Romam

B à Ioanne Pontifice euocaretur, fidei ſuæ ac prædicationis ſuſceptæ rationem redditurus. Capita accuſationis non memorantur: ex epiſtola tamen Ioannis ad * Tuuentanum Principem data ſatis eluceſcit, hunc recèns conuerſum, & adhuc de recta fide dubitantem miſiſſe Ioannem presbyterum ſuum Romam, vt certior redderetur. Facile credi queat Methodium è Græcorum doctrina ſapientem inſtillaſſe quædam, quæ cum Latinorum interpretatione non adamuſſim concordarent, idque circa ritus potius eueniſſe, quàm circa Fidei diſciplinam. Nam & hoc ei obiecit in literis Ioannes, quòd Miſſas cantaret lingua Slauonica; quod ne in poſterum faceret prohibuit, Latinam duntaxat vel Græcam linguã toto orbe terrarum in Sacris receptam permittens. Iuuat

Epiſt. 195. Epiſt. 194. *al. IMuentanũ.

C hoc loco ipſam Ioannis ad Methodium epiſtolã integram edere, quæ ſic habet.

REVERENDISSIMO METHODIO ARCHIEPISCOPO Pannonienſis Eccleſiæ.

Prædicationis tuæ doctrinis populum Domini tibi quaſi ſpiritali Paſtori commiſſum ſaluare, inſtruereque cùm debeas, audiuimus quòd non ea, quæ Sancta Romana Eccleſia ab ipſo Apoſtolorum Principe didicit, & quotidie prædicat, tu docendo doceas, & ipſum populum in errorem mittas. Unde his Apoſtolatus noſtri literis tibi iubemus, vt omni occaſione poſtpoſita, ad nos de præſenti venire procures, vt ex

D ore tuo audiamus, & cognoſcamus, vtrum ſic teneas, & ſic prædices, ſicut verbis, & literis te Sanctæ Romanæ Eccleſiæ credere promiſiſti, aut non vt veraciter cognoſcamus doctrinam tuam. Audimus etiam quod Miſſas cantes barbara, hoc eſt, Sclauina lingua; vnde iam literis noſtris per Paulum Epiſcopum Anconitanum tibi directis prohibuimus, ne in ea lingua ſacra Miſſarum ſolemnia celebrares, ſed vel Latina vel in Græca lingua, ſicut Eccleſia toto terrarum orbe diffuſa, & in omnibus gentibus dilatata cantat. Prædicare verò, aut ſermonem in populo facere tibi licet, quoniam Pſalmiſta omnes admonet Dominum gentes laudare; & Apoſtolus, Omnis, inquit, lingua cõfiteatur quia Dominus Ieſus in gloria eſt Dei Patris. Hactenus epiſtola. Pſal. 116. Ad Phil. 2.

E Vnde nihil veriſimile habet quod Æneas Syluius, & quidam alij referunt, Cyrillum cùm Romæ ageret, Romano Pontifici ſupplicaſſe, vt Sclauorum lingua eius gentis hominibus, quam baptizauerat, rem diuinam faciens vti poſſet. De qua re dum in ſacro Senatu diſceptaretur, eſſentque non pauci contradictores, auditam vocem tanquam de cælo in hæc verba miſſam: *Omnis ſpiritus laudet Dominum, & omnis lingua confiteatur ei:* Indeque datum Cyrillo Indultum. Hoc, inquam, ſimile veri non eſſe, ex dicendis ad annum ſequentem conſtabit. Nam etſi nonnihil gratiæ Ducis Morauorum pro re nata conceſſerit Ioannes Pontifex, id tamen totum poſtea Gregorius Septimus abrogauit: non vtique facturus, ſi id genus argumento cælitus edito cautum fuiſset. Hiſt. Bohem. cap. 13.

A

IESV CHRISTI ANNVS 880.	IOANNIS PAP. VIII. ANNVS 8.	IMP. OCCID. VACAT BASILII MACED. 14.

Indict. 13.

LEgati Apostolicæ Sedis Constantinopoli cum literis Basilij Imperatoris, & Photij reuersi, non è re egisse à Ioanne Pontifice arguuntur. Mittitur ergo Marinus Legatus ad Photium, qui constantiori pectore virum Apostolicum se probauit, secuta Photij damnatione.

Mox adfuit & Methodius Pannoniæ, & Morauiæ Apostolus, & reddita ratione doctrinæ suæ, non solùm probatus & absolutus est, verùm etiam Suentopulchro Morauorum Principi eximia cum laude commendatus; ad quem eadem authoritate, & priuilegijs remissus, Ecclesiarum isthic, & populi Dei curam habere iussus est: addito etiam ei Presbytero Vvichino; quem ab eodem Suentopulchro missum tanquam electum Episcopum Ecclesiæ Nitrensis Ioannes consecrauit, & Methodio Archiepiscopi iure subesse voluit. Alium item consensu, & prouidentia Methodij mitti postulauit consecrandum, qui alteri cuipiam præficeretur Ecclesiæ, & reliquis Episcopis ordinandis, vbi res postularet, Archiepiscopo Methodio cum Vvichino præsto esset. Placet eam Epistolam Ioannis ad Suentopulchrum integram reddere. B C

Epist. 297.

DILECTO FILIO SVENTOPVLCHRO GLORIOSO COMITI.

*Industriæ tuæ notum esse volumus, quoniam confratre nostro Methodio Reuerendissimo Archiepiscopo Sanctæ Ecclesiæ * Marabensis, vna cum Semisisno fideli tuo, ad limina Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, nostramque Pontificalem præsentiam veniente, atque sermone lucifluo referente didicimus, tuæ deuotionis sinceritatem, & totius populi tui desiderium, quod circa Sedem Apostolicam, & nostram paternitatem habetis. Nam diuina gratia inspirante, contemptis alijs huius seculi Principibus, Beatum Petrum Apostolici Ordinis Principem, Vicariumque illius habere Patronum, & in omnibus adiutorem, ac defensorem pariter cum nobilibus viris fidelibus tuis, & eum omni populo terræ tuæ amore fidelissimo elegisti, & vsque ad finem, sub ipsius & Vicarij eius defensione colla submittens, pio affectu cupis auxiliante Domino, vtpote filius deuotissimus permanere. Pro qua scilicet tanta fide, ac deuotione tua, & populi tui, Apostolatus nostri vlnis extensis, te quasi vnicum filium amore ingenti amplectimur, & cum omnibus fidelibus tuis paternitatis nostræ gremio, veluti oues Domini nobis commissas, recipimus, vitaque pabulo clementer nutrire optamus, atque nostris assiduis precibus Omnipotenti Domino commendare studemus: quatenus sanctorum Apostolorum suffragantibus meritis, & in hoc seculo aduersa omnia superare, & in cælesti postmodum regione eum Christo Deo nostro valeas triumphare.* D E

* al. Marauensis

Igitur hunc Methodium venerabilem Archiepiscopum vestrum interrogauimus coram positis fratribus Episcopis, si orthodoxæ Fidei symbolum ita crederet, & inter sacra Missarum solemnia caneret, sicut Sanctam Romanam Ecclesiam tenere, & in sanctis sex vniuersalibus Synodis à Sanctis Patribus secundum Euangelicam Christi Dei nostri authoritatem promulgatum atque traditum constat. Ille autem professus est se iuxta Euangelicam, & Apostolicam doctrinam, sicuti Sancta Romana Ecclesia

docet,

A *docet, & à Patribus traditum est, tenere & psallere. Nos autem illum in omnibus Ecclesiasticis doctrinis, & vtilitatibus orthodoxum, & proficuum esse reperientes; vobis iterum ad regendam commissam sibi Ecclesiam Dei remisimus, quem veluti pastorem proprium, vt digno honore & reuerentia, lætaque mente recipiatis iubemus. Quia nostræ Apostolicæ authoritatis præcepto, Archiepiscopatus & priuilegium confirmauimus, & in perpetuum Deo iuuante, firmum manere statuimus, sicut antecessorum nostrorum authoritate, omnium Ecclesiarum Dei iura, & priuilegia, statuta & firmata consistunt: ita sane, vt iuxta canonicam traditionem, omnium negociorum Ecclesiasticorum curam habeat ipse, & ea velut Deo contemplante dispenset: Nam po-*
B *pulus Domini illi commissus est, & pro animabus eorum hic redditurus est rationem.*

Ipsum quoque Presbyterum nomine Vvichinum, quem nobis direxisti, electum Episcopum consecrauimus sanctæ Nitrensis Ecclesiæ; quem suo Archiepiscopo in omnibus obedientem, sicuti sancti Canones docent, esse iubemus, & volumus, vt pariter cum ipsius Archiepiscopi consensu & prouidentia, alterum nobis apto tempore vtilem presbyterum, vel diaconum dirigas, quem similiter in alia Ecclesia, in qua Episcopalem sedem noueris esse necessariam, ordinemus Episcopum; vt cum his duobus à nobis ordinatis Episcopis, præfatus Archiepiscopus vester, iuxta decretum Apostolicum per alia loca, in quibus Episcopi honorifice debent, ac possunt existere, postmodum valeat ordi-
C *nare. Presbyteros vero, Diaconos, seu cuiuscunque ordinis clericos, siue Sclauos, siue cuiuslibet gentis, qui intra prouinciæ tuæ fines consistunt, præcipimus esse subiectos, & obedientes in omnibus dicto confratri nostro Archiepiscopo vestro, vt nihil omnino præter eius conscientiam agant. Quòd si contumaces, & inobedientes, scandalum aliquod aut schisma facere præsumpserint, & post primam & secundam admonitionem se minimè correxerint, quasi zizaniorum seminatores ab Ecclesijs & finibus vestris authoritate nostra præcipimus esse procul abijciendos, secundum authoritatem Capitulorum, quæ illi dedimus, & vobis direximus.* Hucusque maior pars epistolæ.

Ex qua apparet, quam coniuncti initio Moraui cum Sede Apostolica, & Ec-
D clesia Romana fuerint, vt radicem religionis semel adeo profundè actam, nullo vnquam schismatum aut hæresum turbine facile euellendam credi posset. Quod vlterius spectat ad accusationem Methodij, in mentem venit accidisse ei, quod superiori seculo Virgilio, vigilanti alioqui & erudito Noricorum Pastori; vt occasione subtilioris doctrinæ, & magis ad philosophica spectantis, cum Bonifacio Moguntinensi quorundam opera committeretur; & huius tandem authoritate nescio quid humanum passi, apud Zachariam Pontificem delatus varie exagitaretur; cùm is interea semper sibi similis, & constans, reddita suæ doctrinæ ratione, & inuidorum calumnias egregiè protriuisset, & dignitati suæ
E magna honoris accessione consuluisset. De qua re agimus in nostro opere aduersus Neophythagoræos conscripto, sed adhuc lucem morante, donec multorum vicem eluctemur. Nec dissimili sorte hodieque non pauci apud Indos conflictantur in imbuendis infidelibus, vsitatum ab antiquis Fidei propagatoribus ordinem fortasse non vsquequaque seruantes.

Nitrensem porro, siue Nitriensem Ecclesiam, cuius in hac epistola fit mentio, eam quis dixerit, vt alibi monuimus, quæ in Comitatu eiusdem nominis supra Ponsonium sita est, cuius Antistes munus Cancellarij Regni obit. Ea si Morauiæ Archiepiscopo subiecta fuit, vt ex dictis patet, mutatum fuisse Sedium ordinem conijcimus, & pro temporis occasione rebus

consultum: nam, quod in Apparatu ostendimus, olim Morauia Archiepiscopum non habebat, sed cum Ecclesia Hungariæ, & contiguis Slauorum nationibus Laureacensi subiecta; quemadmodum ex ea liquet epistola, quam Agapetus Papa fertur scripsisse ad Gerhardum Laureacensem, de qua aliàs iam diximus, plura etiam suis locis dicturi. In epistola porro illa, quæ ab Episcopis Germaniæ falsò ad Ioannem Octauū scripta extat apud Hincmarum Rhemensem, & Lazium, mentio habetur Vvichingi consecrati Episcopi, quem Ioannes Octauus Vvichinum appellat; (alij Bichingum seu Vvinechindum) impetrante Zuentebaldo Duce, siue vt idem Ioannes vocat, Suentopulchro: alij Suatoplugum, & Suatocopium appellant. In ea inter alia hæc habentur: *Antecessor vester, Zuentebaldo Duce impetrante, Vvichingum consecrauit Episcopum, & nequaquam in illum antiquum Laureacensem Archiepiscopatum eum transmisit, sed in quandam neophytam gentem, quam ipse Dux bello domuit, & ex paganis Christianos esse parauit.* A B

Diximus falsò hanc epistolam inscribi Ioanni Octauo: nihil enim antecessori huius Hadriano Secundo intercessit cum Vvichingo, quem non Hadrianus, sed ipse Ioannes consecrauit Episcopum, vt manifeste apparet ex descripta epistola. Proinde ad alium quempiam ex successoribus Ioannis scriptam oportuit, vt verum esset, antecessorem eius, nempe Ioannem Octauum, ad preces Zuentebaldi consecrasse Vvichingum, & misisse cum authoritate in Morauiam. Hunc verò si dicamus fuisse Ioannem Nonum, fortasse non errabimus, in loco adducentes eam, quæ ad rem Hungarorum conducit, conquerentium epistolam. Videntur enimuero quodammodo Germaniæ Episcopi expostulare cum Pontifice, quòd Patauiensem Episcopatum in plures diuidens, iura eius imminuisset, & tres Episcopos immisisset, quod alij Romani Pontifices nequaquam attentarunt. Nam, vt vidimus, Ioannes Octauus misit quidem in eas partes cum alijs quibusdam Vvichingum Episcopum; non tamen in Laureacensem, aut quemuis alium Archiepiscopatum, sed in quandam Neophytam gentem, illos puta, quos Morauiæ Dux recèns subactos, Christianis sacris imbutos volebat; aut potius Hungaros in Comitatu Nitriensi habitantes, apud quos, Caroli Magni industria quondàm conuersos, adhuc spirabat vtcunque Christiana religio; cuius directio Methodio Morauorum Archiepiscopo attributa fuit, ea de causa, quòd Dux Morauiæ recèns conuersus id postulasset; cùm alioqui tam Moraui, quàm Hungari, ad Laureacensem, vt alibi diximus, spectarent Ecclesiam, ita constituente Agapeto Pontifice in diplomate ad Gerhardum Laureacensem Episcopum misso, quod Lazius ex verbo describit; si tamen Agapetus is fuit Pontifex, aut etiam Gerhardus, ad quem scripsit. C D E

Obliquo animo tulisse hanc separationem dictos Episcopos, atque etiam populos hactenus illis subditos, satis apparet ex epistola Ioannis Pontificis, in qua præcipit omnes cuiuscunque ordinis Clericos, siue Slauos, siue cuiuslibet alterius gentis, intra eius Prouinciam consistentes, subiectos, & obedientes esse Methodio; contumaces verò, & scandalum cum schismate præsumentes, post primam, & secundam monitionem proscribendos, & ab Ecclesia, & à finibus esse iubet. Quo factum, vt deinde querulosam illam epistolam ad Pontificem exararent; neque tamen proficientes, sed magis accessione plurium ad

A votum haud facientium irritati, nonnihil excederent, vt infra dicemus.
Plurimum authoritate valuisse Ducem Morauiæ apud Ioannem Pontificem, IOANNES
ostendunt priuilegia, quibus Morauos lingua Slauonica in Ecclesia vti con- PONT. VSVM LINGVÆ SLAVONICÆ IN
cessit; idque non solum in Officio Ecclesiastico persoluendo, in Euangelio, le- MISSA MORA-
ctionibus diuinis noui & veteris Testamenti legendis; verùm etiam in Missa VIS CONCEDIT.
celebranda: quod tamen factum antea à Methodio, vt vidimus, eidem expro-
brarat. Addidit tamen hanc limitationem, vt maioris honorificentiæ causa
Euangelium priùs Latinè legeretur, deinde lingua Slauonica, populo Latinè non
intelligenti exponeretur: Missas, tamen, si ita placeat Principi, & Iudicibus
B eius, Latina lingua magis audiri præcipit, Missarumque solemnia Latinè cele-
brari. Ita videlicet natam recèns Ecclesiam lacte paruulorum censuit nutri-
endam, quoad in perfectam ætatem creuisset, Latinè locuturam. Quod tum
factum est, quando Gregorius Septimus tandem huiusmodi priuilegia penitus
sustulit. Qua autem occasione plura id genus sæpe à Romanis Pontificibus
concessa sint diuersis Ecclesijs, & quomodo nihilominus linguæ vulgaris
apud quasdam nationes vsus in Sacris permansit, pluribus in nostra de sacra
Latinitate historia tradidimus.
Hæc omnia pleniùs intelligentur, si residuam eius epistolæ ad Zuentebal-
C dum datæ partem recitemus: Quæ huiusmodi est: *Literas Sclauonicas à Con-*
stantino quodam Philosopho repertas, quibus Deo laudes debitæ resonent, iure lauda-
mus; & in eadem lingua Christi Domini præconia, & opera enarrentur iubemus.
Neque enim tribus tantum, sed omnibus linguis Dominum laudare auctoritate sacra
monemur, quæ præcipit, dicens: Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum Psal. 116.
omnes populi. Et Apostoli repleti Spiritu sancto locuti sunt omnibus linguis magna- Actor. 2.
lia Dei. Hinc & Paulus, cælestis quoque tuba, insonat: Omnis lingua confiteatur, quia Philip. 2.
Dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei Patris. De quibus etiam linguis in cap. 14.
prima ad Corinthios epistola satis manifestè nos admonet; quatenus linguis loquentes
D *Ecclesiam Dei ædificemus. Nec sanè fidei vel doctrinæ aliquid obstat, siue Missas*
in eadem lingua Sclauonica canere, siue sacrum Euangelium, vel lectiones diuinas
noui & veteris Testamenti bene translatas, & interpretatas legere, aut alia hora-
rum officia omnia psallere: quoniam qui fecit tres linguas principales, Hebræam sci-
licet, Græcam, & Latinam, ipse creauit & alias omnes ad laudem, & gloriam
suam. Iubemus tamen, vt in omnibus Ecclesijs terræ vestræ propter honorificentiam
Euangelium Latinè legatur, & postmodum Sclauonica lingua translatum, in auribus
populi non intelligentis Latina verba, annuncietur; sicut in quibusdam Ecclesijs fieri
videtur. Et si tibi, & iudicibus tuis placet Missas Latina lingua magis audire, præ-
E *cipimus vt Latinè Missarum tibi solemnia celebrentur. Data mense Iunij Indict. 13.*
Hactenus Epistola Ioannis; cuius indulgentia non pauci abusi, & Sacro-
rum venerationi plurimum obfuerunt, & sacram Scripturam licentiosè inter-
pretati, religionem funestarunt; vt meritò Gregorius Septimus id priuilegij
Morauis concessum seueriori authoritate induxerit, & plerique successores san-
ctissimè cauerint, ne vel ignorantia vel temeritate interpretantium fideles cir-
cumuenirentur. Contra quos non rite se tuentur Neoterici, obiecta Concilij
Lateranensis authoritate, sub Innocentio Tertio celebrati: qua districtè præ- Cap. 9.
cipitur Pontificibus Ciuitatum siue Diœcesum, *in quibus permixti sunt populi di-* Cap. quoniam, de offic. ordin.
uersarum linguarum habentes sub vna Fide varios ritus, & mores, vt prouideant

de viris idoneis, qui secundum diuersitatem rituum, & linguarum, diuina illis officia celebrent, & ecclesiastica Sacramenta ministrent, instruendo eos verbo pariter, & exemplo. Nihil enim hinc ad rem aptè deducitur, nisi praua Concilij interpretatione; cuius genuina sententia tantum est, ob diuersos ritus, & nationum linguas in eadem Ciuitate vel Diœcesi non esse plures Episcopos constituendos, sed sub vnius directione suum cuique ritum, & sermonem permittendum. Id quod præcipue propter Græcos, & Latinos decreuit. A

Nam quia illa tempestate Hierosolymæ in potestatem Latinorum venerant, & Græcis quoque ad Apostolicæ Sedis obedientiam reuersis, in dicto Concilio vterque Patriarcharum Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus aderant, B non est visum Patribus mutare potius Græcorum ritus, quam tolerare: proinde quemadmodum Latini suo ritu, & lingua vtebantur in Diuinis, ita & illos tametsi Latinis iam subactos, sua vti permiserunt; hoc solum necessarium factu iudicantes, ne propter diuersas linguas, & ritus, duo vel plures Episcopi in vnam Ciuitatem aut Diœcesim inducerentur. Quippe capta à Latinis Francorum, & Venetorum opera Constantinopoli, sic inter hos conuenerat, vt si ex Francis designaretur Imperator, Veneti Antistitem darent, ne penes vnam gentem vtraque dignitas clauderetur. Longe secus quàm cùm in illo nescio quo Côciliabuo Basileense, Longobardorum Episcopi cônstituerunt, summum C Pontificem nisi ex Longobardis non esse rogandum; ijdemque etiam Imperatrici suggesserunt, filium eius non minus in Pontificatus honorem, quam in regiam dignitatem iure succedere. Proh monstrum! Euenit autem, vt Balduino Flandriæ Comiti cederet Imperium, legeruntque ex suis Veneti Patriarcham Thomam Maurocenum; & cùm Græci quoque pro ritu suo, suum Patriarcham optarent, negatum est duos Episcopos eidem Vrbi aut Diœcesi, Sacris ordinandis præesse: permissum tamen vt suo ritu, & lingua vterentur. Et alioqui, si hinc in sententiam Neotericorum eundum esset, recte argumentatur doctissimus Cardinalis Stanislaus Hosius, à trecentis, & quinquaginta annis, qui D à dicto Concilio Lateranensi ad suam vsque ætatem fluxerunt, in plerisque Christiani Orbis regionibus, ne dicã in omnibus, Latinæ linguæ vsus in diuinis officijs intermissus aut prorsus abolitus fuisset; quidni enim obedirent præcepto Concilij, vniuersi populi, si Indulto Ioannis Octaui, vsque ad Gregorium Septimum per ducentos circiter annos mordicus adhæserunt Moraui? cùm tamen citra cuiusquam interpellationem sicut ab initio, hoc est à tempore Christi Fides in illis Regnis recepta, ita etiam post hoc Concilium Lateranense, Latinæ linguæ vsus in Sacris retentus, & vt Hosius fatetur, ad suam vsque ætatem transmissus & propagatus est. Vixit is tempore Concilij Tridentini, cui etiam interfuit, & plura Regna ex ijs quæ enumerat, nondum à Fide Catholica exciderant. E

l. de Sacro vernacule legendo.

Porrò post interdictum à Gregorio Septimo linguæ vulgaris vsum in Diuinis, adhuc tamen ex Indulto Ioannis Octaui, mansit mos ille laudabilis, & in plerisque Septentrionis partibus susceptus est, vt post Euangelium in Sacris solemnibus Latinè decantatum, idem è suggestu vulgari sermone populo prælegeretur, & subsecuta pro concione vtili mysteriorum interpretatione, documenta ad pietatem & mores formandos traderentur; qua finita, reliquum solemnitatis ad Altare magna cum populi religione perageretur. Quo factum, vt qui concionarentur, Euangelico textui continuo, & necessario inhærentes, vtiliter,

& non

A & non pœnitendo fructu docerent;non inani ostentatione capti ad phaleratas vanitates, & ingeniorum abortus deflecterent: quod fere faciunt, qui dimidiata sententia ex Euangelio prætextum facientes, ita ad omnia alia longe deiuncta, minimeque connexa excurrunt, adeoque supra se euecti in spatijs imaginarijs peregrinantur, vt populus sacræ concioni se interesse vix intelligat, nisi subinde repetitam illam ac velut tertiatam sententiam, etsi dictis minime æquatam audiat; ac tum etiam bene se dixisse egregius Ecclesiastes meminerit, cùm per horam ad rauim cantando nihil dixit.

B

IESV CHRISTI ANNVS 881.	IOANNIS PAP. VIII. ANNVS 9.	CAROLI CRAS. IMP. 1. BASILII MACED. 15.	Indict. 14.

Methodius in Bohemia dum pro religione strenue agit, varijs iterum persecutionibus impetitur. Eum Ioannes Papa missa epistola consolatus, vt in lucrandis Christo animabus in dies proficiat, & quam præsens Romæ acceperat Euangelicam, & Apostolicam sanctæ Romanæ Ecclesiæ doctri- *Epist. 168.*
C nam, iuxta sanctorum Patrum traditionem sequatur monet, orthodoxæ Fidei cultum fidelibus cunctis inculcando, pro labore dignam à Christo mercedem recepturus. Erat Methodio res cum Episcopo quodam, qui tanquam secreto ad id mandato accepto, vexabat eum. Nihil vero palam, vel secreto iniunctum eidem testatur Pontifex; & vbi Deo duce Romam reuersus fuisset Methodius, vtriusque causam se coram cogniturum affirmat, clausaque controuersia pertinaciam illius, indicij sui sententia correpturum. Data est hæc epistola decimo Kalendas Aprilis, Indictione decima quarta, quæ huic anno respondet.

D Non multo post Romam repetens, ibidem fratrem suum Cyrillum offendit; nec deinde ad Bohemos redijt, mutato isthic rerum statu, sed vnà cum eodem vitam sanctitate claram egit, quam demum vterque moriens (incertum quo anno) pluribus miraculis nobiliorem fecere. Conditi sunt ambo in Ecclesia Clementi Romano Pontifici, & apud Chersonesum alligata ad collum anchora, mersione in profundum Martyri celeberrimo, dicata: cuius sacrum corpus tredecim annis ante huc transtulisse dicuntur; vt ea de causa, meritò hoc apud eum hospitij iure vterentur. Qua de re quid sentiendum, ex dictis ad annum huius seculi sexagesimum septimum liquet. Inuentas porro sancto-
E rum horum fratrum, & Episcoporum reliquias, sub altari in eiusdem Ecclesiæ sacello peruetusto, Baronius in notis Martyrologij insinuat. *Ad 9. Martii.*

Hoc anno Carolus Crassus ex Germania egressus, Longobardorum fines occupauit; deinde paucis diebus Italiam totam in deditionem accipiens Romam venit, vbi à Ioanne Pontifice, & Senatu Romanu honorifice exceptus, tandem in die Natalis Domini Imperator coronatus est. *Rhegino, Aimoinus.* Quare à tempore coronationis, more maiorum, & non à die successionis numerantur anni Imperij.

IESV

A

Indict. 15. | IESV CHRISTI ANNVS 882. | IOANNIS PAP. VIII. ANNVS 10. | CAROLI CRASS. IMP. 2. BASILII MACED. 16.

OBITVS LVDOVICI REGIS. Moritur hoc anno Ludouicus Germaniæ Rex, die mensis Nouembris feria secunda. Quo audito Nortmanni Treuirensem obsederunt Ciuitatem, eaque potiti, ignibus omnia tradiderunt. Verùm hoc factum anno sequenti. Quo tempore Vvala Metensis Episcopus præter ius fasque egressus aduersus eos, pugnans occisus est; ita permittente Deo, vt Episcopi discerent è sanctitate munere suo fungi, non arma tractare, & bellis operam dare. B

OBITVS IOANNIS PAPÆ. Paulò post moritur & Ioannes Papa, curis quidem confectus, sed magis mærore consumptus. Cuius exemplo discimus quam periculosum sit ob respectus humanos à recto deflectere. Nam quòd Ioannes in gratiam Principum, nonnihil visus est deflexisse à præscripta inuiolabili Ecclesiasticæ censuræ obseruantia, vt auxilium ab ijsdem consequeretur, planè contrarium accidit: tantum enim abest, vt ab alterutro, siue Orientis, siue Occidentis Imperatore, aliquid obtineret, vt contra etiam, hostes auctos & multiplicatos experiretur, & inter hos, C nonnullos Episcopos, qui cum Saracenis fœdus inierint, Anastasio Neapolitano vexillum præferente, qui eidem vrbi, seculari etiam potestate moderatus; firmata cum ijsdem pace, & societate, Beneuentum, Capuam, Salernum, ac denique Romam infestauit, non paucis vtique Monasterijs, Ecclesijs, villis & oppidis impio incendio fœde exustis. *Leo Ostiens. l. 1. cap. 42.* Quòd si notatur Ioannes, qui deflexit ob auxilium aduersus hostes religionis impetrandum, quid cogitandum de ijs, qui aut leui, aut nulla, aut certe indecora de causa, gratiæ Principum postponerent obseruantiam sacrarum Legum? Obijt Ioannes die decimaquinta Decembris in Sabbato. D

MARINVS SVCCEDIT IOANNI. Successit Marinus, qui olim Diaconus cùm esset, à Nicolao Pontifice missus est cum Donato atque Leone Constantinopolim ad excommunicandum Photium: ab Hadriano verò iterum missus cum Donato & Stephano Episcopis, ad eundem Photium deponendum, & restituendum Ignatium, Synodumque oecumenicam celebrandam. Incidit eius electio in diem vigesimum octauum Decembris feria sexta; statimque in primo suo ingressu damnauit Photium, vnàque res omnes ab eo gestas ad munus Episcopale spectantes: quo facto exulceratum semel iracundia Basilij Imperatoris animum plane furentem reddidit.

Aimoin. lib. 5. cap. 61. Inter hæc ingens in Gallijs motus excitatus à Nortmannis. Lauduni castri E agros primum incendia vastauit; deinde Rhemos spectans, hinc per Suessiones, & Nouiomagum ducens, ad dictum castrum expugnandum reflexit. Quo accepto Rhemensis Episcopus Hincmarus, cum corpore S. Remigij, & ornamentis Ecclesiæ suæ vix euasit, Clero, Monachis & sacris Virginibus hac illac dilapsis. Etingruit inopine totus exercitus portis Rhemensibus, Ciuitatem tamen Deo protegente ingressus non est, sed suburbia villasque circumiacentes deprædatus, quæ agere non potuit, incendit.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS	MARINI PAPÆ ANNVS	CAROLI CRASS. IMP. 3. BASILII MACED. 17.
883.	1.	

Indict. 1.

MArinus Papa Formosum Episcopum Portuensem hoc anno restituit, quem Ioannes deposuerat: cuius sicut ignoratur causa depositionis, ita & modus restitutionis.

B Aquileiensis Patriarcha, solus inter Latinos contrarium sentiens de processione Spiritus sancti, Græcis schismaticis adhæret, legationemque ad Photium, schismaticus, schismaticum mittit; dignum patella operculum. Quis iste fuerit, hactenus ignotum; lego in manuscripto catalogo Episcoporum Aquileiensium sat vetusto, circa hæc tempora præfuisse huic diœcesi Patriarcham nomine Callistum; sed nolim diuinare. Fuisse verò huius viri cum Photio coniunctionem sat noxiam, eo constat, quòd plurium turbarum, & in Illyrico, & in Norico, & in vtraque Pannonia præbuit occasionem, vt non pauci in Fide vacillarent.

C Quæ porro superiori anno cœpit incursio Nortmannorum, hoc anno fœdum in modum propagata est, manifestis diuinæ indignationis argumentis, quòd translata è locis corpora Sanctorum, ne à paganis incendio absumerentur, præsidio & saluti populis, ita peccatis exigentibus, haud fuerant; vt tum quoque verificatum fuerit illud Prophetæ. *Si bestias pessimas induxero super terram, vt vastem eam, & tres viri isti, Noe, Daniel, & Iob fuerint in ea: Viuo ego, dicit Dominus Deus, quia nec filios, nec filias liberabunt, sed ipsi soli liberabuntur, terra autem desolabitur*: Donec tandem Carolus ex Italia reuersus, vt vniuerso populo periclitanti adesset, non ferro, sed auro, alijsque promissis, Nortmannorum Duces Ezech. 14.

D auertit Godefridum, & Sigefredum; illique concessa Frisia, & Gisla regia puella, Lotharij Imperatoris filia, matrimonio iuncta; cui auri & argenti ingenti copia è Metensi Ecclesia sublata, numeratæ sunt libræ bis mille & octoginta, pax firmata est. Scribit Rhegino, Godefridum inito eo matrimonio, ad Christiana sacra accessisse, atque à Carolo è baptismo susceptum fuisse. Quin etiam Roricum eiusdem gentis regulum, ad Fidem hac occasione conuersum, ex Frodoardo constat; ita Deo cladem compensante. Lib. 3. Hist. Rhem.

E

IESV CHRISTI ANNVS	HADRIANI PAP. III. ANNVS	CAROLI CRASS. IMP. 4. BASILII MACED. 18.
884.	1.	

Indict. 2.

MArinus Papa post annum, & dies viginti Pontificatus, humana deserit, vigesima septima Ianuarij feria tertia, breui temporis curriculo immensum gloriæ spatium conficiens. Succeßit paulò post, nempe feria quinta, Hadrianus Romanus, eius nominis Tertius, Marini vestigijs inhærens, & Photium reiecta pœnitentia in deterius prolabentem, execratus, contemptis Basilij minis. MARINI OBITVS.

Interea

Leo Ostiens. lib. 1 cap. 45. Interea Carolo Imperatore in Gallijs contra Normãnos, aut certè cum ipsis agente, Saraceni in Italia Campaniam sibi finitimam magna clade affecerunt; ac tandem ad Monasterium Cassinense delati, occiso ad altare Sancti Martini Berthario Abbate, multisque ibidem immanitate barbarica peremptis, totum igni tradiderunt, exportata prius preciosa quaque supellectili, qua onusti ad sua redierunt. A

IESV CHRISTI ANNVS 885.	STEPHANI PAP. VI. ANNVS 1.	CAROLI CRASS. IMP. 5. BASILII MACED. 19.

Indict. 3. B

HADRIANVS MORITVR. SVCCEDIT STEPHANVS. Hadrianus ad magna pro Ecclesia Dei gerenda animum componens, annum dumtaxat, & tres menses, cum nouendecim diebus vixit, & migrauit, die tertia Maij, Dominica. Successit Stephanus, Hadriani ciuis nobilis filius, ex Presbytero Tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum, huius nominis Sextus in ordine, sed dictus Quintus. Hic adeo expilatum inuenit Patriarchium Apostolicum, vt cùm non haberet quod pauperibus erogaret, (iam enim inoleuerat pessima consuetudo, mortuo summo Pontifice, Palatij diripiendi) ad facultates inclyti parentis apposuit manus; & ita Deo miserante, laborantem fame Vrbem recreauit. C

Interim Ecclesia Hungarica cum cæteris, quæ Methodio parebant, poterat vtcunque tanti viri industria assurgere, ac saltem deteriora non spectare, nisi Caroli Crassi Imperatoris inconsiderantia lacessiti fuissent; vt iccirco eum paulatim contemnere assueuerint; ac tum aperta plane à suo Rege defectione conatui eiusdem illusissent, nisi is Normannis, Rege Carolomanno mortuo, in Gallias irrumpentibus, vt superius diximus, eodem auocatus fuisset; ita enim longe absentis imperium, tanquam nullum esset, dissimularunt.

D

IESV CHRISTI ANNVS 886.	STEPHANI PAP. VI. ANNVS 2.	CAROLI CRASS. IMP. 6. BASILII MACED. 20. LEONIS VI. 1.

Indict. 4.

BASILII OBITVS. SVCCEDIT LEO. Basilius Orientis Imperator, postquam cum Michaele annum vnum, solus vndeuiginti annos imperasset, Imperium ex arbitrio suo constituens, hæredemque & successorem declarans, diem obijt. Successit superstitum filiorum natu maximus Leo. Ita *Curopalates*, *Cedrenus*, *& alij*. Multa sanè præclara gessit Basilius, mira vocatione ex humilibus initijs ad culmen Imperij euectus; per omnia laudabilis, nisi à Photio deceptus, in Romanos Pontifices iniurius, & contumeliosus fuisset; neque solum, sed Octauæ Synodi, cui subscripserat, præuaricator factus, in Ecclesiam Romanam pro eodem Photio insurrexisset. E

ERROR CIRCA BASILIVM. Huic Basilio tribuit Baronius ex Aquitanica Historia, debellatos per quindecim annos Bulgaros, prostratis eorum Regibus Samuele & Aarono. Quæ quàm sint consentientia ijs, quæ à Curopalate de eodem narrantur, lectori consideranda

randa

A randa reliquit. Cæterùm, vt contra Agarenos bellum gesserit Basilius Macedo, de quo hic agimus, nihil tamen eorum, quæ hoc loco refert Baronius, ad hunc Basilium spectare potest, sed ad alium, qui cum Constantino multis post annis imperauit, vt patet ex Cedreno & alijs: neque enim huius Basilij tempore alius fuit Rex Bulgarorum, quàm Bogaris, tempore Michaelis Imperatoris ad Fidem Christi cum vniuersa gente conuersus; cui demum successit Simeon, vt in loco dicturi sumus. Samuel autem & Aaron, longe postea secuti sunt: & alioqui nequaquam subsistent quæ hactenus ex historia Ecclesiastica etiam ex Romanorum Pontificum authoritatibus, de Bulgarorum conuersione
B deprompsimus.

Ad laudes Basilij referri potest, innumerabilium Templorum partim restitutio, partim à fundamentis erectio, in quibus tricena recensentur totius vrbis præcipua. Præterea plurimorum Iudæorum conuersio, quos largitione, & pollicitatione allexit; tametsi postea Iudaizantes Leo filius edita nouella constitutione compescuit. Singularis fuit & Ruthenorum, seu Rhos gentis, de qua superius diximus, in Fide nuper recepta confirmatio, quam illustre miraculum præiuit. *Ad An. 867.*

Plures victorias obtinuit, duæ tamen memorabiles habentur: altera contra
C Manichæos, altera etiam celeberrima contra Saracenos Tarsi regnantes. Illos quidem potentia elatos, & sub Chrysochire Principe militantes, ita prostrauit, vt multitudo eorum collecta instar fumi euanuisse videretur: hos vero Dei genitricis Mariæ ope, superbiæ & blasphemiæ pœnas dare coegit. Nam cùm Princeps illorum literas in hæc verba probrosas misisset: *Nunc videbo, an Mariæ filius, eiusque parens tibi proderit, vbi aduersum te cum exercitu venero; Andreas Basilij Dux, vir pius, eas imagini B. Virginis appendens, Vide, inquit, ô mater Dei, tuque ipsius Filius & Deus, qualia exprobrauit & superbe dixit contra tuum superstitem populum barbarus iste arrogans. Quibus dictis, in prælium processit, & parua*
D *manu ingentem hostium exercitum profligauit, cæso eorum Principe, & deletis prope modum vniuersis, vt paucissimi Tarsum euadentes nuncij cladis fuerint.* Mitto plures ex barbaris Scytharũ gentibus, missis Legatis sponte se Basilio subiecisse, inter quas numerantur illi, qui prouincia accepta, Croatæ postmodum, & Seruij dicti sunt. Felix Imperator Basilius, nisi Photio fauens, Ecclesiæ Romanæ abdixisset, communi cum illis fato, Heraclio puta, Iustiniano & similibus, quos alioqui felicissimos, hæreses, vel schismata, funestos, & inglorios reddiderunt.

Scripsit & Librum de Iure, ex quo paucis exceptis, quæ habentur in Codice Iuris Græcorum, cætera desiderantur: & aurea ad filium Leonem monita senis
E & sexaginta capitibus contenta; quæ Rex Hungariæ D. Stephanus lectitasse videtur, nec pauca ex ijs præcepta Emerico filio suo, vt videbimus, deprompsisse.

Porrò Leo Imperator in ingressu Imperij statim Ecclesiæ Romanæ consentiens, Photium deiecit, & Stephanum germanum suum, eidem Patriarcham subrogauit, dispensante circa huius electionem Stephano Romano Pontifice, quòd à Photio Diaconus ordinatus fuisset. Ita depositus Photius, & eiectus, relegatusque in Monasteriũ Armenorũ, nunquam amplius restitutus est; nec scitur quando & quo genere mortis diem clauserit, occultantibus Schismaticis, qui mira veneratione tanquam authorem, & doctorem suum diu postea coluerunt. *LEO ROMANÆ ECCLESIÆ CONSENTIT.* *PHOTIVS DEIECTVS.*

Ea-

Eadem religione Leo, Theodorum monachum Santabarenum, impostorem, flagris cæsum oculis priuauit, & Athenas relegauit; hominem secta Manichæum, professione Magum, simulatione Christianum; qui, vt Constantinus Manasses affirmat, imposturis quibusdam miracula affectabat, à Basilio Imperatore creditus Sanctus; maxime, quòd ei filij Constantini, cuius obitum grauissime ferebat Basilius, spectrum obiecisset; vt nimirum Constantinus equo insidens patri occurreret: quem cùm amplexus, & deosculatus fuisset, non amplius viderit. His & id genus pluribus effecerat Santabarenus iste, vt Imperator in admirationem adductus, totus ex eo penderet. A

B

Indict. 5.

IESV CHRISTI ANNVS 887.	STEPHANI PAPAE VI. ANNVS 3.	CAROLI CRAS. IMP. 7. LEONIS VI. 2.

CAROLVS IMPERIO EXCIDIT.

Carolus Imperator sæpè fortuna vsus aduersa, hoc anno *viuus dimisit Regnum*, vt ait Vrspergensis. Regno pulsum scribit Frisingensis: plerique à suis repudiatum, & ob segnitiem corporis, & ob tarditatem ingenij potestate deiectum. Qua occasione suam periclitati fortunam Hungari, pene religionem attriuere, mox in Imperio grassaturi, nisi paucorum fortissimorum industria se obiecisset. Et miseranda profectò fuit sors Caroli, *quem Imperatorem inter omnes Reges Francorum*, inquit Otho Frisingensis, *post Carolum Magnum maximæ potestatis, in breui ad tantam tenuitatem venisse cerneres, vt panis quoque egens ab Arnolpho iam Rege facto stipendia miserabiliter exigeret*. C

Lib. 6. cap. 9.

Id sane magno Dei iudicio factum, quòd Augustam Richardem ex leuibus quibusdam suspicionibus, contra ius fasque repudiasset, tametsi illa non vno modo innocentiam suam periclitandam obtulisset. Pluribus hæc, sicut etiam egestatem Caroli persequitur Rhegino; tametsi eum ex multis laudet, inter quæ reponi potest libellus ab eodem conscriptus, *de visione ante triennium ostensa*, nempe de locis inferis & purgatorijs, quibus complures Principum, & Episcoporum, aliorumque Consiliariorum, & Politicorum, qui bella ciuilia suscitassent, continuisque fomitibus aluissent, horrendum in modum torqueri vidit: dignus qui hoc tempore manibus omnium teratur, & in animum demittatur, si quid tamen fidei meretur apud hodiernos Politicos. Ibidem etiam offendit nonnullos ex suis Consiliarijs pœnas æternas dantes. Vidit etiam locum sibi ad torquendum præparatum, nisi vitæ præteritæ acta emendasset. Denique in amœnitate Sanctorum vidit Lotharium auum, & Ludouicum huius filium, à quibus etiam audiuit genealogiam suam extinguendam, nisi Beato Petro posteri obedientes forent: denique citò se Imperio, & paulò post etiam vita priuandum. Habentur hæc descripta in Auctario Bedæ, & apud Vvillelmum Malmesburiensem. Et probata euadunt, tot Regnis, ex quo Principis Apostolorum Sedes Romæ fundata est, eadem de causa, vel excisis, vel extincta Regum Principumue successione, ad alienas familias deuolutis; vt interdum vnum idemque Regnum, integro nondum labente sæculo, tertium quartumque genus admitteret. D E

VISIO CAROLI.

Apud vtrumque lib. 2. cap. 2.

Maurus Rag. lib. de Reg. Salu.

Ad hunc annum conijciunt aliqui institutionem Cyrilli in Volegradensi (hodie

A (hodie Pragensi) Ecclesia, factam, vt ipsi putant, ab Hadriano Tertio Romano Pontifice, adeoque primum Morauorum Archiepiscopum inauguratum, postquam is Religione Christi Bulgaros, Seruios, nec non Regem Dalmatiæ Suetopelechum, ac denique Suatoplugum Regem Morauorũ cum tota sua ditione imbuisset. Eundem porro, cùm quinquennium Ecclesiæ suæ præfuisset, cessisse curis tradunt; & annuente Stephano, qui Hadriano successit, Methodium fratrem sibi subrogasse. Verùm ista quàm nec ritè, nec ordine huic tempori conueniant, vt mittam aliquot annis ante Hadrianum è viuis excessisse, ex ijs quæ consequenter dicturi sumus, manifesta erunt.

B Hoc anno relatum est Antisiodoro ex Burgundia corpus S. Martini, triginta & vno annis postquam metu Normannorum transuectum fuisset. Infinita in reditu miracula, eius virtute patrata sunt: singulare in primis fuit, vix attigisse limites Turonensis districtus, quando omnes arbores & prata verno tempore virere, & frondere visæ sunt. Effusa in occursum vniuersa regio plurima sensit beneficia. Memoriã huius relationis ex Burgundia solemni festo annuo celeberrimã fecit authoritate synodica Adelandus Archiepiscopus cũ suis Prouincialibus; eique nomen *Exceptionis*, decimatertia Decembris, indidit; ne cum illa translatione confunderetur, quæ sub Perpetuo facta est, & locum in Martyrologio Romano ad diem quartum Iulij inuenit: aut etiam eadem censeretur cum ea solemnitate, quæ *Subuentionis* vocabulum alia de causa sortita est, vt alibi ex Odonæ Cluniacensi diximus. C *Ad an. 852. & 856.*

IESV CHRISTI ANNVS 888.	STEPHANI PAP. VI. ANNVS 4.	LEONIS VI. IMP. 3. ARNVLPHI REGIS. 1.	*Indict. 6.*

CArolus hoc anno moritur duodecimo die mensis Ianuarij, feria sexta, non multo postquam Imperio exutus fuisset, iuxta dicta in visione sibi oblata; sepeliturque in Augiæ Monasterio. Ex hoc tempore, confusè Romæ regnatum esse vsque ad Othonem, tradit Frisingensis; Carolo enim mortuo Imperium multis modis scissum est, singulis Prouincijs singulos Reges creare cupientibus; Arnulpho tamen pars maxima cessit. Itaque in Italia Berengarius Dux Foroiuliensis in Regẽ eligitur: Vvido, siue Guido, filius Lamberti Ducis Spoleti, Imperatoris nomen assumit. In Gallijs etiam Comes Parisiensis Otho, siue Odo, Rex nominatur, etsi viueret Carolus Simplex legitimus heres: sed & Rodulphus Conradi filius nomen Regis sibi imposuit. Vt autem diximus, Arnulpho pars maxima cessit: qui tamen à Romano Pontifice nondum coronatus, Regis duntaxat vocabulũ obtinuit, Vvidone interim à Romano Pontifice vncto, nomen Imperatoris ferente. Quod tamen sub Formoso Stephani successore primùm euenisse, constat ex literis eiusdem Formosi ad Fulconem Rhemensem data; tametsi Luitprandus scribat Vvidonem, audita morte Caroli, statim Romam profectum, & absque Francorum consilio, totius Franciæ vnctionem Imperij suscepisse. D E CAROLI IMP. OBITVS. *Lib. 6. c. 9.* *Lib. 1. c. 6.*

Sic itaque Italia & Galliæ hoc potissimum anno, pluribus Tyrannis emergentibus, sunt conflictatæ. Quod autem deterius videri potuit, & *planè monstruosum*, inquit Baronius, *illud fuit, quòd tam Episcopi, quàm Abbates, armati ad bella*

procederent, in hostes irruerent, caderent ipsos, & caderentur ab ipsis. Execrandum plane diu istiusmodi facinus inoleuit in Gallijs; cuius merito accidisse putamus, vt externis atque ciuilibus bellis eadem Prouincia affligerentur; sed eò deterius, quòd ijdem etiam ab eius temporis scriptoribus laudati reperiuntur, nomine bellicæ fortitudinis, cùm tanquam sacrorum Canonum violatores, & muneris pastoralis, & nominis desertores detestandi fuissent. Hæc Baronius, sed non ex sensu Politicorum. A

Ad significanda porrò tot mala imminentia, fortasse retulerit quispiam memorabile illud, & formidolosum portentum, quod Aureliæ hoc anno contigisse narrat Glaber: vt in Monasterio Principis Apostolorum, Seruatoris è Cruce in medio defixa pendentis Imago, riuis lacrymarum per multos dies continuè manaret, excitis ad spectaculum vniuersis, qui cladem Aurelianam, vt olim Christo in viuis lacrymante Hierosolymitanam, portendi gementes sibi obnunciabant. Non multo post accessit & alterum: vix vt diluculo apertis Ecclesiæ Cathedralis valuis, ingressus lupus, & funem campanæ arripiens, crepera agitatione, cunctis stupore attonitis, insonaret. B

Lib. 2. cap. 5.

SYNODVS MOGVNTINA.

In his Regum, & Regnorum scissionibus coacta est Synodus Moguntiæ, qua saltem Germaniæ, & Prouincijs adhærentibus consultum foret, ne religio cum Republica pessum iret. Quantum enim vbique cladis, & vastitatis intulissent Nortmanni, dici vix potest: sed funestiora pati cogebantur ciues à Christianis raptoribus, publice grassantibus, qualia nec à Paganis; funestissima verò à Schismaticis, planè iugulum omnis religionis petentibus. Quæ omnia bonis lugenda cùm ob oculos posuissent Patres Synodi, quomodo obuiare & corrigere possent deliberabant. C

In hac igitur Synodo conditi sunt vigintisex canones: quorum tres primi Arnulphum Regem admonent, quomodo sanctè & iustè oporteat regnare, Deo rationem redditurum: reliqui in reformandis moribus, & disciplina Ecclesiastica versantur.

D

IESV CHRISTI ANNVS 889.	STEPHANI PAP. VI. ANNVS 5.	LEONIS VI. IMP. 4. ARNVLPHI REG. 2.

Indict. 7.

RELIGIO IN HVNGARIA TVRBATA.

RES Religionis in Hungaria non suo loco sedet, bellorum turbata incommodis. Nam etsi Vvichindus Nitriensis Ecclesiæ Præsul, dignam sanctitate nauaret operam, nec minus diligenter Methodius Morauorum Apostolus in eam authoritate Sedis Apostolicæ curam incumberet, vt Hungarorum religio non tantùm in ijs qui admiserant, conseruaretur, verùm etiam ad alios propagaretur; quia tamen Zuventebaldus Morauorum Dux, qui hos Dei Sacerdotes à Romano Pontifice impetrarat, eisque pro religione laborantibus manu & censu aderat, bellis contra Arnulphum implicitus, præstare quæ oportuisset minus poterat, hinc religio, & pietas labefactari cœpit. E

ARNVLPHVS MORAVOS SVBIGIT.

Nam cùm Arnulpho Germaniæ Regi in diuisione Regnorum pars maxima cessisset, vt Bauaris, Sueuis, Francis Orientalibus, Lotharingis, Saxonibusque ius diceret; Zuventebaldus suæ ditioni inhianti viriliter repugnauit, nulla vt potentia se in ordinem redigi pateretur. Id propter Arnulphus Hungaros sponte

sua

A ſua in omnem occaſionem intentos adſciuit; deuictoque Zvuentebaldo, Regno eiuſdem ſeuere potitus eſt. Hæc ſemina malorum; quæ totum orbem Chriſtianum, Hungaris frænari neſcijs, peruaſerunt; iacente interim vbique apud ipſos religionis cura: Vt non immeritò Luitprandus Arnulphum execratus, in hæc verba exclamet: *O cæcam Arnulphi regnandi cupiditatem! O infelicem amarumque diem! Vnius homuncionis deiectio*, (nempe Zuventebaldi,) *quem aduerſarium patiebatur, fit totius Europæ contritio. Quot mulieribus viduitates, patribuſque orbitates, virginibus corruptiones, Sacerdotibus, populiſque Dei captiuitates, Eccleſijs deſolationes, terris inhabitatis ſolitudines, cæca ambitio paras!* Hæc Luitprandus.

B

IESV CHRISTI ANNVS 890.	STEPHANI PAPÆ VI. ANNVS 6.	LEONIS VI. IMP. 5. ARNVLPHI REGIS 3.	Indict. 8.

REbus ſic ſtantibus, quantum damni Arnulphus Eccleſiæ, & religioni dederit, dici vix poteſt; quanquam fortaſſe aliàs non iniuſtam bellandi cauſam habuerit, ambitione vacuam, ſi vera ſunt quæ Rhegino, Mutius, & C alij ſcribunt; defeciſſe nimirum ab Arnulpho Bohemos, & Morauos, aut certè pacta cum Germaniæ Regibus non ſeruaſſe. Sed an propterea Hungarorum auxiliares copiæ euocandæ erant, cum quibus certum erat venturas vltro phalanges non Hæreticorum aut Schiſmaticorum, ſed Paganorum, quibus Chriſti religionem excindere deliciæ erant, viderint ambidexteri Politici. HVNGARI ARNVLPHO AVXILIARES.

Neque tamen adeo inhumani erant Hungari, quin ſuis contenti ſtipendijs, ſi obtinuiſſent, pedem ad ſua retuliſſent: ſed enim cùm ab Arnulpho improbe exigerent, neque is ſoluendo eſſet, promiſſis tandem effecit, vt patriam repeterent, diem dictum expectantes. Qui cùm adeſſet, neque tamen Arnulphus D reſponderet, Hungari fraudatos ſe querentes, in Germaniam duxere, omnia vſque ad Friſiam depopulati; mox & Gallias, deinde & Italiam adorti; hìc tamen è voto Longobardorum clementiùs egere.

Hoc loco non pauci Scriptores, mira de Hungarorum feritate tradunt, planè in commentum deſinentia; quaſi hactenus in Europa ignoti fuiſſent, & nunc demum è Scythia effuſi, abſque vlla humanitate nedum religione, terrore cunctis eſſe cœpiſſent. Horum inconſiderantiam inſuper habentes, quod res eſt, memoramus: Veniſſe in dies è Scythis in Pannoniam, qui religioni iam ab ætate Caroli Magni inditæ, & hactenus ſaltem non prorſus euerſæ, barbariem E africarent, vicisſim moribus priorum miteſcentes, ſi cætera æquitati conſentanea iudicaſſent. Cæterùm illi, qui pridem religione tractabiliores euaſerant, libertatis priſtinæ memores, nec alieno Domino parere aſſueti, quod pridem ante parturiebant, hoc iam prætextu pariendum iudicabant. His opportunè aderant recèns è Scythia egreſsi, & necdum omni humanitate præditi, qui cæteris iuncti, facile eos ad priſtina retrahebant: omnes porrò Nortmannorum cum Dacis, & Saracenis per Gallias graſſantium exempla, & ſucceſſus concitatiores reddebant, vt eadem, & longe immaniùs auderent in Germania. Rhegino ad an. 889. Rauzan. in Ep. Ind. 6.

Scilicet hac negati ſtipendij arrepta occaſione, viribus inſtauratis, non ſolum ab Arnulpho aperte deficiunt, verùm etiam paratum bellum inferunt, tanta- Mutius lib. 11. hiſt. Germ. ad ann. 888.

contentione in libertatem asserere conati sese, vt non modò senes, & imbelles, A
sed mulieres quoque in delectu nomina vltro, dissimulato sexu, darent, acceptam, vt iactabant, imo & pro tessera ferebant, à Carolo Magno seruitutem vlturæ. Et fecere, quemadmodum ex parte in loco dicemus; neque enim omnia ad institutum spectant; immaniter, nullum feritatis genus prætermittentes; vt, si pollutam vtriusque sexus pudicitiam, quam domi militiæque semper coluerunt, excipias, cæde, sanguine, & incendijs, Attilæ tempora meliora fuisse dixeris.

B

IESV CHRISTI ANNVS	FORMOSI PAPAE ANNVS	LEONIS VI. IMP. 6. ARNVLPHI REGIS 4.
891.	1.	

Indict. 9.

OBITVS STEPHANI PAPAE. STephanus Papa, exactis in Pontificatu sex annis, migrat hoc anno, decimatertia Maij, in Sabbato. Succedit Formosus Portuensis, & legationibus, & rebus alijs bene gestis clarus, sed nihilominus pro rerum vicissitudine aduersa fortuna conflictatus: à Ioanne Papa Octauo damnatus, causa nunquam cognita, & in Gallias captiuus abductus, à Marino summa cum laude restitutus, nunc demum meritis poscentibus ad summum Pontificatum eligitur, tumultuaria quamuis electione, quòd vt scribit Luitprandus, Sergium quendam Romanæ Ecclesiæ Diaconum, pars quædam Romanorum elegisset; quem tamen altera pars Formoso fauens, non mediocri tumultu & iniuria ab Altari expulit. Et hoc fuit vndecimum Schisma in Ecclesia Romana. C

Nortmanni, inito cum Christianis Francis prælio, magna eos clade afficiunt, euersa etiam Ciuitate Vvormatia, vbi & Moguntiæ Archiepiscopus Sunderoldus, aliàs Sunzo, præter alios magni nominis viros, desideratus est. Contigit hæc cædes festo Kal. Iulij, seu die vigesimasexta Iunij in Sabbato; quod notant Rhegino, & Marianus Scotus. Quæ dum agerentur, res erat Arnulpho contra Bohemos, & Slauos, quam grauiorem fecit acceptus de interitu suorum nuncius. Sed reuocato in pectus animo, continuò contractis Orientalium copijs, quibus non pauci Hungarorum, nondum penitus relicto Arnoldo, adiuncti erant, Rhenum transmittit, & insolentibus victoria Nortmannis aduersum factus, prælium indicit: quo illi risu & cachinnis more insultantium inito, ad vnum omnes, Arnulpho diuinitus, vt creditur, recto, internecioni deduntur, vt ne nuncius quidem cladis superesset. Qua victoria parta in Bauariam reuersus, hostibus formidabilis esse cœpit. D E

A

IESV CHRISTI ANNVS 892.	FORMOSI PAPAE ANNVS 2.	VVIDONIS IMP. 1. LEONIS VI. IMP. 7. ARNVLPHI REGIS 5.

Indict. 10.

Formosus Papa Vvidonem Imperatorem Romæ coronat. Ea res mouit animos Arnulphi, & Berengarij æmulorum, qui honore præstare videbantur: sed & Romanos ciues infensos reddidit Formoso, quòd Augustalem coronam meliori loco positam optarent. VVIDO IMPERATOR.

B Nortmanni, qui superioris anni cladi non interfuerunt, collectis viribus iterum Germaniæ Ecclesias affligunt, coniuncturi vires, si posint, cum Hungaris, qui & cum Bohemis feliciter conflixissent, & non inferiori successu Germaniæ superiori imminebant: quod si fecissent, bello sociali, rerum in Europa dominiũ hactenus se obtenturos certo sibi persuadebant. Interim inter alia damna Ripuarijs data, nobile quoque Monasterium Prumiense, quibusdam Monachis & familia trucidata, depopulantur. Quo tempore cùm Farabertus dicti Monasterij Abbas, curã sponte deposuisset, subrogatus est Rhegino Abbas, quem
C sæpius in his Annalibus laudamus: nõ diu tamen durauit, quòd *æmulis agentibus Richarium*, inquit ipse, *inuidiosum sui negocij successorem sustinuerit*. Libenter verò huius Monasterij meminimus, quòd ex eo prodierit magnus ille Adalbertus, postea Hungarorum dictus Apostolus, vt in loco memorabitur.

Ad hunc annum referri potest Vvichingi, postquã apud Morauos aliquandiu operam posuisset, ad Cathedram Patauiensem promotio; quam aliqui, cùm ab Arnulpho Rege factam velint, aliquot tamen annis incongruè anticipant. Certum est, Arnulpho aduersus Morauos bellum gerente, innotuisse Vvichingum à doctrina, & consilio; eamque gratiam inijsse, qua deinde Angelomaro
D defuncto, vteretur ad obtinendam prædictam Ecclesiam. Cui tamen vix ingresso molestus admodum fuit Diethmarus Salisburgensis Archipræsul, qui suorum Concilio coacto, Vvichingum Morauiensem, contra instituta Patrum, & à seculari potestate, vt aiebat, intrusum, vertente anno exauthorat, & insuper habita Regis Arnulphi sententia, Richarium instituit. Cæterùm Vvichingus apud Arnolphum olim etiam Cancellarij munere gratiosus, facile Diethmarum contempsit, & Richario Romam confugienti negocium facessiuit, vt neque Episcopatum contra se, neque Pallium contra Diethmarum (nam & Laureacensem sedem ambiebat) obtineret. Tandem vero Arnolpho iam Im-
E peratore, quod infra dicemus, Vvichingus ciuitate ipsa Patauiense, cum omnibus eiusdem iuribus & reditibus donatus est, frendentibus licet Richarij fautoribus: quod tamen nonnihil leniuit ea indulgentia, qua Vvichingo asidue apud Arnolphum agente, Richarius interim Patauij pro eo administrauit; vt ea de causa Scriptores Vvichingi functionem breuiori longe tempore, quàm Richarij circumscribant, nec minimum varient in constituenda serie, & Episcopatuum annis.

Indict. 11.

IESV CHRISTI ANNVS 893.	FORMOSI PAPAE ANNVS 3.	VVIDONIS IMP. 2. LEONIS VI. IMP. 8. ARNVLPHI REGIS 6.

FOrmosus Papa inter alias curas, hoc anno, qui est secundus Vvidonis, huius quoque filium Lambertum Imperatorem creat & vngit. Videbatur hac successione cautum, ne exteri imperarent, si res domi bene constitutæ fuissent. Vvidoni tamen Lambertus haud successit, quia Berengario Duce B Foroiuliensi, & Ludouico filio Bosonis de Imperio decertantibus, Ludouicus Arnulphi filius, Berengario fugato, obtinuit, & à Summo Pontifice Stephano Septimo, vt videbimus, coronatus est.

Idem Formosus ob graues, quibus Ecclesia Dei passim vexabatur perturbationes, generalem Romæ Synodum indicit ad Kal. Martias, inuitatis etiam Transalpinis Episcopis. Nempe in Oriente perniciosæ hæreses gliscebant, Constantinopolitanam Ecclesiam schismata labefactabant, Africanam suarum prouinciarum Episcopi, simili contentione scindebant; qua de causa Legati inde missi aderant, responsa petentes. Quod ad bella attinet, Normannicæ gentis C procellæ passim, sed in Gallia & Germania præcipuè imminebant; nec minora pericula ab Hungaris expectabantur, nisi quod isti à Leone Imperatore Orientis aduersus Bulgaros vocati, disceptabant inter se, an seruire alijs mallent, an vestigiis Attilæ insistentes Imperium sibi in Occidente parare.

HVNGARI A LEONE VOCATI CONTRA BVLGAROS.

In hanc posteriorem sententiam cùm iuissent, Leo Imperator Turcas in societatem belli adsciuit, malo sane exemplo infidelibus contra Christianos vsus. Ea de causa opinor, ab his in acie victus; ducibus amissis pœnas dedit, in summum animi coniectus dolorem. Hac occasione dissoluto inter Bulgaros, & Constantinopolitanum Imperatorem pacis vinculo, Ecclesiæ quoque Bulgaricæ præfectura, quam Græci varijs artibus sibi vendicauerant, ad Romanam D Ecclesiam concessit, Bulgaris se sponte subijcientibus.

Porrò gestum diu est bellum contra Græcos à Simeone Bulgarorum Principe, Bogaris, qui non ita pridem cum populo suo, Christo nomen dedit, filio. Quo tempore vero, aut Bogaris vita functus sit, aut Simeon illi successerit, haud certo constat, quibusdam biennio antehac, alijs pridem ante censentibus. De Bogari ex alijs narrat Rhegino, eum à percepta baptismi gratia, insigni sanctitate suis præluxisse; interdiu Regis ornatu coram populo incedentem, noctu verò sacro habitu amictum clam Ecclesiam ingredi, & in pauimen- E tum cilicio instratum procumbere, & orationi vacare solitum: Nec multo post diuina inspiratione actum, Regnum terrenum filio maiori natu dimisisse, & assumpto sanctæ conuersationis habitu Monachum effectum, eleemosynis, vigilijs, ieiunijs, & orationibus diu noctuque studuisse. Cæterùm, quia filius degener, ebrietatibus, commessationibus, & libidinibus plus quàm Regni curis vacaret, quodque peius est, populum ad gentilitatis ritum reuocare conaretur, pater non dissimulandum ratus, deposito sacro habitu, regium cultum, & militiæ cingulum resumpsit; adiunctisque sibi, & Christo fidis commilitonibus, filium fugientem retraxit, & luminibus priuatum perpetuo carceri mancipauit.

BOGARIS REGIS BVLGAR. SANCTITAS.

Tum

A Tum conuocato Concilio minorem natu, Regni diademate insigniuit, supplicium fratris interminatus, si minus dignè vitam instituisset, multoque magis, si quippiam damni religioni Christianæ dedisset. Quibus peractis, deposito cingulo, iterum Monachum indutus, in Monasterium reuersus est, reliquum vitæ præsentis optimo fine claudens.

Hæc Rhegino fere, & quidem alij de Bogari Bulgarorum primo Rege Christiano; Alij tamen id de Simeone affirmant, qui & Labas dictus est; eumque Philosophum, in primis, deinde militiæ Ducem insignem prædicant; qui Athenis excellenter eruditus, cùm in patriam reuersus fuisset, Rex inauguratus VARIÆ DE BOGARI ET SIMEONE FILIO SENTENTIA.
B est; nec multo post ex studio philosophiæ, diuino amore succensus, contempto regno caduco, Monachum professus est, nec paucis annis dignam Monasterio Sanctorum vitam egit; sed tandem tædio victus, & pessimo exemplo desertor factus, Regnum repetijt; ductaque vxore, plura cum Basilio Imperatore Græco eiusque filijs Leone, & Alexandro bella gessit: bis capta Hadrianopoli, SIMEONIS RES GESTÆ. bis obsessa Constantinopoli, vastata tota Thracia, eò redegit incolas, vt non nisi conditionibus ex arbitrio victoris præscriptis pacem impetrarint. Neque tamen postea pœnituit religionis desertæ, sed quietis impatiens, cùm Croatis, qui se Basilio Imperatori vnà cum Seruijs subiecerant, prouincia ad inhabitan-
C dum ab eo accepta, bellum intulisset, ab illis victus in montium angustijs exercitum amisit. Ita non pauci partim ex Luitprando, partim ex Zonara in Romano Lacapeno. Verùm Luitprandus, vt Monachum fuisse dicat, non tamen ipse Athenis, vbi tunc aut nulla fuere, aut certe languida literarum studia, sed Bizantij ingenium excoluit: Græci Scriptores Monachum fuisse tacent.

Quod tamen spectat ad interitum eiusdem Simeonis; addunt Græci, Zonaras, & Cedrenus, fuisse Ioannem quendam Astronomum, qui ad Romanum Lacapenum Imperatorem accesserit, eumque monuerit, vt mitteret, qui caput
D columnæ, quæ supra Xerilophi fornicem posita Occidentem respiciebat, auferret: ita enim Simeonem, cui illa fatalis erat, statim periturum. Executus hoc est Imperator: & qua hora statuæ fuit abscissum caput, quod diligenti inquisitione Romanus postea deprehendit, Simeon in Bulgaria cordis morbo, vt Zonaras habet, ex dolore stomachi interijt. Morte eius Bulgariæ Regnum ad Petrum redijt natum ex secunda vxore; nam Michaelem ex priore genitum, coniuge viuentem, adhuc Monachum fecerat. Nescio vnde habeat Luitprandus, alterum filium Baianum fuisse vocatum, adeo. Magiæ deditum, vt eius præstigijs, ex homine fieri lupum, & quamcunque vellet aliam cerneres formam.

E Id genus veneficij familiare fuisse apud Scythas, vulgatum est apud Scriptores; vt mirum non sit, illis in Asiam & interiorem Europam effusis, deerrasse ad plerosque nondum Christo initiatos; quibus vel idcirco religio sanctior inuisa fuit, quòd procul haberet præstigias, omnemque superstitionem execraretur. Sed neque in Hungaria, priusquam gentilitas omnis extincta fuisset, plus aliquando pugnatum est in Christianam Religionem, quàm cùm Magica superstitio pleralque male feriatas mentes occupasset. Id exemplo cuiusdam Vathæ mortalium pessimi, in loco ostensuri sumus: qui totus dæmone imbutus, plantatam iam à Diuo Stephano Rege fidem, tantum non ex animis omnium exulsit, certe ingenti calamitate affecit.

A

IESU CHRISTI ANNUS	FORMOSI PAPAE ANNUS	VVIDONIS IMP. 3. LEONIS VI. IMP. 9. ARNULPHI REGIS 7.
894.	4.	

Indict. 12.

Formosus Ecclesiæ Anglicanæ ob Danorum incursiones vastatæ, & iam post annos septem Episcopis orbatæ prouidet; atque id ipsum Rex Eduardus nisi sedulò procuret, excommunicationem eidem comminatur: Idem facturus, si posset, per vniuersam Europam, & Hungaris etiam consulturus, si res permisisset: quippe mortuo hoc anno Zuventebaldo, sed diu ante pro mortuo habito, cùm in Morauorum Regnum filius Suatoboius, Arnulphi Regis è sorore susceptus, iuuenis admodum successisset, pietati minus assuetus, quemadmodum liberè, ita infeliciter rempublicam administrauit; ac tandem in sanctissimum Archiepiscopum Methodium offendens, iusto Dei iudicio, regnandi finem fecit. Quomodo autem hæc acciderint, in loco dicturi sumus. B

OBITUS ZVENTEBALDI REGIS MORAVORUM.

Hist. Bohem. cap. 13.

Quod vero ad mortem attinet patris Zuventebaldi, quem Æneas Sylvius Suatocopium vocat, & penultimum Morauorum Regem fuisse dicit, audiuisti superius, quomodo prospera fortuna ab eo tandem pœnas repetente, exercitu eius superato, in eremum secesserit, & incognitus, cum tribus eremitis, vitam asperam, sed Cœlestium contemplatione suauem inierit. Hanc porro postquam aliquot annis traduxisset, tandem mercedem regni dimissi percepturus, vbi vltimum sibi diem illuxisse sentit, accersitis socijs eremitis: *Nondum*, inquit, *qui fuerim nouistis; Rex ego Morauorum prælio victus ad vos confugi, & regiam vitam priuatamque expertus morior: nulla regni vita, est tranquillitati eremi præferenda. Hic securus somnus, dulces herbarum radices atque vndas efficit; ibi cura atque pericula, nullum cibum, nullum potum non amarum reddunt. Quod vita mihi fata dederunt, apud vos felix peregi; in regno quicquid eius transactum est, mors verius quàm vita fuit. Sepelite me hic postquam anima corpus liquerit: Morauiamque deinde petentes filio meo, si adhuc viuit, hæc nunciate. Atque his dictis vita excessit.* C D

Ab eo porro tempore, quo pro mortuo est habitus, Arnolphus eius filio Suatocopio, vt Chromerus vocat, tanquam ex sorore sua nato, vt Æneas Sylvius, ex sacro fonte suscepto, Regnum possidendum reliquit. Reliqua sequenti anno dicturi sumus. Sed hic prius animaduertimus variare Scriptores in narrando horum exitu: quippe Cromerus, quod nos cum multis alijs de Zuventebaldo in eremo defuncto asserimus, eius filio Suatoboio, (ita fere cum vocabulo Suatocopij patris confundit) contigisse ait, ipso vltro de se pœnas exigente, quòd Methodium Regno exegisset. Verùm quæ plurium, & antiquiorum authoritate nititur narratio, maiorem meretur fidem. Nam filium in excommunicatione mortuum plerique alij tradunt. Sed etiam Rhegino memorat ad hunc annum, circa hæc tempora mortuo, quemadmodum ipse loquitur, Zundibolch Rege Marahensium Sclauorum, filios eius pauco tempore Regnum infeliciter tenuisse, Hungaris omnia vsque ad solum depopulantibus. E

Lib. 2. de reb. Polon.

Interim, quod ad hunc annum spectat, Formosus Papa Carolum, Ludouici filium, adhuc puerum in Regem Francorum euectum, vt legitimum successorem

A rem ſtabiliendum curat; & quod notatu dignum eſt, panem ei, quem petierat pro pignore, benedictum mittit. Tanti priſca pietas fecit, vel res minimas à Romano Pontifice datas.

IESV CHRISTI ANNVS	FORMOSI PAPAE ANNVS	VVIDONIS IMP. 4. LEONIS VI. IMP. 10. ARNVLPHI REGIS 8.
895.	5.	

Indict. 13.

B SVatocopius filius Zuventebaldi Morauorum Regis, ab Eremitis edoctus de fortuna patris, quem cecidiſſe in prælio exiſtimauerat, corpus eius ex eremo, iam aliquandiu defoſſum, Volegradum, alias Vicegradum, hoc eſt Pragam, retulit, atque in ſepulchris Maiorum condidit. Porro Suatocopius iſte, quanquam Chriſtianorum Sacris imbutus eſſet, minus tamen quàm decuit Sacerdotes Dei venerabatur. Non multo poſt venationem facturus Methodio imperauit, ne ante ſuum reditum Diuina perageret. Expectauit Methodius ad meridiem vſque: tandem negligi rem diuinam veritus, Deo Sacrificium cœpit offerre. Interea Princeps vbi ſe neglectum animaduertit, ſacram ingreſſus C Ædem, multitudinem canum intromiſit, tubiſque clangere iubens, ad altare vſque progreſſus, conuicia multa Methodio ingeſsit, vix vt à violatione ſacrificantis manus abſtinuerit.

SVATOCOPIVS FILIVS ZVVENTEBALDI.

Ob quam rem, cùm & minæ furentis Principis in dies creſcerent, paucis poſt diebus Methodius in Bohemiam concedens, Regem lata ſacra cenſura extra Eccleſiam fecit, Regnoque ſacris interdixit. Quo audito Suatocopius, nihil ſani cogitare cœpit, ſed Methodium, vel è medio tollere, vel certè toto Regno pellere, & contradicentibus cum religione bellum inferre conſtituit.

Quo factum, vt Methodio, ne ſanctitatem, & religionem ordinaret, im-D pedito, pleraque ſacrorum ſtudia vileſcerent, adeoque à paucis timide, & negligenter Eccleſiæ munera obirentur: quòd malum mox ad Hungaros, qui magnam partem huic Principi parebant, proſerpens, cùm Methodio non amplius integrum eſſet ad eos proficiſci, & rem conſtituere, paulatim eos à pietate auerterit, & cum neglectu religionis impia quæque miſcuerit, contempta Nitrienſis Epiſcopi pro Methodio fungentis authoritate.

Magna etiam in Germania fuit deformitas multarum Eccleſiarum: ob quam cauſam, Formoſus Papa Concilium Triburienſe cogi voluit menſe Maio, Attonis Archiepiſcopi Moguntini opera, præſente Arnulpho Rege. In eo gene-E ratim plura ſunt definita; ſed nonnulla in ſpecie de reuerentia, & obedientia Epiſcopis ſeruāda, occaſionem ex ijs videntur accepiſſe, quæ inter Methodium, & Suatocopium Principem euenere. Quorum vnum illud eſt, vt excommunicati ab Epiſcopis, ſi contemnant, nec ad pœnitentiam inclinent, tanquam rebelles capiantur, & ad Regem puniendi ducantur; quo iure tenebatur etiam Suatocopius, beneficio Arnulphi Regnum obtinens.

CONCILIVM TRIBVRIENSE

A

Indict. 14.	IESV CHRISTI ANNVS 896.	FORMOSI PAPAE ANNVS 6.	VVIDONIS IMP. 5. LEONIS VI. 11. ARNVLPHI REG. 9. IMP. 1.

FOrmosus Papa à Romanis vehementer conflictatus, Arnulphum Regem Romam euocat. In cuius ingressu multi Romanorum Principes obuiam properantes, in vltionem Formosi decollari iubentur. Quæ res Formoso summum cum inuidia odium peperit. Mox Roma cum consensu eiusdem Formosi B
ARNVLPHVS IMPERATOR CREATVS. armis capta, & ad confessionem S. Petri magno honore ductus, ab eodem coronam Imperij suscepit. Ita Luitprandus; & Rhegino; qui tamen in eo fallitus
Lib. 1. cap. 8. Ad ann. 896. est, quòd putauit Vvidonem, antea à Formoso coronatum Imperatorem, anno præterito vita functum esse.

Cæterùm Romana Synodus sub Ioanne Nono annis postea circiter octo celebrata, Arnulphi coronationem, vt subreptitiam reiecit; quòd viuente Vvidone, & filio eius Lamberto, quem idem Formosus coronauerat, non potuit Arnulphus legitime coronari.

Tandem Formosus Papa hoc anno, die decimoquarto Decembris, feria quarta, sexto sui Pontificatus, ad Deum migrat, à multis huius temporis Scriptoribus insigni cum laude commendatus. Occupauit Sedem Bonifacius inuasor die Decembris trigesimaprima Sabbato. C

Indict. 15.	IESV CHRISTI ANNVS 897.	STEPHANI PAP. VII. ANNVS 1.	VVIDONIS IMP. 6. LEONIS VI. 12. ARNVLPHI REG. 10. IMP. 2.

D

BOnifacius Sextus, postquam Sedem Ecclesiæ per dies quindecim vsurpasset potius quàm tenuisset, Stephano Septimo, qui & Sextus dicitur, con-
Lib. 1. cap. 8. cessit. Mira de vtroque narrant inter alios, Baronius ad hunc annum, Luitprandus in historia sua. Verùm permittit interdum quædam mala Deus, vt significet Ecclesiam suam non humanum esse figmentum, quod peruersorum machinationibus destrui queat.

Sub hoc Stephano inuentum in Tyberi Formosi Papæ corpus à piscatoribus. Quantæ is religionis, & sanctitatis fuerit, Deus miraculo comprobauit. Nam, vt inquit Luitprandus, *ad B. Petri Principis Apostolorum Ecclesiam in loculo deportatum, Sanctorum quoque Imagines è pariete sese inclinantes venerabiliter salutauerunt*: id quod à religiosissimis Romanæ Vrbis viris persæpe se audiuisse, idem testatur. E

Porro cùm Romana Ecclesia inter alia mala, Italico etiam bello conflictata, in remotiora minus intendere valeret, disciplina Ecclesiastica multis in locis remisit; & in populis liberis neglecta religio in bella spectare cœpit.

SVATOCOPIVS EXTRA ECCLESIAM MORTVVS. Hinc etiam facile factum putes, Suatocopium Morauiæ Principem, contempta Pontificum reuerentia, penitus insorduisse, nec à censura, quam Methodius tulerat, fuisse absolutum; quippe quem insolentiæ tantum abest pœnituisse,

vt

A vt insuper habitis legibus sacris, obdurucrit magis, ac tandem extra Ecclesiam proscriptus animam cum vita prodegerit.

Quas inter turbationes Arnulphus Imperator, Ecclesiæ in Norico, & Pannonia, vt videbatur, prospecturus, Vvichindo Episcopo ciuitatem Patauiensem donat, & amputatis inter hunc & Richarium à Dietlimaro Salisburgensi protectum contentionibus, reipublicæ vtcunque consulit. Cætera quæ huc spectant, petenda ex supra dictis. Adan. 892.

IESV CHRISTI ANNVS	STEPHANI PAP. VII. ANNVS	VVIDONIS IMP. 7.
898.	2.	LEONIS VI. IMP. 13.
		ARNVLPHI REG. 11. IMP. 3.

B Indict. 1.

Mortuo in excommunicatione Suatocopio, Regnum Morauorum discerptum est: partem nimirum Germani & Bohemi, partem Poloni atque Hungari sibi vendicarunt. Hæc pœna fuit contemptus Sacerdotij, & Legum sacrarum: Sed non hic hæsit vltio diuina. Nam extincto Regno, ipsa quoque Archiepiscopalis Sedes in Morauia defecit: Ecclesia verò Hungarica quocunque in statu esset, ad Laureacensem Sedem, reuocato iure antiquo, de quo alibi pluribus diximus, redijt. Ex eo tamen pro temporum iniuria nihilo melior euasit res Hungarica, omnibus ad mutationem spectantibus; nec secus nutabant alia Regna, Carolo in Gallijs contra Odonem Nortmannos aduocare cogitante, Bulgaris in Oriente grassantibus. Sed quod iugulum rerum omnium petebat, Romana Ecclesia ab Adelbertis potentissimis Tusciæ Marchionibus grauissimè vexata est, eoque maiore cum periculo, quo malum vicinius erat.

HVNGARICA ECCLESIA AD LAVREACENSEM REDIT.

C

Cœpit hoc malum ab eo Adelberto, qui Stephanum intrusit; creuit diuitijs & potentia in posteris, vt soli viderentur Pontificibus Ecclesiæ dominari. Absque controuersia affirmant viri sapientes, nullam vnquam à quibuscunque aduersarijs, siue diuturniorem, siue molestiorem, ac grauiorem pertulisse persecutionem Ecclesiam Romanam, quàm ab hisce Tusciæ Marchionibus. Gentiles quidem Imperatores sæuiere gladio: sed tum plures Laurea Martyrij coronati effulsere Romani Pontifices. Insurrexere scriptis, & alienis à Fide opinionibus Hæretici omnis generis: sed tum ijdem Pontifices, & authoritate eminentiores, & pietate sapientiores, & doctrina euasere illustriores. Conati sunt quàmsæpissime Schismatici Romanam Ecclesiam discindere, & capite obtruncare: sed tum firma compage vnitatis, & charitatis, membra cum capite in vnum corpus arctissimè coniuncta, & pulchritudine admirabilem, & fortitudine inexpugnabilem eam reddidere; idemque fuit quoties à quibusuis perduellibus excidium intentatum est. At enim cùm Tyrannos passa est Romana Ecclesia Tusciæ Principes, siue pecunijs, siue armis Romano Populo Cleroque dominantes, tum intrusi sunt in Cathedram Petri, & Solium Christi, homines monstruosi, vita turpissimi, moribus perditissimi, vsquequaque fœdissimi, denique totius Orbis scandala pessima; vt merito vestimentis exuta gloriæ & lætitiæ, dolens ac lugens sederet in tristitia domina gentium.

TVSCIA COMITES ECCL. ROM. INFESTISSIMI.

D E

IESV

A

Indict. 2.

IESV CHRISTI ANNVS 899.	STEPHANI PAP. VII. ANNVS 3.	VVIDONIS IMP. 8. LEONIS VI. IMP. 14. ARNVLPHI REG. 12. IMP. 4.

OBITVS VVIDONIS.

MOritur hoc anno Vvido, coronatus à Formoso ex Duce Spoletano Imperator, dum abeuntem Roma Arnulphum coronatum item ab eodem Formoso, vt supra diximus, Imperatorem insequitur. Defunctus est iuxta Tarum Lombardiæ Cispadanæ fluuium; & vt Sigebertus habet, *à Deo percussus obijt*. B

Ad ann. 901.

ARNVLPHI INTERITVS.

Paucos hinc menses superuixit Arnulphus, multis malis conflictatus. Nam in primis propinata ei ab vxore Vvidonis Imperatoris per familiarem Arnulphi pecunia corruptum soporifera potione, deliquium mentis continuum passus est: deinde verò morbo pediculari, omnem medicorum diligentiam eludente, paulatim, & miserrime extinctus est, die vigesimanona Nouembris, feria quinta. Ferunt diuina indignatione luisse, quòd dum vbique res secundæ affluerent, Deo placere minimè studuerit, sed in dies plura ad eum prouocandum fieri permiserit: vt nimirum Sacerdotes Dei vincti pertraherentur, sacræ virgines vi opprimerentur, coniugatæ violarentur, nec Ecclesiæ confugientibus præberent asylum: quippe in quibus symbola fierent, ludi & cantus cum debacchationibus obscenis, & mulierum prostitutiones turpes, nulla vt religioni reuerentia esset. Plerique maximum scelerum ab eo commissorum putant, quòd Hungaros, à quibus tot mala patrata sint, in Germaniam immiserit. Meritò Luiprandus suspendit iudicium: quotus enim quisque Principum Christianorum in Christianos bella gerentium, non iisdem cum Arnulpho supplicijs plectendus foret? quanquam de occultis Dei iudicijs timidè planè, si arbitramur, temerè disputare non oporteat. C D

Lib. 1. Hist. c. 9.

Atque his tempora plusquam vnius seculi à prima Hungarorum conuersione emensi, vidimus quanta rerum, si vbique gentium, fuit vicissitudo, certe apud Hungaros, etiam religionis conflictatæ inconstantia; quæ diuina tandem dispositione, ijs fundamentis insedit, quæ concussa quidem diu, sed hactenus euersa non fuerant. Porro quod sequitur seculum, turbulentius multo est, ob bella ab Hungaris gesta: quasi religionis obliti, in ijs solùm salutem ponerent omnem, & in excidio nationum, quietem suam esse rerentur. Ea vero, quatenus ad institutum nostrum spectant, eatenus à nobis attingentur, vt vestigia quædam videri possint ad renascentem ducentia religionem. E



IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS	STEPHANI PAPAE VII. ANNVS	LVDOVICI 4. IMP. 1. LEONIS VI. IMP. 15. LVDOVICI REG. GER. 1.
900.	4.	Indict. 3.

TVrbulentum huius ſeculi curſum, initia ſat clarè oſtendunt. Stephanus Papa hoc anno, die, vt quidam tradunt, Octobris primo, in carcerem ab aduerſæ factionis hominibus detruditur, nec multo poſt ibidē ſtrangulatur. STEPHANVS PAPA CAPTIVVS.

B Ne porro in Eccleſia Romana potentium diſceſſionibus omnia ſacra miſcerentur, interceſſere bonorum voto Germaniæ Imperatores, quo minus cura Eccleſiarum, & conuerſionis gentium elangueret; vt hinc conijcias peculiarem Dei prouidentiam magno Eccleſiæ ſuæ nunquam deſerendæ argumento, dubijs ſemper rebus opportune adeſſe.

In hac proinde rerum perturbatione, præualente aduerſus Adelbertum Tuſciæ Marchionem factione Romanorum, ſuccedit Stephano Romanus, patria Galeſianus, primo die Octobris, feria quarta, vt quidam tradunt, qua etiam ſtrangulatus eſt Stephanus. ROMANVS SVCCEDIT STEPHANO

C De Imperio in Italia accerrimè certatum eſt: defunctis enim anno ſuperiori duobus coronatis Imperatoribus, Arnulpho, & Vvidone, eadem cauſa Berengarium Ducem Foroiulienſem, & Ludouicum Boſonis filium ad arma vocat; pluribuſque factis congreſſionibus, tandem Ludouicus fugato Berengario, coronam à Romano Pontifice reportat. In Germania ſuccedit Ludouicus Arnulphi filius, domeſticis & ipſe diſſidijs diſtractus, vt Hungaris alioqui ad ſe ſpectantibus moderari ægre poſſet. Hi enimuero tot Principum domi foriſque diſſenſiones ſuam occaſionem rati, quam nuper ſub Arnulpho Rege in Morauis, & Bohemis ſubactis, deinde in Bauaria vaſtata, belli aleam iecere, eandem ſub Ludouico Rege nouo, ardentius repetiuere, quòd hunc Berengario quoque D offenſum infra ſuam fortunam facile redigendum ſibi promitterent. Nec votum inane fuit: nam prælio ad Auguſtam congreſſi, exercitum eius occidione occiderunt, ac Sueuorum, inde Francorum, & Saxonum, iterumque Bauarorum fines rapinis atque incendijs peruaſtarunt. Ita planè quæ dudum parturiebant Orbi mala, hoc demum anno parere inceperunt. LVDOVICVS IV. IMPERATOR. HVNGARI GRASSANTVR

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAPAE IX. ANNVS	LVDOVICICI IV. IMP. 2. LEONIS VI. IMP. 16. LVDOV. 6. REG. GER. 2.
901.	1.	Indict. 4.

E

MEnſibus quatuor, & diebus viginti exactis, moritur hoc anno Romanus Pontifex, Februarij die vigeſimaprima in Sabbato; eo ſolum clarus, quòd acta Stephani contra Formoſum Papam reſcidit, & Ludouicum Quartum Imperatorem coronauit. Subrogatus eſt Theodorus Secundus patria Romanus, ex patre Photio; qui nullis geſtis inſignis, per dies ab electione viginti deceſſit, decimatertia die Martij, feria ſexta; eidemque ſucceſſit die ROMANI PAP. OBITVS.

IOANNES PAPA NONVS. sequenti Ioannes Nonus patria Tiburtinus, professione Monachus, necdum Presbyter, sed Diaconus. A

HVNGARI ITALIAM INVADERE PARANT. Rebus Ecclesiæ, & Imperij sic, vt vidimus, iactari pergentibus, Hungari nuperis successibus elati, hoc anno ad inuadendam quoque Italiam animum adiecerunt. Accessere ijs plerique; sed primum modica militum assumpta manu, fines Venetorum transgressi, ad Brentam agri Patauini amnem consederunt; missis inde speculatoribus, qui terræ situm, populorum frequentiam, mores ac studia ciuitatum explorarent. Hi profecti, renunciarunt campos esse colonis refertos, ab vno latere montibus arduis, sed fertilibus, ab altero mari Adriatico cinctos; oppida inesse multa, pleraque munitissima, populos, & numero, & robore præstantes; vtroque nisi superiores Hungari sint, frustra se Italiam tentare; cæteroqui rerum opulentia multis orbis Prouincijs meliorem. Quæ cùm audissent, motis illico castris, domum reuersi, totam hyemem in apparatu armorum, & exercitatione militum ponunt. B

IESV CHRISTI ANNVS 902.	IOANNIS PAP. IX. ANNVS 2.	LVDOVICI IV. IMP. 3. LEONIS VI. IMP. 17. LVDOV. REG. GERM. 3.

Indict. 5. C

HVngaris bellum Italicum meditantibus opportunè accessere plerique sui generis, ex ijs descendentes, qui olim Iustiniano alijsque Imperatoribus militantes, in Thracia sedem acceperant, multoque plures è Scythia recèns effusi, qui Pannoniæ cælo allecti, necessitudine quoque sanguinis auiti, suos requirebant. Quorum consuetudine, qui iampridem Christiana mansuetudine pectora imbuerant, facile religionem insuper habuere, in pristinam morum feritatem recidentes. Hi ergo omnes ingentibus suorum copijs contractis, Attilæ vestigia, & fortunam relegendam censuere, & exacta iam hyeme, HVNGARI ITALIAM INVADVNT. imo & adulta æstate, prout statuerant, è Pannonia in Italiam mense Augusto infunduntur: nec dici potest quàm immensa clade nobilissimas quasque Ciuitates Transpadanas affecere, detracta vbique præda, in reliquum incendio grassantes, nullæ vt Ecclesiæ à rapinis & flamma immunes essent. Quorum furori dum plures incolæ in vnum agmen conglobati resistere conarentur, sagittarum imbribus obruti miserè perierunt, pluribus Episcopis, & Proceribus trucidatis. D

Hic forte accidit, vt Ludmarus, siue Luthuardus, alijs Trusardus, Ecclesiæ Vercellensis Episcopus, assumptis secum, vt inquit Rhegino, *opibus atque incomparabilibus thesauris, quibus vltra quam æstimari potest abundabat, cùm effugere eorum cruentam ferocitatem omnibus votis elaboraret, super eos inscius incidit, ac mox interficitur, opibus quas secum ferebat, direptis.* Ita Rhegino, sed ad superiorem annum: cui tanquam eorum temporum Scriptori adhærendum esset, nisi in paucis tempora luxasset; quod etiam Baronius in quibusdam notat, & manifeste conuincit; hinc tamen nullum veritati periculum, quæ cum reipsa constat. Simile quippiam paulò infra ad annum huius seculi quartum ex Frodoardo notauimus; vt facile lector hærere queat in supparibus tempore Scriptoribus, nisi quæ consectanea sunt, ad examen reuocet. E

Fuit autem is Ludmarus, siue Luthuardus, *Caroli quondam Imperatoris*, vt inquit

A quit Rhegino, *familiarissimus, & Consiliarius à secreto*. Intellige Carolum Crassum, cuius, vt alij scribunt, Luthuardus fuit Archicancellarius; nisi hic diuersus sit ab illo; quod fieri vix potest.

Verùm, quod ad Hungaros spectat, ad primum tam fœdi tumultus nuncium excitus Berengarius, ingentem ex tota Italia exercitum conuocat, eumque aduersus Hungaros effuse omnia peruagantes adduxit. Hi maioribus se peti copijs, quam suæ erant, cùm animaduertissent, prælium detrectantes ad amnem Abduam festinanter retrocedunt, relicturi libenter prædam, si absque conflictu abire permitterentur. Negare id Berengarius, & vniuersos in vincula B aut mortem petere. Hungari in campos Veronēses citius efferri; extremo tamen agmine conuerso, adepti primam Berengarij aciem frangunt. Mox ad Brentam delatos, vbi vniuersus exercitus consecutus est, monere illi, ne quid amplius tentarent; paratos se dare obsides, quibus caueretur ne vnquam Italiam repeterent. BERENGARIVS HVNGAROS INSEQVITVR.

Sed enim Berengarius fortuna vtendum ratus, non cogitans volubilem esse, quæ nunquam in manus cuiusquam iurauit, vrgere acrius cœpit: ac tum demum Hungari indignati, vires, & animum consciscere; conuersoque Marte, ita in Berengarium irruere, duratoque furore sæuire cœperunt, vt tum Italici C experirentur, longe diuersum esse cum iratis pugnare, quàm cedentes insequi. Ingens ea clades fuit, si sanguinem fusum; nec minor, si trepidationem fugientium consideres; quando eadem victoria, & Taruisium, & Vicetiam, & Patauium direptioni obiecerit, nemine è locis munitis insessis, victori hosti congredi auso. HVNGARORVM DE BERENGARIO VICTORIA.

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAP. IX. ANNVS	LVDOVICI IV. IMP. 4. LEONIS VI. IMP. 18. LVDOV. REG. GERM. 4.	Indict. 6.
D 903.	3		

HVngari fortunam secuti, hoc anno Venetos aggrediuntur, paratisque lembis, vt tradit Sigonius, non solum Ciuitatem nouam, Equilium, Clodiam, & Caput aggeris incenderunt, sed etiam Albiolam prouecti Metamaucum, & Riuoaltum die festo S. Petri tentarunt. Et iure metuebant Veneti, ne sicut Attilæ Ducis quondam Hungarorum terror, suæ Ciuitatis condendæ causa fuerat, ita nunc Hungarorum furor conditam extirparet, adeoque ab eadem E infausta natione initium, & exitium sortirentur. Demum à Petro Duce naualibus copijs acriter resistente repulsi, sese ad mediterranea contulerunt; atque ad Apenninum populando progresi, obuia omnia, quæ munita non erant loca, vastarunt: neque Ecclesijs, aut Monasterijs temperatum. Inter alia Nonantulano Monasterio diuiti in primis, ac opulento, fœdum est illatum excidium. Plures etiam Monachos interemptos ex Sigonio tradit author nouæ in Martyrologium Romanũ Topographiæ, eorumque certamen ad diem Septembris vigesimum quartum exsignat. Verùm Sigonius Leopardum dicti Monasterij Abbatem cum Monachis forte incolumem euasisse scribit. *Lib. 6. de Regno Ital.* HVNGARI VENETIS INFESTI.

Addit idem Sigonius, Hungaros Mutinam ingressos, vrbem intactam, virtu- MVTINA A S. GEMINIANO DEFENSA.

te S. Geminiani Episcopi reliquisse. Id nisi diuersum sit miraculum ab eo A quod Attila sæuiente contigit, hoc loco non sedet. Tum enimuero is hostiliter Mutinam ingressurus, obuium habuit Geminianum pro salute communi deprecantem: qui cùm interrogatus, se seruum Dei esse responderet, subiecit Attila: *Et ego flagellum Dei sum, & ad eius seruos puniendos venio*; quo accepto Geminianus, *Bene*, inquit, *veniat flagellum Dei*: & Vrbis portis aperiri iussis, Regem cum exercitu ingressum excepit: ita tamen, *vt recta velut per agros patentes pergens, nec ædes, nec ciues cerneret, nulloque prorsus illato malo pertransiret*. Cuius rei memoria quotannis titulo *Victoria S. Geminiani* solenni ritu celebratur. Hæc tum Geminianus adhuc viuus; quin etiam hoc tempore meritis apud B Deum immortalibus, vrbis suæ liberationem impetrare potuerit, ciuibus præsertim magna eius rei fiducia, & religione flagrantibus, dubitari non debet.

BERENGARIVS HVNGARIS PECVNIAM NVMERAT. Porro cùm Hungari Italia minime se excessuros, nisi certa pecuniæ summa numerata affirmarent; Berengarius, vt primo quoque tempore se suosque liberaret, summo studio eam collegit, atque vt quam primum recederent effecit. Tum verò leuata hac mole Italia, ad resarcienda damna conuersus studuit imprimis Ecclesiis quæ vim eorum passæ erant, subleuandis. Fuisse in Hungaris non omnem prorsus religionis quondam susceptæ scintillam extinctam, ex eo liceat arguere, quòd expilatis Ecclesijs, Sanctorum reliquijs pepercerint; quòdque ijs, metu Christianorum in abdita loca recondendis, & debito publico C cultu priuandis causam dedissent, ad animum demi erint; vt hoc propter acceptа pecunia contenti, non se amplius in Italiam reuersuros testarentur, ne in vnum & summum Deum, in Sanctis suis mirabilem, grauioris olim offensæ pœnas darent non auertendas.

Ad hunc annum reduci potest epistola, quam Germaniæ Episcopi ad Ioannem Pontificem scripserunt, conquesti de Episcopis Morauiæ deficientibus à Laureacensi Metropolitano. Eam ad Ioannem Octauum scriptam notat Ioannes Cordesius, qui epistolas, & opuscula Hincmari Rhemensis collegit; id tamen D cùm vero constare non posse supra ad annum octingentesimum octuagesimum ostendimus, adeoque ad Ioannem Nonum datam probabilius esse diximus, Lib. 11. de Rep. Rom. fol. 6. c. 9. affirmante idipsum Lazio, rametsi alibi ex antiquissimis Annalium verbis, vt ipse loquitur, ad Ioannem Duodecimum hallucinatus referat, nulla similitudine veri; quando ex Episcopis, qui scripsisse dicuntur, vix aliquis ætati Ioannis Duodecimi superstes fuerit. Est autem huiusmodi, quam ad plura de statu Hungarorum cognoscendæ placet ex Hincmari opusculis describere, enotata ad marginem, si quæ est apud Lazium differentia.

E

ad. non vnius vrbis, sed totius orbis.

SVMMO PONTIFICI, ET VNIVERSALI PAPAE* DOMINO *Ioanni Romanæ Sedis Magnifico Gubernatori.*

*ad. Erchenbaldus Eystetensis. *al. Sebanensis. *ad. Episcopi.*

Humillimi Paternitatis vestræ filij, Theotmarus Iuuauensis Ecclesiæ Archiepiscopus, Vvaldo Frisingẽsis, Zacharias* Sebanensis, Tuto Ratisponensis, Richarius Pataniensis Ecclesiæ Episcopus*. Nec nõ & vniuersus Clerus populusque Christianus per totam Noricam, quæ & Bauaria vocatur, prosperum in Saluatore nostro prouectum, Catholicæ pacis augmentum, & regnum optamus æternum.*

*al. vestrorum. *al. moribus.*

ANTECESSORVM vestrorum, & Sanctorum Patrum institutis plenissimè instruimur, in omnibus* nostro Sacerdotali ministerio obstantibus, & aduersantibus, Romanum*

A *manum appellare Pontificem, vt quod ad vnitatem concordiæ, & ad custodiam pertinet disciplinæ, nulla dissensione violetur, sed ab ipso summa prouisione decernatur. Nequaquam enim credimus, quod coacti quotidie audimus, vt de illa sancta & Apostolica Sede, quæ nobis Sacerdotalis mater est dignitatis, & origo Christianæ religionis, profluxerit quippiam peruersitatis, sed doctrina & authoritas Ecclesiasticæ rationis. Sed venerunt, vt ipsi promulgauerunt, de latere vestro tres Episcopi, videlicet Ioannes Archiepiscopus, Benedictus & Daniel Episcopi in terram* Slauinorum, qui Moraui dicuntur, quæ Regibus nostris, & populo nostro, nobis quoque cum habitatoribus* subacta fuerat, tam in cultu Christianæ Religionis, quàm in tributo substantiæ* B *secularis, quia exinde primum imbuti, & ex Paganis Christiani sunt facti. Et iccirco Pataujensis Episcopus Ciuitatis, in cuius Diœcesi sunt illius terræ populi, ab exordio Christianitatis eorum, quando voluit, & debuit, illuc nullo obstante intrauit, & Synodalem cum illis, & cum suis, & etiam inibi viuentibus* Conuentum frequentauit; & omnia quæ agenda sunt, potenter* peregit, & nullus ei in faciem restitit. Etiam & nostri Comites illi terræ confines placita secularia illic continuauerunt, & quæ corrigenda sunt correxerunt, tributa tulerunt, & nulli eis restiterunt; vsque dum incrassante corda eorum Diabolo, Christianitatem abhorrere, & omnem iustitiam detrectare, belloque lacessere, ac obsistere sæuissimè cœperunt: adeo vt via Episcopo,* C *& prædicatoribus illuc* non esset, sed libitu suo* egerunt quæ voluerunt*.*

* al. in terra. * ad. suis. * al. inibi inuentis. * al. egit. * al. illô. * al. agrorum. * Ad. cuncta.

Nunc verò, quod nobis graue videtur & incredibile, in augmentum iustitiæ iactitant, se magnitudine pecuniæ egisse, vos eosdem præfatos Episcopos ad se direxisse, & in eodem Pataujensi Episcopatu talia egisse, qualia de illa Apostolica Sede nunquam exisse, neque Canonum decreta sanxisse, vt tantum Schisma vna pateretur Ecclesia: Est enim vnus Episcopatus in quinque diuisus. Intrantes autem prædicti in vestro nomine, vt ipsi dixerunt, Episcopi, ordinauerunt in nostro eodemque Episcopatu, vnum Archiepiscopum (si in alterius Episcopatu Archiepiscopus* esse potest) & tres Episcopos eius suffraganeos, absque scientia Archiepiscopi, & consensu Episcopi, in cuius fue-* D *runt Diœcesi: cùm in Concilio Africano cap. 20. decretum sit: Vt plebes, quæ in Diœcesibus ab Episcopis retinentur, quæ nunquam Episcopos habuerunt, nec nisi cum voluntate eius Episcopi, à quo tenentur, proprios accipiant Rectores* & Episcopos. Item in eodem Concilio cap. 45.* Vt plebes, quæ nunquam habuerunt proprios Episcopos, nisi ex Concilio plenario vniuscuiusque Prouinciæ, & Primatu atque consensu eius, ad cuius Diœcesim eadem plebs pertinebat, Episcopos minimè accipiant. In Decretis Papæ Leonis cap. 15. scriptum est: Nulla ratio sinit, vt inter Episcopos habeantur, qui à Prouincialibus Episcopis, cum Metropolitani iudicio non consecrantur. Item cap. 49. Vt si indignis quibusque, & longe extra Sacerdotale meritum constitutis, pastorale officium,* E *& gubernatio Ecclesiæ detur: non est hoc consulere populis, sed nocere; nec præstare regimen, sed augere discrimen. Et in eodem cap. post pauca inquit: Difficile est, vt bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio. Et in Decreto Papæ Cœlestini antecessoris vestri, cap. 17. continetur: Ne alicui locus concedatur Sacerdoti in alterius iniuriam.*

* Ad. si modo. * al. Archiepiscopum. * al. id est. * al. 65.

Antecessor vester, Zuentibaldo Duce impetrante, Vvichingum consecrauit Episcopum, & nequaquam in illum antiquum Pataujensem Episcopatum transmisit,* sed in quandam Neophytam gentem, quam ipse Dux bello domuit, & ex Paganis Christianos esse* patrauit. Cùm autem eisdem Slauis locus familiaris apud Legatos vestros dabatur, accusabant, & diffamabant nos in multis, & verbis mendacibus in-*

* al. Laureacensem Archiepiscopatum. * al. transmisit. * al. parauit.

stabat, quia nemo eis vera respondebat, dicentes nos eum Francis, & Alemannis A
scandalum, & discordiam habuisse: cùm hoc falsum esse ex hoc conuincitur, quia
amicissimi nostri sunt, & charitatiui * *cooperatores: & etiam eum ipsis impacatos esse*
*accusabant. Quod non nostra culpa exigente, * sed sua potentia* * *faciente, ita fatemur*
esse. Quia quando Christianitas illi cœpit vilescere, & insuper debitum tributum se-
nioribus nostris Regibus, & Principibus eorum soluere respuerunt, belloque resi-
stere, & gentem nostram cœperunt lacessere; orta est seditio inter illos. Et quo-
*niam armis * eos defenderunt, & in seruitium redegerunt, idcirco iure proprio tribu-*
tarios habere debuerunt & debent; & siue velint, siue nolint, Regno nostro subacti
fuerunt. B

* al. charitatiuè
* al. exhibente.
* al. potentia.
ad. sibi.

Quapropter oportet nos ab alto speculari, & moderaminis temperiem præ omnibus tenere, ne peior pars confortetur, & melior infirmetur. Progenitores namque Serenissimi nostri Ludouici, videlicet Imperatores, & Reges ex Christianissima Francorum gente prodierunt: Morauij vero Slaui ex Paganis, & Ethnicis venerunt. Illi potentia Imperiali Romanam Rempublicam sublimauerunt isti damnarunt: Illi Christianum Regnum confortauerunt (isti infirmauerunt. Illi toto mundo spectabiles apparuerunt) isti latibulis, & vrbibus occultati fuerunt: Illorum consilio Apostolica Sedes pollebat; (* istorum persecutione Christianitas dolebat.) In omnibus his iuuenculus Rex noster, nulli prædecessorum suorum secundus, nulli * & inferior, sed secundum virtutem à Deo sibi datam, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & vobis summo Patri, cum omnibus Regni sui Principibus, adiutor optat esse fortissimus. Omne namque Regnum diuinitus sibi commissum, ad Dei seruitium, suumque adiutorium vnum vult, & operatur. Vnde & pace viget, & concordia gratulatur, atque ad vestram paternitatem, sicut Patres sui, pertinere se lætatur.* C

* Hæc verba non habentur apud Hincmarum.
* Desiderantur apud Lazium.
* al. est.

*Quòd nos præfati Slaui criminabantur, cum Hungaris Fidē Catholicam violasse, & * per canem seu lupū, aliasque nefandissimas, & ethnicas res Sacramenta, & pacē egisse, atque vt in Italiam transirent pecuniam dedisse; si vobis coram posito ratio inter nos agitaretur, ante Deum, qui cuncta nouit antequam fiant, & coram vobis, qui vicem eius Apostolicam tenetis, eorum falsitas manifestaretur, & nostra innocentia probaretur. Quia enim Christianis nostris longe à nobis positis, semper imminebant, & persecutione nimis affligebant, donauimus illis nullius pretiosæ substantiæ pecuniam, sed tantum nostra linea vestimenta, quatenus eorum aliquatiēs * virilitatem mulieremus, & ab eorum persecutione quiescere faceremus. Talia namque, vt præscripsimus, iuxta malitiam cordis sui argumentantes, & Pontifices vestros ad iniuriam nostram incitantes, adeo vt directa nobis epistola, quasi ab Apostolica Sede, hæc omnia improperabant, & diuersas iniurias ingerebant, atque inter alia diuino gladio feriendos dignos dicebant. Impletur enim in nobis, quod quidam Sapiens ait: Iustus tulit crimen iniqui. Ipsi enim crimen, quod nobis falsò semel imposuerunt, multis annis peregerunt. Ipsi Hungarorum non modicam multitudinem ad se sumpserunt, & more eorum, capita suorum pseudochristianorum penitus detruserunt, & super nostros Christianos immiserunt; atque ipsi superuenerunt, & alios captiuos duxerunt, alios occiderunt, alios pessima carcerum fame, & siti perdiderunt, innumeros vero exilio deputauerunt, & nobiles viros, ac honestas mulieres in seruitium redegerunt; Ecclesias Dei incenderunt, & omnia ædificia deleuerunt; ita vt in tota Pannonia nostra maxima Prouincia tantum vna non appareat Ecclesia, prout Episcopi à vobis destinati, si fateri volunt, enarrare possunt, quantos dies transierint, & totam terram desolatam viderint.* D E

* Quæ sequuntur vsque ad sequentem paragraphum desunt apud Lazium.
* al. feritatem.

Quando

A *Quando verò Hungaros Italiam intrasse comperimus, pacificari cum eisdem Slauis, teste communi Deo, multum desiderauimus; promittentes eis propter Dominum Omnipotentem, ad profectum indulgere omnia mala contra nos nostrosque facta, & omnia reddere, quæ de suis nostros constaret habere; quatenus ex illis seruire nos facerent; & tandiu spatium darent, quandiu Longobardiam nobis intrare, & res S. Petri defendere, populumque Christianum diuino adiutorio redimere liceret: & nec ipsum ab eis obtinere potuimus. Et post tanta maleficia habent beneficia, & sunt falsi accusatores, qui semper fuere Christianorum persecutores. Si quis in toto mundo aliorsum nos aberrasse, & iustitia restitisse conetur ostendere, veniat præsens, & videat eum*
B *ludificasse, & nos de hac re sentientes purissimos esse.*

Idcirco singulos omnesque admonendo precamur, ne vllo modo aliam falsò de nobis aliquam suspicionem referenti creduli sitis, antequam opportunitas exigatur, vt huius rei gratia Missus de vestra Celsitudine nobis, aut à nostra paruitate directus appareat vobis. Communis gemitus, & generalis dolor angustat, quos Germania, & tota tenet Norica, quòd vnica* Ecclesia diuiditur scissura. Ideo si quid fraus maligna* Slauorum calliditate adduxerit*, iustitia auertat: vosque ex alto virtute induti, & Apostolica potestate armati, iuxta Prophetam, quod fractum est alligate, quod infirmum consolidate, quod abiectum reducite; vt deinceps populus, & fidei integritate*
C *gratuletur, & sancta Ecclesia tranquilla deuotione lætetur.*

* al. exigat. * al. vnitas. * al. malignitate Slauorum, & calliditate. * al. Adduxerat. Ezech. 34.

**Theotmarus indignus Archiepiscopus, & Apostolicarum rerum procurator promptissimus, pecuniam vestro iuri debitam propter infestam* Paganorum sæuitiam, nec per se perferre, nec per alios poterat transmittere. Sed quia Dei gratia liberata est Italia, quantocius* potero, vobis* transmitto. Precatur nostra humilitas, vt dignetur vestra sublimitas respondere per singula ad transmissa cum epistola,*

* al. Dietmarus. * al. infestam. * al. poteris. * al. transmittet

Alme Pater mundi dignus prænomine Petri,
Nomine quem sequeris, vtinam virtute sequaris,
Sisque tuis famulis protector verus, & ipsos
D *Commendes Domino, cælo qui præsidet alto.*

Hactenus ea epistola, quæ satis ostendit perogatiuas ab Apostolica Sede Iuuauiensi Cathedræ concessas; & quemadmodum ea communibus cum Laureacensi Metropolitano auspicijs ditionem Ecclesiasticam, vsque in Morauiam, & partes Pannoniarum habuerit: quam tamen Ioannem Pontifex in plures tribui iussit, fortasse quòd fluctuantibus in Hungaria rebus, ab vno religio commodè administrari non potuerit, vt pernecesse fuerit plures in partem solicitudinis aduocare: quod licet Episcopi Germaniæ deprecati sunt, obtinere tamen quominus Pontifex vtilitati publicæ ea ratione consuleret, haud potuerunt; fru-
E stra interim illis inuidiam deriuantibus, quasi à Morauis, & Slauis patefacti in Italiam aditus ad exitium ab Hungaris inferendum insimulati sint. Quod maximè de ea incursione, & vastitate intelligendum est, quæ Arnulpho regnante, & Hungaros euocante contigit, vt supra memorauimus. Liberatam porro Italiam post ingentes clades, hæc eadem insinuat epistola, nimirum Berengarij industria, de qua paulò ante diximus. Ex quibus vlterius deducimus, huic maxime anno conuenire scriptam hanc ad Ioannem Nonum epistolam. Nam etsi à Ioanne Octauo monitum de redditibus Romanæ Ecclesiæ transmittendis Theotmarum Archiepiscopum superiùs diximus, ad annum nempe octingentesimum septuagesimum octauum; non obstat, quo minus & tum procura-

Ad. ann. 889. & 890.

cura-

curationi suæ satisfecerit; vel si interdum ob infesta itinera impeditus fuerit, recenti officio, quod antea Ioanni Octauo, & successoribus continuato obsequio præstitit, Ioanni etiam Nono dependere voluerit, quando pluribus cum annis Ecclesiæ suæ præfuisse, sui Annales produnt. A

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS IX. PAPAE ANNVS	LAMBERTI IMP. 1. LVDOVICI IV. IMP. 5. LEONIS VI. IMP. 19. LVDOV. REG. GER. 5.
904.	4.	

Indict. 7. B

HOC anno, mense Maio, *Cometa stella apparuit*, inquit Rhegino, *& in mense Augusto mutatio Regni facta est*. Nam Berengarius à Ludouico Italia pulsus, in Baioaria exulabat: Ludouicus verò quæ pacis, & quietis sunt cogitans, dimisso exercitu, cum paucis Veronæ agebat, Adelhardo Vrbis Episcopo adhortante. Id Ciues, Berengarij partes secuti, clam & festinanter eidem significant; qui contractis celeriter copijs, inopinus Veronam peruenit, improuidumque Ludouicum non solum dolo capit; sed etiam luminibus priuat; hac arte Regnum multis cædibus cruentatum, infaustisque prælijs diu quæsitum tandem obtinens. C

Porro cùm Berengarius, anno superiori contra Hungaros Italia exigendos, vim omnem, & industriam adhibuerit, non nisi postea eius in Bauariam exilium contigisse oporter, Ludouico, & Lamberto æmulo, quem Vvido parens successorem reliquerat, magno contra eum exercitu tendentibus; cui par esse exhaustis in Ecclesias resarciendas, quas Hungari vastauerant opibus, haud potuit: vt non temere subeat, Ludouicum ea offensa fortunam aduersam accersiuisse, quòd religioni, & pietati vacantem Berengarium exegisset. Cæterùm Berengarius Romam armato exercitu contendit, & Imperij Coronam à Ioanne Pontifice violenter extorsit: eo tamen recedente, Pontifex vocatum Lambertum solemni ritu coronauit. Quæ res ne perturbationum fomes existeret, collecta Episcoporum Synodo, & vtriusque Regis causa cognita, in eam sententiam ab omnibus itum est, vt Berengarij coronatio vi extorta damnaretur; Lamberti liberis votis facta legitima censeretur. D

Lib. 1. Hist. c. 10. De hoc Lamberto scribit Luitprandus. *Quia semper Italicenses geminis vti Dominis volunt, quatenus alterum alterius terrore coërceant: Vvidonis Regis defuncti filium, nomine Lambertum, elegantem iuuenem adhuc ephebum, minusque bellicosum, Regem constituunt*. Hæc iste. Baronius tamen hoc anno, vigintisex annos numerasse Lambertum existimat, nempe secundùm initam ortus eius ex diplomate parentis ipsius rationem. Sed reuera, si tam adultus fuit Lambertus, E
Ad ann. 893. vt à coronatione eius, de qua superius diximus, vndecimus, & ab obitu parentis quintus numeretur annus, mirum cur tam diu se continuerit, & Imperium
Lib. 4. Hist. c. 1. alios inire sit passus, nisi puer admodum fuerit. Nam quod Frodoardus Vvidonem coronatum ait Indictione decima; quæ anno octingentesimo nonagesimo secundo respondet, eademque Indictione natum Lambertum ex diplomate Vvidonis constet, *certe eum ex numero epheborum*, vt dicit Luitprandus, non eximit.

A eximit. Si verò Indictio decima diplomatis retrahatur ad annum septuagesimum septimum, quod volunt, qui annos quindecim circiter Lamberto coronato, vigintisex Imperium ineunti tribuunt, concedant oportet Vvidonem, quindecim iam annis, antequam genuisset Lambertum, tenuisse, vel vsurpasse Imperium, vt eiusmodi diplomata donationum edere posset. Quod sanè cum serie rerum, & temporum minus cohæret.

Collecta hoc anno & Rauennæ Synodus, in qua eadem Lamberti coronatio probata, Stephani Papæ Sexti Acta in Formosum Papam rescissa, violatores sacri eiusdem tumuli, & cadaueris damnati: vt electionibus Pontificum, B tumultus vitandi causa, Legati Imperatoris interessent, decretum; ac denique ne scelestissima consuetudine, Romano Pontifice vita functo, Patriarchium expilaretur, seuerè cautum est. Idem quippe abusus exemplo Romano irrepserat in reliquas Sedes cathedrales, vt defunctis Episcopis, domus Episcoporũ direptioni obnoxiæ essent: Romæ tamen præterea, etiam suburbanas debacchationes, & interuersiones paterentur. Quibus malis in parte, si ita dicendum est, medicinam fecere Hungari, Episcopatuum Lombardiæ, & Ciuitatum Transpadanarum diligentes expilatores.

Multa in hac Synodo cauta, siue quæ ad disciplinam Ecclesiasticam, mo- C resque in populo formandos spectant, siue quæ seruandam eiusdem Ecclesiæ, quoad iura, & priuilegia immunitatem concernunt. De propaganda verò in Gentibus Christi fide, ac Religione, Pontificis duntaxat Concilium absoluentis, votum fuit, vt Deus Lambertum Imperatorem conseruaret, & Iesus Christus potente dextera superbarum gentium illi colla subijceret.

Quod ad Ludouicum Regem Germaniæ spectat, eum conserto cum Hungaris prælio miserabiliter fuisse victum, tradit Sigebertus. Qui id fieri potuerit, *Ad an. 904.* Hungaris in Italia grassantibus, haud facile accipias; nisi illis excedentibus in reditu Ludouicus aduersùm venerit. Certum quippe est, Berengarium omni D ope conatum fuisse, quo illos Italia submotos, cuiuscunque armis obijceret,

IESV CHRISTI ANNVS 905.	BENEDICTI PAP. IV. ANNVS 1.	LAMBERTI IMP. 2. LEONIS VI. IMP. 20. LVDOV. GERM. REG 6.	*Indict. 8.*

E LVdouicum post ereptos oculos, illico vita excessisse quidam scribunt, ita faciente Berengario. Neque enim verisimile putant, vel non cauisse Berengarium, vel impunè laturum fuisse Ludouicum, tantam sibi nefario dolo illatam iniuriam, si liber fuisset, quantumuis luminibus orbatus. Alij per menses aliquos superuixisse affirmant, & in Regni curas intentum, vltionem distulisse; quam dum magno apparatu Hungaris in rem vocatis moliretur, mærore nihilominus interim confectum obijsse. LVDOVICI OBITVS.

Porro quæ Ludouicus Imperator, Hungarorum auxilia parata, & sibi obstricta habuit, illo vita functo verisimile est Hungaros in Ludouicum Regem conuertisse, eumque hac inopina occasione obruisse, si fides habenda Sigeberto,

illos superioris anni victoria elatos, Ludouici Regnum hoc anno tributarium, sibi reddidisse. A

IOANNIS PONTIFICIS OBITVS. Moritur hoc anno & Ioannes Pontifex circa medium Septembris, postquam annos quatuor Sedem tenuisset: Alij tres concedunt, additis diebus quindenis. Nimis tamen errant, qui eius Pontificatum annis duobus cum dimidio circiter circumscribunt. Plus verò istis Sigonius, qui Benedictum anno superiori defunctum fuisse scribit; cùm non nisi hoc anno iam inclinante Ioanni IOANNI SVCCEDIT BENEDICTVS IV. successerit, & inter huius temporis Pontifices instar lucidi Syderis effulserit, maxime pauperum amore clarus. Fuit is natione Romanus ex patre Mammolo, cuius gesta Scriptorum inopia vix supersunt. B

Eò nihilominus felicia fuere tempora Ioannis, quòd paulò ante quam è viuis excessisset, conuersos ad fidem Christi viderit Galliarum Nortmannos opera Heruei Rhemorum Archiepiscopi, ad quem ea de re extat epistola eiusdem Ioannis hoc anno data, qua tanto gentis, & Ecclesiæ bono gratulatur, & simul in medium consulit, quid remedij ijs adhibendum, qui baptizati, & rebaptizati, post baptismum, Gentilium more vixerant. Plane hoc eodem tempore, prima etiam in Nortmannis apud Danos semina Fidei per Ansgarium iacta mirificè Ecclesiam recrearunt; multoque magis postquam Remberti Bremensis Episcopi prædicatione irrigata Dania, in vberrimam religio C segetem adoleuit. Sed hoc postea factum.

Berengarius, æmulo in Imperium sublimato, hunc annum Papiæ egit, nec Ecclesiarum cladem ab Hungaris acceptam resarcire intermisit. Id præsertim Mutinensi Ecclesiæ nouis muneribus per mensem Iunium præstitisse scribit Sigonius; cùm tamen paulò ante, eam vrbem ab Hungaris virtute Sancti Geminiani intactam mansisse affirmarit.

D

IESV CHRISTI ANNVS	BENEDICTI PAP. IV. ANNVS	LAMBERTI 3.
906.	2.	LEONIS VI. IMP. 21.
		LVDOV. GER. REG. 7.

Indict. 9.

HVngari noua prædandi cupiditate, nouis Italiam populationibus incursant: Nec Berengarius propter suorum perfidiam Lamberto fauentium, aliqua ratione est aduersatus. Sed & Saraceni multò quam antea impotentiùs extrema Italiæ lacerarunt. Rei Ecclesiasticæ status, in ijs quæ in Synodo Rauennate constituta sunt, quiescebat. Vnde non videtur subsistere, quod Sigebertus ad hunc annum scribit, Hungaros aduersum Græcos bello superiores, eos sub tributum redegisse. E

IESV CHRISTI ANNVS 907.	BENEDICTI PAP. IV. ANNVS 3.	LAMBERTI 4. CONRADI IMP. 2. LEONIS VI. IMP. 2.	Indict. 10.

B MOritur hoc anno Benedictus, circa vltimum Nouembris, vt quibusdam placet; vt alijs, septimo die Aprilis, feria tertia. Noui inde Comitia Pontificis, non Romæ solùm, sed etiam totius Ecclesiæ ocium perturbarunt. In Benedicti locum suffectus esset Leo Quintus: hominem incautum, & parum rebus tractandis idoneum circumuenit Christophorus Sacerdos; & quadragesimo quam consecratus fuit die, abdicare coegit, atque ipse se Pontificem dicere nouo exemplo non dubitauit.

Ita cùm non esset, qui vel Imperium, vel Ecclesiam dignè administraret, multiplicari cœpere mala, & Hungari suæ fortunæ præfidentes, in Bauariam irruunt; congressique cum ijsdem Bauari multa cæde cadunt, occiso etiam,
C quod tradit Anonymus in Appendice ad Rheginonem, Luitbaldo Duce, cui filius Arnolphus in Ducatu successit.

Ex quibus apparet, an assentiendum sit Sigeberto, Bulgaros ab Hungaris hoc anno deuictos sub tributum venisse, quod de Græcis quoque superiori anno affirmarat: quando verisimile non est Hungaris Germanico bello distractis, tam fortia prælia, quibus eam gentem oportuit esse perdomitam, facile confici potuisse. Certum porro est, Hungarorum solicitudinem aliquando spectasse ad commoda Bulgarorum, quocunque tandem prætextu, societatis, an iuris à Græcis auersi, vt illorum partes, suas esse ducerent necessitudines.
D Vnde postea consequentibus seculis, fundato iam Regno Hungarorum Christiano, Reges non vno modo studuerint Bulgaris prodesse: Ac præsertim cùm apud illos Religio interdum inclinaret, misere viros doctos, qui aut humeros supponerent, aut impellentibus aduersarijs constanti pectore sese obijcerent. Quibus etiam, vt alibi dicturi sumus, spectabili certamine defunctis, præclaro martyrio contigit oppetere.

IESV CHRISTI ANNVS 908.	CHRISTOPHORI PAP. SERGII ITEM 1.	LAMBERTI 5. LEONIS VI. IMP. 23. LVDOV. REG. GER. 8.	Indict. 11.

E

CHristophori exemplum imitatus Sergius, eidem paria retulit. De cuius gestis, qui plura (neque enim huc spectant) nosse cupit, legat Sigebertum ad hunc annum, Dialogum Auxilij sub persona Insensoris, & Defensoris, Luitprandum præterea, & ex parte Baronium hoc loco: qui inter alia digna notatu, inter huiusmodi perturbationes admirandum censet, tanto honore & reuerentia fideles omnes, præsertim Boreales populos, prosecutos fuisse Romanam Ecclesiam, vt quemcunque in ea sedentem audirent nomine tenus

Pon-

Pontificem, eundem, nulla habita discussione eius ingressus, vt Petrum colerent. Et poterant tum pij fideles cum Basilio Magno ad animi sui disceptationes, hanc quoque cogitationem admittere, An Ecclesias suas prorsus reliquerit Dominus. A

Epist. 71.

Atqui in tam flagellatis Ecclesiæ temporibus, nil mirum, si religio quodammodo conclusa tepuerit, nec essent, qui salutis gentium ardore inflammati, Euangelium proferrent; cùm, nisi peculiaris Dei prouidentia fecisset, satis scandalorum erat, ob quæ plerique, optimi etiam fideles, à Capitibus dissentirent, ac prorsus discederent: quid mirum si Dei permissu ad inuadendas Christianorum ditiones, infidelibus velut vltro accersitis, viam peccatis suis emunirent? B

Indict. 12.

IESV CHRISTI ANNVS 909.	SERGII PAP. III. ANNVS 2.	LAMBERTI 6. LEONIS VI. 24. LVDOV. GER. REG. 9.

QVis hoc tempore Orbis Christiani fuerit status, quis Ecclesiarum, & Monasteriorum non status, sed casus deplorandus, apparet ex Actis Concilij Prouincialis Suessionensis, sub Herueo Metropolis Rhemorum Archiepiscopo; vbi quorum maximè intererat in omnia alia intentis, Galliarum Patres, quantum in se erat, tantis malis medicinam parabant: Vt mirari magnopere nemo queat, retardatum in Gentibus Euangelij cursum, aut certe non debite promotum, quando laborandum fuit domi, ne Respublica Christiana maius detrimentum faceret, neue languore Capitis, immune à tabe reliqui corporis nihil esset. Vnde factum, vt Hungari contemptis Rectoribus, haud minimam partem ad pristina reuersi, & velut impulsu quodam in perniciem nationum lati, pene totum orbem Christianum susque deque agerent. Et quemadmodum per Italiam, Germaniam, Galliam, aliasque regiones, nullo ordine ferebantur, omnia miscentes; ita vix rite recenseri possunt mala, quibus populos, & vrbes afflixerunt igne, gladio, excidio, fœda vastitate. Hinc omnium pene Scriptorum diuersa non minus quàm confusa est de Hungaris narratio; hoc vno duntaxat consensu, quo'nomi huius seculi, si extrema demas, rarus memoretur annus, non aliqua illorum clade illata acceptaue insignitus. C D E

Indict. 13.

IESV CHRISTI ANNVS 910.	ANASTASII PAP. III. ANNVS 1.	LAMBERTI 7. LEONIS VI. 25. LVDOV. REG. GERM. 10.

SERGII OBITVS.

SErgius post vsurpatam annis tribus authoritatem Pontificiam, decedit hoc anno circa finem Martij; quidam signant diem vltimum in Sabbato. Subrogatur Anastasius Luciani filius.

Hu-

A Hucuſque etiam prorogatū Lamberto in Italia Imperium, colligitur ex Luitprando, qui ipſum de multis, & magnis rebus commendatum mæſte ſatis deplorat. Planè plus illum Reipublicæ, quam Rempublicam illi decoris contuliſſe ait; & niſi cita mors rapuiſſet, eum futurum affirmat, qui poſt Romanam Potentiam totum ſibi orbem viriliter ſubiugaſſet. Qualis eius exitus fuerit, incertum; mors tamen immatura ſatis oſtendit, in filio tametſi probatæ indolis, vindicaſſe Deum peccata parentum, vt nollet in Romano Imperio propagari, cuius progenitores, vt hactenus vidimus, toties in Eccleſiam Romanam iniurij fuere. Eo ſublato, Berengarius ſumma rerum potitus eſt, & Adelbertus B Marchio Tuſciæ priſtinum recepit Principatum. *Lib. 1. cap. 10. & infra.*

Hoc eodem anno Francos in confinio Bauariæ, & Franciæ, Hungaris congreſſos, miſerabiliter, aut victos, aut fugatos ſcribit Anonymus poſt Rheginonem: *in eoque prælio cæſum Gebelhardum Comitem, relictis duobus filijs adhuc pueris Vdone, & Herimanno, qui poſtea clari in Francia extiterunt.*

IESV CHRISTI ANNVS 911.	ANASTASII PAP. III. ANNVS 2.	LEONIS VI. 26. LVDOV. REG. GERM. 11.	Indict. 14.

C

LEO Philoſophus Imperator Orientis, hoc anno decedit, vndecima Iunij, feria tertia, poſtquam annos vigintiquinque, menſes tres imperaſſet. Plura edidit ſalutaria Chriſtianæ Reipublicæ, plura etiam fecit Eccleſiæ præſertim vtilia, compreſſo in Oriente Schiſmate, & ſeruata Eccleſiæ ſanctitate. Scripſit quamplurima non minus doctè quàm piè, cum doctrina Romanæ Eccleſiæ cohærentia, Spiritum ſanctum à Patre, Filioque procedentem affirmans: ſcripſit & tredecim ſupra centum Nouellas Conſtitutiones diuerſorum argumentorum D ad res, vel perſonas etiam Eccleſiaſticas pertinentes, cuius ſtylum imitati ſunt deinde plerique Hungarorum Chriſtiani, & Catholici Reges. Denique, vt reliqua mittamus, edidit epiſtolam paræneticam Catholicam ad vniuerſos Chriſtifideles, qua hortatur eos ad bene ſancteque viuendum; dignam profectò quæ ab omnibus legatur. Ita in perturbatis hiſce temporibus, quod in Summis Pontificibus deſideratum eſt, Dei prouidentia ſuppleuit pius Imperator: nec aliter facere poſſunt, quando, vel Philoſophi Chriſtiani regnant, vel Reges philoſophantur. *LEONIS IMPERAT. OBITVS. Zonaras, Conſtant. Manaſſes Glicas.*

Quantam Eccleſiaſtici ordinis, & ſtatus curam habuerit Leo, apparet ex illa E diſpoſitione Patriarchatus Conſtantinopoli, quæ in Notitijs Epiſcopatuum circumfertur, in Metropoles, alioſque Archiepiſcopatus ſupra centum diſtributi. Quorum tamen ſeriem, ſecutus poſt annos trecentos circiter ac ſeptuaginta, ſenior Andronicus, ſicut mutauit; ita & numerum nonnihil auxit.

Elucet etiam pietas Leonis in commentario, quo res bellicas pertractauit: vbi inter alia monet, pridie eius diei, quo prælium ineundum eſt, curet Dux exercitus per Sacerdotem vniuerſos aqua luſtrali expiari, & quotidie mane & veſperi, ab omnibus hymnum Tryſagium deuote recitari. *De bel. appar. cap. 3.*

Amabant Leonem omnes etiam exteræ nationes, ſed Hungari præſertim magna reuerentia proſequebātur, libenter ab eo leges, & religionem accepturi,

si res & tempora tulissent: quem & Saraceni magni fecerunt, missis ad eum legationibus sæpius periclitati, nec minus sapientem, quam veritatis amantem admirati. Quod quidem in eo libello palam experti sunt, quem ad Regem eorum Omarum, siue Amarum, de Christianæ fidei veritate, & Saracenorum impietate scripsit; ex quo non modò ipse Omarus cum suis, verùm diuersis reddito linguis, cæteræ quoque gentes, Bulgari in primis, Russi, atque Hungari plurimum profecerunt. Extat apud Symphorianum Camperium Latine ex Chaldæo loquens, qui initio Græce scriptus fuit, ac plane ad ingenium Saracenicum factus, vbi nonnullas quæstiones rudes plane, ac ridiculas, sed ex genio discere cupientis, ab Omaro propositas apte soluit. A B

Successit Leoni Constantinus filius adhuc puer; sed Alexandri patrui manu impia habenas Imperij recturus, nisi hunc impietatis omnis, & reuocandi Idolorum cultus patronum futurum, prouida manus Dei citius è medio sustulisset. Cuius horrendum interitum pluribus narrant Curopalates, & Aretas Cæsariensis. Eo itaque sublato, Constantinus solus præesse cœpit, ætate in manus fidorum tutorum deposita, si Curopalati credimus; alijs enim viginti annos iam indeptus, prudentia comite, regendo par erat.

Apud Lipom. tom. 3.

C

Indict. 15.

IESV CHRISTI ANNVS	LANDONIS PAPAE ANNVS	CONSTANTINI VIII. IMP. 1. LVDOV. REG. GERM. 12.
912.	1.	

ANASTASII PAPÆ OBITVS

Anastasius, hoc anno, annis & mensibus duobus expletis, decedit, mense Maio, vt quibusdam videtur, die mensis penultima, feria sexta. Succedit Lando, patria Sabinus, Trani filius, & ipse paulò post, nimirum mense Decembri, exigua cum laude mortuus.

Regebant nihilominus sancti aliquot Episcopi Ecclesias suas, ex diuino instituto: coacta etiam Synodus Confluentana in Gallia, correcti multi abusus, & sublatæ cognationes incestuosæ: Instituta mox à Bennone Abbate Gigniacense Congregatio Cluniacensis. Denique hoc anno Rollonem Ducem Nortmannorum, Galliarum inuasorem, Christianam Religionem amplexum, & sacro Baptismate initiatum, tradunt veteres Annales, quos collegit Matthæus Vvestmonasteriensis. D

Hoc anno Ludouicum Regem defunctum tradunt Hermannus, Marianus, Sigebertus, & alij; tametsi Author Appendicis in annum superiorem coniiciat. In eo finem accepit progenies Caroli in Regibus Germanorum: Ludouico enim Arnulphi filio, & Caroli regnantis in Gallia fratrueli nullus fuit natus; adeo vt opus esset ex alia familia Regem adsciscere, quemadmodum superius diximus. Hinc in Othonem Ducem Saxoniæ vota omnium conspirarunt: Verùm ipse ætate grauior, Regnum recusans, Conradum obiecit votis omnium respondentem. E

In Benedicto IV.

Non solum genus Caroli defecisse in Regibus Germaniæ; verùm etiam in Francis, notat Platina; adeoque posterorum ignauia Principum, Imperij titulos amisisse. Quamuis alij Conradum Arnulphi nepotem, & huius Ludouici patruum fuisse postremum contendant; vt qui coniuge & liberis carens, lineam

Impe-

A Imperij per diuersos annos ductam in se præciderit. Ita inter alios Albertus Cranzius; qui tamen si à Carolo Magno generis filum ducat, in annis abundat, cùm à Carolo vsque ad Conradum, centum ac circiter viginti numerentur anni, si ritè seriem attendamus. Vt mirari queas lector, non tam humanarum rerum vicissitudinem, quàm Dei singula pendentis inscrutabile iudicium. Quippe qui Imperatoris singulariter lecti, & de tota Ecclesia, de Religione orthodoxa, adeoque de toto Orbe Christiano optimè meriti, progeniem durare in Imperio non permiserit; sed in medio rerum incremento reciderit. An quia declinante sponte sua Imperio, malis exemptam voluit; an potius à prima B stirpe degenerantem Principatui superesse vltro vetuit, tot ciuilium discordiarum, & malorum hinc pullulantium pœnas dantem? Certè enim, vt primùm diuiso Caroli Magni Regno & Imperio, suum quisque natorum insana æmulatione caput extulit, discessionis argumenta in nepotes transmissa, Orbem Christianum mire deformarunt, & sanctitati promouendæ non minimum impedimenti obiecerunt. Hoc dicimus quoad intercisam in Imperio seriem: nam de cætero, deriuata per affinitates, & cognationes prosapia, non vno deinde sæculo passim exsplenduit, siue Italiam, siue Germaniam, Galliamque, aliasque regiones spectemus, in quibus hodieque non desunt florentes familiæ, quæ no- C bilitatem suam in genus Caroli refundunt. Verùm an non eadem cogitatio de Constantino Magno recurrat? Quis adeo singulariter ad Fidem, & Imperium vocatus? Quis illo potentior, felicior? Quis in Romanam Ecclesiam adeo munificus? Quis de Religione tam excellenter meritus? & tamen sublimis adeo generis successionem exigua posterorum ætate conclusam nepotes vix agnouerunt; Citiùs excisa horum gloria, quòd Constantij filij impietas peiora etiam mereretur.

Hungaros porro in his vicissitudinibus, an perturbationibus, nullo resistente, vastasse hoc anno Franciam (quæ hodie Franconia) scribunt Anonymus D post Rheginonem, Hermannus & Sigebertus: quamuis alij id factum putent ante quam in Italiam penetrassent. Verùm perturbato Orbe Christiano, cùm pauci Principes essent, qui rem ex virtute gererent, nec Religioni plus quam Regno, vel potius ignauiæ vacarent; quid mirum, si Deo permittente externa arma grassarentur?

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAPAE X. ANNVS	CONSTANTINI VIII. IMP. 2 CONRADI I. REG. GER. 1.	Indict. 1.
E 913.	2.		

HVngaros iterum partem Alemanniæ vastasse, sed iuxta Oenum fluuium à Bauaris & Alemannis cæsos, scribit Anonymus post Rheginonem: hoc tamen biennio ante contigisse notat Hermannus, biennio post Sigebertus. Ita etiam in vicinis temporibus variant subinde Scriptores incauti: Albertus Cranzius: *Cùm Hungari, inquit, implicitam tenerent omnem bello Saxoniam, & vsque Bremam peruenissent, sub Hogeri Pontificatu anno post Christum nongentesimo decimotertio, Vvandali cernentes reliquam Germaniam Hungaris implicari, ipsi* *Trans-*

Marginal notes: Lib. 13. Metrop. cap. 28. — Lib. 3. Metrop. cap. 2.

Transalbianam Saxonum prouinciam inuadunt; Hamburgum non satis validum aduersus incursiones oppidum, igne ferroque subuertunt. A

Adfuit tum Bremensibus insignis Dei protectio. Nam cùm Hungari vrbem incendio fœdarent, vt prædæ instarent, incensisque Ecclesijs Sacerdotes ad aras trucidarent, Clerum vulgo mixtum, aut impunè occiderunt, aut in captiuitatem pertraxerunt: Crucifixi Domini Imagines per ludibrium sunt attrectata; cuius furoris vestigia ad longam durauerunt ætatem, Sed Deus zelotes, cuius ibi sacratissima Passio est derisa, incredulos non est passus abire multos: Nam subita & mirabilis orta tempestas, à semicremis Ecclesiarum tectis scindulas eleuauit, quas in ora Paganorum rotans, dum fuga præsidium quærunt, aut in fluuium præcipitari compulit, aut in manibus includi B

Eccl. Hist. 1. cap. 46. In Hist. Eccl. cap. 45. *ciuium armatorum.* Hæc Cranzius ex Adamo antiquo Chronographo: qui tamen ex vna parte à Danis & Slauis, ex alia à Bohemis & Hungaris laniatas scribit Ecclesias; ita vt Hamburgensem Parochiam Slaui, Bremensem Hungari

In Chron. Slau. cap. 8. præcipue demolirentur. Consentit ex parte Helmoldus, qui Hungaros non Saxoniam duntaxat, aliasque cis Rhenum prouincias, sed etiam vltra Rhenum, Lotharingiam, & Franciam, vastasse scribit; vt ex alia parte Dani cum Slauis ingenti Saxoniam terrore concusserint: quæ pene ad verbum habentur etiam apud Adamum.

C

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAPAE X. ANNVS	CONSTANTINI VIII. IMP. 3. CONRADI REG. GERM. 2.
914.	3.	

Indict. 2.

ADuersùs Constantinum Imperatorem Orientis, Bulgaricum hoc anno exoritur bellum, obsidente Constantinopolim Simeone eorum Rege: qui tamen repulsus, & à Patriarcha persuasus ad pacem seruandam, conuiuio Imperatoris excipitur. *Ita pace stabilita* (non diu tamen duratura) *cùm Patriarcha Capitium ei pro Corona imposuisset, & benedictionem impertiuisset, muneribus donatus ad propria rediit.* Hæc Curopalates. D

Atqui cùm de Simeone Rege Bulgarorum variæ sint Scriptorum narrationes, vt plerique pridem ante hac defunctum velint, eique Petrum filium successisse; non immerito quibusdam subit, diuersum hunc esse ab illo Simeonem, siue filium, siue aliunde cognatum, cui postea Petrus succedens Regnum exceperit.

Quod ad Occidentem spectat, Hungaros hoc anno aduersùs Conradum bello cruento decertasse constat; ancipiti sed Marte domum reuersos, quòd Conradus collectis Germaniæ viribus, fortiter restitisset. Motos fuisse Hungaros instigante Arnoldo Duce Baioariæ, capta ex rebellione Principum occasione; quibus Conradus tot malis implicitus contemptui esse cœperat. Huius præcipui architecti præter Arnoldum, fuere Burchardus Sueuus, Euerardus Francus, Giselbertus Lotharingus, *& horum omnium præcellentior*, vt inquit Sigebertus, *Henricus Dux de Saxonia, & Thuringia:* quos tamen omnes præter Arnoldum, Conradus sine strepitu armorum, sola sapientia, & fortitudine animi, ne vires coniungerent distraxit, & pacatos in gratiam redire iussit. Solus Arnoldus male sibi conscius, & ideo Conrado minus fidens, ad Hungaros cum E

tota

A tota familia profugit, nec cessauit eos suopte ingenio ad bella propensos, irritare acrius in Conradum, quoad voti compos effectus est. Neque tamen suis consilijs minus Hungaris quam Germanis nocuit, quando pluribus prælijs cùm Bauaris congressi, nihil admodum profecere; hoc etiam inferiores, quòd non necessario bello, cum detrimento, eius causa, se implicuissent.

IESV CHRISTI ANNVS 915.	IOANNIS PAPAE X. ANNVS 4.	BERENGARII IMP. 1. CONSTANTINI VIII. 4 CONRADI GERM. REG. 3.

Indict. 3.

B

IOannes initio intrusus in Apostolicam Sedem, paulatim consensu Cleri legitimus Pontifex haberi cœpit. Vnde plures ad eum legationes missæ: magis verò enituit, quòd coniunctis quorundam Italiæ Principum viribus, ad exigendos tota Italia Saracenos, ipse suas copias adiunxit, imò & prælio adfuit. Ita factum; vt Deo miserante, paucos intra menses, omnes aut trucidarentur, aut viui caperentur, ne vnus quidem euaderet. *Visi sunt autem*, vt tradit Luitprandus, *à religiosis fidelibus in eodem bello Sanctissimi Apostoli Petrus,* Lib. 2. cap. 14.
C *& Paulus, quorum precibus Christianos credimus meruisse, quatenus Panos* (ita vocat Saracenos) *fugarent, & ipsi victoriam obtinerent.*

Hoc ergo anno penitus debellati sunt in Italia Saraceni, qui formidabiles, & inuincibiles hactenus putabantur. Ob quàm causam dignos plerique putarunt æterna fama Principes, qui ad Ecclesiam à Tyrannide liberandam, sancto fœdere coiuerunt. Is fuit Leo Imperator Constantinopolitanus, qui adhuc viuens ab Atenulpho Principe Capuano rogatus, misit Nicolaum Patricium cum copijs, & muneribus ad animandos Principes Christianos; sed ante victoriam defunctus est. Præterea idem Atenulphus Capuanus, cum Gregorio Duce
D Neapolis, necnon Ioanne Duce Caietæ, Gaimario Principe Salernitano, cum Appulis, & Calabris: denique adfuit Ioannes Papa cum Alberico filio Adelberti Marchionis Tusciæ, hoc egregio facinore multa male acta expiantis.

Hoc vero prælio feliciter confecto, Berengarius à Ioanne Imperator inungitur, ad referendam, vt putatur, gratiam ob auxilium in eo bello contra Saracenos impetratum. BERENGARIVS IMPERATOR CREATVR.

In hunc annum conijciunt quidam immanem illam persecutionem, qua Dani, Slaui, Bohemi, & Hungari, Saxonicas vastarunt Ecclesias: ac præsertim Hungaris tribuitur Bremensis Ecclesiæ excidium, sicut Slauis Hamburgensis Lib. 3. Metrop. cap. 2.
E Ædis desolatio: quod nos cum Alberto Cranzio biennio antea notauimus.

Addit Adamus Historicus, obijsse interea Hogerum Hamburgensis Ecclesiæ Pastorem, & sepultum ad Diui Michaëlis iuxta Adalgarium præcessorem suum. Cuius corpus cùm post centum viginti annos, diruta vetustate capella, quæreretur, præter Cruces pallij, & ceruical Episcopi, nihil potuisse inueniri. Lib. 1. cap. 45. *Et credimus*, inquit, *resurrectionem huius impletam esse; quod alias traditur in Dauide, & Ioanne Euangelista contigisse veraciter.* Hæc ipse iuxta quorundam opinionem; quam nos vt minimè affirmemus, ex ea tamen pro tempore peruulgata, sanctitatem Hogeri probamus.

Cæterùm, huius seculi anno decimoquinto, notat Hermannus Hungaros to-

ram Alemanniam igne, & gladio vastasse; verùm addit Anonymus post Rheginonem, ex quo Hermannus descripsit, eos Thuringiam, & Saxoniam peruasisse. Sigebertus tempora confundens hoc anno scribit, Hungaros Berengario confœderatos Alemanniam vastasse; verùm à Baioarijs, & Alemannis grauiter cæsos. A

Indict. 4.

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAPAE X. ANNVS	BERENGARII IMP. 2. CONSTANTINI VIII. 5. CONRADI REG. GER. 4.
916.	5.	

B

HVNGARI FVLDAM VSQVE GRASSANTVR.

HVngaros ea incursione, de qua anno superiore diximus, Fuldam vsque hoc anno peruenisse notat Anonymus sæpe citatus. In hunc etiam annum, quæ nos paulò ante ex Adamo Chronographo, & Cranzio retulimus, conijcit inter alios Baronius. Verùm cùm grassationes illæ priori anno cœptæ, aut etiam continuatæ, hucusque protractæ sint, ac imposterum gliscente furore sat diu prolatas legimus; nihil vtrobique redundat in historiæ, vel temporum luxatorum fidem. Ad hunc etiam annum destructam ab Hungaris Basileam, videtur referre Hermannus. C

Indict. 5.

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAPAE X. ANNVS	BERENGARII IMP. 3. CONSTANTINI VIII. 6. CONRADI GERM. REG. 5.
917.	6.	

HOC anno Hungaros continuata incursione per Alemanniam in Alsatiam, & vsque ad fines Lotharingiæ seu Regni Lotharij peruenisse, notant Anonymus, Hermannus, Marianus: Sigebertus tamen, totam Alemanniam vastando, Fuldam vsque pertigisse scribit: quod nos cum alijs quantum, ad Fuldam attinet, biennio antea euenisse diximus. D

Lib. 1. cap. 47. Ad hunc etiam annum referri potest, quod Adam Chronographus scribit, in diebus Vnni Archiepiscopi Hamburgensis, Hungaros non solum Saxoniam, verùm etiam Rhenum, aliasque trans Rhenum prouincias, Lotharingiam, & Franciam demolitos esse. Ac, quod peius est, Dani etiam exemplo suo animos addiderunt, vt sub Rege Gormo filio Hardeuici, Christianis infestissimo, religionem omnem prorsus excindere molirentur, pulsis è regno Sacerdotibus; quampluribus etiam per exquisita tormenta necatis. E

Zonar. in Constantino. Nec meliori loco res Orientis erant: Bulgari siquidem, Zoë Constantini matre omnia administrante, fœminam contempsere, & crebris incursionibus Thraciam infestare. Zoë pace cum Ismaëlitis facta, & conuocatis legionibus, Leoni Phocæ bellum demandauit. Qui insigni victoria multis cæsis, Bulgaros superauit: sed dum equo descendens ad fontem se recrearet, equus ministri manibus elapsus, sine sessore se castris infert. Id conspicati Duces, & Leonem cecidisse rati, persequendo abstinuerunt. Quod Bulgarus animaduertens, acie in turbatos conuersa, vniuersos fugat, pluresque mutua fugientium compressione

A sione, quàm gladio cædit. Narrant alij Phocam, dum Bulgaros persequeretur, forte accepisse, Romanum Drungatium, belli socium, ad Regnum occupandum se cum classe subducere, eòque vt præueniret, copias retro flexisse; Bulgaros abeuntium tergo insistentes, ex victis victores euasisse.

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAPAE X. ANNVS		
918.	7.	BERENGARII IMP. 4. CONSTANTINI VIII. 7. CONRADI REG. GERM. 6	Indict. 6.

B

Basileam ab Hungaris hoc anno destructam notat Marianus: quod Hermanus biennio antea contigisse, videtur exsignare.

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAP. X. ANNVS		
919.	8.	BERENGARII IMP. 5. CONSTANTINI VIII. 8. HENRICI REG. GERM. 1.	Indict. 7.

C

Conradum Regem Saxonum, atque Francorum, hoc anno obijsse ponunt veteres Chronographi, Anonymus Rheginonis, Hermannus, Lambertus, Marianus, Sigefridus, & alij; eumque transtulisse Regnum in Henricum filium Othonis Ducis Saxoniæ. De huius tamen Regni initio variant Scriptores: Quidam enim anno huius seculi duodecimo inijsse putant; quos videtur secutus Bellarminus in sua Chronologia: plerique defunctum eum putant anno huius seculi trigesimosexto, & tenuisse Regnum annis decem & septem: quod cum Frodoardo huius temporis Scriptore cæteri supra nominati, si Hermannum excipias, affirmant: vnde consequens est eum hoc anno regnare cœpisse. Dixi, si Hermannum excipias: hic enim regnanti Henrico vnum addit annum, inceptum fortasse, non expletum, vt parum euariet. CONRADI REGIS GERM. OBITVS.

D

Hæc circa Henricum placuit expendere: propter ea quæ ipsi cum Hungaris intercesserunt, aptius digerenda. In quo illud præterea notatu dignum accidit, vt ab Herigero Archiepiscopo Moguntino minimè se vngi permitteret, affirmans se ea in Regem vnctione indignum esse. Diuinitus tamen ostensum est per visum sancto Vdalrico Episcopo Augustano, eiusmodi vnctionem non esse negligendam; quando apparens eidem Princeps Apostolorum Petrus, duos ostendit gladios, alterum cum capulo, sine capulo alterum, his additis: *Dic Henrico Regi, ensem, qui sine capulo est, significare Regem sine benedictione Pontificali regnantem: capulatum vero, eum qui benedictione diuina Regni tenet gubernacula.* Hæc Diethmarus, & Author Vitæ sancti Vdalrici. HENRICVS CONRADO SVCCEDIT. Dieth. l. 1.

E

In Oriente rebus turbatis, cùm plures Tyranni Regnum affectantes in Constantinum adolescentem insurgerent, is posthabito Leone Phoca Imperij perquàmcupido, Romanũ Patricium Classis Præfectum, vulgo Drungariũ, collegam assumit, vix Leone meliorẽ. Fidẽ Romanus vinculo affinitatis stringit, data Cõstantino in matrimoniũ filia Helena. Mox arrepta Imperij habena, Leonẽ Chrysopolim profectũ, in castello quodã astu cõprehensum oculis priuari, & Byzantium

tium adduci iubet. Id castellum à lamentatione Leonis Goëleon postea audiuit. Paulò post & Zoën Augustam Imperatoris matrem, è regia submouet; neque solùm, sed in sanctæ Euphemiæ Monasterium detrusam tonderi, & monasticam profiteri cogit; adducto etiam in dubium consensum Constantino: quem aliàs toties dilectissimæ matris lacrymæ ad pietatem, & commiserationem inflexerant, vt & ab Alexandro antea relegatam reduceret, & Imperatricis honore fungi permiserit; & si aliquando, ob res sinistre gestas, abductam cuperet, amplexibus tamen filij cum lacrymis inhærentem, miseratione victus relinqueret, potestate duntaxat in se translata, de cætero non imminuta cum libertate matris dignitate: quam tamen Romanus suspectam habens, modo prædicto non tam Imperio, quàm sibi cauit. A B

IESV CHRISTI ANNVS 920.	IOANNIS PAPAE X. ANNVS 9.	BERENGARII IMP. 6. CONSTANT. CVM ROM. 9. HENRICI REG. GER. 2.

Indict. 8.

REGNVM A FRANCIS AD SAXONES MIGRANS.

CArolus Rex Francorum cognomento Simplex, Henrico Regi Saxonum, hoc anno legationem mittens, vnà Manum preciosi Martyris Dionysij auro gemmisque inclusam dono misit, professus, cum Sanctorum Martyrum venerandis reliquijs, à Francis ad Saxones transferri Regnum, & felicitatem. Rem narrat Vviticlindus huius ætatis Scriptor, his verbis. *Quoniam Henricus Rex Rhenum transierat, ad dilatandum super Lotharios Imperium suum, occurrit ei Legatus Caroli; & salutato eo verbis humillimis, Dominus meus, inquit, Carolus Regia quondam potestate præditus, modò priuatus, misit me ad te, demandans, quia nihil ei ab inimicis circumuento iucundius, nihil dulcius esse possit, quàm de tui magnifici profectus gloria aliquid audire, ac fama virtutum tuarum consolari; & hoc tibi signum fidei & veritatis transmisit* (protulitque de sinu Manum preciosi Martyris Dionysij auro gemmisque inclusam): *Hoc, inquit, habeto pignus fœderis perpetui, & amoris vicarij. Hanc partem vnici solatij Francorum Galliam inhabitantium, postquam eos deseruit insignis Martyr Vitus, & ad nostram perniciem, vestramque perpetuam pacem, Saxoniam visitauit, communicare tecum maluit: neque enim postquam translatum est Corpus eius à nobis, ciuilia, vel externa cessauere bella; eodem quippe anno Dani, & Nortmanni regionem nostram inuaserunt.* Hæc Vviticlindus. C D

Henricus, vbi sacrum munus magna cum veneratione, & gratiarum actione suscepisset, audiuit ex eodem Legato historiam Martyrij Sancti Viti, eiusque sacri corporis factam sub Ludouico translationem in Saxoniam. *Ex quo, inquit Legatus, res Francorum cœperunt minui, Saxonum verò crescere; donec dilatata ipsa iam sua magnitudine, laborant (vt videmus) in amore mundi, & totius orbis capite patre tuo, cuius potentia maiestatem non solum Germania, Italia atque Gallia, sed tota fere Europa non sustinet. Colite itaque tantum Patronum, quo aduemente, Saxonia ex serua facta est libera, ex tributaria multarum gentium domina. Neque enim talis, ac tantus summi Dei amicus tui gratia indiget; nos vero famuli ipsius indigemus: Vnde vt eum possis habere intercessorem apud cælestem Imperatorem, habeamus* E

beamus

A *beamus te aduocatum apud terrenum Regem, tuum scilicet patrem, atque fratrem*. Hucusque Legatus.

Subdit verò Vvitichindus propagationem Regni per Henricum factam in exteras nationes. Quibus ego addo, nunquam eum aduersum Hungaros victoriam reportaturum fuisse, nisi quemadmodum isti contempta religione, in sacras Reliquias passim iniurij fuerunt; ita ille in Fide feruens, summo eas honore extulisset. HVNGARI CVR AB HENRICO VICTI.

Quod porro ad Reliquiarum cultum, vel translationem spectat, diuersis in lucubrationibus nostris ostendimus, eas vrbes semper felices fuisse, quæ tam sa-
B cra custodia vallarentur: vt contra, infelices, in quibus, nec amor, nec cultus earum viguisset. Qua de causa plurimæ olim fuere ciuitates, quæ si ijs caruissent, aliunde sibi afferri curabant Sanctorum Reliquias, in his plus præsidij quàm in armato milite reponentes; interdum verò, si aliunde precario habere non potuissent, etiam clanculario, vt surriperentur procurasse, pium id furti genus religione compensari existimantes. Vbi verò, vel ex suo sinu, vel aliunde illas accepissent, adeo magnæ illis curæ fuit, ne quacunque de causa ad alios auferri paterentur, morituri potius quam id permissuri; quòd cum Reliquijs sacris salutem Reipublicæ communis, suamque felicitatem migrare arbitrarentur.

C Exempla horum, euentu ipso præstita, non pauca alibi dedimus, quibus, quæ paulò ante diximus, robur sufficiunt. Sed neque ignotum est, quanta olim religione Romana Ecclesia cauebat, ne vel tenues Reliquias ex sacris corporibus detrahi, & aliò deferri, nedum integra Sanctorum corpora pateretur: idque satis constat ex ijs, quæ sanctus Gregorius ad Constantiam Augustam scribit: vbi inter alia vehementer se mirari, & vix credere ait, quæ de Græcorum consuetudine acceperat, eos nimirum Sanctorum ossa leuare. Vnde quamuis clarissimæ essent personæ, quæ subinde à Romanis Pontificibus aliquid sacrarum Reliquiarum religiosè peterent, non tamen fragmina ossium; vel tenuem rasu-
D ram illorum, sed brandeum duntaxat, hoc est velum sacris admotum reliquijs, siue etiam strophiolum, aut gossyppium, aut quicquid id generis attactu Reliquiarum, velut sacratum, magno illis muneris loco mittere consueuerunt; quemadmodum constat non vna ex epistola Sancti Gregorij, & ex Ioanne Diacono in eiusdem vita. Quibus addi possunt quæ S. Germanus, ac eius collegæ Legati Apostolici rescripserunt ad Hormisdam Papam, Constantinopoli cùm essent, & quæ item illis Hormisda respondit. *Greg. l. 4. e. 44. Et l. 12. Dec. 4. Diac. l. 3. c. 42.*

Qua de causa Principes extra Italiam sanctitatum studiosi, aliunde sibi de Sanctorum Reliquijs, alijsque sacrorum ornamentis religiosè prouidebant. Nec
E desunt qui Carolum Magnum, à Ioanne Hierosolymitano Patriarcha, & Constantino Imperatore ad pellendos è Palæstina Saracenos inuitatum, magno cum exercitu iuisse affirmant, eaque recuperata, neglexisse aurum, argentum, gemmasque preciosas à Constantino vltro oblatas; & solis Dominicæ Passionis, Sanctorumque Reliquijs contentum reuertisse. Ita Lupoldus Bebenburgensis ex Speculo Historiali, alijque; sed falsò: neque enim Carolus aliquando Hierosolymam, aut Constantinopolim vidit; vt neque merentur fidem plura quæ hac de re narrantur. Hoc certum, accepisse Carolum missam ad se partem Coronæ, spineæ, Crucisque Dominicæ, cum multis alijs preciosis Reliquijs, quas in Aquisgranensi Basilica honorificè condidit. Hæ fuere, vt authoris verbis vtar, *De Relig. vet. Ger. cap. 12. Lib. 25. c. 4. 5.*

Suda-

Sudarium Domini, Camisia B. Mariæ Virginis, Fascia, qua puerum Iesum in cunabulis texit, & Brachium Sancti senis Simeonis. A

Postea tamen & Roma transferri cœperunt, non particulæ duntaxat, verùm integra corpora; primùm in Gallias, deinde in alias Transalpinas prouincias, quo tempore Franci Romanam Ecclesiam à Longobardis alijsque Tyrrannis vindicantes, multis officijs de eadem velut optime sese meritos extulere; quod enim alias vnquam tentatum haud fuit, tunc à Romanis Pontificibus consequi cœperunt. Et quod spectat ad venerandũ Corpus S. Viti, translatũ est Romà Parisios, vt Sigebertus notat, anno Domini septingentesimo quinquagesimoquinto: inde verò in Saxoniam anno octingentesimo trigesimosexo. *Vnde*, inquit, *Francones testati sunt, quod ab illo tempore gloria Franconum in Saxones translata est.* B De eadem translatione & cultu S. Viti apud Saxones, plura scribunt Vvitichindus, Saxo Grammaticus, Surius, & alij.

Vvitic. l. 1. gest. Sax. Gram. l. 14 Hist. Dan. Sur. tom. 6. Helmold. l. 1. cap 6. & lib. 2. cap. 12. Ad ann. 878. pag. 91.

Quanta autẽ in veneratione olim, vel apud Paganos, fuerit memoria S. Viti, ex ijs, quæ Helmoldus narrat, colligitur: vbi post ea quæ nos supra ex eodẽ memorauimus. *Postquam*, subdit, *permittente Deo, mutatis rebus, Rani à Fide defecerunt, statim pulsis Sacerdotibus atque Christicolis, Religionem verterunt in superstitionem. Nam Sanctum Vitum, quem nos Martyrem, & seruum Christi confitemur, ipsi pro Deo venerantur, creaturam anteponentes Creatori. Nec est aliqua barbaries sub cælo, quæ* C *Christicolas, & Sacerdotes magis exhorreat: solo nomine Sancti Viti gloriantur; cui etiam templum, ac simulacrum amplissimo cultu dedicauerunt, illi primatum Deitatis specialiter attribuentes. De omnibus quoque Prouincijs Sclauorum illic responsa petuntur, & sacrificiorum exhibentur annuæ solutiones: sed neque mercatoribus, qui forte ad illas sedes appulerint, patet vlla facultas vendendi, vel emendi, nisi prius de mercibus suis Deo ipsorum preciosa quæque libauerint, & tunc demum mercimonia foro publicantur; Flaminem suum, non minus quam Regem venerantur. Ab eo ergo tempore, quo primo Fidei renunciauerunt, hæc superstitio apud Ranos perseuerat vsque in hodiernam diem.* Hæc Helmodus, qui floruit circa annum Domini millesimum centesimum sexagesimum octauum. D

Cæterum, quod attinet ad Reliquias S. Viti, aliquando extra Corbeiam translatas fuisse in arcem Lappenspringe, & hic per septem menses mansisse, tradit Cranzius in Metropoli: propterea quod inter Abbatem, & Conuentum orta discordia, donec iure dirimeretur, isthic oportebat custodire; quamuis & vereri poterant, ne inter litigantes, insigni furto, aliò auerteretur. *Bohemi*, inquit idem author, *constantissime loquuntur Sancti Viti Reliquias esse in arce regia Pragensi, ibique religiosissime coli.* Cui fortasse fidem faciat, in nupera inuasione Friderici Palatini, dum aliquandiu Regnum affectatum teneret, ab Acatholicis E custodibus noctu ad fores Templi vigilantibus, claro in lumine visum fuisse Vitum, vt illi aiebant, cum cæteris Martyribus, & Sanctis Confessoribus ibidem sepultis inambulare templum, & socios ad migrandum illinc monere. Id obseruatores ad omen vertentes, interpretati sunt, aut transituram inde cum sanctitate Religionem orthodoxam, si diutius maneant iniqui possessores, aut reuersuram cum eorum clade in manus Domini Ciuitatem: id quod non multó post euentus præstitit.

Lib. 11. cap. 4.

Sed neque omittendum, memoriam S. Viti adeo postmodum apud Hungaros valuisse, vt quemadmodum olim, ne à suis maioribus tota Gallia excinderetur,

A deretur, Diuo Martino adſcripſere; ita ne tota eorum incurſionibus Saxonia peſſum iret, Vito acceptum ferrent: cuius idcirco Religionem in Pannoniam ſecum dubio procul è Saxonia, vel Rugianorum fama inferentes, inter reliqua ſuperſtitionis ſuæ numina habuerunt; vt quanquam deinde illato Euangelio, ſuperſtitio Religioni cederet, pluraque oppida, & vici, nomen Viti ferrent, aliquid tamen in eius cultu corrigendum maneret, quoad Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ritus inualeſcerent. De qua re pluribus dicturi ſumus, vbi de puteis S. Viti, in Hungaria præſertim, inſigni religione celebribus, ſermo inciderit. Quanquam deinde inualeſcente apud eos Religione, Sanctorum cultus plurimum propagatus ſit, hoc inter alia ſtudio peculiari, vt Ciuitatibus & Terris, B eorum nomina frequentiſſima imponerent. Ita videas pleraque oppida à B. Virgine, S. Cruce, S. Michaele Archangelo, & Apoſtolis, & Sanctis Regibus, denominari in primis: deinde Laurentij, Dionyſij, Georgij, Demetrij, Blaſij, Sebaſtiani, Gerardi, Agnetis, Agathæ: denique, vt plures mittam, Stephani, Emerici, Ladislai, qui Reges Hungariæ fuerunt; Eliſabethæ, Margarithæ, quæ Regum filiæ; Heduigis Reginæ Poloniæ; denique, Martini, Nicolai, Benedicti, vocabulis inſigniri. Quin etiam inuenias oppidum S. Salomoni dicatum, Regi opinor Sexto, Andreæ filio, quem indomiti ſpiritus iuuenem, aliquot C prælijs iam acciſum, ſed ex vltimo recenti adhuc ſudore manantem, mira Dei vocatio repente in ſyluas abdidit; vt eodem momento, & ſuis & Regno diſparuiſſe crederetur; nec ante fortaſſe viſus ſit, quàm fama ſanctitatis ſparſa, ex ſyluis egreſſus non multo poſt è vita quoque mortali exceſſit. De quo ſuo loco pluribus: neque enim vna eademque omnium de eius ſanctitate opinio; etſi vulgi conceptio Sanctum dixit, cuius nomen loco indidit: neque enim exiſtimo ex Veteri Teſtamento repetiuiſſe nuncupationem à Rege Salomone, quem Rex Andreas filio, ſapientiæ quadam imitatione propoſitum eſſe cupiebat, & idem nomen illius huic indiderat.

D

IESV CHRISTI ANNVS 921.	IOANNIS PAPAE X. ANNVS 10.	BERENGARII IMP. 7. CONSTANT. CVM ROM. 10. HENRICI REG. GER. 3.	Indict. 9.

Henricus Rex initium ſui Regni diſciplina pacis ſeruanda inchoat. *Multi enim his temporibus*, inquit Anonymus Rheginonis, *etiam nobiles, latrocinijs inſudabant: ſed graues in Francia Occidentali diſcordiæ feruebant inter* E *Radbertum inuaſorem Regni, & Carolum Regem. Interim Henricus Rex ſtabiliendæ paci, & reprimendæ Slauorum ſæuitiæ inſiſtebat.* Quod dum facit, ex vna parte Saraceni, ex alia Hungari iterum effuſi, vel potius nondum in ſua reuerſi, continuatis cladibus Regna populabantur. Et quidem Saraceni anguſtias Alpium inſidentes, vt notat Frodoardus, quamplurimos ad limina Apoſtolorum peregrinantes lapidibus obruebant; inter quos plerique Angli fuere, qui ex more ſingulis annis Romam cateruatim veniebant: neque tamen pietatem illam quantumuis truculentæ cædes à Barbaris illatæ impedire potuerunt, quin continuo tanquam pro Fide morituri affluerent. O pietas! O priſca fides!

HVNGARI GRASSANTVR. Ad hunc ann.

Hoc

Hoc tempore, vt notat Baronius, Romanus Imperator, secundo loco (vt A
par erat) nominari solitus, in edictis, vel alijs publicis monumentis, primo vero Constatinus Porphyrogenitus; fastu tumens primum vendicans sibi locum, vt secundo loco Constantinus nominaretur effecit; ex quo sibi (quod est superborum omnium, vt qui se exaltant humilientur) exitium comparauit.

Indict. 10.

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAPAE X. ANNVS	BERENGARII IMP. 8. CONSTANT. CVM ROM. 11 HENRICI GER. REG. 4.
922.	11.	

B

Feruebant & in Italia hoc anno bella ciuilia, vt Frodoardus notat, Berengario Imperatore per Rodulphum Galliæ Cisalpinæ Regem, siue vt Luitprandus ait, Burgundiæ Principem, in Italiam vocatum, bello superato. Vocauerat Berengarius Hungaros iampridem sibi fœdere quodam conciliatos; qui tamen alijs detenti prouincijs, tempori cogi non poterant. Audita tamen clades Berengarij acuit sæuitiam ipsorum, vt relicta Alemannia, Burgundiam, adeoque totam Franciam, ac demum Italiam bello petere decernerent. C

HVNGARI A BERENGARIO VOCATI.

Indict. 11.

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAPAE X. ANNVS	BERENGARII IMP. 9. CONSTANT. CVM ROM. 12. HENRICI REG. GER. 5.
923.	12.	

HOC anno, die mensis Martij vigesimosexto, feria quarta, passa est Cordubæ in Hispania Sancta Eugenia Martyr, sub Rege Saracenorum Habdarraghman, huius nominis Quarto, qui quemadmodum Attila perniciem quodammodo humano generi meditatus, *Flagellum Dei* se vocauit; ita odio Christianorum, *Legis diuinæ Defensorem*, & *Regem credentium* se appellabat, quasi Christiani nec crederent, nec legem Dei seruarent. D

Ad hunc annum referunt alij bellum inter Carolum & Robertum in Gallijs gestum; sed vituperant Carolum, quòd contra pactas inducias, contra imparatum Robertum irruerit, multòque magis, quod Nortmannos in auxilium vocarit. Non tamen impune tulit: nam etsi Robertum occiderit, vicissim tamen & ille ab Hugone Roberti filio captus in carcere luit, & interim Roberti filia Emma Regina dicta est, electo per Proceres Rege Rodulpho Burgundo Richardi filio. E

Quod ad Hungaros spectat, hoc anno cum ijs in nouem annos Henricum pacem firmasse scribit Sigebertus, & Lupoldus; quam tamen non diu seruatam fuisse, ex dicendis constabit.

Lupol. de zelo Germ. cap. 12.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS 924.	IOANNIS PAPAE X. ANNVS 13.	CONSTANT. CVM ROM. 13. HENRICI REGIS 6.	Indict. 12.

BErengarius Imperator, postquam imperasset annos octo, menses sex, dies quindecim, à suis occiditur, circa finem Martij, vt quibusdam videtur, die vigesimanona, Dominica. Dignè luisse putant, quòd fœdere iam antea B Hungaris inito, eosdem hoc anno iterum in Italiam maiori agmine admisit; de Rodulpho Rege Francorum electo, quem anno superiori victorem passus est, vindictam sumpturus. Quòd si & Carolus, vt vidimus, in noxam vocatur, quòd Normannos contra Rubertum, in auxilium acciuerit, & Berengarius iustam morte sua dedisse pœnam putatur, quòd Hungaros fœdere secum iunctos euocarit; dubium incessit, vnde id diuino iudicio displicuerit, an quia infideles erant Nortmanni, & Hungari; nec pietati consentaneum erat Christianorum sanguinem, Paganorum gladio fundi: an quia religionem funestarunt, vt plures à Christo abducerent? Verùm & inter Nortmannos, & inter Hun- C garos plures erant Christiani, nec ipsis curæ admodum fuit, dum suis ipsi superstitionibus liberè vacarent; Christiana sacra violare: id vnum criminis erat, quòd in Christianos auspicijs Christianorum fæuirent; quòd Ecclesias expilarent, & contaminarent; quòd honestati minus deferrent; vno verbo, diuitijs, & moribus, non Fidei damnum inferrent. Quo fit vt longe peiori loco sint res Christianorum; si forte contingat in bellis ciuilibus, hæreticorum vti consortio, quando non perinde opes, ac religio petitur, illatis vbique locorum hæresibus, Sacra non tam cessant, quàm penitus tolluntur, Sacerdotes proscribuntur, Deo sacratæ virgines polluuntur, Ecclesiæ profanantur; ne multis, D facta animarum præda, sanctitas ex humanis pectoribus exuritur.

BERENGARII INTERITVS.

Quam autem cladem hoc anno Galliæ Cisalpinæ Hungari intulerint, his breuiter narrat Frodoardus. *Hungari ductu Regis Berengarij, quem Longobardi peremerant, Italiam depopulantur, Papiam quoque Vrbem populosissimam, atque opulentissimam, igne succendunt, vbi opes perire innumerabiles, Ecclesiæ quadragintatres succensæ, Vrbis ipsius Episcopus cum Episcopo Vercellensi, qui secum erat, igne fumoque necatur, atque ex illa pene innumerabili multitudine ducenti tantum superfuisse numerantur, qui ex reliquijs vrbis incensæ, quas inter cineres legerant, argenti modios octo dederint Hungaris, vitam murosque ciuitatis vacua redimentes. His expletis* E *Hungari per abrupta transeuntes Alpium iuga, venerunt in Galliam; quos Rodulphus Cisalpinæ Rex Galliæ, & Hugo Viennensis inter angustias collium alpinorum claudunt. Vnde in primo loco per deuia montis euadentes, Gothiam impetunt; quos insequentes prædicti Duces sternunt ex eis quos reperire potuerunt.* Hæc Frodoardus, qui hoc loco Gothiam vocat eam Galliæ Cisalpinæ partem, quam olim Gothi Italiæ Domini possidebant.

HVNGARI ITALIAM VASTANT.

Porrò similem huic euentum scribit Rhegino, & nos supra cum ipso ad annum nongentesimum primum; vt nisi ab alijs quàm à Rhegione, & Frodoardo, qui tunc viuebant, hæc scriberentur, dubitari posset, an in Chronologia errarint, an alterum pro altero scripserint. Cæterùm, quia plures alij scribunt,

Hungaros Alsatiam, Franciam, Germaniam, populatos fuisse, postquam videlicet ex Italia excessissent; verisimilius est, diuersam hanc à prima fuisse vastationem: illi enim diu superfuit Berengarius, post hanc parum vixit: ab illa, eius studio pedem Hungari in patriam retulere, post hanc non in patriam; sed aliò abiuere, nec à Berengario abire iussi, sed precio à Ciuibus persoluto placati: in illa Ludmardus, siue Trussardus Episcopus Vercellensis in itinere comprehensus necatur; hic igne fumoque suffocatus dicitur Episcopus quidem Vercellensis, sed quis fuerit non exprimitur; vt cogitari queat aut Sebastianum fuisse, qui Ludmaro successit; aut potius Didacum, qui Sebastianum secutus est. A B

Lib. 3. de reb. Europ. gestis c.1.

Vsta est autem (inquit Luitprandus ciuis eiusdem Vrbis) *infelix, olim formosa Papia, anno Dominica Incarnationis nongentesimo vigesimoquarto, quarto Idus Martij, Indictione duodecima, feria sexta, hora tertia: quorum memoriam, qui ibidem combusti sunt, vos, & quicunque legeritis faciatis, vehementer exoro.* Hæc Luitprandus, qui eadem clade occubuisse memorat sanctum Ioannem Papiensem Præsulem. Ex eo verò redargui potest Sigebertus, qui in annum sequentem, & necem Berengarij, & Papiæ ab Hungaris Italiam Duce Salardo peruagantibus, obsidionem, & incendium coniiciunt; quamuis & Luitprandus emendari queat, quòd aut tertium Idus Martij, aut certe feriam quintam dicere debuerit. C

Hanc Papiæ cladem, secuturamque deinde exaltationem à Beato Syro eiusdem Ciuitatis primo Episcopo, prædictam fuisse insinuat Luitprandus, his verbis; *Ne eius vaticinium falleretur, prædicta Vrbs Papia, vt caderet est impulsa; verùm misericorditer à Domino est liberata. Missus siquidem prædicationis gratia à Beato Hermagora, Euangelista Marci discipulo, Papiam Beatissimus Pater, huiusmodi eam prophetiæ spiritu honorauit: Delectare gaudijs Vrbs Papia, quia veniet tibi ab æternis montibus exultatio. Non vocaberis minima, sed copiosa in Ciuitatibus. Et vt hoc eius vaticinium firmius crederetur, Aquileia non ignota Ciuitatis casum, hac eadem hora sermone huiusmodi nuntiauit: Væ tibi Aquileia, quia cùm impiorum incesseris manus, destrueris, nec vltra reædificata consurges. Quod ita esse completum, visibus patens ratio manifestat. Aquileia namque prædiues, atque olim Ciuitas immensa, ab impiissimo Hunnorum Rege Attila capitur, atque funditus dissipatur, nec vlterius, vt impræsentiarum cernitur, eleuatur: Papia vero, vt vir sanctissimus dixerat, copiosa & appellatur & cernitur; non solum quippe vicinas, sed & longe positas præcellit opibus Ciuitates. Quid alias memorem, cùm ipsa insignis, & toto orbe notissima Roma, hac inferior esset, si preciosa Beatissimorum Apostolorum corpora non haberet. Patet igitur quod hanc intercessio Beatissimi Patroni nostri Syri eripuit, qui tam veridico, ac precioso præsagio honorauit. Exusta denique Papia, factaque per Italiam non modica præda, Hungari ad propria reuertuntur.* Hæc Luitprandus. Sed reuera quo tempore Aquileia diruta est, non minorem sensit cladem Papia, Mediolanum, Vicentia, Verona, cætæraque Ciuitates. Quæ causa fuit, vt Valentinianus Leonem Magnum ad flectendum Attilam ablegaret.

Lib. 3. cap. 2. D E

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAPAE X. ANNVS	CONSTANTINI VIII. CVM ROM.
925.	14.	14. HENRICI REGIS. 7.

Indict. 13.

CORdubæ in Hispania Pelagius puer annorum tredecim & semis, admiranda fortitudine Martyrium fecit, sub Rege Saracenorum Habdarraghman Quarto, die Dominica vigesimasexta Iunij, postquam triennium & semis in B carcere exegisset; venturi præscius ad certamen se parans. Scripsere insigne eius Martyrium plures, sed ante omnes Raguel, qui totius rei gestæ seriem oculis spectauit.

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAPAE X. ANNVS	CONSTANTINI VIII. CVM ROM.
926.	15.	15. HENRICI REGIS 8.

Indict. 14.

C

HOC anno rursum Hungaros totam Franciam, Alsatiam, Galliam, & Alemanniam, contra inducias cum Henrico ante triennium initas, igne, & gladio vastasse scribunt Anonymus Rheginonis, & Hermannus.

Quo etiam volunt aliqui contigisse Martyrium Vviberadis (alijs Vviboradam) Virginis sanctimonialis, apud Monasterium Sancti Galli in Germania inclusæ, & hac incursione ab Hungaris interfectæ. Meminit huius Sanctæ (quam alij etiam Vvilberadam vocant) author vitæ S. Vdalrici, Trithemius in chronico Hirsaugiensi, & de Viris Illustribus; sed sine appellatione Martyris, quemadmodum & Molanus in Appendice ad Vsuardum: Trithemius tamen, & author vitæ S. Vdalrici, magnæ sanctitatis Virginem fuisse scribunt, & prophetiæ spiritu claram; vt quæ, Vdalrico prædixerit apud Monachos S. Galli conuersanti, eum non Monachum futurum, sed Episcopum Augustanum: id enim postmodum euenit. *Trith. ad ann. 917. De Vir. Illust. cap. 234.*

D

Martyrem tamen fuisse tradit antiquus author, qui eius gesta hymno comprehendit apud Henricum Canisium, & præuidisse eam ab Hungaris se trucidandam notat. Sequitur Hermannus in suo Chronico; Menardus in Martyrologio ad diem secundum Maij; qui addit in suis obseruationibus, Rachildem E Virginem fuisse eodem loco inclusam, & sociam S. Vviberadæ Virginis, sed ab Hungaricis mucronibus diuinitus liberatam; ac demum anno huius seculi quadragesimosexto vita functam. *Lib. 5. Antiq.*

Ad hunc annum Sigebertus notat, quæ nos supra narrauimus, Simeonem Bulgarorum Regem ex Philosopho Monachum, & ex Monacho militem factum, Græcos grauiter attriuisse. Quæ tamen cum aliorum dictis non consentiunt. *Ad ann. 923.*

A

Indict. 15.

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAPAE X. ANNVS	CONSTANTINI VIII. CVM ROM. 16.
927.	16.	HENRICI REGIS 9.

HVNGARI QVO BELLVM VERTANT, AMBIGVNT

Pleraque Europæ Regna ad varias spectant mutationes; sed Hungaria præcipue tumultuatur, quibusdam repetere Germaniam, & Italiam suadentibus; alijs contra Græcorum Imperatorem ducendum, aut certe eius auspicijs, si roget, contra Bulgaros Constantinopolitanæ vrbi infestos bellandum, contendentibus. B

Turbatas etiam res Gallorum scribunt nonnulli, post mortem nimirum Caroli Regis, quòd maxime Lotharingi nollent Henrico Regi subesse. Cæterùm Carolus hoc tempore in viuis erat; imò è carcere, in quem à Rodulpho Rege, vel potius ab Heriberto Comite coniectus fuerat, eductus, & pristino honori restitutus est, quod comminatorijs literis ita faciendum monebat Ioannes Papa. Præscribit hæc omnia Frodoardus; vt redarguendus sit Sigebertus, qui Carolum anno superiori, sub custodia Heriberti Comitis in exilio martyrem mortuum esse falso affirmat. Neque enim anno superiori, sed biennio post, hoc est anno nongentesimovigesimonono, contigit eum mori in carcere; cùm rursus in eum coniectus fuisset, mutata nempe fortuna Ioannis Pontificis, qui eum liberauerat, & sopita inter Rodulphum Regem, & Heribertum Comitem simultate; ex qua alterius in alterum factione ipse liberatus fuerat. C

Indict. 1.

IESV CHRISTI ANNVS	LEONIS PAPAE VI. ANNVS	CONSTANTINI VIII. CVM ROM. 17.
928.	1.	HENRICI REGIS 10.

D

IOANNES PAPA OBITVS.

Ioannes Papa, factione Maroziæ Vvidonis Tusciæ Marchionis vxoris deiectus, & coniectus in carcerem, siue mærore, siue vi, vt plures aiunt, hoc anno extinguitur. *Frodoardus, Luitprandus, Leo Ostiensis*. Subrogatur verò eidem, non vt Luitprandus scribit, Ioannes Vndecimus, Sergij filius, sed Leo Sextus Christophori Primicerij natus.

Luit. lib. 3. c. 12. In Chron. lib. 1. cap. 57.

SVCCEDIT LEO VI.

Hoc eodem anno, mense Septembri, Simeon Rex Bulgarorum grauissima suburbijs Constantinopolitanis intulit damna, donec pace redempta muneribus, reuersus est ad propria. Erant in exercitu Simeonis plures Hungari, & Gentiles mixti Christianis, cùm ipse Christianus esset; & cur bellum gereret vix cogitare poterat, nisi vt superbam ostentaret ambitionem. Iam Macedoniam prædatus, in omnia bona Thraciæ, adeoque in suburbia, & in ipsam vrbem Regiam grassabatur: cùmque prope Blachernas castra posuisset, postulauit ad se mitti Nicolaum Patriarcham, vt de pace ageret, & quosdam alios viros Senatorij ordinis; sed neque his contentus, ipsum Imperatorem velle se aspicere dixit. Interea tamen D. Mariæ Templum ad fontem, quod Iustinianus Imperator ædificarat, exussit. Facta Imperatoris copia, vbi hic reprehendisset, quòd E

SIMEON REX BVLGARVS VEXAT THRACIAM.

homine

A homine Christiano indigna faceret, sanguinem Christianorum impiè fundens, & nomen Christiani indignè ferens; suppuduit Simeonem; & dimissa Imperatoris mansueta in animum admonitione, pacem pollicitus, acceptis muneribus amicè discessit. Pluribus ista narrat Curopalates: Vtinam imitando Christianis Principibus exemplo, quando nihil frequentius istis, quàm misso capitali Christiani nominis hoste, æterno cum dedecore mutuum grassari in sanguinem.

IESV CHRISTI ANNVS	STEPHANI PAP. VIII. ANNVS	CONSTANT. CVM ROM. 18 HENRICI REGIS 11.
929.	1.	

B — *Indict. 2.*

Carolus Rex Francorum moritur in carcere, in quem iterum, vt supra diximus, coniectus fuerat; filio Ludouico relicto. Moritur & Leo Sextus Papa non meliori sorte, quàm Ioannes, cui successerat, & ipse in carcerem detrusus, & vi an mærore enectus, incertum; postquam sex menses, & dies quindecim nomen Pontificis gessisset. Successit eidem Stephanus Octauus, dictus Septimus, natione Romanus, Theudemundi filius.

LEONIS PAPÆ OBITVS.

SVCCEDIT STEPHANVS VIII.

C Hoc eodem anno, vt scribit Sigebertus, Lanceam miri operis ex Clauis Iesu Christi Crucifixi sanctificatam, quæ dicitur Primi, & Magni Costantini Imperatoris fuisse, donatam Rodulpho Regi Burgundionum & Italiæ, à Sampsone Comite; Rex Henricus precibus, minis, muneribus, addita etiam parte Prouinciæ Sueuorum, à Rodulpho extorquet, & hanc ad insigne & tutamen Imperij posteris reliquit. Meminere huius Lanceæ, & Luitprandus, & Otho: sed & historia Archiepiscoporum Bremensium, quæ obtentam scribit anno huius seculi vigesimo. Fusius omnia narrantur apud Surium in rebus gestis Sancti Gerardi, qui hoc tempore claruit. Quod tamen dicitur ex Clauis Dominicis Lanceam illam esse sanctificatam, intellige non de omnibus Clauis, sed de partibus vnius, *in ea*, vt loquitur Paulus Æmilius, *affabre locatis sanctam*: nam de Clauis Domini, alijs locis positis, & ad alium vsum adhibitis satis constat. Certe, si tres fuerunt, aut ad summum quatuor, vt Gregorio Turonensi placet, abundet fortasse de quo hic sermo est: duo feruntur fræno Constantini inserti, tertius in Adriaticum proiectus, quartus capiti statuæ Constantini infixus. Ambrosus vnum fræno, diademati alterum, vel vt Theodoreto lubet, galeæ adhibitum existimat. An porro ex reliquis duobus fuerit,

In Vnnone Nono Episc. Brem.

D *Tom. 5. Oct. 3.*

De Glor. mart. cap 8.

In fun. Theod. Lib. 1. cap. 12.

E quem Henricus accepit? Nam quòd vnus ab Helena in mare demersus traditur, non arguit in profundo relictum: quì enim preciosus adeo thesaurus proiectus fuerit, quando vel tenui eius in superficie attactu, furor maris sedari potuit? vel certe ea ratione vndis immissus fuit, vt extrahi sursum facile posset. An etiam alterum horum fuisse quispiam dixerit, qui à tempore Caroli Calui in Gallijs ad S. Dionysij seruatus est? De hoc narrat Guglielmus Nangis, aliquando in frequenti turba, dum pro more porrigeretur osculantibus, fuisse amissum, & post mensem, multis diuinitus patratis miraculis, repertum, magna Diui Ludouici Regis voluptate, qui maluisset maiori Regni parte, quàm hoc tanto thesauro priuari. In hunc numerum facile veniet & Clauus ille, qui hodie exi-

miam habet religionem apud Imperatorem Ferdinandum Tertium; atque, vt A
ex Bulla Innocentij Secundi attestantis Conrado Tertio Imperatori data apparet, is esse perhibetur, qui Christi pendentis dexteram confixit, quem postea Constātinus in galea gessit. Exemplum eius Bullæ habemus à P. Ioanne Gans Imperatoris eiusdem à confessionibus & Concionali transmissum vna cū genuina sacri Claui effigie. Qua de re in loco, è religione portanda pluribus dicturi sumus.

Hic duntaxat de prima Constantini Lancea subiungimus, ex Historia Archiepiscoporum Bremensium, aliam eius formam tradi quàm vulgo feratur. Verba sunt Authoris: *Excepta cæterarum specie lancearum, nouo quodammodo opere, nouaque elaborata arte & figura, iuxta mediam spinam habuit vtrobique quasi fenestram, &* B
in medio Crucis ex Clauis manibus, & pedibus Saluatoris Domini Nostri Iesu Christi affixis. Hæc ibi. Addit sub finem, Henricum sæpius ea de hostibus triumphasse; *Quam tandem decedens filio suo Othoni Magno reliquit. Ipsaque est, quæ ex tunc hodieque in Imperatorum tutela solet manere:* Hactenus Author, proximus, vt videtur, illi ætati. Quò vero demum post Othones ea Lancea deuenerit in decrrante ad diuersas Principum familias Imperio, erit fortasse, qui scire
In Leimaro. desideret. Quamquam in Historia Archiepiscoporum Bremensium legam, in obsidione castri Gliscæ, occisum esse Burchardum Lutsanensem Episcopum, qui Lanceam regalem ferebat, Regis nimirum Henrici Quarti, circa annum C
octuagesimum nonum supra millesimum. Quod de alia quam sacra Lancea vix intelligi queat.

Beda lib. 2. c. 8. Sed & de alia lancea eidem Henrico ab Hugone in Gallia regnante data, narrant gesta Anglorum. *Ea fuit* Caroli Magni, quam is contra Saracenos ducens, si quando in hostes vibrabat, semper victor abibat. *Ferebatur esse eadē, quæ Longinus Centurio, Domini latus aperuit.* Misit & Vexillum Mauritij Ducis Thebæorum Martyrum, quo idem Rex in bello Hispano consertos hostium cuneos penetrare, & profligare solitus erat: denique Ensem Constantini Magni, in quo literis aureis nomen eiusdem insculptum visebatur, & in capulo vnus ex illis qua- D
tuor Clauis, quibus Dei filius Cruci confixus fuit, laminis aptatus. Hæc omnia merebatur pietas Henrici, cuius religionem in cultu sacrarum Reliquiarum nemo non maxime commendat. Verùm quod ad Longini Lanceam spectat, hæret animus, quando constat, eam Antiochiæ centum & septuaginta circiter annis post Henricum, Andrea Apostolo reuelante inuentam, Christiano exercitui non vnam peperisse victoriam; deinde verò quadringentis paulò minus annis à Baiazete Turcarum Imperatore, Innocentio Octauo Romam missam, hodieque in Basilica Vaticana, totius orbis religioni seruari, & subinde affluentibus vndique populis venerabundis ostendi. Mitto, non videre qua ratione E
dictam Lanceam Hugo Rex Galliæ donare potuerit; nisi aut prior alius isto longe antea Rex fuerit, aut certe Hugo non huic Henrico, sed Secundo nondum imperanti miserit; quando Henrico Primo imperante, Hugo nondum fuit: antequam vero Secundus imperaret, iam vixit.

A

IESV CHRISTI ANNVS	STEPHANI PAP. VIII. ANNVS	CONSTANT. CVM ROM. 19 ENRICI REGIS 12.	Indict. 3.
930.	2.		

HEnricus Rex prædictas Reliquias secum ferens, vbique victorias numerat. Non ita pridem accepta S. Dionysij Martyris manu, non longe post Regnum protulit in exteras nationes, tributarios reddens, vt Vvitichindus B scribit, Abotritos, Valios, Hacellos, Dalamancos, Bohemos, Redarios, præter Alemannos, & Baioarios, quorum Reges in deditionem accepit. Sed hæc fortasse tum cœpta, deinde successu temporis perfecta sunt. Hoc anno sanè Vvenceslaum Bohemiæ Regem obsidens, vnà cum vrbe regia Praga deditum, tributarium fecit: paulò post Reges Nortmannorum, & Abroditarum ad Christiana sacra duxit. Penetrauit & in Daniam: & quos aliquando S. Ansgarius conuerterat, eosdem deinde quauis, vel temporum iniuria, vel Principum incuria in Paganismum degenerantes, iterum prædicatione Vnni Archiepiscopi Hamburgensis, viri sanctissimi, ad Christi obsequium reduxit. Quippe optiC mus Rex, quoscumque subegisset Barbaros, duo hæc ab ijs exigebat, Fidem Catholicam, & tributum.

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAPAE XI. ANNVS	CONSTANT. CVM ROM. 20. HENRICI REGIS 13.	Indict. 4.
931.	1.		

D STephanus Papa post annos duos, mensem vnum, & dies quindecim, è vita migrat. Succedit Ioannes Sergij filius. *Luitprandus*. STEPHANI PAPÆ OBITVS.

Redarij (Germaniæ populi) ad ducenta millia hominum conspirantes contra Henricum Regem rebellant, & Regnum eius grauiter infestant, & vicinas gentes ad rebellandum animant. Sed à Ducibus Regis Bernardo & Thietmaro graui bello victi, omnes pene moriuntur, aut fugientes in mare vicinum demerguntur: & hoc facto vicinæ gentes à rebellione deterrentur. Ita Sigebertus: sed Anonymus Rheginonis in hunc annum conijcit, quod nos superiori retulimus, Regem nimirum Nortmannorum, & Abroditarum, ab Henrico Christianos effectos. Sed Hermannus Hungaros ab eodem Henrico in Suirbia E (alias Suibia, quæ hodie Sueuia) interfectos narrat. Lib. 3. cap. 13.

Alij referunt Hungaros per Italiam grassatos, dum Germaniam quoque in reditu popularentur, exceptos ab Henrici exercitu, & conserto prælio, multis illorum cæsis, inter captiuos abductum etiam eorum Ducem; quem vt Henricus dimitteret, magna vi auri agebant Hungari: sed Henrico vilius fuit pace aurum, proinde pacem postulauit; eaque obtenta Ducem dimisit. Meritò vero luerunt Hungari ob non seruatas nouennij inducias, quas anno huius seculi vigesimotertio pepigerant. HVNGARI AB HENRICO CÆSI.

IESV

A

Indict.5.

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAPAE XI. ANNVS	CONSTANT.CVM ROM.21. HENRICI REGIS 14.
932.	2.	

ITalia nouis motibus quatitur, Arnoldo, seu Arnulpho Baioariæ Duce aduersus Hugonem Italiæ Regem Veronam vsque ducente: sed repulsus est, diuina iustitia in sacrilegum vindicante, qui tot Monasteria destruxit, & eorum bona laicis diuisit. *Luitprandus*, & *Otho Frisingensis*. Eam ob causam S.Vdalricus Episcopus Augustæ Vindelicorum per quietem vidit, Arnoldum in Concilio Sanctorum accusari tanquam sacrilegum. B

Luit.lib.3.c.14. Otho lib.6.c.18

Indict.6.

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAPAE XI. ANNVS	CONSTANT.CVM ROM.22. HENRICI REGIS 15.
933.	3.	

C

IOannes Papa violenter deiectus, in carcerem à fratre suo Alberico detruditur: sed non multo post ab eodem, pulso Hugone Rege vitrico, restituitur.

Hungari, vt tradit Rhegino, per Orientales Francos in Alemannia, multis ciuitatibus igne & gladio consumptis, iuxta Vvormatiam Rheno transito, vsque ad mare Oceanum Galliam deuastantes, per Italiam redierunt.

Indict.7.

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAPAE XI. ANNVS	CONSTANT.CVM ROM.23. HENRICI REGIS 16.
934.	4.	

D

In Chron. Lib.4.exeg.Germ. c.23.& l.5.c.45 Lib. 12. Hist. Germ.

HVngaros iuxta pacta pacis, ab Henrico, & Saxonibus munera, & tributum per Legatos petisse, hoc anno tradũt Sigebertus, Irenicus, Hericus Mutius. Henricus tot successibus, quasi fortunam in manu ferens, cõfidentior factus, Legatos non admisit, sed nec responso quidem illos dignatus est. Hi ad suos propere reuersi contemptum extollunt, & maximas copias ad bella cient. Mox aduersus Henricum properant, & Saxoniam prætereuntes in Thuringiam euadunt, ferro, & igni omnia vastantes; quamplurimos vtriusque sexus, qui cædi superessent, in captiuitatem abducunt. Henricus forte aduersa valetudine detentus, vt primùm id accepit, neglecta medicorum cura, se ad prælium cum suis E accinxit; atque vbi in conspectum hostium aduenit, suos milites paucis cohortatus, inuocato Dei nomine conseruit.

HENRICI CVM HVNGARIIS CONFLICTVS.

Pugnatum initio vtrinque fortiter: sed vbi virtute Domini res gerebatur, huc victoria inclinauit, Hungaros deseruit. Deleti à Sigeberto traduntur omnes ad internecionem: Frodoardus triginta sex millia occisa, cæteris aut captis, aut flumine absorptis, narrat: Mutius infinitum eorum numerum trucidatum scribit:

HVNGARI VINCVNTVR. Hist.Germ.l.12

A ſcribit: impedimenta amiſſa, plurimos captos, exercitum reliquum diſſipatum, nec niſi ſero in Hungaria collectas reliquias.

Hanc aliqui victoriam ad ſuperiorem annum referunt: nos plurium fidem ſequimur. Cæterum, memorabile ſane prælium. Poſtquam Henricus Deo publice gratias egiſſet, & prædam Eccleſijs, & pauperibus impendiſſet, in arcis ſuæ Merſburgianæ triclenio graphicè depingi iuſſit, vt tam ſibi quàm poſteris cum voluptate ſpectantibus incitamentum eſſet ad pietatem, & gloriam ſempiternam, ſi meminiſſent, quibus ipſe auſpicijs tam immanes hoſtes deuiciſſet.

B Nam, vt Vviticindus ſcribit, inter alia dum ſuos ad pugnam hortaretur, hæc pro concione dixit: *Conſulite igitur vobiſipſis, & quid ſuper hac re faciendum eligite: Theſaurum diuinis officijs ſanctificatum tollamnè, & dabo pro noſtra redemptione inimicis? An certè addam cultui diuino pecuniam, & honorem; vt ab ipſo potius redimamur, qui verè noſter extat creator, & redemptor? Ad hæc populus leuauit voces in altum, inquiens, ſe à Deo viuo & vero redimi omnimodis deſiderare, quia fidelis & iuſtus ſit in omnibus vijs ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Operam ſuam deinde promittens Regi contra gentem acerrimam, dextris in Cælum eleuatis pactum firmauit.* Hæc Vviticindus. Lib. 1. de reb. Sax.

C Sic planè, præuia pietate reddito ſibi propitio Numine, memorandam omnibus ſeculis Henricus de inuicta gente retulit victoriam; & quod tributi nomine pendendum erat, mutatis rationibus, pro gratiarum actione Eccleſijs, & pauperibus exſolutum eſt. HENRICI VICTORIA.

Hoc eodē anno Albericus Romæ tyrannidem exercens, coēgit Ioannē Pontificem in carceribus detentum, vt Theophilacto Romani Conſtantinopolitani filio, quem is pene puerum Patriarcham conſtituerat, literas mitteret; quarum authoritate, tum ipſe, tum ſucceſſores, impoſterum vbique permiſſu Romani Pontificis, Pallijs vterentur. Fecit hoc Ioannes metu, fecit Albericus

D muneribus inductus, quàm graue vulnus Romanæ Eccleſiæ infligeret, haud conſiderans. Hinc paulatim inoleuit, vt non ſolum Patriarchæ, ſed etiam Epiſcopi totius Græciæ Pallijs vterentur: quod notat Luitprandus in narratione legationis ſuæ.

Quæ res, & neglectum Eccleſiæ Romanæ Græcis peperit, & ipſis Græcis non ſero nocuit, hac occaſione propiùs ad ſchiſma ſpectantibus. Placuit autem huius prærogatiuæ coactè conceſſæ meminiſſe, propter ea quæ in ſequentibus dicenda occurrent ob ſimiles prætenſiones.

E IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAP. XI. ANNVS	CONSTANT. CVM ROM. 24. HENRICI REGIS 17.
935.	5.	

Indict. 8.

HVngari fortunam iniquam in ſapientiam vertentes, mirari cœperunt, vnde tam aduerſos ſibi ſenſiſſent Deos, quos coluiſſent, templaque eorum tot nationum detractis ſpolijs locupletaſſent: An forte minutior horum virtus eſſet, quàm Dei Chriſtianorum, cui Henricus vota ferre ſolitus religiosè obſecundaret? Fuere non pauci, quorum animos ſtimulus ſubiret deſertæ religionis, quam maiores à Carolo Magno ſuſceperant; & diruta templa, HVNGARI IN SERVATVRI.

quibus

quibus Christiana sacra in veneratione habuisset, metum ingerebant. Porrò cùm plurimi essent sæuitia infidelitatis hebetes, pias cogitationes suscipere haud valuerunt; fortunæ, non diuinæ potentiæ, rerum euentum adscribentes. Nec erant ex Catholicæ religionis Antistitibus, qui tam parata occasione vti docti, in animos barbarorum se immitterent, Romanis Pontificibus in infelici Vrbis statu in alia omnia, quàm in Fidei propagationem intentis; cæteris verò, qui Hungaris propiores erant, post mutatum à recessu Methodij statum, aut de iure ambigentibus, aut mole curarum premente, dexteram porrigere haud valentibus. Quod præsertim de Gumpoldo Patauiensi (idemque dixerit de Gerhardo huius successore) asserit Bruschius, ob crebras Hungarorum in Germaniam irruptiones, fuisse illos in promouenda religione segniores, vt qui nescirent, vel quo loco tuti esse, vel hostium vndequaque insonantium manus effugere possent. Quare soli id Henrico relictum videbatur, si res & tempus fauisset. A B

Cæterùm, hoc eodem anno Henricum, & Danos, qui Frisones incursabant vicisse, & Regem eorum Chuipiam, vt Sigebertus; vt Diethmarus, Cuusum, ad Christum conuertisse, memorant Scriptores; Neque solùm, sed post victoriam de Hungaris reportatam plerasque nationes, eius Imperio, & religione flexas, ad quas fama facti peruenisset: nulli vt essent Principes, qui legationibus, & muneribus missis amicitiam eius non expeterent, obsequia sua non offerrent. Idque moris erat pio Regi, vt deuictas gentes, & pro pace supplicantes audire ante noluerit, quàm ipsi Christo audientes se fore promisissent: quod quidem Hungaris melioribus non parum spei, ijs verò qui ex Scythia recentiùs admixti erant, non parum timoris ingesserat; quippe qui audissent Henricum eò vicisse, quòd Deo suo peculiari voto se obstrinxisset, si victoriæ compos euasisset. Id equidem voti existimo fuisse, cuius meminit Luitprandus concepisse Regem, dum suos animaret, de suo Regno Simoniacam hæresim, quæ superiorum Principum conniuentia altas radices fixerat, penitus euulsurum, si de Hungaris victoriam reportasset. C D

HENRICVS PLVRES AD CHRISTVM ADDVCIT.

Lib. 2. c. 8. & 9.

HENRICI VOTVM.

Lepidum sane est, quod quidam tradunt, Hungaros in vexillo Henrici conspecta Angeli alati effigie, Deum Christianorum alas habere dictitasse: ideo velocem ad auxilium suis ferendum. Id vt sui quoque Dij imposterum præstare possent, Idolis suis Herculi, & Marti ingentes alas, auro graues affinxisse; neque tamen postea respondente illis victoria, iterum infregisse, quòd cogitarent non fictas, sed natura datas oportere esse alas, ad volandum idoneas: hinc iniectam haud paucis cogitationem de Deo Christianorum agnoscendo. Alij tradunt, eas alas à nocturnis furibus direptas, quòd Deos suos grauari nollent, nec ijs egere affirmarent. E

Vera hæc sint, an secus, insuper ex Vvitichindo constat, primarium Henrici vexillum Angelum fuisse nominatum, quòd Angeli Imagine spectaretur insignitum. Vnde sicut maximè tanti Regis commendatur pietas; ita posteros suæ gentis Saxones pudere debet hæresis, qui hodie cultum sanctarum detestantur Imaginum, immemores sanctitatis maiorum; immo prorsus degeneres ab auita pietate tot illustribus seculorum præconijs celebrata.

De reb. Sax. l. 1.

HENRICI VEXILLVM QVALE.

A

IESV CHRISTI ANNVS 936.	LEONIS PAPAE VII. ANNVS I.	CONSTANT. CVM ROM. 25 OTHONIS REGIS 1.	Indict. 9.

HEnricus, perdomitis circumquaque gentibus, Romam proficisci statuit: sed infirmitate correptus iter intermisit. Iamque morbo ingrauescente, conuocato populo, Othonem filium Regem designauit, non minus Regni B quàm pietatis, & fortitudinis militaris hæredem. Cuius initia idcirco ab hoc anno numeramus, licet alij à sequenti, quo primum Aquisgrani Conuentu generali habito, ab Archiepiscopo Moguntino in Regem vnctus est, auspicentur. Itaque Henricus anno ætatis suæ sexagesimo, Regni decimosexto, religione Christi, & perquàm multis & magnis pietatis Christi monumentis clarissimus obijt. *Frodoardus, Vvitichindus, Luitprandus.* Paralysi percussum anno superiori, sed hoc anno, sexto nonas, hoc est decima die Iulij, quæ fuit Sabbati, defunctum tradit Anonymus Rheginonis. HENRICI PIVS OBITVS.

Inter multa verò præclara, quæ Henricus gessit, illud etiam consideratione C dignum est, quòd tot victorijs gloriosus, & Orbi formidabilis, nunquam tamen in Italiam ducere voluerit; vt effugatis Tyrannis, quorum alter alteri velut conductitij succedentes, Imperium, & intrusi mercenarij Ecclesiam laniabant; opem ferret, sibique cum benedictione Pontificia coronam Imperij compararet. Notat hoc Sigebertus ad annum sequentem, quo Henricum defunctum scribit; sed causas non expendit. Ego verò existimarim, Henricum aut sanguini Christiano parcere voluisse; aut, quod verisimilius est, non ex spolijs Christianorum ditari, & Regnum suum ex occupatis eorum quoquo prætextu ditionibus proferre studuisse; sed vt verum & Christianum Regem decuit, ex subigendis D Christi Regno infidelibus, & dilatandis Ecclesiæ Catholicæ spatijs, gloriam quæsiuisse. In præcipuis etiam laudibus Henrici numerat Albertus Cranzius, quòd primus in Saxonia Prouincia sua verum rebus ordinem dederit: Vrbes immunitas, mœnibus, & fossatis cingi iusserit propter incursionem Hungarorum, quibus & Misnam ad Albis ripam bene communitam, velut primum repagulum obiecit, constituto hic primo Episcopo; quasi non tam mœnia, quam sanctitatem censuisset opponendam hostibus, qui aliquando reliquæ Christianitati, Turcarum aduersus, & Tartarorū incursiones pro muro futuri erant. HENRICVS CUR IN ITALIAM NON VENERIT. Lib. 3 Sax. c. 11.

De hoc item Henrico videtur Siffridus Presbyter, sed nō suo loco, nempe ad E annum nongentesimum vigesimum tertium dicere, accepisse illum à Duce Burgundiæ S. Mauritij Lanceam; & à Papa inuitatum, dum Romam iret consecratum, obijsse, & sic Imperium non obtinuisse. *Id quod Sancto Vlrico*, quemadmodum ipse loquitur, *in visione gladij sine capitello ostensum fuit*.

Moritur hoc eodem anno Rodulphus Rex Francorum, cui succedit Ludouicus Caroli Simplicis filius: Ita rursum ad progeniem Caroli Magni reuerso Regno; vtinam diu mansuro.

Moritur præterea Ioannes Papa, frater Alberici, *& Leo quidam Dei seruus*, vt inquit Frodoardus, *Romæ Papa constituitur*. Hunc aliqui in Pontificatu Sextum, alij Septimum vocant.

Per

Lib. 4. c. 1. & 3. *Per hoc idem tempus* (inquit Luitprandus) *in Ianuensi* (siue Genuensi) *vrbe, quæ est in Alpibus Coccijs, octingentis stadijs à Papia distans, super Africanum Mare constituta, fons sanguinis largissimè fluxit, subsecuturam cunctis patenter ruinam ostentans. Eo quippe anno Pœni cum multitudine classium eò perueniunt, ciuibusque ignorantibus Ciuitatem ingrediuntur; cunctos, pueris exceptis, & mulieribus, trucidantes; cunctosque Ciuitatis & Ecclesiarum Dei thesauros nauibus imponentes, in Africam sunt reuersi.* Hæc Luitprandus, nec dissimilia Sigebertus ad hunc annum. A

Non videtur hic omittendum, quòd hoc anno meritis S. Martini in Vrbe contigit insigne miraculum. Aderat forte Odo Abbas Cluniacensis à Leone Pontifice vocatus, qui antequam huc peruenisset, in itinere ad seruum Dei Adhegium diuertens, intellexit ex eo de Ludouici Francorum Regis, qui Transmarinus dictus est, vnctione, id ipsi reuelante S. Martino. Qua re in Vrbe vulgata, Balduinus Abbas rogauit Odonem; vt vitam S. Martini à Sulpitio scriptam, scholijs quibusdam illustraret. Quod ille recipiens, operi manum strenue admouet; sed interim dato ad horam vespertinam signo, codicem apertum sub dio relinquens, ad templum properat; vbi dum moratur, ingens è cœlo imber ruens, omnes Monasterij officinas implet, ac præsertim in locum, qui codicem apertum habebat, collecta è vicinis tectis per imbrices aqua torrentis instar tota nocte depluit; vt tamen madefactis duntaxat marginibus, scripturam ipsam minime attingeret. Subijt mane memoria cum pœnitudine, quasi neglecti codicis: & illico iussus afferri, vbi illæsus apparuit, omnes attonitos reddidit. Quibus Odo, *Quid*, inquit, *fratres admiramini? scitote aquam non fuisse ausam attingere vitam S. Martini: & cuidam, iocando replicanti, scilicet hunc librum adeo vetustum, & à tineis exesum, ideo nec humefactum, pluuia non est ausa attingere; Tace, inquit, non est enim difficile Martino id facere, cuius laus* Lib. 1. in Odon. *apud omnes gentes celebratur.* Pluribus hoc miraculum describit Ioannes Monachus, Odonis discipulus, in magistri quoque merita nonnihil deriuans. B C D

IESV CHRISTI ANNVS	LEONIS PAPAE VII. ANNVS	CONSTANT. CVM ROM. 16. OTHONIS REGIS 13.
937.	2.	

Indict. 10.

HOc anno, inquit Sigebertus, *prodigia apparuere. Sol cælo sereno obscuratur, per fenestras vero domorum radios quasi sanguineos emittebat;* Sic iste. Id facile quis ad cladem ab Hungaris Italiæ hoc anno illatam verterit. Cui addi potest quod idem Sigebertus paulò post addit, Montem, vbi Rex Henricus sepultus est, flammas in multis locis euomuisse. E

HVNGARI ITALIAM VASTANT. Nam Henrico defuncto, necdum Othonis fortunam experti Hungari, posito metu, & acceptæ biennio ante cladis obliti, vel potius Germaniam minus faustam bellis suis quàm Italiam rati, huc iterum magnis & copijs, & itineribus irruentes, ad Campanos vsque peruenerunt, *omnia*, vt scribit Leo Ostiensis, *circa Capuam prædati. Eadem verò & Beneuenti fecerunt, Sarnum vsque ac Nolam discurrentes, & deuastãtes omnia, peragrantesque Liburiam,* (rectius Liguriã) *iterumque*

Ca-

A *Capuam reuersi, diebus duodecim in campo Gariliano commorati sunt.* Hæc Leo Ostiensis.

Qui vlterius addit, multos ex hominibus Cassinensis scilicet Monasterij, abductos, pro quibus redimendis init rationem expensarum, quæ vix valorem trecentorum hodie scutorum æquent; vt facile quis obieecerit Leoni, Pauperis esse numerare pecus, nec tam exigua præda moueri hoc tempore, nisi nocturnos fures breuiori itineri assuetos, cùm vix alicubi sit locus sacer, vel medioeris fortunæ, quæ hanc copiam non superet, aut saltem attingat.

B Sed pergit idem: *Inde victoria elati, onusti præda, Marsorum fines ingressi sunt, & eadem facere cœperunt incendentes, & depopulantes omnia. Nutu igitur Dei Marsi, ac Peligni in vnum conuenientes, in eos dispositis insidijs irruunt, & omnibus fere trucidatis ingentem prædam retulerunt: qui autem ex eis euasere Marsorum gladios, fuga dilapsi ad suos se receperunt.* Hæc de Hungaris Leo. Quos verisimile est tumultuaria manu tantum obuia quæque vastasse, nec Vrbes muris cinctas tentasse, alioqui tam prope vix Romam prætermissuros. Et satis constat tetrum illud Papiensis cladis exemplum, de qua supra ad annum huius seculi vigesimumquartum diximus, docuisse Italicos, firmis se arcibus communire, in quas sub ingruentes Hungarorum impressiones confugerent. HVNGARI CADVNTVR.

C Cæterùm, hoc eodem anno partem Hungarorum aliam, Gallias inuasisse, & ingentem intulisse cladem memorant Frodoardus, Hermannus & Sigebertus: quorum postremi duo eos per Austrasiam, & Alemanniam, (Sueuiam puta) multis Ciuitatibus igne & gladio consumptis, Vvormatiæ Rheno transito vsque ad Oceanum, Gallias vastasse scribunt. *Cæli* (inquit Frodoardus) *pars ardere visa est, & Hungarorum persecutio ab eadem parte per Franciam insecuta, qua villæ, & agri depopulati, domus Basilicæque conflagratæ, captiuorum educta multitudo: nonnullas tamen Ecclesias ignibus applicitis non valuere succendere. Ecclesiam S. Mariæ ad Rhemos duabus etiam segetum metis, quæ parietibus pene ipsius, quibus* HVNGARI GALLIAM VEXANT.

D *inhærebant, exustis, incendere nequiuerunt. In Ecclesia beati Basoli, cùm quidam Hungarorum ascendere super altare nitens, ara manum applicuisset, ipsa manus eius, altaris inhæsit lapidibus, nec omnino quiuit auelli, donec cæteris Hungaris aræ saxum circa ipsam manum incidentibus, partem lapidis, qui manui eius inhæserat, in admirationem omnium perferre coactus esset Ethnicus.* Hæc Frodoardus, qui etiam addit Adalgarum presbyterum captum, & ab eisdem Hungaris abductum vsque ad pagum Bituricensem, nocturna visione semel & iterum monitum, vt fugam caperet, totiesque sponte laxata vincula, tandem posito metu euasisse. POENA HVNGARI SACRILEGIVM ATTENTANTIS.

E Is verò narrauit postea, fuisse in eadem captiuitate quendam Orbacensis Cœnobij Monachum nomine Hucbaldum, quem cùm sæpius Hungari trucidare voluissent, incidere non valuerunt; quin aliquando vestibus spoliatum & sagittis vndique destinatò appetitum, tantum abfuisse, vt vel summam cutem vulnerarent, vt resilientes tanquam ab adamante sagittæ, ne vestigium quidem in corpore relinquerent: denique non semel gladios in nudum forti manu vibratos, nihil prorsus carni vulneris inflixisse: vt iccirco Hungari Deum hunc esse, non mortalem hominem affirmarent. Eos porro spolijs onustos per Italiam redijsse narrant Hermannus, & Sigebertus. HVCBALDVS MONACHVS NEQVIT OCCIDI.

Hoc etiam anno ferunt misere interijsse Arnoldum illum Bauariæ Ducem, qui aliquando à Conrado Rege ditione exutus, sed mox reuersus, Ecclesias

immani sacrilegio diripiebat; neque solùm, sed ad Imperium aspirans, Hungaris inductis fœde omnia vastabat. Reprehensus aliquando à S. Vldarico Augustano, monitorem contempsit. Qui immorigero minatus nisi resipisceret, vltimum id fore prandium, quod forte sumebat, prædixit. Irrisit magis Arnoldus, & postero die accumbens minas ludum fecit, mendacem vatem arguens: cùm illico piscis, quem auide ori ingesserat, spina in tracheam illata spiritum edere coegit. Ferunt videntibus omnibus, gulam ei à malo dæmone fractam, collemque mansisse retortum. Quin & funeri Ratisbonam ad Diui Emmurami elato palam vim intulisse, & prope Schyrum insigne Bauariæ superioris Cœnobium, in arundinetum horrenda vociferatione raptasse. Rei seriem ad terrorem expilatorum non Annales modo Bauariæ, sed etiam parietes arcis Monacensis, quod refert Bruschius, etsi fortasse perperam incredulus, produnt.

A B

Lib. 1. de Patauia cap. 30.

Indict. 11.

IESV CHRISTI ANNVS	LEONIS PAPAE VII. ANNVS	CONSTANT. CVM ROM. 27
938.	3.	OTHONIS REGIS 3

C

RAMIRI DE SARACENIS VICTORIA.

HOc anno, die sexta mensis Augusti, feria secunda, Ramirus Rex Legionensis in Hispania admirandam diuina ope victoriam de Arabibus Cordubæ regnantibus, & Africam incolentibus reportauit. Erant in exercitu Arabum, centum quinquaginta millia peditum, equitum verò quinquaginta millia: Christianorum numerus longe impar, sed quorum copias duo Angeli militum specie præibant, quorum ductu & facinore parta est gloria, cæsis octuaginta millibus hostium, capto Rege Mauro Abinain, Cæsaraugustæ regnante, cæteris in fugam conuersis, ipso Rege Abdarragham vix elapso, & cum paucis Cordubam profecto: qui tamen ita mox aduersus Christianos sibi subditos efferbuit, vt magnam in eos persecutionem excitaret, in qua Victor, & Euphrosyna Martyrij corona decorati sunt. Scribunt de hac victoria diuinitus parata Sampyrus, Tudensis, Ambrosius Morales, sed & ipsi Arabes suis Annalibus intexuere.

D

VVENCESLAVS BOHEMIÆ DVX A FRATRE OCCIDITVR.

Hoc ipso anno Vvenceslaus Bohemiæ Dux, vir sanctus, à proprio fratre, matris instigatione obtruncatur. Causa fuit præter ambitionem Principatus, religio Christi. Nam cùm post Suatocopij filium in excommunicatione defunctum, quemadmodum diximus, Morauia discessionem fecisset, fuere inter Bohemos Duces Borisouius & vxor Ludmilla, qui Christianam amplexi veritatem, Fidem Catholicam in Bohemia magnopere ampliarunt. Horum filij Spitigneus, & Vratislaus pietatem parentum cum lacte suxerunt: sed Spitigneus Patri succedens, & mox è vita migrans, quia liberis carebat, fratri Vratislao Principatum reliquit. Hic ex coniuge Drabonucia (vt alij vocant Dragomira) duos pariter filios suscepit, Vvenceslaum, & Boleslaum: priorem Ludmillæ tradidit educandum, alterum mater ipsa enutriuit. Alumni nutricum imitati mores: Vvenceslaus pietatem colere, mansuetudinem præferre, Christiana sacra venerari, elargiri multa pauperibus, nulli noxius esse: Contra Boleslaus,

E

A vt mater, idolorum secuti cultum, honores ambitiosè quærere, rapere, occidere, in scelera cuncta prolabi.

Pater Vratislaus suprema ordinans, Ludmillæ matri, cuius integritatem, prudentiamque optimè nosset, quousque pueri adoleuissent, gubernationem, Prouinciæ dimiserat. Id ægrè Drabonuciæ fuit; proinde submisit nefarios homines, qui socrum Ludmillam strangularent. Mox imperio accepto, in omnes crudelis; sed in Christianos sæuissima, & ideo Vvenceslao etiam infesta: cui vt fratrem natu minorem contra patris defuncti voluntatem præferret, necem procurauit: & ad conuiuium inuitato, ad quod, præsagus licet mortis, ne DRABONVCIA CRVDELITAS.

B doli matrem insimularet, vel potiùs, vt dissimularet, libenter perrexit, prius tamen Sacerdoti facta de peccatis suis ex more Christiano confessione. Ita cùm accessisset, à fratre germano, vt diximus, percussus interijt.

Admirandæ ab eo res gestæ, quæ sanctitatem produnt, ab alijs scribuntur. Illud prælarum, visos sæpe Angelos, qui illum comitarentur, vt iccirco hostibus terrori, alijs, ac præsertim Othoni Imperatori venerationi esset. Qua etiam de causa Otho brachium Sancti Viti dono ei dedit, in cuius honorem Cathedralis Ædes Pragæ constructa est. Claruit verò Vvenceslaus etiam post mortem pluribus miraculis, ob quæ in numerum Sanctorum Martyrum, ab VVENCESLAI SANCTITAS.

C Ecclesia Romana recensitus, colitur vigesimooctauo die Septembris, quo Martirij coronam percepit, feria sexta. Tradunt quidam, eodem die Christum per visum apparuisse Regi Dariæ, & suo Martyri Ædem construi mandauisse.

In eius vltionem Otho Boleslao bellum indixit, & longa inter eos concertatio ad annos quatuordecim perducta est; quoad Deo vindice, multis sceleribus nobilitatus Boleslaus morbo absumptus est. Sed Drabonucia mater, paucis post Martyrium Vvenceslai diebus, fatis suis trahentibus, & vltionem parricidij exigentibus, hiatu terræ prope arcem Pragensem ad inferos tracta interijt, OTHO VINDEX VVENCESLAI. DRABONVCIA AD INFEROS RAPTA.

D dum forte per ædiculam, in qua Sacrum Missæ fiebat, curru prætervecta, aurigam blaspheme in Christum detonando increpasset, quòd is dum incruentum Sacrificium à Sacerdote offerretur, audito tintinnabulo paululum stetisset, & adorasset.

Hoc eodem anno plures Principes aduersus Othonem Regem rebellant, Henrico fratre eiusdem, duce & authore. Otho non armis magis quàm precibus contra validissimum exercitum, parat. Causa Deo commendata, dum Rhenum transmittere conatur, hostium ingenti exercitu repente in conspectum se dante, pauci qui transiuerunt conferre manus coguntur, reliquis cum Rege

E diuino dispositis, quò maior esset victoria, ex altera parte animis velut vi quadam exclusis. Tum vero Otho, quia suis pugnantibus præsens esse corpore non poterat, recordatus populi Domini, qui repugnantes sibi Amalechitas orationibus serui Dei Moysis deuicerat, protinus de equo descendit, & ante victoriosos Clauos, sacris Redemptoris manibus infixos, & lanceæ suæ impositos, cum omni populo in orationem, & lacrymas se effundit. Quod dum facit (res mira!) nullo ex suis occumbente, hostes in fugam conuertuntur, multis quidem cur fugerent ignorantibus, sed pluribus ad animum ducentibus, qua pietate Henricus patens vsus gloriosè fuisset, eadem & filium Othonem triumphare. MIRACVLOSA OTHONIS VICTORIA.

Scribunt de hac memorabili victoria, Vviticchindus, Luitprandus, Sigebertus, & alij. Cuius & nos libenter meminimus, vt recordaremur, quibus auspicijs Otho indomitam alioqui bellis Hungarorum gentem meliora cogitare assuefecerit. A

Indict. 12.	IESV CHRISTI ANNVS 939.	LEONIS PAPAE VII. ANNVS 4.	CONSTANT. CVM ROM. 28. OTHONIS REGIS 4.

B

Leonis Papae obitus. LEO Papa cùm tenuisset Pontificatum annis tribus, & sex mensibus, è vita migrat; eique succedit Stephanus Nonus natione Germanus, quamquam Ciaconius Romanum dicat, sed in Germania educatum.

Celebris etiam redditur hic annus altera Othonis Regis de Principibus rebellibus victoria, de qua Luitprandus. *Lib. 4. cap. 16.* Nimirũ hostis Christi, & humani generis, huiusmodi impedimenta obijciebat Regi Christianissimo, quo minus satageret pietatis, & Catholicæ religionis ad gentes à fide remotas, vel alienas propagandæ. Id quod hodieque fieri videmus, & omnibus seculis factum obseruauimus, vt piorum Principum studia, & conatus, vel domesticæ seditiones, vel aliorum eiusdem religionis Principum à Diabolo excitatæ perturbationes, aut penitus tollant, aut certe sine fructu remorentur, hæresi interim etiam præter intentum velificantes, quæ nunquam magis proficere solita est, quàm cùm Principum Christianorum discordia, velut quæsito flabello excitatur, & instar ignis, nullo obstaculo late diffunditur. Ita sub præsentium annorum bellis, videmus non vnam hæresim, pedem fixisse in Prouincijs Catholicis, in quibus hactenus audita non fuerat. Sed hæc sunt stratagemata Principis inferorum, ministerio Christianorum munire viam ad regnum Antichristi. C

Hoc eodem anno Hungaros à Saxonibus grauiter cæsos memorat Sigebertus: cuius tamen dictis non videntur cohærere, quæ scribit Anonymus Rheginonis, videlicet, non in vna solum, verùm in omnibus Saxoniæ, & Franciæ Prouincijs huc illuc versatum fuisse Vvigmannum Saxonem rebellantem. Vix enim isto laborem suis facessente, duci potuit aduersum Hungaros; quin potius horum auxilio creuisset illi animus, habituro promptissimam ad res nouandas manum. D

Indict. 13.	IESV CHRISTI ANNVS 940.	STEPHANI PAPAE IX. ANNVS 1.	CONSTANT. CVM ROM. 29. OTHONIS REGIS 5.

E

STephanus Papa, quia à Romanis, posthabitis Cardinalibus fuit electus, odium Tyrannorum, & præsertim Alberici Vrbi dominantis indignationem incurrit: ideo à quibusdam sacrilegis, ipso conniuente, crebris ictibus facie fuit deformatus, vt à publico abstinere cogeretur congressu. Scilicet Albericus

A bericus maluiſſet gentilem ſuum, & ſibi obſequentem, atque adeo ſubditum, quàm ſuperiorem habere, externum Pontificem.

Boleslaum Ducem Bohemiæ, hoc anno ab Othone Rege bello ſuperatum ſcribit Sigebertus: ſed tamen Boleslaus Principem militiæ Regis circumueniens, cum multis cæcidit, Rege mox Bohemiam ingreſſo, & vaſtante.

IESV CHRISTI ANNVS	STEPHANI PAP. IX. ANNVS	CONSTANT. CVM ROM. 30. OTHONIS REGIS 6.	
941.	2.		Indict. 14.

B

HOc anno per duodecim noctes Cometem fulſiſſe ex Hermanno quidam tradunt: is tamen huius anni præcisè non meminit. Quid vero conſuetum hoc ad mortales monendos portentum præ ſe tulerit, ſequentes euentus docebunt.

Inſignem porro victoriam Græcos de Ruſſis retuliſſe, narrat Curopalates. Inger nimirum Rex Ruſſorum, cùm intellexiſſet exercitus Græcorum in præſidia partim diſperſos, partim ductos aduerſus Saracenos, cum mille & amplius C nauibus ad expugnandam Conſtantinopolim venit, adeo ſecurus victoriæ, vt neminem Græcorum occidi, ſed capi omnes vellet, ac deinde pro arbitrio de vita ludere. Ex ijs enim, quos capiebat, alios in crucem agere, alios clauis in terram defigere, alios inſtar ſcopi ſagittis petendos religare, alijſque innumeris modis omnem tragœdiam ſuperantibus ſolitus erat vexare: ſed præſertim Sacerdotū capita acutiſſimis clauis terebrare, & Templa penitus exurere. Cæterùm Græcorum Imperator Romanus, erecta in Deum ſpe, cum paucis viriliter occurrit; & iniecto circumcirca in naues *igni Græco*, pleroſque cum nauibus exuſſit, captiuos decollari iuſſit. Eadem paucis referunt Zonaras, Cedrenus, D pluribus Luitprandus; niſi quod hic Normannos vocet, quos Græci Ruſſos. Addit Luitprandus, multos ex ijs Conſtantinopolim adductos, coram nuncio (fuit hic patruus Luitprandi) Hugonis affectati Regis Italiæ capite truncatos fuiſſe.

VICTORIA GRÆCORVM DE RVSSIS.

Lib. 5. cap. 6.

IESV CHRISTI ANNVS	STEPHANI PAPAE IX. ANNVS	CONSTANT. CVM ROM. 31. OTHONIS REGIS 7.	
942.	3.		Indict. 15.

E

STephanus per Legatos ſatagit vt Francorum Proceres Ludouicum Regem recipiant; Ludouico ſtudet etiam Otho Rex Germaniæ. Verùm Stephanus, qui iuxta Italiæ fines pacem Principum procurat, Romæ fruſtra laborat, vt Regem Italiæ Hugonem, & Albericum Romanum Principem (Frodoardo Patritium) inter ſe conciliet; dum recrudeſcente inter hos bello, Hugo omnia populatur & capit, vt vix alter tuto Romam teneat. Erant hi ſex annos ante mutuo nuptiarum fœdere, data Alberico Hugonis filia, colligati, Odone Cluniacenſi nauante; quem ad pacis conciliandæ finem Leo Papa euocarat. Qui tandem hoc anno poſtquam diu ægrotaſſet, Romæ ſanctiſſimè defunctus

STEPHANI PAPÆ LABORES.

est; vt non esset qui discordes animos redintegraret; Deo ita permittente, culpis exigentibus. A

Adhuc annum refert Sigebertus victoriam Othonis contra rebelles diuino auxilio obtentam; sed nos cum plerisque alijs rectius ad annum seculi trigesimumoctauum retulimus.

IESV CHRISTI ANNVS	MARINI PAPAE II. ANNVS	CONSTANT. CVM ROM. 32. OTHONIS REGIS 8.
943.	I.	

Indict. 1. B

STEPHANI PAPÆ OBITVS. STephanu Papa, postquam in Pontificatu vixisset annos tres, menses quatuor, & dies quinque, è vita migrat. Quo mense, vel die, vetus Codex Vaticanus non meminit. Ciaconius, & Vecchiettus ad annum præteritum referunt eius mortem die vigesimaprima Octobris, quæ tum in Dominicam videtur incidisse. Inter eius laudes refertur zelus propagandæ apud suos Germanos, atque etiam finitimos Hungaros, religionis; nisi Italiæ difficultates obstitissent. Fecit nihilominus quantum res, & tempora permisere, Gerhardo C Laureacensi, vt curam susciperet diligenter admonito. SVCCEDIT MARINVS. Subrogatus est eidem Marinus Secundus Romanus, quem alij Martinum appellant. Hic insanabilibus tumultibus bellicis omissis, totum se tradidit ad componendam Ecclesiam tam in Cleri, quàm in Monachorum reformatione, & in Basilicarum restauratione, & cura pauperum: literis verò ad Principes Christianos mutuo inter se decertantes datis egit, vt positis armis ad concordiam reuocarentur: Optimi sane Pastoris munus executus.

MARINI DE VDALRICO PRÆDICTIO. Ad hunc Marinum venisse Sanctum Vdalricum, & ab eo cognouisse futurum se Episcopum Augustæ Vindelicorum; idque post annos quindecim euenisse, scribit Sigebertus ad annum superiorem; sed insigni cum errore. D Nam Vdalricum electum fuisse Episcopum anno huius seculi vigesimoquarto, constat ex vita eius, ab authore, qui cum eodem conuersatus est, conscripta. Venit porro Vdalricus Romam quindecim annos ante, nempe nono huius seculi; *& à Venerando Papa Martino* (Marinum dicturus erat) *benigne susceptus, postquam cuias esset, interrogatus respondisset Alemannum Augustanum se esse, & Adelberoni eiusdem Ciuitatis Episcopo seruire. Tum Marinus, ne turberis, inquit, animo ò frater: Adelbero senior tuus migrauit à seculo; te eiusdem Ecclesiæ decet esse pastorem. Id renuenti Vdalrico, reddidit Marinus, si nunc inconcussam, & indesolatam accipere, & gubernare refragaris in tranquillitate, in antea vero destructam, & deprædatam in perturbatione accipies, & cum labore gubernabis, & reædificabis.* E Hæc Marinus. *Altera vero die*, pergit Author, *sine licentia Papæ propter tristitiam defuncti Domini sui, & ne ab eo plus verbis constringeretur, exiuit è Roma, Augustamque reuisit, & inuenit ita sicut præfatus Papa prædixit.* Hæc iste: & addit, post Adelberonem suffectum fuisse Hiltinum, eundemque præfuisse eidem Ecclesiæ annos quindecim, ipsique subrogatum sanctissimum virum Vdalricum.

Porrò, si anno huius seculi nono Marinus Papa, de quo hic agimus, prædixit

A dixit Vdalrico Episcopatum, & hic demum post Hiltinum anno vigesimoquarto successit in eam dignitatem, vt eundem Marinum hoc anno quadragesimotertio, assumptum ad Pontificatum asseramus, aut bis fuisse Pontificem necesse est dicere, aut produxisse Pontificatum in annos quinque, vel sex supra triginta, aut historias planè confusas, & tempora luxata affirmare. MARINVS AN BIS PONTIFEX

Hæc tamen difficultas, quæ non paucos torsit, plures transuersum egit, aliquos dissimulando præterire coëgit, vno verbo expeditur, si dicamus, Marinum ob probitatem vitæ, tunc à bonis habitum instar Pontificis, ad quem pro religionis causa recurrerent pij omnes; idque permisisse Sergium occupatorem, ne omnino pessimus haberetur: proinde à bonis Marinum habitum instar Papæ, & hoc nomine vocatum, quod postmodum in literas quoque immissum est. Baronius ad annum vigesimumquartum, existimat, quem author hic nominat Marinum Papam, fuisse tunc temporis forsitan habitum legitimum Pontificem; sed quoniam obscurissime ea tempora transierunt, de eodem Marino quòd tunc sederit, non alibi quam hic inuenitur. *Quamobrem*, inquit, *ea fuit Marci Velseri doctissimi Scholiastis interpretatio, vt per anticipationem ibi dictus Marinus, sit Pontifex appellatus, qui tamen sedisse reperitur post annos decem & octo.* Quæ interpretatio si cui arrider, in loco erit. Placuit autem minutè hæc expendere, propter ea quæ in Apparatu circa Papam Cyriacum diximus, & amplius in simili genere dicturi sumus.

IESV CHRISTI ANNVS 944.	MARINI PAPAE II. ANNVS 2.	CONSTANT. CVM ROM. 33. OTHONIS REGIS 9.	Indict. 2.

D HOc anno missa à Constantino Orientis Imperatore Legatio ad Hugonem Italiæ Regem, huius filiam Bertam, postea dictam Eudoxiam, eiusdem filio Romano matrimonio iungendam impetrat. Id propter Constantinus classem aduersus Saracenos Italiam infestantes mittit, & parta de his victoria, omnes eorum naues exurit, quæ ipsis Fraxineti commorantibus auxilio erant. Hugo præterea Fraxinetum capit; sed mox Berengarij Marchionis Eporrediæ metu, turpe cum ijsdem rursus fœdus iungit, magno Christianorum malo, de quo Frodoardus, & Luitprandus, qui iccirco ita in eum inuehitur. *Perquam inique tibi Rex Hugo Regnum defendere conaris. Herodes ne terreno Regno priuaretur, innocentes multos occidit; tu vt obtineas, nocentes & morte dignos dimittis.* Et paulò post. *Credo te non legisse, nec audisse, qualiter iram Domini incurrit Rex Israel Achab, dum Regem Syriæ morte dignum fœderatum dimitteret Benadad.* Hæc Luitprandus; verùm, quæ Politici huius seculi non attendunt, præ Macchiauellicis sacræ Scripturæ documenta insuper habentes. Sanè quidem vbi cum Saracenis Hugo fœdus inijt, infelicem ad obitum vsque vitam duxit. Fuit autem Hugo, Comes Arelatensis, siue Prouinciæ dictus, qui Rodulpho eiecto, in Italia regnare cœpit, de quo Frodoardus ad annum huius seculi vigesimumsextum. De eodem narrat idem Luitprandus, datis decem nummorum modijs, hoc tempore cum Hungaris pacem fecisse; eosque acceptis obsidibus

CONSTANTINI AD HVGONEM LEGATIO.

Frod. in Chron. Luitp. lib. 5. c. 5. 7. 9.

E

3. Reg. 13. 2. Paral. 18.

Lib. 5. c. 8.

Italia

Italia exegisse, atque Hispaniam dato eis duce direxisse. Quod verò nec in Hispaniam iuerint, nec Cordubam, vbi Rex morabatur, accesserint, a peræ & inaquosæ viæ fecerunt; per quas triduo ducti, ne Siti perirent, duce suo male accepto, celeri itinere pedem retulerunt. A

SACRÆ IMAGINIS TRANSLATIO. Hoc eodem anno Christi Effigies nullis facta manibus, sed diuinitus in linteo expressa, Constantinopolim translata est. Eam Edessa habuerat, à quo tempore Christus Dominus eam ad Abagarum Edessæ Regulum, corporis & animæ salutem per Legatos enixè petentem, addita sacrosancta Epistola, miserat. Quæ cùm in periculo excidij esset, Agareni vrbem tenentes, incolumitatem hac Effigie à Constantinopolitanis pacti sunt. Agunt de hac Imagine Curopalates, Zonaras, & quidam alij paucis: Sed Constantinus Porphyrogenitus iunior, exactam non minus quàm piam, & iucundam lectu, tametsi longam narrationem de eius translatione habet; quam pietati, ac tantæ rei celebriori memoriæ consulentes non grauabimur hic compendio describere. B

Romanus itaque Imperator non semel hoc sacro deposito Regiam ornare cupiens, petiuit ab Edessenis, vt vnà cum Epistola Domini manu scripta mitteretur, pollicitus redditurum se Saracenos ducentos, & argenti duodecim millia numeraturum. Negarunt illi toties, causati non decere Ciuitatis suæ custodem caducis permutare. Sed tandem pluribus de causis Romanorum copijs obsessi, cum in dies grauius premerentur, misit tandem ad Imperatorē Ammiras Edessenus, qui dandam sponderent, dummodo & ipse Imperatoria scripta cautione per aureum signaculum fideiuberet, de seruandis intactis, seu non vastandis quatuor Ciuitatibus, Edessa, Charra, Sarotza, & Samosata, earumque agris & viris; ac præterea de tradendis, iuxta promissum, ducentis Saracenis contribulibus, & argenti duodecim millibus repræsentandis. Nihil gratius accidit Imperatori; & illicò depenso precio, misit Abramium Samosatæ Episcopum, qui sacram cum Epistola Effigiem adferret. C

Cautum vero diligenter, ne qua fraude, Epistola descripta pro vera, vt alias in re Persica; supponeretur; qualis etiam fuit quæ in Ecclesia Nestorianorum celebrabatur; hac vtraque ad periculum assumpta, fidem fecit, quæ vera & genuina Christi manu fuit exarata. Verùm hoc postea factum. Interim vulgata apud Edessenos fideles fama tollendi sacri pignoris, religio pene ad tumultum spectabat, ne ea se priuari paterentur; donec alijs quidem ægre persuasis, alijs etiam coactis, & nisi acquiescerent, iugulandis, inuiti consenserunt. D

Vix verò consenserunt, cùm moueri loco cœptam sacra cum Imagine Epistolam repente vis imbrium ingens, necnon tonitrua, & fulgura de cœlo coruscantia, retardare visa sunt. Et tunc religione recens iniecta, pœnitere concessi, qui prius quocunque modo annuerant, affirmantes hoc signo diuinitus irritum reddi quicquid indebite pactum fuisset. Verùm acrius instante Saracenorum Præfecto, vt conuenta rata haberentur, excedit ex Ciuitate, sacrosancta cum Epistola Effigies, indefessis fidelium lacrymis comitata. E

Vt ventum est ad Euphratem, hic rursum tumultus exoritur nullo priorum minor, votisque aduersis certatum est, non se dimissuros vnicum Orbis thesaurum, nisi ostenso diuinitus signo, mutatis animis, id maxime contestantibus Edessenis, qui infideles erant. Itum in sententiam: & ingressi in nauim Episcopi, quibus cura deferendi incumbebat, soli sine rectore, instrumentis, & remigibus,

gibus,

A gibus, nullo dirigente aut impellente, secundo velut flumine traijciunt, stupentibus interim ijs, qui in ripa relicti adhuc omnia miscebant, donec naui ex aduerso appulsa, diuinam agnoscerent potestatem.

Hinc perueniunt Samosatam. Erant autem Samosatorum, & Edessæ Pontifex, huiusque Presbyter primus, cum religiosis quibusdam Christianis, & Ministro Ammiræ. Vbi cùm aliquot dies morati fuissent, continuis à sacra Imagine, & Christi Epistola patratis miraculis, rursum proficiscuntur. Itinerantes vbique mirabilia Dei comitantur: cœci ex improuiso vident, claudi ambulant, diu lectulis ægre defixi exiliunt, arentia membra sanitatem recipiunt;
B vno verbo, nullus non morbus fugatur ab ægris, præ gaudio exultantibus, & cum excessu mentis Deum laudantibus.

Tandem haud parum itineris emensi, ad Deiparæ Monasterium, quod Eusebij vocatur, in loco Optimatum, perueniunt, & in templo sacram Capsam deponunt. Huc inter plures, qui recuperandæ sanitatis causa accesserunt, accurrit & dæmoniacus, multa, quæ ad laudem sacræ Imaginis, & Epistolæ pertinent deprædicans: tandem *Accipe*, inquit, *ô Constantinopolis, gloriam, & letitiam: & tu Constantine Porphyrogenite, tuum Imperium*. Quibus dictis, effugato velut manu dæmone, curatus est. Vaticinium id fuit, multis audien-
C tibus notatum: nec multo post, deiecto Romano, vt solus iterum Constantinus imperaret, euentu probatum.

Agebatur de more die decimoquinto Augusti celeberrimum Dei Genitricis festum in Aede Blachernarum; quando circa crepusculum, huc allata sacrosancta pignora, in superiori Templi oratorio deposita sunt; & continuò accedentium Imperatorum adoratione reuerenter culta. Mox vero splendido comitatu præeuntibus luminibus, honorifice ad principem deportata triremem, cum ea in Regiam veniunt, & in Templum quod illic est, Pharos appellatum, die sequenti, qui decimussextus mensis erat, illatum, pie rursum & supplicibus
D animis salutantes adorant. Hinc instructo Sacerdotum ordine, iuniores Imperatores (seniore domi decumbente) auctiori pompa descendentes ad mare, cùm interea luminibus omnia compita collucerent, necnon canticis omnis generis musicis personarent, triremem iterum ingrediuntur regiam; & circumlata remigando sacra cum Imagine Epistola, Vrbem lustrant: appellentes tandem ad muros occidentales extra Ciuitatem excendunt, & pedibus ingressi, cum toto Senatu, & Sacrorum Antistibus, omniumque Ecclesiarum cœtu, supplicationem denuo splendidiori ordine auspicantur; reliquis interim transmittentibus ad Auream Portam, & inde Ciuitatem, vt obuiam venirent ingressis.
E Quod vbi factum, coniunctis ordinibus, & integrata solennitate, multiplicatis luminibus, & cum vario cantu sonoris instrumentis, per mediam Ciuitatem deducunt arcam tanti thesauri seruatricem; rati hac ceremonia illi, inexpugnabilem futuram Vrbem Imperatricem, æternùmque seruandam. O si nunquam temerata pietas!

Effusa inter eundum vniuersa Ciuitate ad sacrum spectaculum, inter manus baiulorum accedit, vt videret annosus cum morbo paralyticus: qui simul atque diuinam Imaginem aspexit, solidatis plantis, membrisque integra firmitate roboratis, exiliuit; & continuò accurrens, patrati in se testis miraculi, Capsam Imaginis deosculari non cessauit; Deumque magnificans, comitem celebritatis

sese

sese addidit. Stupuere qui aderant, & coniuncta gratulatione mirabilia Dei A prædicabant; nec quicquam aliud audiebatur magis, quàm in profusis gaudijs mixtæ vbique cum lacrymis preces, & gratiarum actiones; vt verbis explicari non possint, quæ pia meditatio nunquam satis assequitur.

Cùm ergo ad forum, quod est ante Augusteum, peruenissent duces celebritatis, à via recta nonnihil declinantes ad sinistram, augustissimum S. Sophiæ Templum petiuere, & intra adytorum Propitiatorium, onus sacrum deponunt. Facta verò, vt par est, omnium ordinum adoratione, rursus illinc egressi ad Regiam pergunt. Hic in atrio, quod Triclimon dicitur, super thronum Imperatorum, in quo de rebus arduis respondere consueuerunt, diuinam cum B Epistola collocant Imaginem; certo sibi persuadentes, inde & cathedram Imperatoriam sanctificatum iri, & Imperatores in ea sedentes à recto nunquam deflexuros. Demum peracta hoc loco productiori oratione, sublatus diuinus thesaurus, in supradicto Phari Templo, ad dexteram partem, quæ vergit in Orientem, digne reconditus est, conseruandus, ad publicam Fidelium religionem & gloriam, ad custodiam Imperatorum, ad tutelam denique totius Ciuitatis, & status Christianorum.

Sed, ò diuina similitudo eius, quæ mutari non potest, Patris similitudinis! (exclamat Constantinus Porphyrogenitus, author huius historiæ) *ò character* C *characteris diuinæ substantiæ: venerandum, & omni honore dignum Signaculum primariæ pulchritudinis Christi Dei nostri (tecum enim loquor tanquam cum re animata) conserua, & custodi semper eum, qui piè & moderate nobis imperat, & tui aduentus memoriam luculenter celebrat. Quem cum tua benignitate ad auitam, & paternam sedem extulisti, conserua eius germèn, & generis successionem, & sceptrorum perpetuitatem: statum pacificum præbe Reipublicæ, concede vt hæc Regina Ciuitatum maneat inexpugnabilis, & vt nos placentes archetypo tuo Christo Deo nostro, admittamur in eius Regnum cæleste eum glorificantes, & celebrantes. Quoniam eum decet gloria, & ado-* D *ratio in secula seculorum. Amen.* Hæc Author. Ex quibus intelliges, quam fidem mereatur Zonaras, qui Epistolam Seruatoris manu scriptam, à Georgio Maniace Protospathario Vrbium ad Euphatem Prætore, cũ Edessa potitus esset affirmat hìc inuentam, & missam fuisse Imperatori, nempe Romano Argyropolo; qui cùm octuaginta plus minus annis, hoc est circa millesimum ac trigesimum post imperarit, nisi iterum Constantinopolis ab Edessenis recepta fuerit, ea Epistola inueniri à Georgio Maniace, & trasmitti minime potuit.

Celebrabatur Constantinopoli huius gloriosæ translationis memoria, die Augusti decimosexto, quo primum aduenit, feria quarta, cuius Menologium E ad dictum diem, his verbis meminit. *Commemoratio Imaginis non manu factæ, Domini Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi, ex Vrbe Edessa egressæ, & in hanc à Deo seruatam, & regiam Vrbem, deportatæ.* Mirum, quod nulla fiat Epistolæ sacræ memoria; de qua tamen vnà translata aliquoties, vt vidimus, meminit Constantinus; nec vnquam apud antiquos rerum sacrarum Scriptores dubitatũ est, Eusebium videlicet, Ephrem, Ioannem Damascenum, Nicephorum, Euagrium, Theodorum Studitam, & alios.

Et quis non putasset, tam sacro pignore obtento mansuram apud Christianos Imperatores æternùm Constantinopolim, quod tum Constantinopolitani,

A tot lacrymis fusis tanta cum pietate, & religione petebant? Verùm aliud promeruere peccata Principum,& Ciues toties à Catholica Romanæ Ecclesiæ communione discedentes. Quare tot bellis ingruentibus, & ipsa regia Vrbe sæpe capta, ac, vt dicebam, ab Ecclesia Romana deficiente, Dei prouidentia factum est, vt eadem Imago Romam migrarit, vbi hactenus colitur in titulo S. Siluestri: sed vtinam celebrior esset memoria tantæ rei, cuius etiam in ipsa Vrbe notitiam pauci tenent. Qua occasione verò huc deuenerit, in historicis notationibus pluribus enarramus. Sed neque in his Annalibus in loco suo prætermittemus, quòd coniunctam fere habeat narrationem cum non paucis rerum Sacrarum pignoribus, quæ ijsdem, diuersisque temporibus, è Græcia in Hungariam quoque translata sunt. Hic meminisse iuuat, nec sanctam Crucem à Christianis recuperatam illis profuisse, quo minus propter peccata, & quæ horum pœna est, dissensiones ciuiles, Palæstinam amitterent: quid mirum hanc Imaginem Constantinopolitanis cultam, cum Vrbe excidisse? vtinam proficuo cæteris exemplo. SACRA IMAGO ROMAM DELATA.

B

Mirū porrò, cùm hæc translatio hoc anno die Augusti decimasexta, tot votis, & tam solenni religione Imperatoris Romani celebrata sit, hunc eundem paucis post mensibus, decimasexta item Decembris, captum, Imperio deiectum, & in Monachum attonsum, in Insulam fuisse relegatum: postquam vigesimumsextum annum in Imperio egisset; primum à Constantino Collega assumptus, & cùm in honore esset, nec intellexisset, in Dominum mutatus. Id factum illi à proprijs filijs Stephano, & Constantino; neque tamen diu impunè ferentibus: quòd cùm ambo de primatu certarent, ambo in mensa tenti, & in Insulas deportati sunt. Quare, vt prius erat, vni Constantini Leonis filio relictum est Imperium: Id præstante illi in Imaginis suæ aduentu, Iesu Christo, qui de sede superbos deponens, humiles exaltare solitus est. ROMANVS IMPERATOR DEIECTVS.

C

Ad hunc annum refert Frodoardus, quod in Germania trans Rhenum contigit, manum hominis abscissam, noctu dormienti eidem ex integro fuisse restitutam. Variant in anno Vvitichindus, & Sigebertus, qui ex eodem describit: sed Frodoardus ex assertione eorum, qui hominem nouerunt, fidem suam liberat, pluraque alia in media regione visa recenset prodigia. Quæ omnia futuræ vastationis ab Hungaris imminentis plerumque ferebantur indicia: de manu tamen restituta, multorum opinio fuit, diuinitus affore potentis dexteræ virtutem, quæ tam formidandum hostem, aut submoueret, aut prosterneret, aut denique ad obsequium Christi attraheret. Lib. 2. de hist. Sax.

D

Denique Sigebertus refert ad hunc annum, Solem horribilem eclipsin passum, feria sexta, hora diei tertia. *Quo die*, inquit, *in Hispania Abdaram Rex Saracenorum à Rodamiro Christianissimo Rege Galliciæ, in bello superatus est; In Italia verò Cometa miræ magnitudinis apparuit, portendens famem, quæ secuta est.* Eadem narrat Luitprandus, sed addit de Cometa, continuis octo noctibus apparuisse, nimia proceritate igneos ex se radios fundentem. Cæterùm nos supra ad annum trigesimum octauum ostendimus eam victoriam contigisse sexta Augusti, feria secunda non sexta. Quicquid sit de Eclipsi Solis, & Cometa: quæ si fuerunt hoc anno, Hungarorum potius incursiones prætenderunt. Et notat ad hunc annum Rhegino, eos à Caranicanis tanta cæde mactatos, *vt nunquam, inquit, à nostratibus antea taliter infirmarentur.* Et fortasse existimarit Lib. 5. cap. 1.

E

quis-

ciliare, sit vt vtrique vestrum, modò susceptus seruetur Pallij honor illæsus, hortantes, quatenus apostolicè instituti, amodo non in contentione, & æmulatione maneatis. A

Constat quidem, quòd Canonice singulis Prouincijs singuli ordinentur Metropolitani. Proinde distribuere atque determinare ita vobis parochias, bonum, & pacificum æstimamus, & diuisis duabus Noricæ Regionis Prouincijs, Heroldo Archiepiscopo Iuuaniensi Occidentalis Pannoniæ cura committatur, & custodia; tibi autem & successoribus tuis, propter emeritam antiquitatem Sanctæ Laureacensis Ecclesiæ, cui iure minor reuerentia assurgit, in benedictione & Sedis honore prælato atque præposito, Prouinciam Orientalis Pannoniæ, regionemque Auarorum atque Maraheorum, sed & Slauorum, qui modo Christiani sunt, atque circa manentium eredimus; nostramque Apostolicam vicem in illis partibus prædicandi, & pro arbitrio vbi opus est, Episcopos constituendi, omnia disponere, atque ordinare tali authoritate, atque potestate delegamus, ac si ipsi præsentes adfuissemus.* B

** al. Slauorum ac Mæsorum, quicunque, vel Christiani iam essent, vel Christo adhuc lucrandi superessent.*

Quòd si iam dictus Heroldus Archiepiscopus deinceps, suorumque successorum quispiam, minimè definito limite contentus, interdictam, atque separatam à sua potestate diœcesim repetere peruicaciter conetur, nec reprobato contentionis schismate per prædictas nostras Apostolicas traditiones, atque determinationes compescatur; ipse etiam piè concessa dignitatis munificentia penitus priuetur, atque secundum ius pristinum superior Pannonia continuetur inferiori, atque tuæ tuorumque successorum ambæ perpetuo subiaceant ditioni. Assensum autem præbentes his nostris saluberrimis decretis benedicimus, & Catholicos approbamus: sicut resistentes, atque infirmare, vel omnino peruertere contendentes, anathemate districtè percutimus, & Apostolica sententia, qua mulctati Ananias & Saphira expirauerunt, damnamus, & cum blasphematoribus sancti Spiritus sempiternis cruciatibus puniendos destinamus. C

Hæc in ea Epistola. Ex qua Lazius infert, Iuuaniæ Metropolitanam Sedem fuisse à Romano Pontifice positam, Arnumque etiam extitisse ante hunc Heroldum, Salisburgensem Archiepiscopum, Carolo Magno imperante, cum Laureacensis videlicet Cathedra ob continuas Hungarorum incursiones desolaretur. Quibus cessantibus, prærogatiua primæ Sedis eidem, & ab Eugenio Primo restituta fuit circa annum Domini sexcentesimum quinquagesimumsextum, & ab Leone Secundo circa annum salutis sexcentesimum octogesimumsecundum, & mox à Benedicto Primo, qui Tertius post Leonem modò dictum sedit, confirmata. Ita Lazius in pluribus hallucinatus, vt qui Benedictum Primum, Tertium à Leone Secundo numeret; cùm is hunc centenis, & amplius annis præcesserit, & Leonem proxime consecutus sit Benedictus Secundus. D E

Idem vero Lazius alio loco refert huius eiusdem Epistolæ ab Agapito Romano Pontifice, ad Gerhardum Laureacensem scriptæ fragmentum, *quod*, inquit, *in Archiuis S. Floriani Cœnobij Laureaco ad primum lapidem proximi, cum plerisque prærogatiuis, multis seculis in arca conclusum reperimus*. Est autem huiusmodi.

Lib. 12. de Rep. Rom. sect. 7. c. 5.

AGAPITVS SERVVS SERVORVM DEI, Fratri dilectissimo, atque Reuerendissimo Gerhardo S. Laureacensis Ecclesiæ Archiepiscopo in Christo Salutem. Petitiones tuas pro renouandis, siue approbandis Ecclesiæ tuæ priuilegijs, venerabiles

Missi

A *Missi tui exposuerunt. Nos igitur literis penes nos cùm commendatum inuenissemus, quibus Ecclesiarum locis dignitas Pallij, ab hac Apostolica Sede debeatur, Laureacensem Vrbem inuenimus antiquitus Metropolitanam * fore, & Archiepiscopij Sedem, cui sanctitas tua praeesse dignoscitur, sicut in priuilegijs authenticis ad nos vsque à te directis legimus. Itaque inuentis quibusdam exemplaribus, chartis vetustate admodum detritis in Archiuio S. Petri reperimus; hanc videlicet in exordio nascentis Ecclesiæ, & in immanissima Christianorum persecutione, à doctoribus istius Sedis, Catholicæ Fidei rudimenta percepisse, & exinde à succedentibus prædicatoribus in Superioris & Inferioris Pannoniæ Prouincias, eiusdem Fidei gratiam manasse. Quibus quidem dua-* * fuisse.

B *bus Prouincijs, illarumque Pontificibus, vsque ad tempus Hunnorum, non alius quam S. Laureacensis Ecclesiæ præfuit Archiepiscopus; quorum barbarica feritas, non solum prædictam Laureacensem Ciuitatem, verum & in circuitu adiacentes regiones depopulata est, atque funditus desolauit.* Hæc in eo fragmento.

De quo tamen, sicut de ipsa Epistola, magna incessit controuersia, quòd eam Lazius ab Agapito Primo scriptam velit, ad Gerhardum hoc vocabulo Primum, sed in serie Tertium, Archiepiscopum Laureacensem, circa annum quinti seculi quartum supra trigesimum: Iterumque à Leone Secundo Romano Pontifice, qui Tertius à Dono Ecclesiæ præfuit, ab anno sexcentesimo octuagesimo-

C tertio, aliam Epistolam missam tradat ad Gerhardum Secundum, in Pallij prærogatiua Octauum: in qua cùm Morauiæ Episcopi se subtrahere niterentur ab obsequio Laureacensis Metropolitæ, munus Episcopi eidem commendat vnà cum vsu Pallij certis diebus solennioribus concessi, cuius dotes & præclara significata multis explicat.

Contra alij Agapitum Secundum existimant fuisse, qui ad Gerhardum scripsit, & dissidium inter Ecclesias Laureacensem & Salisburgensem sustulit, æqua transactione componens: tametsi, vt dicebamus, literæ non ad Gerhardum iam defunctum, verùm ad Adelbertum peruenerint Gerhardi successorem; Bruschius lib. 1. de Patav. c. 29 & 30.

D quem Agapitus denuo omnibus illis prærogatiuis, quæ in Epistola memorantur, exornauit. Sed neque hactenus meminerunt in serie Laureacensium, alterius Gerhardi, qui Secundus dici posset; sed hunc Primum huius nominis numerant, & proxime Adelbertum, siue Albertum locant, hoc anno, vel ad summum triennio post electum, quibus consentit manuscriptum vetus, quo vtimur.

Licet porro Agapitus Adelberto Ecclesiæ Laureacensis iura, & prærogatiuas magna solennitate restituerit, districte minatus Heroldo, si quid contra machinari ausus fuisset; hic nihilominus non quieuit, sed ordinationi & mandato

E Pontificio totis sese viribus opposuit; donec tandem magno suo malo, vt infra dicemus, in ordinem redactus est.

A

Indict. 5.	IESV CHRISTI ANNVS 947.	AGAPITI PAPAE II. ANNVS 2.	CONSTANT. VIII. SOL. 36. OTHONIS REGIS 12.

HVngaros cum Bauaris hoc anno pugnasse, & victos fuisse scribunt quidam. Id accidisse putant ea occasione, quòd ad otium reuocati, sacra potius quàm arma tractare cùm eos pigeret, impatientes quietis iterum ad bella se conuertere: nec tamen prius præcipitis consilij eos pœnituit, quàm ingenti iactura domum reuerti cogerentur. Alij ab Heroldo Archiepiscopo Salisburgensi, de quo superiori anno diximus, euocatos affirmant. B

Brusch. lib. 1. de Patav. cap. 30.

Indict. 6.	IESV CHRISTI ANNVS 948.	AGAPITI PAPAE II. ANNVS 3.	CONSTANT. VIII. SOL. 37 OTHONIS REGIS 13

C

HVngari nulli iam Regi extero parere docti, ne diuisa religione in diuersum traherentur; vt vel Græcis, vel Latinis adhærerent, eoque paulatim tracti in ordinem redigerentur, hoc anno Regem sibi nouum creant Taxin nomine, vel vt alij scribunt, Toxin, longa ab Attila serie descendentem, aut certe in eiusdem genus insusum. Neque enim plerique constanter numerant, modò octauum modo decimum ab Attila, vt magni illius Ducis Almi, seu potius Alomi, quatto post seculo circiter florentis pronepotem perinde, ac atnepotem esse velint; vtique tamen Maiorum sanguine non minus quam virtute clarum; etsi isti ob rerum, & temporum in Pannonia vicissitudines, non iuxta, sed saltuatim, per obscuram interdum fortunam, ignotaque vocabula emergerent. D Huius porro Toxis nomen in posteros felici successu ductum, recluso ad Christianam religionem aditu, postea celebrius habitum est. Sed non ea mens initio fuit Hungarorum, qui elegerant, id vnum præ oculis habentium, vt collectæ sub vno Principe omnium vires, repetita Priscorum, & maxime Attilæ fortuna, de exteris nationibus victoriam reportarent; &, si fieri posset, de Vrbe Romana, & Orbis Imperio triumpharent.

Agapitus, missa ad Othonem Regem legatione, ad stabiliendum Ludouico Galliæ Regnum, quod Hugo Princeps frater Roberti magni equitum Magistri occuparat, pluraque ardua negotia tractanda, generalem Synodum Ingelheimi (patria Caroli Magni) cogi imperat. Adfuit Marinus Apostolicæ Sedis Vicarius, & cum quibusdam Galliæ Episcopis, Germaniæ Præsules; in quibus & Heroldus Salisburgensis, & Adelbertus Patauiensis, seu Laureacensis, quorum supra meminimus. Recitantur in Indice reliquorum vocabula; vbi tamen pro Patauiensi, seu vulgo Passauiensi, corrupte legitur Bazsoensis. Nihil in hac Synodo actum de controuersia inter Heroldum & Adelbertum, quòd iam sopita videretur per Agapitum; etsi deinde, Heroldo incendente, in maiorem flammam vt dicemus, eruperit. Quòd autem Romanus Pontifex Othonem Germanorum E

Ad ann. 945.

Regem,

A Regem, causæ Galliarum, & amici Regis adesse iusserit, & in medium consulere, vicissimque Germaniæ commoda promiscuis vtriusque nationis consilijs promouere, magnam olim inter Germanos, & Gallos fuisse concordiam, indicat.

IESV CHRISTI ANNVS	AGAPITI PAPAE II. ANNVS	CONSTANT. VIII. SOL. 38. OTHONIS REGIS GERM. 14. TOXIS HVNG. 1.
949.	4.	

Indict. 7.

B

OTho Rex Germaniæ, debellatis magna victoria Danis, ijsdemque in Christianam religionem adscriptis, Haraldo Regi baptizato iure subiectionis Regnum tradit; ac deinceps collato cum Romano Pontifice studio, ad Fidem Christi in Gentes propagandam animum vertit. Enituit Sanctissimi Pontificis in ea re præcipua cura: quippe Hamburgensi Ecclesiæ de Gentium salute gratulatus, quicquid prærogatiuæ olim Gregorius, Nicolaus, & Sergius Bremensi Archiepiscopatui contulerant, ipse etiam concessit Adaldago Hamburgensi, vnà cum iure ordinandi Episcopos tum in Dania, tum in reliquis Septentrionis populis, quò tanquam Sedis Apostolicæ Vicarius fungeretur. DANORVM ALTERA CONVERSIO.

C

Sed non hæc prima conuersio Danorum fuit: iam olim, vt alibi diximus, Christo seruiuerant; sed Principum, & Pastorum negligentia degenerantes, rursum ad cultum Idolorum reciderunt, communi cum Hungaris lapsu. Contigit autem, quod scribunt Vvitichindus, Diethmarus, & Adamus veteres chronographi, contentionem fieri super cultura Deorum in quodam conuiuio, Rege præsente, Danis extollentibus Deorum in miraculis potestatem, qua Christus non polleret; tametsi Deus quidam esset. Contra Poppone Clerico Christiano, qui post Episcopus factus est, verum Deum, & Vnum in essentia, & Trinum in personis, Christumque super omnia dæmonia quæ Idolorum simulacris præessent prædicante; Rex intercipit, & vt hanc fidem signo declaret, iubet, interim in custodiam tradendus. Mane facto ingens ferrum candefacere mandat, & adducto Clerico, vt manu tollat imperat. Paruit ille fidenter, & sublatum ferrum non contrectat modo, sed longo tempore & spatio huc illucque gestat; donec stupente Rege cum vniuersis adstantibus, vbi manum illæsam ostendit, Christi virtutem testatam fecit. Eo miraculo Rex Christum amplexus, in posterum Idolorum cultu interdicit, Sacerdotibus & ministris Christi honorem debitum præcipit. DANORVM PRIMA EX MIRACVLO CONVERSIO. Vvit. lib. 3. Dieth. lib. 2. Adam. lib. 2. c. 3

D

E

Circa hoc ipsum tempus scribunt aliqui, vniuersos Slauorum populos Othonis Imperio subiectos: vt quos pater ingenti prælio fuderat, eosdem filius eatenus constringeret, vt non tributum duntaxat pendere, sed etiam Christianam religionem amplecti cogeret. Quare baptizatis vniuersis, tunc primum Ecclesiæ in Slauonia construi cœptæ sunt. De qua re suo loco. SLAVORVM CONVERSIO.

Hungari porro victorijs Othonis perculsi, & Caroli Magni inclyta quondam gesta repetentes, quo primum ducerent, animi pendebant, Othonis fortunam reueriti, ne si lacessant, vel lacessantur, religioni iterum manus dare cogantur. Sunt qui Othone relicto, in Italiam eundum suaderent, & ad hunc annum re-

Lib. 1. cap. 15. TOXIS REX HVNGARORVM. ferunt quod Luitprandus recenset, Toxin Hungarorum Regem magno cum exercitu in Italiam venisse; cui Berengarius non ex propria pecunia, sed ex Ecclesiarum, & pauperum collectione, decem modios nummorum numerarit: non quia populi curam haberet, sed vt hac occasione magnam vim pecuniæ cogeret: quippe omnis ætatis, siue ablactatus, siue lactens, nummum dependit; tantumque æris conflatum est, vt decem modij Hungaris dati, modica plane summa videretur, si reliquæ compararetur. Ita Berengarius hanc occasionem in suum commodum vertit. Fuisse hanc collationem Berengarij diuersam ab ea, de qua alibi diximus, facilè apparebit rerum, & temporum momenta retractanti, & meliorum rationes expendenti. A B

Ad ann. 904.

Indict. 8.	IESV CHRISTI ANNVS 950.	AGAPITI PAPAE II. ANNVS 5.	CONSTANT. VIII. SOL. 39. OTHONIS REGIS 15. TOXIS 2.

OTHO ROMAM VOCATVS. AGapitus Othonem in Italiam vocat, vt eam à Tyrannide Berengarij liberet. Vocatur & ab Adelaide vxore Lotharij Regis, Rodulphi Regis filia, quæ quòd Lothario veneno sublato, Berengarius Regnum sibi vendicasset, intra munitionem Canusinam se continuit, crebris literis Othonem accersens. Fuit autem Lotharius, qui Francorum Regibus in Italia regnandi finem fecit. C

Hoc eodem anno moritur Ramirus, Rex ille in Hispania Legionensis, multis & miraculosis de Arabibus victorijs insignis. Quàm religiosa mors eius fuerit, testantur ea verba, quæ postquam Sacramentis omnibus è Christiano more munitus fuisset, coram Episcopis & Abbatibus astantibus, multis cum

RAMIRI REX OBITVS. lacrymis Regnum abdicans protulit: *Nudus egreßus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc: Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo*. Quibus dictis obijt in vigilia Epiphaniæ in Sabbato. D

Indict. 9.	IESV CHRISTI ANNVS 951.	AGAPITI PAPAE II. ANNVS 6.	CONSTANT. VIII. SOL. 40. OTHONIS REG. 16. TOXIS 3.

E

HVngari studio Berengarij, vt vidimus, Italia excedentes, superatis Alpibus in Aquitaniam penetrauere: qua per aliquot menses vastata, multisque cædibus patratis, & præda ingenti acta, rursum per Italiam in sua reuersi sunt; occursuri, si fors tulisset, Othoni, quem post Franciam contra Hugonem expeditionem, in Italiam venturum acceperant. Qui tamen serius, & saltem

OTHO BERENGARIVM FVGAT. non ante mensem Octobrem appetijt; fugatoque Berengario, filium eius Adelbertum, & duas filias captas in Germaniam misit; necnon Adelaidem Lotharij

Leo lib. 1. c. vlt. Frod. Rheg. ad hunc ann. relictam è custodia liberatam coniugem duxit. *Leo Ostiensis, Frodoardus, Rhegino*.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS	AGAPITI PAPAE II. ANNVS	CONSTANT. VIII. SOL.	
952.	7.	CONSTANT. VIII. SOL. 41. OTHONIS REGIS 17. TOXIS 4.	Indict. 10.

OTho ab Agapito Romam inuitatur: verùm prohibente Alberico, qui Vrbi dominabatur, venire non potuit; sed neque missa legatione Otho id impetrare potuit. Interim mense Augusto, Augustæ Rhætiæ Prouinciæ Conuentus habetur publicus Episcoporum, nec non Principum Francorum, Saxonum, Bauarorum, Alemannorum, & Longobardorum; vbi Berengarius cum filio Adelberto sese Othoni subijciens, ab eodem, vt subditus regendam Italiam recipit; Marca duntaxat Veronensi & Aquileiensi excepta, quæ Henrico Regis Fratri commissa. Berengarius non multo post ad genium reuersus, male erga Episcopos, & reliquos Italiæ Proceres se gessit, quòd eorum, vt putarat, opera, Principatu excidisset. Ita *Rhegino*. Porro subiectio Berengarij, & filij eius Adelberti diu ante per visum ostensa fuisse perhibetur Sancto Vdalrico Augustano Episcopo, vt testatur author eiusdem vitæ.

OTHO ITERVM ROMAM VOCATVS.

B

BERENGARIVS OTHONI SVBIECTVS.

C

IESV CHRISTI ANNVS	AGAPITI PAPAE II. ANNVS		
953.	8.	CONSTANT. VIII. SOL. 42. OTHONIS REGIS 18. TOXIS 5.	Indict. 11.

OTho Rex in gratiam Adelaidis coniugis confert socrui contra ius & fas, Abbatiam in Alsatia Merenstein dictam; sed graui suo damno, ob conspirationes in eum factas, Vdalrico partes Othonis protegente; Augusta expilata, sed miro in eos diuinitus vindicta secuta, qui præsertim Dei Genitricis Templum spoliassent.

D

Bruno Archiepiscopus frater Othonis, hoc anno inter cæteras Reliquias Sanctorum, Roma baculum S. Petri Coloniam abduxit, vt author est Sigebertus. Sed de hac re nos in Notationibus historicis. Non enim vna extat historia de baculo S. Petri.

E

IESV CHRISTI ANNVS	AGAPITI PAPAE II. ANNVS		
954.	9.	CONSTANT. VIII. SOL. 43. OTHONIS REG. 19. TOXIS 6.	Indict. 12.

HOc anno corpus S. Matthæi Apostoli, quod primum in Æthiopia, deinde in Bithynia per aliquot secula quieuerat, Salernum translatum est. *Leo Ostiensis*. Lib. 2. cap. 5.

Hoc eodem anno, authore Diethmaro, Cruces in vestibus apparuerunt: *Quod*, inquit ipse, *signum dignè accipientibus profuit, irridentibus autem obfuit*. Sigebertus, qui ab omnibus reliquis Scriptoribus passim aliquot annis discedit, Lib. 2. Chron.

hoc

hoc contigisse anno huius seculi quinquagesimonono scribit. *Vbi prodigiosa*, inquit, *res multos terret, & à vitijs coërcet, notis Crucis in veste plurimorum apparentibus, quorundam autem vestibus, quasi lepra sordentibus*. A

Ad hæc tempora reuocari potest, quod Hermannus notat, ignitum lapidem, quasi massam candentis ferri ab Occidente volitantem venisse, & præterea Draconem fuisse visum.

Hungari porro, qui, vt credibile est, à Luitdolpho filio Othonis contra patrem ducebantur; inita demum inter hos iam signa collaturos, opera S. Vdalrici concordia, belloque sedato, in Galliam transierunt. Id videtur insinuare Rhegino, dum ait: *Hungari, ducentibus inimicis Regis, in Quadragesima transito Rheno, peruadentes Galliam, inaudita mala in Ecclesia Dei fecerunt, & per Italiam redierunt*. Hæc Rhegino. B

HVNGARI IN GALLIAM TRANSEVNT.

Heroldus Salisburgensis Archiepiscopus, cui, contra mandatum Agapiti, non bene cum Gerhardo Laureacensi conueniebat, hoc anno traditur ab Hentico Bauariæ Duce Othonis fratre germano exoculatus; quòd inter alia enormia quæ designarat, Hungaros quoque in excidium Bauariæ euocasset.

Brusch. lib. 1. Patau. cap. 30.

C

IESV CHRISTI ANNVS 955.	AGAPITI PAPAE II. ANNVS 10.	CONSTANT. VIII. SOL. 44. OTHONIS REGIS 20. TOXIS 7.

Indict. 13.

AGAPITI OBITVS.

Agapitus Romanus Pontifex per annos decem, & totidem dies, bene administrata Republica Christiana, ex hac vita migrat. Quo mense, vel die, nemo antiquorum prodit, nec nobis cum recentioribus diuinandi animus est. Eo mortuo, Sedem inuadit Octauianus filius Alberici Patritij, & Tyranni Romani, superiore anno defuncti. Eo adhuc viuente, filius Clericus Principatum adeptus est, nunc verò & Papatum; dictus Ioannes Duodecimus, siue ob patrui Ioannis Vndecimi memoriam, siue vt in acclamationibus adulatorijs audiret illud sacrum elogium: *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes*. Annum decimumsextum non excesserat: vel si primogenitus fuit, ad summum non nisi annos octodecim habuisse videtur Baronio. Quem nihilominus Otho Imperator, post octo annos puerum appellauit, teste Luitprando, dum excusaret eius inaudita scelera tam restricta ætate commissa. *Puer est*, inquit, *facile bonorum mutabitur exemplo virorum*. Tale scilicet tum abortiuum monstrum tulit potentia Tyrannorum, iusto Dei iudicio suo tempore è medio tollendum: Non secus ac Theophilactum Patriarcham in Sede Constantinopolitana turpissimum, qui annos natus sexdecim, adhuc sub pædagogis, & ferula, contra Canones, Ecclesiæ gubernacula suscepit; de quo miranda Curopalates, neque tamen omnia, quòd dictu nefanda sint, recenset; eiusque miserandum exitum in sequentem annum reponit. Passa nihilominus est Ecclesia Romana Ioannem dictum, ne fœdiore schismate scinderetur. D E

Lib. 6. cap. 6.

Hungari porro, vt semel fortunam Othonis timere dedidicerent, hoc anno tanta multitudine se in Germaniam infuderunt, quantam, vt inquit Frodoardus,

tunc

A *tunc temporis viuentium hominum nemo se antea vidisse in vlla regione profitebatur, & Noricorum regionem à Danubio flumine, vsque ad Nigram siluam, quæ pertinet ad montana, simul deuastando occupauit; & cum Licum transcenderet, & Alemanniam occuparet, Ecclesiam S. Afræ concremauit, & maximam partem vsque ad Hilaram fluuium combussit. Augustam autem Ciuitatem obsedit, quæ tunc imis sine turribus circumdata muris, firma ex seipsa non fuit.* Hæc Frodoardus: cui similia Rhegino: *Hungari*, inquit, *cum tam ingenti multitudine exeuntes, vt non, nisi terra eos dehisceret, vel cælum obrueret, ab aliquo se vinci posse dicerent. Venerant autem ductu præsertim Conradi Ducis, qui aliquando cum Luitdolpho contra Othonem* B *coniurauerat. Deinde vero, pace licet data Luitdolpho, ipse, siue metu Regis, siue conscientia sua, non sibi fidens ad Huugaros transfugerat.* HVNGARI GRASSANTVR IN GERMANIA.

Præuiderat diuina reuelatione longe ante hanc irruptionem S. Vdalricus, eamque Othoni Regi indicauerat, victoriam vnà de eis gloriosè reportandam prædicens. Quo autem studio & ipse fategerit, memorat Frodoardus. *Sanctus*, inquit, *Antistes magnam valde multitudinem optimorum militum secum intra septa Ciuitatis collocatam habebat, ex quorum agilitate, & audacia, Ciuitas fortiter firmata Deo iuuante consistebat.* Memorat præterea, quomodo Stola tantum Sacerdotali munitus, non galea non clypeo tectus, huc & illuc equo vectus, inter C arma perseuerauit illæsus. Et hæc quidem de die; de nocte vero quid ageret, his subdit. S. VDALRICI PRÆDICTIO DE VICTORIA.

Ille autem totum spatium noctis in oratione pernoctans, religiosas mulieres in Ciuitate congregatas concitabat, vt vna pars earum cum Crucibus deuote clamando intra circumirent, & altera pars clementiam Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, pro defensione populi, & pro liberatione Ciuitatis studiosissimè pauimento prostrata flagitaret. Ipse autem minimam particulam noctis ante matutinam horam, corpus requiei soporis indulsit, vt matutinis laudibus expletis, aurora primùm irrumpente, salutaris Sacrificij hostiam Deo libare licuisset. Ministerio sacro peracto, viatico sacro omnes recreauit, D *humilique admonitione persuasit, vt in fide recta persistentes, spem suam in Domino componere non dubitarent: indicens eis omnigenam sponsionem consolationis, & annuntians psalmographi Dauid verba dicentis: Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Hæc Frodoardus de Vdalrico: vt plane constet, non minori virtute ipsum Augustanam defendisse Ciuitatem, quàm Hungaros Otho Rex deuicerit. PVGNATVRI SACRAM SYNAXIM SVMVNT.

Pergit vero idem de Othone. *Rex cùm tantum exercitum Hungarorum perspexisset, æstimauit non posse ab hominibus superari, ni Deus omnipotens eos occidere dignaretur: in cuius adiutorium confidens, suorumque consolationibus Principum robo-* E *ratus, bellum viriliter cum eis agere cæpit; & cùm mutua cæde vtrobique cecidissent, interfectis, qui ad occisionem à Deo prædestinati erant, gloriosa victoria Othoni Regi à Deo, cui nihil est impossibile, data est; ita vt exercitus Hungarorum in fugam versus, virtutem præliandi vltra non haberet. Et quamuis incredibilis numerus illorum occisus fuisset, tantus tamen adhuc exercitus eorum remanebat, vt hi qui de propugnaculis Augustæ eos venire conspexerunt, non pugna lacessitos eos redire existimauerant, donec prætereuntes Ciuitatem vlteriora Lici fluminis littora festinando repetere cognouerunt. Rex autem cum suis eos sequens, & quibus coniungere se potuit occidens, vespertina hora diei peruenit ad Augustam.* Hæc Frodoardus: sed & sequenti die Regem eos insecutum testatur, captosqe eorum Reges, & Ratispo- OTHONIS VICTORIA.

nam

nam perductos in ipsorum ignominiam laqueo suspendisse. A

Celebrata est omnium ore tanta victoria; quam obtentam tradunt die S. Laurentij, feria sexta. Vix sex septemue fuga euasisse quidam scribunt, nimia fortasse exaggeratione. Testatur quidem apud Rheginonem author Auctarij, tanta cos cæde prostratos, *nunquam vt apud nostrates*, inquit, *victoria talis audiretur aut fieret*. Idem narrat, Chunradum Ducem, de quo superius diximus, hoc prælio occisum. Quod etiam Sigebertus notat ad annum quinquagesimumseptimum, tametsi ad hunc quinquagesimumquintum annum aduertat, Luitdolpho, vel vt ipse scribit, *Lidulpho in gratiam patris reducto, Conradum Ducem, Dei & Imperatoris transfugam, ad Hungaros defecisse, eosque in Lotharingiam* B *vsque ad Carbonariam syluam perduxisse; sed virtute Dei apud Lobias contra eos ostensa, vltra prodire prohibitos, impune rediisse*. Hæc Sigebertus ad hunc annum; quæ diuersa videntur ab ijs quæ superiori anno gesta narrauimus.

INGENS HUNGARORUM CLADES.

Quæ porro alij ad hunc annum de victoria Othonis memorant, eadem Sigebertus biennio post acta recenset. *Hungaris, scilicet, iterum Regnum Othonis Imperatoris, ductu Conradi Ducis depopulantibus, Imperator eos bello excepit; Conrado ab Hungaris ad eum pœnitendo refugiente, & orante Deum, vt pro pœna perfidiæ sua in ipso bello ab Hungaris perimeretur. Quo bello in tantum sunt Hungari victi, & attenuati, vt vltra iam nec mutire ausi fuerint, in tantum quippe contriti sunt, vt* C *nullus aut rarus eorum euaderet. Conradus tamen secundum votum suum, ibi occubuit, & tres Reguli Hungarorum in bello capti suspendio perierunt*. Hæc Sigebertus.

Meminit eiusdem victoriæ Hermannus, qui Hungaros totam Baioariam depopulantes, iuxta Augustam Alemanniæ Vrbem, Deo iuuante, ab Othone Rege pugna victos, & immensa cæde necatos scribit. Bonfinius, quamuis victoriam Germanis cessisse velit, & illam quidem cruentissimam, Hungaros tamen victos, & superatos dici non posse affirmat, quia nunquam cessere, sed obstinatissimis animis ad internecionem vsque fere depugnarunt: tres quoque D Regulos præter virorum dignitatem infami morte extinctos, quasi id ad perpetuum faciat stomachum, haud probat.

Lib. 10. Dec. 1.

Huius facti memoriam, quidam Hungarorum Historici ad tempora Conradi Primi, non paucis ab hinc annis reijciunt, & admixtis quibusdam fabulis diuersè narrant. Nempe Hungaris Augustam obsidione arcta prementibus, Conradum cum Alemannico, & Italico exercitu, improuiso adfuisse, & incautos ita obruisse; vt pluribus captis multi necarentur, nec pauci restagnante Lico amne mergerentur, paucissimis euadentibus. Inter captiuos fuisse Leel, & Bulchu, Duces illustres; quos cùm Cæsar interrogasset, cur adeo Christianis infensi essent, respondisse ferunt: *Nos sumus vltio summi Dei, vobis in flagellum* E *destinati; nec vincimur, nisi cùm vos persequi cessamus. Quibus Conradus, At ego faciam vt de cætero non vincamini, nunc morituri: vestrum est eligere genus mortis. Cui Leel, Afferatur mihi tuba mea, qua prius inflata, deinde optemus. Ea accepta cùm propius ad Conradum accedens inflare simularet, vehementi adeo ictu in frontem Cæsaris impegit, vt momento prostratum exanimarit, hoc addito dicterio: Tu me præito, mihi apud inferos sacer & seruiturus. Est namque recepta apud Scythas religio, quoscunque in hac vita occidissent, eos in altera seruos sibi futuros. Id satellites Cæsarei conspicati, & ira efferati, continuo raptatos, & Ratisbonam abductos, è patibulo*

Joan. Thurocz. in chron. Hung. c. 78.

tibulo

A *tibula suspenderunt*. Hæc isti, specioso infamis supplicij prætextu, ne Reguli tanti Regis interfectores, sine causa turpiter pependisse posteris crederentur. Quæ fabula cùm nec tempori, nec rei longè post Conradum citra cædem defunctum gestæ cohæreat, alia refutatione non eget.

Meminit porro, & Diethmarus huius temporis Scriptor, eius Hungarorum cædis, aitque pugnaturum Othonem in die S. Laurentij Martyris vouisse eidem Episcopatum Merspurgensem; postea celebrata à Sancto Vdalrico Episcopo Augustano Missa, cum ab eodem sacram Communionem percepisset, accepta hasta sacra perrexisse, conflixisse & vicisse. Sed & Rotgerus in vita Brunonis Archiepiscopi Coloniensis, narrat Othonem ipsa die, quæ Vigilia erat Laurentij Martyris, ieiunium indixisse, eiusdem interuentu, sibi & populo suo Deum B propitians. Reportata porro victoria, ingentes ab eodem repensas authori victoriæ gratiarum actiones, vnàque Dei Genitrici & omnibus Sanctis, qui res Saxonum prosecutus est Cranzius tradit. OTHONIS VOTUM. *Lib. 4. hist. Sax. cap. 6. 7.*

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAP. XII. ANNVS	CONSTANT. VIII. SOL. 45. OTHONIS REGIS 21. TOXIS 8.
956.	1.	

Indict. 14.

C

HVngari superiori clade eneruati, & non parum afflicti, animos ad otium reuocauerunt, salutare, si in pijs cogitationibus perstitissent. Erant adhuc pauci ex ijs memores religionis à Carolo Magno susceptæ, animisque voluentes secundos rerum successus, dum eidem inhæsissent, cœpisse vero cum pietate declinante fortunam quoque terga vertere. Hac isti rerum & temporum memoria seipsos erudientes, inter reliquos sermonem miscere, & cogitationes aperire suas cœperunt: nec defuit illis ex recenti adhuc calamitate stimulus ad audiendum; etsi non vsque adeo penetraret, vt ad saniora consilia animos D traduceret; reputantium hanc cladem, aut fortuito, aut neglectu disciplinæ militaris, culpa Ducum accidisse; proinde facile emendabilem, si periculo eruditi, quid in tempore faciendum fuerit, diligenter attendant. HVNGARORVM VARIA COGITATIO.

Non defuere tamen etiam inter ipsos pertinacissimos cultus Christiani osores, qui & locum, & modum conflictus, & paucitatem confligentium retractantes, fortunam ad religionem verterent, & cùm in Signis Othonis diuersas se conspexisse dicerent Diuorum Imagines, in ijs virtutem aliquam inesse rerentur, qua Germani non tam piè quàm superstitiosè vicissent. Incesserat consilium, similes, & in suis Signis, vel periclitandi causa deferre notas, neque E tamen damnatis suis characteribus, quos præferebant, Cauda equina, Capite caprino, Herculis claua, Martis ense, & id genus superstitionum elementis; nihil interea cogitantes de vero Deo, cuius dexteræ virtute, ingentes adeo & innumeræ copiæ parua manu cecidissent. Super omnia verò terrorem quendam iniecerat, certus pridem & continuo inualescens rumor, quo plerique sibi persuaserant, quemadmodum Henrico patri Othonis omnia prælia secundò cessissent, quòd hastam illam, siue lanceam diuinitus oblatam, vbique circumtulisset; ita & Othoni eiusdem heredi, quousque possessor eiusdem lanceæ fuisset, victoriam nunquam abdicturam. Itaque eò conuertendas omnes cogitationes HVNGARORVM SIGNA.

credi-

A In reliquis, quæ hoc anno signari possent, dissentientes video Græcos & Latinos Scriptores. Curopalates Turcarum Regem, siue Ducem, Fidei Christianæ desertorem, ab Othone captum, & in patibulo suspensum scribit; Bologudem eum appellat. Zonaras in vita Constantini filij Leonis, in nomine Ducis conuenit, sed Vngrorum, seu Hungarorum, quos cum Turcis confundit, Ducem fuisse affirmat. De quo tamen capto, & ab Othone, morte mulctato apud Latinos Scriptores nulla habetur mentio. Iuuat historiam ex Curopalate, & Zonara hic attexere.

Turcæ, siue Hungari, Romanorum Prouincias incursare soliti, ad tempus BOLOGVDES DVX BAPTIZATVS.
B quieti fuerunt. Nam Dux eorum Bologudes, (alios Bolesodes) cùm decreuisset Fidem Christi amplecti, Constantinopolim venit; & baptizatus, à Constantinoque Imperatore susceptus, necnon Patricij dignitate honoratus, adeoque ingentem pecuniæ vim adeptus, domum reuersus est. Adfuit paulò post & Gylas, Dux & ipse partis cuiusdam;& regenerationis lauacro initiatus, paribusque dignitatis,& munerũ honoribus ornatus. Verùm Bologudes violato fœdere diuino, non cessauit Romanos infestare, & subinde magno exercitu eorum fines vastare; donec arridente successu,in Francos quoque duxit; sed ab Othone eorum Rege captus in crucem actus est. At Gylas in Fide constans, non so- GYLAS.
C lùm ipse nihil mali Romanis intulit, verùm etiam Christianos captos fouebat, & precio redemptos in libertatem vendicabat; quodque maius est, multos à barbaro errore ad Christum traduxit, vsus in hoc genere opera Monachi cuiusdam nomine Hierothei, religiosi & pij, quem Constantinopoli secum in hunc finem duxerat, à Theophilacto Patriarcha Turciæ Episcopum delectum.

Hæc ex Græcis: de quibus tamen apud Latinos nulla mentio. Crediderim, si Bologudes & Gylas Hungari fuerunt, ex ijs fuisse, qui aliquando discedentibus à se inuicem religionis causa in Pannonia Hungaris, in Bulgariam pars abiere, pars in Græciam, vt Græcorum Imperatori mererent: sed demum (vt BOLOGVDES ET GYLAS AN HVNGARI.
D rerum vicissitudo fert) pro Græcis modò, modò pro Bulgaris arma capientes, coalita tandem societate coloniam inter vtrosque duxisse, superstitione eorum imbutos, qui ex Bulgaris Chistiana sacra nondum admiserant. Verisimile autem est, Simeone Rege Bulgarorum à Romano Imperatore, ingenti clade afflicto, Hungarorum Duces feriatos, & meliora animo cogitantes, tandem hoc anno, Christo se addixisse; eorum etiam exemplo permotos, qui non semel ex Bulgarorum Ducibus Constantinopolim transeuntes, infidelitatem eiurarunt.

Quo autem pacto Bologudes in manus Othonis peruenerit, difficile est di-
E uinare; nisi fortasse postquàm meliorum pœnituit, in Pannoniam post suorum cladem reuersus, eos iterum ad arma solicitarit; aut certe cùm nondum reparatas vires offendisset, ad Slauos, qui cum Othone bellum gerebant, transiuerit: vt hic fortasse sit Dux, siue regulus, quem debellatis Slauis, Otho, quod ex Sigeberto meminimus, occidi iusserit.

A

IESV CHRISTI ANNVS 959.	IOANNIS PAP. XII. ANNVS 4.	CONSTANT. VIII. SOL. 48. OTHONIS REGIS 24. TOXIS 11.

Indict. 2.

ELga vxor Ducis Russorum, qui Romanos classe infestarat, defuncto marito, se ad Imperatorem, nempe Constantinum, contulit, ac baptizata, & pro dignitate tractata domum rediјt. Ita Zonaras. Hanc Rhegino ad hunc annum, Helenam appellat, & missos ab eadem Legatos ad Othonem scribit. B *Legati*, inquit, *Helenæ Reginæ Rugorum, quæ sub Romano Imperatore Constantinopolitano Constantinopoli baptizata est*, (ficte vt postea clarnit) *ad Regem venientes, Episcopum & Presbyteros eidem genti petebant*. Hæc Rhegino: qui tamen pro Romano Constantinum, qui tunc solus, defuncto iam Romano, imperabat, nominare debebat.

Dubium tamen est, an eadem dicatur Rugorum & Russorum gens, quod quidam Latini volunt, cum quibus & Rhegino, hanc Rugorum Reginam dixit, quam Græci Russorum: vel certe, vt Curopalates, Rhos Ducis vxorem C fuisse dicunt; nec Helenam, sed Elgam vocant, nisi fortasse à bapti mo nomen Helenæ tulerit. Certè Russi, & Rugij diuersi sunt populi, illi quidem in Sarmatia Europæa, vltra Liuoniam habitantes, quorum regio Russia dicitur: hi verò Tacito sunt Germaniæ populi ad mare Balticum, quorum Reginam probabilius est misisse ad Othonem, quàm alteram illam, quæ non Regis, sed Ducis vxor fuisse scribitur, & propior erat Constantinopoli, quàm Germaniæ. Neque enim credibile est, eam quæ sub Constantino Imperatore Constantinopoli baptizata, multisque muneribus ornata est, ad Othonem potius missuram fuisse Legatos petitum Episcopum, & presbyteros, quàm ad Constantinum. Sed D neque constat Elgam fictè baptizatam, quod Rhegino, & alij de Helena Rugorum Regina scribunt; cùm illam Curopalates sincerè Fidei cultum suscepisse scribat. De Rugorum porro origine, Principatu, & de Regum eorundem genealogia multa passim tradit Irenicus in sua Germaniæ exegesi; vbi inter alia Odoacrum quoque Regem Italiæ, ex Rugorum gente fuisse, & ex inferioris Pannoniæ regione, quam Rugi tum incolebant, oriundum tradit.

Sed iuuat hoc loco paulo fusius narrare, quæ Rutheni in suis Annalibus de Elga, vel vt ipsi vocant, Olga, Regina, seu Duce Russiæ tradunt: ab ea nimirum circa hæc tempora introductam in Regnum suum Fidem Christianam, idque E accidisse hoc modo. Iger Russorum Princeps, quem alij Ingerum vocant, maritus Olgæ, ducto vsque Heracleam, & Nicomediam numeroso exercitu, postquam plurimas regiones depopulatus fuisset, hìc tandem prælio commisso victus, dum fuga se retraheret, à Malditto Principe Slauorum Dreslianorum, interceptus & occisus est. Successit in Regni administrationem Olga, quoad filius Suentoslaus adoleuisset. Ea mox in connubium Malditti petita, missos viginti Proceres, viuos humari iubet, ac Dreslianis renunciat, si se Reginam velint, plures ex nobilissimis mittant. Misere isti continuò quinquaginta ex optimatibus; quorum hoc dispar exitus fuit, quòd in vaporarium inclusi, viui exusti

sint.

A sint. Præmittit deinde, qui referat, iam se in procinctu esse, & velle apud ipsos
marito defuncto iusta facere. Vbi peruenit, ore & habitu lugubri solenni ritu
exequias celebrat, & facto de more gentis epulo, plerisque potu sopitis, quinque
erum millia trucidat. Nec mora, domum reuersa, ingentem militem in Dre-
slianos ducit; commissoque prælio plerosque cædit, paucis in arcem Dreslianam
euadentibus; quos tamen vnius anni obsidione pressos, ad huiusmodi tributum
pendendum cogit, vt singulæ domus ternas columbas, totidemque passeres
mittant. Quas illa acceptas, cæco igne sub alis abdito armat, liberasque dimit-
tit. Eæ ad consuetos sub tectis nidos auolantes, paulò post erumpentibus vn-
B dique flammis, vastitatem immittunt, & ne omnia in cinerem abeant, Ciues
incendio superstites, prodeunt, & miserando eiulatu deditionem faciunt. Ex
his pars gladio cæsi, pars in seruitutem abducti. Ita Olga mariti necem vlta, &
rerum Dreslianarum potita, Chiouiam triumphans reuersa est. Nec multo post,
imperante Ioanne Zemisce, Constantinopolim abiens, baptismum suscepit,
ex Olga Helena dicta; multisque muneribus ab Imperatore culta, recessit, reli-
gionemque Christi reportauit: ob quam causam à Ruthenis Soli mundum il-
luminanti comparata est. Eadem porro defuncta, Suentoslaus filius, & Regni, &
pietatis heres, religioni seruandæ studuit: Hunc tamen secutus Volodomirus
C illegitimo thoro natus, rursum Idololatria funestauit, sublatis præsertim fratribus
Ienpolco & Olgo legitimis, solus ipse rerum potitus. Inde pluribus gentibus,
suam ei religionem offerentibus, ipse vicissim in singularum sanctitatem, & vi-
uendi normam inquirens, Christianam omnibus ex ritu Græcorum professio-
nem prætulit, eòque Legatos ad Basilium, & Constantinum Imperatores misit,
promissa etiam restitutione regionum, quas Græcis ademerat, si vicissim Basi-
lius Annam sororem suam eidem vxorem despondisset. Annuit Basilius, nec
multo post Volodomirus, sacro fonte expiatus Basilius dictus est, & religioni
studens Nouogrado Metropolitanum, cæteris Ciuitatibus singulos Episcopos à
D Constantinopolitano Patriarcha sacratos præfecit. Vnde ab eo tempore Græco-
rum ritui tenaciter adhæserunt.

Hæc & plura de his Annales Ruthenorum, ex quibus Cromerus & Maurus *Lib. 3. de reb. Pol.*
Ragusæus. Quæ cuiusmodi sint, ex dictis ad annum octingentesimum sexagesi- *Lib. de regno*
mum, atque etiam septuagesimum patet. Græci vix aliquid de his tradunt. Si *Slauor.*
vera sunt, magnam vtique religionis inconstantiam arguunt. Veriora tamen
esse quæ ad annum citatum diximus, præsertim ex professione coram Clemente
Octauo Summo Pontifice edita, clarum euadit.

Hoc eodem anno ex Rheginone memorat Baronius Adelbertum ex Mona-
E chis S. Maximini ad Russos missum, ab eisdem male fuisse acceptum, immo &
expulsum, socijs haud paucis interemptis. Verùm Rhegino de Adelberto nihil
hoc loco; ad annum porro nongentesimum sexagesimumsecundum, tradit
duntaxat, Adalbertum à Rege pijssimo, nempe Othone, genti Rugorum hono-
rifice destinatum. Rugos autem differre à Russis, seu Ruthenis, iam ostendi-
mus. Simile est huic, quod ad annum sequentem notat Lambertus, de Legatis
gentis Rusciæ Othonem deprecantibus, pro mittendo Episcopo, & de misso
Adelberto, qui vix euasit manus eorum.

A

IESV CHRISTI ANNVS. 960.	IOANNIS PAP. XII. ANNVS 5.	CONSTANT. VIII. SOL. 49. OTHONIS REGIS 25. TOXIS 12.

Indict. 3.

IOannes assertus Papa, non potens ferre tyrannidem Berengarij & Adelberti, necnon Vvillæ vxoris Berengarij, quæ erat filia Bosonis Marchionis Tusciæ fratris Hugonis, legationem mittit ad Othonem, vocans eum ad defendendam B Italiam, & vendicandam Romanam Rempublicam à dicta tyrannide. Legati erant Ioannes Diaconus, & Azo Scriniarius. *Supplicibus literis*, vt inquit Luitprandus, *& signis Regum, orabat Othonem Ioannes, quatenus pro Dei amore, sanctorumque Apostolorum Petri & Pauli, quos delictorum suorum cuperet esse remissores, se sibique commissam sanctam Romanam Ecclesiam, ex suorum inimicorum faucibus liberaret, ac saluti, & pristinæ libertati restitueret.*

Lib. 6. cap. 6.

Eodem verò tempore, & eandem ob causam, alij aliunde Spiritus sancti motu confluxere ad eundem Regem, miserijs opem flagitantes. Inter hos fuere, de quibus scribit Rhegino, Vvalbertus Archiepiscopus Mediolanensis, semiuiuus C è manibus tyrannorum ereptus, Vvaldo item Cumanus, seu Comensis Episcopus, Otbertus Marchio, alijque illustres viri Italiæ.

LIBVTIVS AD RVGOS MISSVS.

Hoc etiam anno volens Otho studere Helenæ Reginæ Rugorum, Libutium ex Cœnobitis sancti Albani curauit à Sancto Adaldago Episcopo Hamburgense Episcopum initiari, & ad Rugos mitti: quo euentu, ex Rheginone in loco dicemus.

CONSTANTINI IMP. OBITVS.

Signum præterea hoc anno in Sole apparuit, quod fortasse nonnulli ad significandum Constantini Imperatoris obitum retulerint. Obijt verò die nona Nouembris, feria quinta, cùm vixisset annos quinquagintaquator, menses duos, D regnasset autem cum patre, & Alexandro puero, atque matre annos tredecim, deinde cum Romano, qui tyrannidem occupauit, annos vigintisex, & postquam Imperio excidit, solus rerum potitus, annos quindecim, ab Alexandri autem obitu annos quadraginta nouem inchoatos; quibus etiam Imperium eius computatur. Verùm, qui ita numerant, quinquennem fuisse affirment oportet, quando regnare initio cœpit; rectius addituri annos decem, vt sexagintaquatuor omne tempus vitæ clausisse, sit verosimilius.

Vtcunque se habeat, diutius viuere poterat, nisi à filio Romano, qui mox ei in Imperium successit, iam ætate maturiore, & non æquo animo ferente rem E totam à patre administrari, medicato poculo sublatus fuisset. Eius funestum obitum alia quædam signa præcesserant. *Nam quindecim diebus antea*, inquit Curopalates, *ad quoddam tempus continenter appetente vespera, lapides supernè emissi, & intra illius domos multo impetu dilapsi, eximios strepitus edebant. Cùm verò existimaret à superioribus locis magna vi eos deferri, custodes ad multas noctes instituit, siquem deprehenderent id ausum; sed frustra se laborare nescius: quippe cum non ab hominibus eiusmodi res accideret, sed à superiori potentia fieret.* Hæc Curopalates de obitu Constantini: quibus similia accidisse ante mortem Caroli Magni alibi diximus.

Vt

A Vt autem nonnulla in eo reprehendit, vinolentiam nempe, & oſcitantiam in adminiſtrando, ſæuitiam in puniendo, denique neglectum in Magiſtratibus eligendis; ita non pauca laudat Principe digna, literarum amorem, Aſtronomiæ, Geometriæ, & præſtantiſſimæ Philoſophiæ cultum, quam ſuperiorum Principum inſcitia deſertam proprio ſtudio recuperauit, & peritiſſimis in vna quaque magiſtris conſtitutis poſteritati conſeruare ſtuduit: doctos & pios ſingulari fauore ſemper proſecutus; ſed etiam artes mechanicas admiranda quadam induſtria ad magnum incrementum perduxit. Quæ omnia coronat eximia in Deum pietas & religio, nunquam vt ſacris ſupplicationibus ad Templa facien-
B dis abeſſet, ſemper verò plenis manibus adeſſet, magnificis donis collatis, ſuaque parte in pauperes diſtributa.

Laudabunt fortaſſe & alij admonitionem ad filium Romanum factam de non ineundo cum externis connubio: *Scilicet*, vt ait, *ex formidabili Conſtitutione, atque indeprecabili Magni, & Sancti Conſtantini in ſacra menſa Catholicæ Chriſtianorum Eccleſiæ S. Sophiæ deſcripta: Ne vnquam Romanorum Imperator affinitatem cum natione contrahat, diuerſis moribus, ac peregrinis à Romanorum ſtatu vtente; maximè verò, quæ alterius fidei ſit, nec ſacro initiata baptiſmo, præterquam cum ſolis Francis, ob antiquam gentis claritudinem & nobilitatem, è qua & Conſtantinus ipſe*
C *Magnus ortum accepit*. Hanc tamen Conſtitutionem magno Romani Imperij probro infregit Leo ille, qui filiam Chagani Cazariæ vxorem duxit. Verùm quid non feciſſet Iconomachus impius à timore Dei deſciſcens? Infregit & Romanus, neptem ſuam Petro Bulgaro tradens; ſed hic idiota & illiteratus plura alia indecora fecit, ideo Senatui probro factus, & exoſus: quamquam nec neptis illa legitimi Regis aut Imperatoris fuit, quo minus ob publicum bonum extero elocari poſſet. Quid hic dicant Politici, qui Imperatoris filiam pacis cauſa petenti Baiazeti Imperatori Turcarum nuptui tradendam plenis buccis, & manibus ſuaſerunt; quando cognatorum, & Chriſtiani ſanguinis Principum pax & con-
D cordia raro conſtans & tuta? Notum quid de coniugio fidelis cum infideli Apoſtolus ſentiat, quid Eccleſia de Catholicorum cum Hæreticis coniunctione, quid leges, quid Sanctorum Patrum interpretationes tradant, quid exemplo Bonifacij Comitis apud D. Auguſtinum; quid argumento Sigeberti & Chilperici Galliæ Regum, Atanagildi Regis Ariani filias ducentium ſit vſitatum; qua denique lege, Dux Bohemiæ Boleſlaus, Primum Poloniæ Principem Chriſtianum mox futurum, Mieskonem generum recentiùs adſciuerit; vnde Polonis quoque ſalus orta eſt. Quorum omnium ſortem Stephanus Rex Hungariæ Primus, & Sanctus, felicitate quadam præuenit, quando Girelam Henrici
E Secundi pari ſanctitate Imperatoris poſt ſuſcepta Chriſtiana ſacra, coniugem accepit.

Epiſt. 151. Turon. lib. 4. hiſt. c. 27. & 28.

Indict. 4.

IESV CHRISTI ANNVS 961.	IOANNIS PAP. XII. ANNVS 6.	ROMANI IMP. 1. OTHONIS REGIS 26. TOXIS 13.

OTho Rex Germaniæ lacrymis ad se venientium motus, nec quærens quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, Italiam petere decernit. Volens autem Germaniæ prouidere, si quid humani sibi contigisset, Comitijs Vvormatiæ indictis, filium Othonem Regem creat, puerumque filio maiori ex priori coniuge natu, Vvilhelmo Archiepiscopo Moguntino nutriendum, & regendum tradit. Deinde verò Sanctorum militum suffragia implorans, Mauritij Ducis Thebæorum legionis, & quorundam sociorum Martyrum sacra pignora Magdeburgum eximia solennitate transfert, & celeberrimo cultu honoranda proponit; mox collectis copijs itineri se accingit. B

Lib. 8. ad ann. 948. Id cum accepisset Berengarius, quem Secundum vocant Annales Frisiorum, Adelbertum filium, cum sexaginta millibus pugnatorum ad fauces Alpium aduersum mittit: vbi cùm diem noctemque egisset, nondum conspecto exercitu Othonis, Comites belli Duces, eum ad patrem Papiam remittunt, protestati se contra Othonem pugnaturos, si Berengarius ipsi Adelberto Regnum tradidisset; secus, extero Regni concessuros potius, quam vt diutius ferant Berengarium, & præsertim Vvillæ coniugis insolens imperium. C

Perrexit Adelbertus, & patri facile persuasit; matri vero superbæ nequaquam. Quare ad exercitum reuersus, quid egisset exponit. Comitibus indignè ferentibus, discessio paratur, protinusque Adelberto deserto, omnes ad sua reuertuntur. Ita Otho nemine resistente, magna felicitate, sine sanguine victor euadit, commilitones habens Principes Apostolorum Sanctissimos Petrum & Paulum, vt historia Longobardorum Ducum Beneuentanorum, atque etiam Luitprandus memorant. D

OTHONIS VICTORIA DE BERENGARIO

Lib. 6. cap. 6.

Hoc eodem anno Creta insula, postquam annis ferme quadraginta Saracenorum iugo subiacuisset, à Nicephoro Phoca, eiusque germano Leone recuperatur, Saracenis inde eiectis. Verum cùm incolæ, aut metu, aut blanditijs, aut assuetudine pene omnes Christum exuissent, ad instaurandam Cretensem Ecclesiam, missus est Nicon Armenus Monachus, vir sanctissimus, & verè Apostolicus; qui per totam Insulam feruenter Christum euangelizans, errorem sustulit, vniuersosque ad baptismum veræque fidei disciplinam adduxit, ædificatis vbique Templis, & inductis Sacerdotibus, rituque Ecclesiastico, & viuendi legibus traditis. Plura digna lectu de huius admirandis in Creta, & vniuersa Græcia gestis scribit Author vitæ eiusdem, eiusdemque Abbas Monasterij Aureæ Petræ in finibus Ponti, & Paphlagoniæ, genere Lacedæmonius: scripsit verò anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo. E

S. NICON.

A

IESV CHRISTI ANNVS 962.	IOANNIS PAP. XII. ANNVS 7.	OTHONIS IMP. I. ROMANI IMP. 2. NICEPHORI PHOCÆ I. TOXIS REGIS 14.	Indict.5.

OTho post victoriam de Berengario sine sanguine obtentam, Papia Romam progressus, totius Romani populi,& Cleri acclamatione susceptus, B *ab Apostolico Ioanne filio Alberici*, inquit Rhegino, *Imperator & Augustus vocatur, & ordinatur. Papa quoque multa illum secum charitate detinuit, & diebus vitæ suæ nunquam se ab eo defecturum promisit.* Hæc Rhegino; paucioribus Frodoardus. Luitprandus vero pluribus addit, restituta ab Othone fuisse omnia, quæ essent Romanæ Ecclesiæ per tyrannos ablata, aliaque munera addita. Extat huius rei Autographum diploma aureis exaratum literis, asseruaturque Romæ in Castello Sancti Angeli: duo vero exscripta exemplaria habentur in Vaticana Bibliotheca, ex quibus plurima descripsit Baronius ad hunc annum. Plura autem, quæ hoc anno in Italia fecit Otho contra tyrannos, aliò spectant: hic C duntaxat addere lubet ex Annalibus Frisicorum: Antequam Otho Romam perueniſſet, Mediolanij ab Archiepiscopo,Comitiorũ decreto fuisse abrogatum Berengario,& Adelberto Regnum, & Othoni delatum: quem idem Archiepiscopus inunctum, & consecratum ferrea corona exornarit.

OTHO CREATVR IMPERATOR.

Lib.6.cap.6.

Lib. 8.

IESV CHRISTI ANNVS 963.	IOANNIS PAP. XII. ANNVS 8.	OTHONIS I. IMP. 2. ROMANI IMP. 3. TOXIS REG. 15.	Indict. 6.

D

ADelbertus Berengarij filius huc illucque discurrens, quoscunque potuit ad se attraxit; Ioannem quoque Pontificem solicitans qui oblitus iuramenti, & promissionis, multoque magis beneficij in se, & in Ecclesiam Romanam collati, Adelbertum inuitat, & auxilium ei contra Imperatorem promittit. Miratus Otho, Romam mittit sciscitatum. Responderunt Romani immensa Ioannis scelera memorantes, sicut Diabolo cum Creatore, ita neque Ioanni Papæ cum Imperatore sancto non conuenire, lupo cum agno: ideo vt E tanta scelera ipsi impune liceat patrare, Adelbertum sibi tutorem, & defensorem parare. Quæ autem sint enormia illa scelera, narrat author eorum temporum, qui à sexto capite sexti libri Luitprandi, reliqua vsque ad vndecimum addidit.

IOANNES PP. AB OTHONE DEFICIT.

Quibus intellectis Otho, qui tunc Papiæ erat, respondit: Puer, inquit, est, facile bonorum immutabitur exemplo virorum. Spero enim obiurgatione honesta, suasione liberali, ex illis sese emersurum malis, dicemusque tunc cum Propheta: Hæc est mutatio dexteræ Excelsi. Et adiecit: Quod prius rerum ordo deposcit, Berengarium in Feretro monte resistentem propulsemus; dein paterna monitione dominum Papam conueniamus; si non voluntate, verecundia saltem in virum perfectum sese mutet; sicque

forsitan

forsitan deuictus bene consuescere studebit, his desuescere. Quibus expletis nauem conscendit, ac per Eridanum Rauennam vsque peruenit: inde progressus Montem Feretrũ, (alias oppidum Sancti Leonis) *in quo Berengarius, cum coniuge Vvilla erat, obsedit.* A

Inter hæc Ioannes Papa Constantinopolim quosdam miserat ad solicitandos aduersus Othonem Græcos. His quoque adiunxit quos ad Hungaros mitteret excitandos; ratus, si in Germaniam irruerent, nuperam cladem pensaturos; Othonem Italia relicta excessurum, nec fore quem deinceps timeret more suo facturus. Ex ijs vero, quos ad istos destinarat, alter dictus est Saleccus natione Bulgarus, sed educatione Hungarus, ipsi Papæ familiarissimus, qui pro vtriusque gentis notitia plurimum posse videbatur. Alter vero Zacharias, vir reprobatus, diuinarum atque humanarum literarum inscius, quem Ioannes Episcopum recens consecrarat, & Hungaris ad prædicandum, vt super Othonem, & Regnum eius irruerent, destinarat. Verùm vterque cum ijs, qui Constantinopolim ire debebant, capti ab Othonis amicis, ac Capuam delati in custodiam coniecti sunt. B

SALECCVS HVNGARVS QVIS.

IOANNES TENTAT HVNGAROS.

Vt autem mittamus, pessimè cum Politicis fecisse Ioannem Pontificem, qui Episcopum non ad prædicandum Euangelium, sed ad classicum potius canendum miserit; ex his tamen vtcunque colligimus, non defuisse Hungaris etiam in prædictis temporibus viros, apud quos species religionis seruaretur; alioqui non erant admissuri Episcopum ad prædicandum, qui illuc mitti debebat, vt prætextu Euangelij pacis, bellum moueret: sed neque necesse erat mittere Episcopum ad res miscendas; cum satis esset quemcunque alium ad id mali idoneum eligere. Cuius vero Archiepiscopi curæ subesset Pannonia, ex alibi dictis constat. Cyrillo quippe & Methodio Romæ defunctis, & subacta ab Henrico Bohemia, ad Laureacensem, vel si mauis, ad Iuuauiensem, siue Salisburgensem recidit. C

IOANNIS LEGATIO AD OTHONEM.

Eodem porro tempore Ioannes Papa misit & ad Othonem partim, qui pueriliter gesta excusarent, promittentes se posthac alieno victurum more; partim qui dolore exprobrarent Imperatorem promissa violasse, quòd quendam Leonem Episcopum, & Ioannem Diaconum Cardinalem rebelles Pontifici suscepisset, & iuramento sibi adstrinxisset. Respondit Imperator. *Pro correctione, quam promittit, gratias ago. Leonem Episcopum, & Ioannem Cardinalem non vidimus, nedum suscepimus: quid autem Papa contra nos attentare voluerit apud Græcos, & Hungaros, exploratum habemus ex literis, quæ plumbo signatæ eius nominis characteres signant.* D

Misit deinde cum ijsdem Legatis Papæ alios ex suis, qui fidem facerent, & non credenti Papæ, vel duello veritatem testarentur. Nuntij Imperatoris ita suscepti fuere, vt satis pateret Imperatorem, plures fastidire. Ioannes nec iureiurando, nec duello sibi satisfactum voluit; sed in sua duritie permansit. Misit nihilominus alios ad Imperatorem dolo, & interim Adelbertum Romam venientem cum honore suscepit. Adfuit mox & Imperator, Romanorum optimatibus, qui ad Castellum Sancti Pauli erant, inuitantibus, atque etiam datis obsidibus. Quid multis? Imperator iuxta Vrbem castrametatur; Ioannes Papa cum Adelberto Roma aufugiunt. E

ROMANA CONTRA OTHONEM COMITIA.

Post triduum, rogantibus tam Romanis Episcopis, quàm Populo Romano,

Con-

A Conuentus habitus est coram Imperatore; cui quamplurimi tam Cardinales quàm Episcopi diuersarum nationum interfuere, nec pauci Romanæ Ciuitatis optimates, nobiles, atque etiam è plebe. *Quibus residentibus cùm sanctus Imperator facto silentio quæsisset, cur tam claro sanctoque Conuentui Ioannes Papa non adesset, Cardinales Presbyteri, Diaconi cum vniuersa plebe responderunt: Miramur sanctissimam prudentiam vestram, nos hoc velle percontari, quod nec Babylonicos, nec Ibericos, nec Indicos incolas latet: ita aperte diabolica pertractat negotia, vt nihil circuitionis vtatur. Tum Imperator: Iustum nobis videtur, vt accusationes nominatim exprimantur; deinde quod agendum est, communi consilio peetractetur.*

B Quæ porro gesta sunt Romæ in causa Ioannis Pontificis, ex omnibus authoribus collecta pluribus describit Baronius; quæ cùm ad nostros Annales minimè spectare videantur, lectorem ad eum remittimus. Hæc pauca idcirco attulimus, vt constaret, quid hoc tempore rerum apud Hungaros ageretur, cùm à Ioanne Papa specie prædicationis ad bellum Othoni inferendum excitarentur; vt hinc deinde non parua occasio extiterit istis, quamtumuis non parum eneruatis, iterum ea moliendi, quæ Rempublicam Christianam perturbarent.

Quod ad Orientis Imperium spectat, hoc anno decimaquinta die mensis C Martij, vt Curopalates tradit, Romanus Imperator decessit vigintiquatuor annos natus. Veneno perijsse aliqui scribunt, alij Venere. Successere filij Basilius, & Cõstantinus patri: sed alijs Imperium affectantibus, Nicephorus Phocas clarus victorijs, ab exercitu Imperator acclamatus est, & Constantinopolim vocatus, à Polyeucto Patriarcha decimasexta mensis Augusti diadema suscepit. Mox contra Saracenos in Sicilia manentes Patritium Manuelem patrui sui Leonis nothum filium misit, qui ob imperitiam male pugnans cum exercitu interijt; Saracenis præsertim aduersus Græcos animatis, quòd in vaticinijs Hippolyti Episcopi in Sicilia legissent, Saracenos non à Græcis vincendos, sed à Francis.

D

ISEV CHRISTI ANNVS 964.	IOANNIS PAP. XII. ANNVS 9.	OTHONIS II. IMP. 3. NICEPHORI PHOCAE 2. TOXIS REGIS 16. Indict. 7.

OTho, ne Romanis grauis esset, magnam exercitus partem dimisit. Id conspicati Romani, qui paulò ante Ioannem Pontificem de multis sce- E leribus accusarant, & Leonem Protoscriniarium (quem aliqui imperite Protum vocant) Papam sibi dari importunè flagitabant, in eum arma conuertunt corrupti pecunijs à Ioanne; & vt eum occidant, festinare contendunt. Occurrit Imperator paucis militibus, sed bello assuetis, & ingentem in Romanos stragem edit, planè ad internecionem delendis à milite, nisi mansuetus Imperator temperandum iussisset. Sunt qui scribant, non Romanos primum aggressos Imperatorem, sed duntaxat molitos insidias, in ijsque deprehensos sic luisse. Victi, obsides dederunt, quos Leone Papa suffecto ad pedes prouoluto, & orante, reddidit, seque eorum fidei commendari petijt. ROMANI A IOANNE CORRVPTI.

Vix pedes Otho Roma extulit, cùm mulieres voluptati Ioannis Papæ seruientes,

uientes, Romanos solicitare cœperunt;&vt Leonem perderent suaserunt. Confestim paruere illi: sed Leo è manibus eorum liberatus, cum paucis ad Imperatorem euasit. Mouit Romanorum perfidia Othonem, multoque magis Ioannis Papæ abdicati sæuities, quòd Ioannem Cardinalem manu dextera, Azonem vero Protoscriniarium, lingua, duobus digitis naribusque abscissis defœdauerat. Quare exercitu iterum reparato Romam redire statuit. A

IOANNIS PAPÆ SÆVITIES.

Interea Ioannes Papa Synodo coacta Leonem deponit, & acta eius irrita & nulla reddit; paulò ante Synodum, Otgerum Spirensem Episcopum, ab Imperatore Romæ relictum, comprehendit, & flagellatum dimisit, quò per eum posset ab Imperatore consequi veniam. B

IOANNIS PAPÆ OBITVS. Lib.6. cap.11.

Non multo post obijt Ioannes Papa, fœdo sanè interitu, si Luitprando credimus. Obijsse verò pridie Idus Maij, seu die decimaquarta, quæ tum incidit in feriam sextam, asserit Rhegino, qui & de successoris ordinatione hæc habet.

BENEDICTVS V. SVCCEDIT.

Tunc Romani non modicè metuentes Imperatoris aduentum, Benedictum quendam Romanæ Ecclesiæ Diaconum, fidei, & electionis Domini Imperatoris immemores, eligunt, & ordinatum Sedi Apostolicæ imponunt.

Mox Imperator Romam venit, & Vrbem obsidione vallauit: contra quem Benedictus Romanos animans, Imperatori excommunicationem intentauit. Non diu tamen ferentes obsidionem, fame pressi, veniam precantur, & in vigilia Diui Ioannis Baptistæ, feria quarta, apertis Vrbis portis, Imperatorem cum honore suscipiunt, Benedictum deponunt, Leonem restituunt. Pluribus hæc Luitprandus nimium Othoni fauens, describit; nouam depositi Benedicti solemnitatem inducens in Concilio Lateranensi, dubio procul illegitime coacto; quæ cùm ad rem haud faciant, missa facimus, nec vllius authoritatis esse dicimus Constitutionem, quam iste Leo Papa illegitimus sanxisse fertur *de Inuestitura Romani Pontificis, & Ecclesiæ*, Othoni Primo, huic nempe Imperatori concessa, cuius & Gratianus minus considerato hæc tractans meminit. C

Dist.63.cap.23.

BERENGARIVS CAPTIVVS ABDVCITVR.

Cæterùm Otho, expugnato Castello S. Leonis, Berengarium vna cum Vvilla coniuge captum in Baioariam mittit; vbi vsque ad obitum permanserunt. Adelbertus interim fuga lapsus, manus euasit Imperatoris. Rumor erat confugisse ad Hungaros, vt horum auxilio parentibus suis non longe constitutis, quoquo modo opitularetur; bella etiam, si vires suppeterent, Imperatori facturus, ac saltem nationem, patris sui notitia, & liberalitate satis inclinatam, si quæ tulisset occasio, in Italiam adducturus, & amissa recuperaturus; cùm non defore certo sibi persuaderet, qui antiquæ necessitudinis memores, in Italia omnem sibi operam nauaturi essent. D

NICEPHORVS CYPRVM RECVPERAT.

Felix & Orientali Imperio hic annus fuit, Nicephoro Imperatore Cyprum Insulam è manibus Saracenorum vendicante, eosdemque Tarsi, & Mopsuestiæ obsidente: quibus Ciuitatibus expugnatis, Cruces, quæ pridem à Christianis ablatæ erant, recuperauit, & anno sequenti Constantinopolim reuersus Templis restituit, vnà de hostium manubijs decimam Deo persoluens. E

A

IESV CHRISTI ANNVS 965.	BENEDICTI PAPAE V. ANNVS 1. IOANNIS XIII. 1.	OTHONIS I. IMP. 4. NICEPHORI 3. TOXIS REGIS 17.	Indict. 8.

Benedictus verus Pontifex habendus, ab Othone tamen in Germaniam reuerso abducitur hoc anno in Saxoniam, & Adaldago Archiepiscopo BENEDICTVS PAPA ABDVCTVS.
B Hamburgensi, vel, vt alij scribunt, Bremensi commendatur, vel potius traditur custodiendus: quem tamen in summo honore detinuit vsque ad obitum eius, quòd hominem literarum, & sacræ conuersationis, dignum Apostolica Sede censeret; tametsi pulso Leone tumultuarie electum, vt iccirco Otho eo deposito Leonem iterum restituerit. Etiam populus Romanus facti pœnitens, atque eius virtutum memoria captus, ab Imperatore petebat, vt tanquam verus Pontifex restitueretur, Leone Pseudopapa aut reiecto, aut quod verius est, mortuo; nam author apud Rheginonem, hoc anno eum obijsse tradit. Verùm dum ista aguntur, ipse Hamburgi plenus meritis, & illustri sanctitatis opinione Hist. Archiep. Bremens. in Adaldago.
C commendatus, in pace migrauit. Hæc fere Adamus vetus Chronographus, & nonnulla etiam Diethmarus, Erpoldus, plurima vero Cranzius. Diem obitus notant aliqui, quartum Iulij in Dominica. BENEDICTI OBITVS. Lib. 2. cap. 6. Dieth. in Chron. In Adaldago Cranz. lib. 3. Metrop. à c. 20

Hunc Benedictum fabulantur aliqui à Ludouico Imperatore ad prædicandum Euangelium ductum in Germaniam, inde verò Vvandalorum incursu fuisse trucidatum, vnà cum sexaginta alijs Presbyteris. Quam fabulam multis confutat Cranzius, tametsi admittat alio tempore cæsos fuisse sexaginta illos Presbyteros. Idem vero habet, *cùm iam reuocandus in patriam ad Pontificatum duceretur, dolore animi confectum in pace quieuisse, atque in Choro Hamburgensis Ec-* Cap. 20.
D *clesia tumulatum, extructo postea eminenti Sarcophago, cuius inscriptio annorum facit errorem. Nam obitus eius contigit anno nongentesimo quinquagesimosexto, vel circa; sed inscriptio hinc longè discedit. Certum tamen est in pace sine Martyrio quieuisse.* Hæc Cranzius: in quæ tamen irrepsisse mendum apparet, quòd notæ numerorum postpositæ pro 965. reddunt 956. Potuit id facile irrepere, quod diu post obitum Sarcophagus recens, tanto viro extructus, memoriam fefellisset. Ossa tamen eius Romam translata, testatur Diethmarus, de qua translatione & nos in loco.

Potuit nihilominus opinione piorum Benedictus alia ratione Martyr dici,
E quòd à Leone Pseudopontifice, tam dira tamque contumeliosa sit passus, & ipse legitimus Romanæ Ecclesiæ Pontifex, in exilio sit defunctus, vt Sancti Martyres, ijdemque Pontifices Pontianus, atque Martinus. Certe Diethmarus eum iniustè depositum affirmare audet, & propter eum in exilium missum, pestem immissam fatetur. Quanquam ne Othonis nomini nota inureretur, aliam eius Martyrij causam fuisse, quidam prætenderunt, ob quam tanquam verus Martyr Benedictus coleretur.

Mortuo itaque Benedicto, atque etiam Leone sublato, Romani missa ad Othonem legatione, Ioannem Narniensem Episcopum eligunt, Sedique Apostolicæ imponunt, primo die Octobris, feria sexta. Qui cùm maiores IOANN. XIII.

Roma-

Romanorum, elatiore quàm oporteret animo insequeretur, eosdem inimicissimos, & infestos patitur. *Nam ab Vrbis Præfecto, & quodam Rotfredo,* (ô tempora, ô mores) *comprehenditur, & Vrbe expulsus in Campania custodiæ mancipatur.* A

Lib. 2. Chron. Cass. cap. 9. Sic Rhegino. Capuam venisse scribit Leo Ostiensis, & rogatum à Pandulpho Principe, primum Archiepiscopatum in eadem Ciuitate instituisse; consecrato Archiepiscopo Ioanne fratre eiusdem Principis.

POLONORVM CONVERSIO. Hoc eodem anno Poloni vetustiori nomine antiquæ Sarmatiæ accolæ, Slauorum propago, Christo nomen feliciter dantes, Christiano nomine sunt insigniti. Eos ego, quemadmodum & Hungaros, longe ante Christum agnouisse, sed negligentia Pastorum superseminante zizania inimico, iterum defecisse pro certo habeo; cùm alioqui ad Sarmatas antiquitus Christi Euangelium penetrasse veteres Scriptores testati sint, atque inter alios Tertullianus contra Iudæos; quamobrem vinea deserta repastinanda fuit. Quonam autem prædicante Euangelium isti crediderint, multi quærunt. Aiunt verò rerum Polonicarum Scriptores, Mieskonem Principem gentis, cùm septem pellices tanquam vxores teneret, neque ex vlla earum prolem susciperet, orbitatis suæ causam sæpius deplorasse. Ea occasione vsos quosdam viros Catholicos, qui in eius Curia versabantur, suasisse, vt spreto gentili Deorum ritu, in Christum verum Deum crederet, spe certa prolem eius gratia obtenturus. Fuere & viri religiosi eremum incolentes, (quod etiam argumentum est fuisse semper isthic etiam, in media Idololatria Christianos, & veros Dei seruos, quamquam occultos, vel certe paucis notos) qui Catholicorum suasu à Rege accersiti, de Christianis sacris eum edocuerunt, & vnius legitimæ coniugis thorum persuaserunt. B C

MIESKO PRINCEPS POLONIÆ.

Miesko eorum doctrina motus, siue desiderio prolis, siue Deo intus agente, acquieicit, & de cætero instar Cathecumeni dat aures. Eorundem consilio mittit ad Boleslaum Ducem Bohemiæ, vt filiam eius virginem sibi despondeat. Est hic Boleslaus frater, & interfector S. Vvenceslai, filius Vvratislai, quem Drahomira mater à Christo auersa nutriuerat, vt contra Ludouilla, seu Ludmilla auia, Vvenceslaum omni Christiana pietate erudierat. Ea de causa à crudeli nuru interfecta, quemadmodum alibi diximus. Boleslaus & Vvenceslaus vno partu fusi, alter Christi Martyr, alter Gentilis, & tyrannus; sic mater eiusdem, impietate infernum concilians, auia Martyr cælo inserta. Vt tamen iudicium Dei admireris, ex hoc Boleslao natam Polonis salutem, quando filiam suam ea conditione Mieskoni tradidit vxorem, vt ritu gentili abrogato, sacro baptismo expiaretur. D

BOLESLAVS FRATRICIDA.

S. VVENCESLAVS MARTYR.

MIESKO BAPTIZATVR. Hoc igitur anno deducta in Poloniam Dambrouka, (id nomen virgini erat) vno & eodem die Miesko, in præsentia Sponsæ, Bohemorumque Procerum, & baptismum suscepit, & Christiano ritu matrimonium contraxit; ac denique decreto edito, vniuersis Regni incolis, vt Christum baptismo induerent, Idolaque omnia confringerent, edixit; addita seuera cum omnium bonorum confiscatione pœna, ni quamprimum parerent. Promulgato per totum Regnum decreto, septimus dies Martij, Dominicus, lectus est, quo velut decretoria pugna contra Impietatem indicta, omnia Idola certatim, aut confracta, aut dissipata, & in lacus & flumina coniecta sunt, & partim igni tradita, prout cuique in mentem venit: nec erat vlla ætas, aut sexus cuiuscunque conditionis, quæ non primas in feruore pro Christi religione capessenda, & impietate extirpanda E

POLONORVM FERVOR.

A tirpanda ferre optaret. Ita eodem die expugnato diabolo, omnes in Christo renati sunt.

Huius tam præclaræ conuersionis memoriam hodieque recolunt maior pars Poloniæ, gratioso quodam ritu. Nam pueri facto Idolo, aut effigie, vetera sculptilia repræsentãte, illud vel hasta præfixum gestant, vel vehiculo gestatum, ad proximum lacum, seu flumen deferunt, insequente oppidorum, vrbiumque puerili caterua, quibus etiam maiores ex plebe miscentur; certisque vniuersim acclamationibus pergunt, quoad perueniant; tum vero ludicrum onus in aquam demergentes, ac diris deuouentes, concito gradu domum remeant. LVDICRA MEMORIA.

B Porro Miesko à baptismo Mieslaus dictus, mira religione sategit pietatis Christianæ. Ac vt meliori successu pergeret, Romanum Pontificem de omnibus certiorem facit, vnàque petit mitti aliquem, qui in nouella Christi planta religionem, & ritum ordinaret. Quæ vbi accepit Pontifex, stupore simul & gaudio affectus, iuxta illud Isaiæ, *Dices in corde tuo: Quis mihi genuit istos? Ego sterilis, & non pariens, transmigratus & captiuus; & istos quis enutriuit?* continuò decreuit legationem, qua credentem Regem cum populo in Fide stabiliret, solennibus primum Deo gratijs actis. Missus est autem Ægidius Tusculanus, cum authoritate Legati à latere, qui pietate regia & Episcopatus erigeret, & C Sacerdotes, ministrosque reliquos in ijsdem ad omnes erudiendos constitueret. Quot autem initio, & quæ erectæ fuerint Sedes Episcopales, quantaque in ijs fundandis, & dotandis eluxerit Regis pietas, & liberalitas, qui res Polonorum sunt prosecuti, fusè narrant. MIESKO MIESLAVS DICTVS. Isaiæ cap. 49. ÆGIDIVS TVSCVLANVS LEGATVS IN POLONIAM.

Atque hac ratione Polonorum Regnum hactenus obscurum, Christiana religione suscepta, diuinæ lucis radijs illustratum, mox toto orbe cœpit esse conspicuum, zelo & feruenti erga Fidem Catholicam pietate vix vlli cedens; vt non immerito dixerit Baronius, quasi nouum fluuium se immisisse in latum alueum Ecclesiasticorum Annalium, tractationem rerum ad Polonicam Ecclesiam perD tinentium. Omnino autem mireris lector, qua occasione tunc verificatum est, per mulierem fidelem, Principi infideli & Regno salutem esse factam. Ad hæc conducebant olim Regum affinitates, & cognationes; imitando vtinam posteris exemplo citra dolum.

IESV CHRISTI ANNVS 966.	IOANNIS PAPAE XIII. ANNVS 2.	OTHONIS I. IMP. 5. NICEPHORI 4. TOXIS REGIS 18.	Indict. 9.

E

ADelbertus è latebris emergens, vel potius ab Hungaris, ad quos se receperat, re infecta reuersus in Italiam, fauentibus quibusdam, Regium nomen gerere cœpit, iterumque Italiam perturbare. Interim Otho Imperator iniuria Pontifici illata motus, iter ad Vrbem tertiò suscipit; cuius metu, Rotgero Præfecto, qui Ioannem eiecerat, iam vita functo, Romani ipsum è custodia soluunt, & veniam poscentes, in locum, & Sedem reponunt. Antequam Imperator è Germania moueret, Berengarius Bambergæ exul moritur, & Regio more sepelitur; Vuilla coniuge, cùm nondum mariti cadauer humatum esset, ADELBERTVS AB HVNGARIS REVERSVS.

velum sacrum suspiciente. Perculit Adelbertum filium in Italia, mors cari parentis, è cuius infelicitate, vt videbatur, suam calamitatem metiens, humiliores spiritus gerere cœpit, A

HVNGARORVM VARIA CONSILIA. Hungari ex pluribus vltro citroque commeantibus audita Polonorum conuersione, varie de rebus suis cogitare cœperunt, relegentes memoria quid auorum ætas, Caroli Magni studio, pietatis suscepisset; cuius vestigia, duntaxat obtrita, in paucis superessent. Retractabant vnà secum, quàm secundæ res pacis Christianæ forent; bello quoque clariores victoriæ, quibus non semel vires, ac fortunas suas attritas sensissent. Tales erant multorum cogitationes; sed quo minus in apertum consilium deducerentur, plurium obstitere efferata ingenia, B qui Attilæ vestigijs nulla religionis cura insistendum dicebant, & expectandas omnino colonias nouas ex Scythia dictitabant, quarum accessione bellum in Othonem instaurandum esset, & post redditam cladem nationes subiugandæ.

VVANDALORVM CONVERSIO. Mira tamen Dei dispositione hoc eodem anno, & Vvandalia Legatos à Ioáne Pontifice petijt. Nam cùm admonitu quorundam piorum intellexissent Vvandali, quanta Miesko per Romanum Antistitem operatus fuisset, ex seruitute, vt dicebant, Diaboli in libertatem Christi populos suos vendicando, per eundem suæ quoque saluti consultum volebant. Quare Ioannes Pontifex doctissimos C viros misit, Prochorium, Iordanum, Vvillibaldum, Gotfridum, Lucidum, Angelotum, Octauianum, Tulinum: quibus venientibus, ac Christum prædicantibus, turmatim ad flumina, vt baptizarentur confluebant, ac plane eodem modo, quo Poloni Idola confringebant.

QVI PRAEDICATORES APVD VVANDALOS.

Sunt qui velint eandem hanc esse cum priori illa conuersionem, quòd eandem esse dicant Vvandaliam & Poloniam, cuius Monarcha fuit Miesko. Non eandem fuisse tamen diuersa ipsa legatio ostendit. Nec obstat nomine partis interdum vocari totam Prouinciam: nam frequentius Vvandali Slauorum, quàm Polonorum vocabulo audiunt, imò & Polonia interdum Slauonia dicta; & satis D vulgatum Slauoniam in plures amplissimas Prouincias esse diuisam, inter quas numeratur & Vvandalia. Omnes autem istas ad Fidem Christi fuisse conuersas, constat; & quantum ad Vvandalorum præ ertim confirmationem contulerit Otho Imperator, in loco dicturi sumus.

VVANDALI SLAVI.

Indict. 10.	IESV CHRISTI ANNVS 967.	IOANNIS PAP. XIII. ANNVS 3.	OTHONIS I. IMP. 6. NICEPHORI PHOCAE 5. TOXIS REGIS 19.

E

OTHO ROMA IOANNIS VINDEX. Otho postquam in fine superioris anni Romam venisset, & Natalem Domini ibidem celebrasset, hostes Ioannis Pontificis ad supplicium de eis sumendum perquiri iussit. Cadauer in primis Rotfredi Præfecti exhumatum, & in diuersa loca dissipatum, pœnam perduellionis ostendit. Deinde Præfectus, qui successerat, nudatus, & asino impositus, vtreque redimitus, ad ludibrium circumductus, virgis cæsus, denique carceri traditus est. Postea pulsi Consules ex Italia. Tandem & Tribuni suspendio necati. Ita iudicauit sanctus Im-

A Imperator iniuriam Romani Pontificis à perduellionis reis illatam vlcisci. Hæc fere ex Auctario ad Anastasium. Exprobrauit autem aliquando Nicephorus Orientis Imperator, hanc Othoni sæuitiam: *Romanorum*, inquit, *alios gladio, alios suspendio interemit, oculis alios priuauit, exilio alios relegauit, & Imperij nostri Ciuitates homicidio, aut incendio sibi subdere tentauit.* Quem tamen redarguit Luitprandus Othonis Legatus.

Post hæc, Otho vnà cum Ioanne Pontifice Rauennam Profectus, Synodo illic celebratæ interfuit, eidemque Vrbem, & terram Rauennatium, aliaque complura, multis retro temporibus Romanis Pontificibus ablata restituit, lætumque B Romam remisit. Quæ tamen restitutio, confirmatio rectiùs dicitur. Nam omnia iam ante, cùm à Ioanne Duodecimo coronatus esset, restituerat diplomate in rem dato.

Pontifex Romam reuersus, Imperatorem ad celebrandum secum diem natalis inuitat; qui antequam accedat, filium Othonem è Germania euocat, à Ioanne Pontifice coronandum: quod & factum est. Dissentiunt tamen Scriptores, hoc, an sequenti anno eadem coronatio contigerit, quibusdam in superiorem annum referentibus. OTHONIS FILIUS CORONATUR.

C

IESV CHRISTI ANNVS 968.	IOANNIS PAP. XIII. ANNVS 4.	OTHONIS I. IMP. 7. NICEPHORI PHOCÆ 6. TOXIS REGIS 20.	Indict. 11.

OTho Luitprandum Cremonensem Episcopum Legatum mittit Constantinopolim ad Nicephorum Phocam Imperatorem, causa nuptiarum inter Othonem filium, & Annam Romani filiam, Nicephori priuignam. Ob eandem causam Ioannes quoque Pontifex ad eundem, suam direxit legationem. Spreuit hanc Nicephorus, & suum in Romanam Ecclesiam odium patefecit: sed etiam Othoni se infensum præbuit, quòd hic Imperatorem se nominaret; quòd Ioannes Pontifex Othonem iuniorem, Imperatorem futurum coronasset; quemadmodum alij Romani Pontifices, alijs fecere Regibus Occidentalibus, supremam ijs Imperij dignitatem, & nomen conferentes. Multò verò magis in Othonem seniorem commotus, quòd Principes Beneuentanum, Capuanum, nec non etiam Salernitanum, à se Nicephoro diuulsos, in suam tutelam recepisset. Plura quæ huc spectant, iucunda sane & lepida lectu de Luitprandi legatione ex eodem petenda sunt; nihil enim per dies singulos prætermisit; quæ ad Græcorum mores noscendos apprimè spectant. OTHONIS LEGATIO CONSTANTINOPOLIM. NICEPHORI SVPERBIA.

D (beside "ter Othonem filium") · E (beside "pisset")

Idem autem est Luitprandus Cremonæ iam factus Episcopus, qui & Diaconus antea Ticinensis, iterum legatione Constantinopolitana functus: primum ad Constantinum pro Berengario; modò ad Nicephorum Phocam pro Othone Imperatore & filio.

Ad hunc annum videtur etiam reducendum, quod idem Luitprandus, in suæ legationis narratione Constantinopoli perscribit ad Othonem Imperatorem, in contemptum Nicephori Phocæ; à trecentis duntaxat Hungaris iuxta

Thessalonicam, quingentos Græcorum fuisse comprehensos, & in Hungariam abductos. Qui successus impulit deinde ducentos Hungarorum alios, haud longe Constantinopoli in Macedonia, similia tentare. Ex quibus cùm incautè per angusta viarum redirent, contigit quadraginta capi. *Quos tamen Nicephorus è custodia eductos, & preciosissimis vestibus ornatos*, inquit Luitprandus, *sibi patronos, ac defensores parauit, secum in Assyrios ducens*. Ex his ridiculè æstimat vires Nicephori, bella & excidium Othoni potentissimo Imperatori minantis, vt qui militiæ suæ robur ex quadraginta Hungaris legerit: nec præter hos, meliores in exercitu habuerit Veneticis, & Amalphitanis; adeoque cæteros non homines, sed hominibus similes ioco, an seriò, ac probro dixerit. Non desitit interea Nicephorus de Hungaris, si qua posset, vindictam sumere: sed in primis contra Bulgaros Sphendoschlabum Rossorum Principem concitare, quòd Hungaros Istrum transmittere, & Romanas Prouincias infestare permisissent. Scripserat paulò ante Nicephorus Bulgariæ Regi, quò Hungaros contineret: verùm illo recusante, quòd Nicephorus sibi quoque auxilia negasset, cùm ab ipsis inuaderetur, hominem irritauit. Aiebat Bulgariæ Princeps, se Nicephori causa cum Hungaris pacem facere coactum, proinde è re non esse, vt fœdus abrumpat, & armis sumptis bellum suscipiat, cuius rationem reddere non possit. Turbauit repulsa Nicephorum, ideo Calocyrum Chersonis Principis filium, ad Sphendoschlabum contra Bulgaros concitandum ablegauit. Quo euentu bellatum sit, in Ioanne Zemisce Nicephori successore dicturi sumus.

Interim non est omittendum, Bulgaros, & ante & post suam conuersionem, necessitudine quadam Hungaris fuisse deuinctos: vt hoc ipsum habitu quoque & oris cultu persimili testarentur. Quod etiam ex literis Luitprandi ad Othonem datis colligitur, quibus habitum nuncij Bulgarorum, Hungarico more attonsi describit; eumque sibi in conuiuio Nicephori prælatum conqueritur, prætextu scilicet affinitatis Regis Bulgarorum: de qua alibi diximus. Qua tamen deinde spreta, quòd Hungarorum amicitiam suæ prætulissent, bellum, vt vidimus, contra instaurauit.

Indict. 12.

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAP. XIII. ANNVS	OTHONIS I. IMP. 8. NICEPHRI PHOCAE 7. TOXIS REG. 21.
969.	5.	

NICEPHORI PERFIDIA.

Nicephorus ad Othonem legationem fraude mittit, falso nuptiarum neptis suæ (alijs priuignæ) cum Othone iuniore prætextu, vt nuptijs occupatum, & imparatum bello superaret: quod re ipsa euenit, multis trucidatis, cùm ad excipiendam in condicto loco sponsam phalerati magis, quàm armati accessissent: sed non impune tulerunt. Otho quippe Imperator rei indignitate permotus, illico misit, qui vlciscerentur: & innumeris Græcorum cæsis, multos captos, truncatis naribus ad Nicephorum remisit: Calabriæ præterea, & Apuliæ imposito tributo, victoria illustri miles, & spolijs ditatus ad Imperatorem reuersus est. *Vvitichindus*.

NICEPHORVS A SVIS INTERFECTVS.

A Ea de causa motus Constantinopolitanus populus, in perfidum Imperatorem consurrexit, & machinatione coniugis, injiciente manus Ioanne Zemisce, sustulit; eundemque Ioannem Imperatorē faustis acclamationibus constituit. Ita luit, qui primordia sui Imperij immortalitati feliciter consecrarat: sed posteà desertor factus, & ipse à Deo desertus est. Zemisces perfidiam Nicephori emendaturus, continuò facto exercitu, paratisque præclaris muneribus, misit Theophanem puellam Othonis filio desponsandam. Quæ Romæ splendidè excepta, à Ioanne Pontifice coronata est Imperatrix, vnaque sacris ritibus Othoni Iuniori coniuncta. Verùm hæ nuptiæ non ante sequentem annum celebrari potuerunt; B quando mors Nicephori, in vndecimum hoc anno, diem Decembris, vt Curopalates notat, contigit: incidit is dies in Sabbatum.

Sigebertus. Curopalates.

Hoc eodem anno Saraceni, quòd à Nicephoro prælio victi essent, post expugnatas in Syria, & Cilicia Vrbes, Ioannem Archiepiscopum Hierosolymitanum viuum comburunt, eius suasu existimantes Imperatorem contra se motum. Interfecerunt & Christophorum Antiochiæ Archiepiscopum. Denique insignis structuræ Dominici Sepulchri Templum flammis tradiderunt.

SARACENORVM CRVDELITAS. *Curopalates.*

Hoc denique anno contigit Romæ miraculum illud Vinculorum S. Petri Principis Apostolorum, quod primo die Augusti Ecclesia ab eo tempore solen- C niter celebrare consueuit. De quo hæc Sigebertus. *Quidam Comes Othonis Imperatoris, eius familiaris, Romæ ante oculos omnium à Diabolo arreptus, ita vt seipsum dentibus discerperet, iussu Imperatoris ad Ioannem Papam adductus, vt catena S. Petri collo eius circundaretur. Dum à fallacibus Clericis semel & bis, sed alia catena furenti adhiberetur, nec quidquam remedij proueniret, vbi nihil virtutis inerat; tandem vera S. Petri Catena allata, & collo furentis circundata, Diabolus spumans, & multum clamans abscessit. Quæ Catena Theodoricus Metensis Episcopus arrepta, cùm diceret, se eam nisi manu abscissa non dimissurum, tandem Imperator sedato litigio, à Papa Ioanne obtinuit, vt anulum huius Catenæ excerptum Episcopus mereretur.*

MIRACVLVM VINCVLORVM S. PETRI

D Hæc Sigebertus. Idem vero Episcopus cùm triennium in Italica expeditione esset, innumeras ex singulis Ciuitatibus sanctorum Reliquias tulit, quibus Galliam ditauit. De ijsdem Sigebertus ad hunc eundem annum, earum catalogum recensens; in quo & Luciam Syracusanam Virginem, & Martyrem illustrem, Corfinio, quod Pelignorum Metropolis est, acceptam memorat; quam olim Foroaldus Spoletanorū Dux Syracusis illuc trāstulerat. De qua re pluribus egimus in Historicis Martyrologij Romani notationibus. Habemus quippe ex vetusto Petri Diaconi manuscripto, Sicilia à Saracenis oppressa, Maniacem Constanrinopoli huc cum exercitu directum, victoriam de illis reportasse, & E sublatis sanctarum Virginum & Martyrum Agathæ & Luciæ corporibus, Constantinopolim reuertisse. Quo autem modo postea S. Luciæ Reliquiæ Venetias appulerint, ibidem narramus. Rectè autem hoc loco monet Baronius: *Cùm audies translata corpora, ita accipias, vt partem ex illis acceperint, non ipsa integra, vt in dictis locis, quæ adhuc visuntur, atque coluntur, dictorum Martyrum Reliquiæ* (de quibus nimirum loquitur Sigebertus) *fidem faciunt haud dubiam.*

A

IESV CHRISTI ANNVS 970.	IOANNIS PAP. XIII. ANNVS 6.	OTHONIS I. IMP. 9. IOANNIS ZEMISCIS IMP. I. TOXIS 22.

Indict. 13.

IN Polonia feruet religio Christiana, Proceribus Ducem suum imitantibus. Ibi tum cœptum creditur, quod deinde ad alias circa nationes laudanda consuetudine manauit; vt dum sacrum in Ecclesijs legeretur Euangelium, erigentes se in pedes, qui audiebant, manum ad capulum ensis mitterent, eoque dimidia parte educto, testarentur se pro defendendo Euangelio, si res ferat, paratos mori, iterumque Sacerdote lectionem prosequente reconderent: qui tamen mos successu temporis paulatim incuria, aut tempore abolitus est. B

POLONORVM IN AVDIENDO EVANGELIO ZELVS.

Porro consuetudo erigendi se in pedes, dum legitur, aut cantatur Euangelium, antiquior longe est, vt deducitur ex Constitutionibus Apostolicis, apud Clementem; ita tamen vt aliquantum incuruatis ceruicibus, magno silentio audirent, qui adessent, Euangelium. In eandem sententiam extat Decretum Anastasij Pontificis ad omnes Germaniæ, & Burgundiæ Episcopos, in hæc verba. C *Significastis quosdam in Ecclesia, quando leguntur Euangelia, sedere*. Et paulò post. *Quod nullatenus deinceps fieri authoritate Apostolica mandamus: sed dum sancta Euangelia in Ecclesia recitantur, Sacerdotes & cæteri omnes præsentes, non sedentes, sed venerabiliter curui in conspectu sancti Euangelij stantes, Dominica verba intente audiant, & fideliter adorent*. Hæc ibi: nedum vero stantes lectionem Euangelij subauscultare decretum erat, sed & prædicationes olim; siquidem populus stabat dum verbum Dei prædicabatur, vt colligere licet ex S. Augustino.

Lib. 2. cap. 61.

De consecr. dist. 1. Apostolica.

EVANGELIVM QVO SITV AVDIENDVM.

Lib. 50. hom. 50.

Sed, ò tempora, ò mores! hodie nedum hora prædicationis, sed ne lectionis quidem Euangelij stamus, sed penitus desides sedemus, aut geniculantes pigri, D humi hæremus, quàm ferueat in animis religio, situ corporis præferimus; atque vtinam, vel sic auscultaremus, & non garriendo, sacrum mysterium extraheremus. Hoc, si de melioribus, quid de ijs, qui toto sacræ Missæ officio, stantes quidem persistunt, sed vix aliquando genu flectentes, quam erga sacra reuerentiam gerunt, ostendunt; Atque vtinam non otiosis confabulationibus plus intenti, quàm Sacerdotis actioni. De auditione prædicationis non est quod dicamus; rari enim sunt, qui stantes audiant; rariores, qui intersint; plerique verò sedentes adsunt, vtinam non dormientes & somniantes longe positi. Hæc pro re nata. E

TOXIS OBITVS.

Hoc anno Toxis, postquam rem Hungarorum annos fere duos supra viginti, varia fortuna, Ducis perinde, ac Regis appellatione gessisset, multis præclaris facinoribus illustris è vita migrauit, filio Geysa in spem successionis relicto. Qui etsi Regno maturus nonnisi post quadriennium subrogatus est, fluctuantibus interea Hungarorum votis, an expediret magis Optimatum consilio Rempublicam regere, an sub vnius Principatu Regni Monarchiam formare. Obuersabantur hinc Christianorum Regum exempla, illinc reuocata in mentem pristini dominatus imagine, qua maiores sui postremùm è Scythia exciti, septem primorum ductu, quos Capitaneos dixerunt, Pannoniam obtinuerunt.

Inte-

A Interim vero Geysa, merito parentis defuncti, specie quadam honoris anteibat, ac paulatim indole sua spectabili, gubernantis authoritatem præferebat.

IESV CHRISTI ANNVS 971.	IOANNIS PAP. XIII. ANNVS 7.	OTHONIS I. IMP. 10. IOANNIS ZEMISCIS IMP. 2. GEYSAE 1.	Indict. 14.

B

OTho Imperator Parthenopolim, quæ Ciuitas Magdeburgi est, super ripam Albiæ fluminis condit, eamque subiugatis & Christianæ Fidei conciliatis Slauorum gentibus, Metropolim constituit, & mox primum Episcopum authoritate Ioannis Pontificis Sanctum Adelbertum dedit. Hic diuersus est ab illo Adelberto Pragensi in Bohemia Episcopo, de quo nobis longior in loco sermo erit; diuersus etiam ab alio Rugorum Episcopo: Quod placuit semel monere, non pauci enim primum, præsertim seniorem, cum Adelberto Pragensi, & iuniore perperam confundunt. OTHO IMP. MAGDEBVRGVM CONDIT. S. ADELBERT. MAGDEBVRGENSIS.

C Ad nostros porro Annales non parum refert cognoscere, quidnam Prouinciæ sit Slauonia, id quod ex Adamo veteri Chronographo damus. Sic verò iste. *Slauonia amplissima Germaniæ Prouincia à Vinculis incolitur, qui olim dicti sunt Vvandali. Decies maior esse quam nostra Saxonia fertur; præsertim si Bohemiam, & eos qui trans Odderam sunt Polonos, quia nec habitu, nec lingua discrepant, in partem adieceris Slauoniæ. Hæc autem regio cùm sit armis, viris, frugibus, opulentissima. firmis vndique saltuum &, fluminum terminis clauditur. Eius latitudo est à Meridie ad Boream, hoc est, ab Albia fluuio, vsque ad mare Scythicum: longitudo autem illa videtur, quæ initium habet à nostra Hamburgensi parochia, & porrigitur in Orien-* Lib. 1. cap. 10 al. cap. 64. SLAVONIA.

D *tem, infinitis aucta spatijs vsque ad Beguariam*, Vngriam, & Graciam. Populi Slauorum multi, quorum primi sunt ab Occidente confines Transalbianis, Vagri; eorum Ciuitas Aldenburg maritima: Deinde sequuntur Obotriti, qui nomine Keregi, vocantur, & Ciuitas eorum Magnopolis: Item versus nos Polabingi, quorum Ciuitas Razisburg: Vltro illos sunt Lingones & Varnabi: Mox habitant Chyrini, & Circipani, quos à Tolosantibus & Rheteris separant fluuius Panis, & Ciuitas Dymin: ibi est terminus Hamburgensis Parochiæ.* * al. Bulgariã Vngariam.

Sunt & alij Slauorum populi, qui inter Albiam & Odderam degunt, sicut Heleldi, qui iuxta Haloam, siue Hailam fluuium; & Doxani, Leubuzi, Vilini, & Stoderani, cum multis alijs: inter quos medij, & potentissimi omnium sunt Rhetarij: Ciuitas eorum vulgatissima Rethre, sedes Idololatriæ. Templum ibi magnum constructum est dæmonibus, quorum Princeps Redigast: simulacrum eius auro, lectus ostro paratus. Ciuitas ipsa nouem partes habet vndique lacu profundo inclusa: pons ligneus transitum præbet, per quem tantùm sacrificantibus, aut responsa petentibus via conceditur; hanc eo significante causam, quòd perditas animas eorum, qui Idolis seruiant, congrue nouies Styx interfusa coercet. Ad templum ferunt à Ciuitate Hamburg iter esse quatuor dierum. Hæc & plura alia dictus Author, & quædam admiranda de nobilissima Ciuitate Iulini ad Ostium fluminis Odderæ, quà Scythicas paludes alluit, memorat. Sed hæc pro re nostra satis. RHEDARII. E

Hoc

VICTORIA ZEMISCIS. Hoc eodem anno Ioannes Zemisces Orientis Imperator insignem de Rossis, Bulgaris, Scythis, & Turcis, & alijs barbaris reportauit victoriam, capto Rege Bulgarorum Borise, cum vxore & liberis. Miraculo partam hanc gloriam describit Curopalates, Zonaras, Cedrenus, & alij, quòd pauci aduersus trecenta & triginta barbarorum millia pugnarint, quòd Theodorus Martyr, quem Ioannes religiosè colebat, pugnæ adesse visus fuerit, equo albo vectus, idque per visum nobili cuidam Bizantinæ, Deipara Virgo Theodorum in auxilium mittens confirmauit. Contigit die Georgio Martyri dicato, feria Dominica. cui etiam in parte tanta felicitas accepta lata fuit. Tum primaria Ciuitas Bulgarorum Parasthlaba expugnata nomen mutauit, & Ioannopolis dicta est, & Bulgarorum Regnum extinctum. A B

EIVS ZEMISCIS TRIVMPHVS. Insignis etiam fuit ob eam victoriam Ioannis triumphus Constantinopolim reuertentis; quòd curru admodum decoro, ad hunc finem parato, ingredi ipse nollet; sed impositis Bulgarorum preciosis spolijs, Dei Genitricis, Ciuitatis Patronæ, Imaginem decenter superpositam præire vellet. In loco autem, qui Forum Placotum dicebatur, publice Sanctissimæ Trinitati gratias agens, Borise Regem Bulgarorum Insignibus Imperij sui, aurea nempe corona, & tiara ex byssino filo contexta, denique purpureis calceamentis exuit: inde ad Magnũ Templum profectus, coronam Deo dicauit, Borisem tamen ad Magistrorum dignitatem promouit. Mox Templum super æream apsidem nouum construxit, nulli sumptui parcens, aut ornamento. Remisit etiam tributum, quod Capnium dicebatur, quia pro singulis fumarijs, seu caminis pendebatur: denique imperauit, vt numisma aureum, & merum, immo & obolus, Saluatoris Imaginem, quod hactenus factum non fuerat, & ex altera parte, hoc Symbolum, CHRISTVS REX REGVM, exhiberet. Id etiam consequentes seruauere Imperatores. C

An hæc eadem sit victoria cum Antiochena, dubitari potest. Idem Authores Curopalates, Cedrenus, & alij, tradunt Ioannem Imperatorem Saracenos suis omnibus vndique comparatis viribus obsidentes Antiochiam, profligasse, & Roxolanos, seu Russos, aliorum barbarorũ copijs præsidentes, exercituque trecentorum & octo millium militum pollentes, æquo Marte deleuisse: vbi tamen nulla, vel confusa Bulgarorum cum Rege suo Borise memoria. Sed neque fuisse bellum Zemisci cum Bulgaris, ex Zonara licet affirmare; quando Parasthlaba expugnata, quò Rossi confugerant, captoque illic Borise Rege Bulgarorum, hunc Zimisces cum omnibus Bulgaris humaniter tractatum dimiserit, negans se Bulgaris intulisse bellum, sed Rossis. Verùm sui iuris esse duxit Zemisces, exemptum potestati Russorum Borisem, ijs debellatis in suas partes asserere. Nam non ita pridem Rossi, Bulgarorum natione, & Prouincia subacta, vnà cum Ducibus Borise & Romano, *obliti patriæ*, vt inquit Zonaras, *illic Imperij sedem constituere voluerunt*. Horum malorum fontem fuisse Nicephorum superiùs ostendimus. D E

Ad ann. 968.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS 972.	DONI PAPAE ANNVS 1.	OTHONIS I. IMP. 11. ZEMISCIS IMP. 3. GEYSAE 2.	Indict. 15.

IOannes Papa cùm præfuisset Ecclesiæ annos sex, & menses vndecim, dies quinque, migrauit hoc anno, sexto Septembris, feria quinta. Successit Donus, alijs Domnus, vel Domnio, Romanus, die vigesima eiusdem mensis, feria quinta; sed vix tribus mensibus expletis, obijt decimanona Decembris, feria quarta. Quæ proinde in tam breui Pontificatu gessit, mansere obscura. Die sequenti subrogatus est Benedictus, filius Hildebrandi, Romanus, dictus Sextus. Errant quidam recentiores, qui hunc Ioanni, Domno haud nominato, illico successisse putant, nec recte rationes annorum ducunt, in annum Domini nongentesimum septuagesimum quartum initium Pontificatus Benedicti conijcientes. IOANNIS PP. OBITVS. B DONVS PAPA. BENEDICTVS PAPA.

C

IESV CHRISTI ANNVS 973.	BENEDICTI PAPAE VI. ANNVS 1.	OTHONIS I. IMP. 12. ZEMISCIS IMP. 4. GEYSAE 3.	Indict. 1.

OTho Imperator Romanorum, *Rex gentium, diuinarum, humanarũque rerum, multa religiosa seculis relinquens monumenta, defunctus est hoc anno Nonis Maij, feria quarta ante Pentecostem, in loco qui dicitur Mileuus**, vt inquit Vviticindus, Eadem porro, quæ de morte eius habet Vvitichindus, narrat etiam Diethmarus, & ex verbo Cranzius. Inter alia tamen addit Diethmarus, *Nullum post Carolum Magnum fuisse inuentum dignũ Imperatorem præter Othonem*. Quæ porro sinistra scribit de morte Othonis, Petrus Damiani ad Desiderium Abbatem, merito in dubium vocantur à Baronio, & à viris cordatis, falsitatis arguuntur. Sed etiam Damianus ipse, veritus ne falsa scriberet; errorem deprecatur. Constat enim ex fide dignis Scriptoribus eius temporis, Othonem, vt Vvitichindus loquitur, *Expetito Sacramento Diuini Corporis & Sanguinis, & accepto, sine gemitu cum magna tranquillitate vltimum spiritum, cum Diuinis officijs pietatis, Creatori omnium tradidiße*. Plura alia de eo scribunt, quæ plane ad sanctitatis laudem conferunt, & ab ijs quæ Petrus Damiani vno seculo post ex auditu prodidit, nomen Othonis liberant. Et si excipias, quæ in Bernhardum Halberstatensem Episcopum, nimia potius religione, quam iniquitate animi admisit, sed mox in se reuersus, petita venia sanctiori consilio pensauit: quam obseruans religionis & pietatis; quam studiosus propagandæ inter gentes Fidei; quam tenax recti in toto Imperio; quam munificus & liberalis in Ecclesijs decorandis, & exaltandis, Romana ipsa super omnes alias testatur Ecclesia, quæ tot victorias contra hostes, & Ecclesiæ persecutores obtentas, tanti Imperatoris religioni meritò tribuit.

OTHONIS IMP. OBITVS. Lib. 3. in fin. D *al. Mimeliebe. Lib. 3. cap. 31. E Crantz. lib. 9. Metrop. cap 10.

Ad

Ad hunc eundem annum notat Baronius obitum Vuilhelmi Archiepiscopi Moguntini, filij Othonis Imperatoris, ex Edgitha Edmundi Regis Anglorum filia, prima coniuge. Verùm ex Bauaorrum historia, apud Nicolaum Serarium conijciendus est in annum huius seculi sexagesimumoctauum, duodecim diebus antequam Sancta Mathildis auia migrasset. Venerat is ad hanc decumbentem, vt visitaret obituram, nescius post se victuram. Quem beata mulier vultu hilari suscepit, & post nonnulla peccatorum confessionem faciens, ab eodem Indulgentiam consecuta est. Mox Archiepiscopus sacris operatus iterum aduisit, & post datū Corporis & Sanguinis Domini viaticum, oleo sacrato inungit. Exinde triduum apud ipsam manens, cùm resolutionem differri animaduertisset, spe concepta, licentiam obeundi petijt. Quærebat Mathildis à suis, num aliquid superesset, quod Archiepiscopo, memoriæ gratia dari posset. Responsum est esse pallium, quod suo funeri ipsa iussisset asseruari. Tum illa, *date id nostro nepoti in pignus amoris: prius enim efferendus, & longum iter facturus eo indigebit*. Suscepto pallio gratias agens, & ei benedicens Archiepiscopus; secreto iussit vnum ex suis Clericis remanere, qui, si mori eam accidisset, statim ab itinere reuocasset, auiæ iusta facturum. Sentit illa, ac se erigens, *tecum*, inquit, *pergat, mi Archiepiscope, clericus tuus, tibi magis opportune ministraturus*. Quid multa? recessit Vuilhelmus; nec multo post vbi in castrum Radulueroth peruenisset, sumpta medicinali potione, repentina morte extinctus est. Eadem hora Mathildis ingemiscens, ad astantes inquit, *Filius meus Vvilhelmus, proh dolor, expirans memoria indiget salutari*; ac vt pietatis officijs consuleretur mandauit. Ita veram fuisse mulieris sanctæ prædictionem euentus probauit. Quæ duodecim post dies, nimirum decimaquarta Martij in Sabbato, prima hebdomade Quadragesimæ, vita excessit; vere fœmina sanctissima, cuius ad dictum diem meminit Martyrologium Romanum hoc elogio. *Halberstati in Germania dormitio beatæ Mathildis Reginæ, matris Othonis Primi Imperatoris, humilitate & patientia celebris*: de qua nos plura in nostris notationibus.

Lib. 4. Moguntiacarum rerū.

A B C D

Defuncto Othone, filius eius iunior Otho solus cœpit imperare, qui cum Patre annum sextum inchoauerat. Huius prima cura fuit Imperium cum religione extendere, & si qua ratione posset, Hungaros ad auitam Fidem reuocare; quòd præsertim intellexisset, Ducem illorum Geysam virum prudentem, pacis quàm belli post tot clades amantiorem.

Indict. 2.	IESV CHRISTI ANNVS 974.	BENEDICTI PAP. VI. ANNVS 2.	OTHONIS II. IMP. 1. ZEMISCIS IMP. 5. GEYSAE 4.

E

BENEDICTVS PAPA STRANGVLATVS.

Benedictus Sextus, post annum Pontificatus vnum, menses tres, & dies aliquot, à Bonifacio quodam, cognomento Francone Romano, Ferrutij filio, Diacono Cardinale scelestissimo viro, violenta manu captus, & in carcerem detrusus, tandem strangulatus est. Ipse verò Sedem Apostolicam inuadens, tenuit annum vnum & mensem, dictus Bonifacius Septimus. Cæterùm, quia tyrannus, ab antiquioribus non numeratur inter Romanos Pontifices, vt

Lib. 2.

patet

A patet ex Leone Ostiensi, qui post Benedictum Sextum, Benedictum Septimum censet.

Geysa, Toxis filius, de quo iam sæpius dictum, hoc anno censetur Pannoniam, nondum Regni forma constitutam, hæreditario iure, sed consensu omnium suscepisse. Nam quia meminissent primos illos septenos Duces, quorum auspicijs olim Pannoniam subiugarant, laudum suarum prædicatione, reliquæ nobilitati plurimum obsuisse; ea fere de causa maluerunt vni subesse, quem virtutis singulorum æstimatorem fore duxissent, quàm plurium, vt rebantur, inuidia, suam premi ambitionem. Haud è Politicorum sententia secum retra-B ctantes, an expediret plurium magistratum tempore limitatum, perpetuo vnius dubioque Principatui præoptare. Ioan. Thur. in Chron. cap. 9.

Porro Geysa voto omnium lectus, ipso statim Regni initio tot clades à suis per plura secula modò illatas, modò acceptas, secum reputans, animaduertit, nihil esse melius, quàm pace, & tranquillitate frui, & malum quod sibi quisque naturæ ductu fieri nollet, alteri etiam non inferre. Hinc factum, vt mentem in religionem diligentius intendens, iustitiam apprime coleret Numæ Pompilij more. Nec defuit cælestis lux, quæ in obsequentem animum penitius se infundens, tandem discussis tenebris perfecte illuminaret, vt in consequentibus C dicemus.

IESV CHRISTI ANNVS	BENEDICTI PAP. VII. ANNVS	OTHONIS II. IMP. 2. IOANNIS ZEMISCIS 6. GEYSAE 5.	Indict. 4.
975.	1.		

BEnedictus Romanus ex Albericis prouueniens, Bonifacium cedere cogit. Qui antequam decederet, Basilicam Vaticanam omnibus ornamentis D spoliauit, & Constantinopolim migrauit; Eo liberata Romana Ecclesia, Benedictum ex Sutrino Episcopo, in Romanum Pontificem adsciscit. BENEDICTVS PAPA.

Geysa adhuc Paganismi erroribus implicitus, salutaria tamē animo meditatur; & dum plura versat, diuina gratia illustrante, percipit Christianos plerunque esse, qui pacem amarent, à Magistro nempe suo doctos, qui dixisset, *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*. Exinde consilium cepit, quonam pacto Christianos admitteret, vt eorum conuersatione, Hungaros trucem adhuc feramque gentem, ac bello obnoxiam emolliret, necnon ab institutis maiorum, & E belli amore auersos, paulatim ad mansuetudinem, verumque Dei cultum traduceret; non ignorans, Hungaros quamcumque opinionem admisissent, constantissime retenturos: vnde si facere posset, vt Christianam Fidem amplecterentur, eam quoque sibi persuadebat, haud facile deserturos. Ita ille secum, sed nondum publicè deliberabat, donec tempora consilium maturarent; interea Deo, qui piam cogitationem animo hominis iniecit, fouente continuo studium conceptæ religionis, & nouis nouisque stimulis paulatim inflectente. GEYSA CHRISTIANIS FAVET.

Hoc eodem anno Ioannes Zemisces Orientis Imperator, cùm in Syriaca expeditione occuparetur, iamque victor Damascum peruenisset, veneno potatus, IOANNIS ZEMISCIS OBITVS.

æger

æger Constantinopolim peruenit, & magno reipublicæ damno extinctus est, A
quarta die mensis Decembris in Sabbato; eodemque diem successerunt filij Romani iunioris; Basilius natu maior annum agens vigesimum, Constantinus iunior septimum supra decimum. Qui illico à pietate auspicati sunt, reuocata matre Theophana, atque in solium, è quo deiecta fuerat, restituta. Zonaras Basilio vicenos, Constantino duos insuper tribuit annos; nisi hi potius tribuendi sunt Basilio, qui à plerisque, solus imperasse censetur, adhibito Constantino fratre tanquam collega.

B

Indict. 4.

IESV CHRISTI ANNVS	BENEDICTI PAP. VII. ANNVS	OTHONIS II. IMP. 3. BASILII ET CONST. IMPP. 1.
976.	2.	GEYSAE 6.

GEYSA PRIVATIM CONCIPIT.

Geysa pijs cogitationibus seipsum lactans, repetebat animo iam olim à Carolo Magno sanctæ religionis fundamenta iacta, eo decedente non multos post annos rebellione fuisse pene subruta, & si quæ vestigia remansissent in tanta feritate, vix potuisse agnosci; quando etiã nonnulli diuinitus inspirati, quæ de vera religione sensissent profiteri publicè non audebant. Quippe deprehensi, aut ludibrio habebantur, aut profani reputabantur, quasi Deorũ patriorum contemptores, & peregrinarum superstitionum sectatores. Quæ inter, non cessabat rempublicam administrare; seuerè quidem, vt vulgi opinioni concederet, non solum erga suos, sed etiam aduersus finitimos se gerens, vel qui negotiandi causa confluxissent; ita tamen, vt cum Christianis ageret mitiùs, in dies magis ac magis cognita eorum modestia, in mores inclinans, nihil vt à suis in eos iniquè actum vellet, seuere, & potenter puniens, si quis eis nocuisset. C D

Hoc eodem anno, imperante in Oriente Basilio cum Constantino, penes Basilium Præfectum vigilum, seu vt alij scribunt, Cubicularium, Ioannis Imperatoris interfectorem, summa erat authoritas, conniuente Basilio Imperatore, quòd ætati suæ nondum satis fideret, & libenter, ceu præceptori auscultaret. Hic Bardam Sclerum, militiæ Ducem, suspectum habens, specie honestæ legationis Mesopotamiæ Ducem designat. Verùm id Bardas iniquo animo ferens, consilio suorum militum Imperatoris nomen vsurpar, & Insignia sibi vendicat. *Confisus*, inquit Curopolates, *cuiusdam Monachi huiusmodi vaticinio, quod per quietem ita fuerat patefactum. Videbatur enim sibi videre homines igneos, qui Bardam assumptum in quandam celsissimam speculam abducerent, ibique occurrere se mulieri humana specie insigniori, quæ sibi regium flagellum traderet.* Hoc flagellum Bardas symbolum existimabat Imperij; sed reuersa contra Romanos erat diuina ira; *Romanorum*, vt ait Zonaras, *ex intestinis bellis interitum significans*. Et quidem Bardas magna Imperium Orientale calamitate affecit, neque tamen Imperium consecutus est. E

BARDAS SCLERUS IMPERIUM AFFECTAT.

Quæ iccirco attulimus, vt sciatur ea occasione, cùm præsertim Ioannis Imperatoris interitus passim innotuisset, magnum Bulgaros facessiuisse negotium Orientis Imperio; donec tandem varijs cladibus acceptis, deuicti Basilio

subde-

A subderentur. Hinc enimuero non minima extitit occasio Geysæ frænandi Hungaros,& ad quietem mansuetudinemque Christianam inducendi,quorum consilia perspecta erant de ineunda cum Bulgaris societate,mutuisque copijs inuadendo Imperio Constantinopolitano, fauentiori,vt rebantur,fortuna, quàm hactenus in vastando Occidentis Imperio successisset. Subibat vnà animum, Bulgaros magna quidem ex parte Christianos, sed sæpius contempta religione bella mouentes, iusto Dei iudicio luisse; vt hinc quoque timor in officio refugas contineret.

B

IESV CHRISTI ANNVS	BENEDICTI PAP. VII. ANNVS	OTHONIS II. IMP. 4. BASILII, ET CONSTANT. 2. GEYSAE 7.	Indict. 5.
977.	3.		

HOc anno Benedictus Papa, Ecclesiam S.Bonifacij; quæ hodie Alexij vocatur, in monte Auentino, Sergio Damasci Episcopo tradidit colendam. Venerat is Romam biennio ante, relicta sua Sede, immo à Saracenis C Damasco eiectus, quòd hi diffiderent Christianis Damasci habitantibus,cauentes, ne Ioannem Imperatorem tradita vrbe admitterent. Romæ verò à Benedicto benignè exceptus, cùm Bonifacij, & Alexij Basilicam *Sacerdotalibus*,vt inquit Petrus Damiani, *pene officijs destitutam reperisset,Benedictum adijt, atque vt se monasterialem ibi permitteret regulam constituere,precibus impetrauit*. Hæc Damiani. Hoc ergo anno ingressus Monachos collegit, & obseruantia monastica restituta, post annos quatuor sancto fine quieuit. (In Epist.ad Nicol.Papam.)

Placuit hæc memorare, nam S. Adelbertus, quem plerique Hungarorum Apostolum vocant; non multis post annis in hoc eodem loco, antequam in D Hungariam proficisceretur, septennium egit; dubio procul ea disciplina instructus, quam Sergius Damascenus recenti adhuc obseruantia, isthic reliquerat, & cuius etiam fama Adelbertum iam Archiepiscopum permouerat, vt suæ sortis magni Viri institutum sequeretur; neque enim minus Adelbertus, quàm Sergius eiectus à suis, hìc Deo vacare constituerat. Hac de causa plerique cùm Ordini S. Benedicti adnumerant & Sergium, vt versus sepulcro incisi testantur, Monachos vocasse, & Cœnobium S. Benedicti hoc loco condidisse ferunt: Quibusdam tamen asserentibus, Sergium Instituti S.Basilij fuisse,& suæ normæ Monachos hic aggregasse; alijs contra affirmantibus, Sergium nullius regularis E Ordinis virum, hìc primo Benedicti Institutum suscepisse, & quatuor in eo annos exegisse: quod quidem insinuare videntur postremi versus cœnotaphij. (ADALBERTVS ROMÆ IN MONASTERIO DEGIT.) (SERGIVS AN MONACHVS.)

Cœnobium sancti Benedicti condidit ipse,
Primo qui statuit nostra certamina vitæ,
Quatuor hic annos vixit sub tramite recto.

Qua tamen in re difficile videtur, vno eodemque tempore, & suscepisse institutum, & Monachos collegisse, & obseruantiam monasticam restituisse: quì enim id in nouitium cadat?

Hoc etiam anno Sanctus Romualdus, vbi triennium exegisset in Classensi Monasterio, vitam æmulatus anachoreticam, Marinum Virum sanctum idem (S. ROMVALDVS.)

vitæ genus excolentem adijt; breuique apud ipsum adeo profecit, vt suo exemplo Viros nobilissimos, & potentissimos ad idem institutum attraxerit. Inter quos Petrus Vrseolus Dux Venetiarum, & Ioannes Gradenicus paris nobilitatis Venetus, singulares extitere: qui omnes vno spiritu excitati, diuinitus in hæc tempora videntur incidisse, vt Hungariæ mox in religionem orthodoxam efflorescenti præsto essent. Quod quidem, per suos deinde posteros conati sunt feliciter exequi, quando Romualdi feruens cum spiritu ætas, Hungariæ adhuc in sanguine Martyrum semen Christianorum continenti, cùm seipsum impendere cogitaret, diuina dispositione consilium mutauit, suis in tempore maturandum. A B

Indict. 6.	IESV CHRISTI ANNVS 978.	BENEDICTI PAP. VII. ANNVS 4.	OTHONIS II. IMP. 5. BASILII, ET CONSTANT. 3. GEYSAE 8.

OTHO PARISIOS DVCIT.

OTho Imperator à Lothario Francorum Rege offensus, Parisios vsque ducit, Lotharium persequendo; sed eruptione ciuium, præsidijque, non paucos amisit. In reditu quoque ad Axonam fluuium forte imbribus inflatum, tumultu iniecto, magnam impedimentorum partem amisit, carpente nouissimum agmen hoste. Adfuit Sanctus Volfgangus Ratisponensis Antistes, & præsenti periculo commotus, in Cælum suspexit, ac tum sibi, tum suis bene precatus, sine mora eos transmittere iussit. Adhuc vero cunctantibus istis, & Francis interim à tergo acriter instantibus, primus ipse in nomine Domini flumen ingressus reliquos animauit, eosque citra periculum obsequentes traduxit, vniuersos in admirationem effusos, & præ gaudio in laudem Omnipotentis, qui mirabilis est in Sanctis suis, prorumpentes. Scribit hæc author, qui tum viuebat, Vvolfgango familiaris. Addit Sigebertus, *de his quendam reclusum prædixisse, quòd omnes huius mali incentores ante septennium morerentur*. Porro Aimoinus tradit, *eam partem exercitus, qua insequebatur Othonem, male perijsse ad dictum flumen*. C D

VVOLFGANGI SANCTITAS.

Long. Chron. ad hunc annũ Sigeb. ad an. 978.

Lib. 5. cap. 44.

PRODIGIA IN CÆLO.

Hoc eodem anno igneas acies visas in cælo per totam noctem, quinto Calend. Nouembris tradit Sigebertus. Incidit id in tenebras diem Sanctorum Simonis, & Iudæ Apostolorum consequentes, qui tum agebatur, feria secunda. Græci, qui singula quæque eius diei curiosiùs obseruare, & in omen trahere soliti sunt, eam sibi victoriam præmonstratam postea dixerunt, quæ aduersus Othonem Imperatorem aliquot post annis obtenta est. E

A

IESV CHRISTI ANNVS 979.	BENEDICTI PAP. VII. ANNVS 5.	OTHONIS II. IMP. 6. BASILII, ET CONSTANT. 4. GEYSAE 9.

Indict. 7.

GEysa religiosa quadam, etsi tacita cura in rem Christianorum intendens, animaduertit esse non paucos etiam ex suis, qui quondam Catholicæ Fide initiati Sacra clandestina agitarent, nocturnos conuentus celebrantes, & hos præsertim finitimorum consuetudine, cuiusmodi erant Carni, Norici, itemque Bauari, & reliqui Germani, vtentes, cæteris mitiores esse, & ad omnem humanitatem propensos; idque non nisi ex Fidei cognatione prouenire, quam iccirco in alios etiam propagari cupiebat quammaximè. Mouit etiam pium Principis animum, finitimorum studium, in quibus intellexisset esse, qui Hungaros sua consuetudine emollitos, ad pietatem Christianam in reliquos transfundendam hortarentur. Audiebat illos vnicè præ cunctis votis optantes, dari aliquando Principem à Deo factum, qui genus Hungarorum in salutem assereret, maiora dubio procul pro religione tum ausuros, quam hactenus feritate morum contra præstitissent. GEYSA VNDE RELIGIONEM MEDITATVR.

B C

Quæ omnia in animum demittens Geysa, Et cur non, aiebat secum, ego sim ille, quem tot piorum votis, verus Deus occurrere voluerit? Calor iste, qui pectus inerrat, cupido quæ ad procurandam meorum salutem totum inflammat, vnde nisi à salutis Authore incessit? quid ni ergo totus impendar, vt monenti, immo & incitanti obsequar, nihil vnquam dignius facturus, quàm eius parere voluntati, qui me post tot Duces, feritati suæ immortuos, dignatur ad Hungarorum salutem procurandam eligere? Hæc dum retractaret, in lacrymas effuso, obuersabatur etiam quam difficile foret, contra Maiorum instituta flectere gentem, quæ præter rapinas, cædes & incendia, nihil vtile, honestum, & gloriosum reputaret: neque tamen à constantia propositi animum dimoueri passus est, in omnem deinceps intentus occasionem; idcirco se diuinitus illustratum, idcirco etiam Principatu donatum certissimè sibi persuadens, vt non tam corporibus, quàm animis imperaret, cæterosque authoritate sua ad resipiscentiam reuocaret. GEYSA PAVLATIM VERVM DEVM MENTE CONCIPIT.

D

Ac vt principium daret, ad animos suorum suam ipse mentem effingens, quasi temporalem Regni spectaret vtilitatem, publicis omnes literis inuitat, ac saluum conductum proponit, quicunque commertij causa aduentare vellet, constituta etiam immunitate vectoribus, siue inferendi, siue efferendi gratia constitutis; eo maiori, quo remotioribus ex locis accessissent. Addidit in specie, Christianis omnibus non modò tutum fore accessum, & recessum, sed priuilegijs etiam munitum domicilium, ac vt vbicunque vellent liceret illis Christianas erigere Ecclesias, Christumque liberè colere. Assensere Proceres, lucri ex Christianis capiendi animo: sed pius Princeps, prudenti hac negociatione, suorum Christo nundinabatur salutem.

E

Quàm verò gratus Numini diuino fuerit conatus Geysæ, viso nocturno patuit; quippe quiescenti, Virgo speciosa, miro circumsepta lumine, pluribusque GEYSÆ B. VIRGO APPARET.

comitata affulsit, & huiusmodi verba reddidit: *Bono animo esto Geysa. Ego sum Maria illa intacta Virgo, quam Christiani homines tibi dixerunt esse Iesu Christi Filij Dei Matrem: nosse te volo, Filio meo tuum erga eius cultores animum, gratum acceptumque fuisse. Ob honorem igitur, quem illis impendisti, præmia ipse tibi reddet cumulatissima.* Hæc beata Deipara ad Geysam. Adhuc aliqui, inter quos Petrus Ransanus, ab eadem prædictam Gæysæ, & Hungarorum conuersionem, & nasciturum sibi filium, qui Regis appellatione Hungaris ius dicturus esset, idemque præcipuus Christi cultor futurus: aduenturum præterea Adelbertum Episcopum, à quo ipse, & populus religionem edocendus esset; nec non plura alia ad pietatem formandam spectantia, quorum præclara coronis fuit, repromissa pio quodam sacramento protectio, quo ob excellentia futuræ prolis merita, perpetuam Hungariæ Patronam, se fore beatissima Dei Virgo Mater recepit. (Iudice 9.) A B

His acceptis Geysa experrectus, incredibili gaudio & lætitia, certum prædictarum rerum euentum expectabat, ac vt nihil ex parte sua desideraretur, omni studio contendebat, obuijs Christum vlnis propere excepturus. Quare quod hactenus indulgendo tantum, & alia de causa facere videbatur, nunc palam & diserte profiteri cœpit, velle se in Regno Christianos habere, & ex eorum lege Rempublicam administrare. Id vt sanctiùs efficeret, continuò aptos vndique viros accersiri iubet, qui & sibi adessent, & per Hungariæ populos effusi, veræ Fidei rudimenta traderent. Scripsit verò ante omnia ad Piligrinum Laureacensem Episcopum, missa honorifica legatione pacem offerens, vt se in Pannoniam transferret, & Philosophiam Christianam suis Populis interpretaretur: addebat in animo sibi esse publicè Christum confiteri, & cuiuis suorum, vt idem liberè facere queat, potestate suffragari. (GEYSA FAVET CHRISTIANIS. PILIGRINVM LAVREACEN. ACCERSIT.) C

Mouit Geysam ad accersendum Piligrinum, primo sanctitatis Viri, iam passim miraculis clara; deinde quòd à quibusdam didicerat Piligrinum antiquo de suis maioribus Hungarorum benemerito, hanc illis gratiam libenter redditurum. Nam cùm Rudigerus ille, seu Rodericus de Præclara* celebris, & tot carminibus decantatus, ex cuius prosapia Piligrinus ortum duxit, limitibus Imperij versus Pannoniam ad arcendas incursiones præsideret, forte in Henricum Imperatorem offendit, eiusque indignatione Præfectura amotus, in exilium ad Hungaros abijt, ibique diu commoratus plurima in se gentis beneficia expertus est. Id Geysæ humano modo res metienti, spem fecit Piligrinum tam amicam, & necessariam vocationem non detrectaturum. Mouit denique ipsa ratio muneris, quòd ad ipsum spectare cognouisset, religionem in Pannonijs ordinare. (*al. Pechlarn.) D

Alibi iam ostendimus, Methodio Morauorum Apostolo, Romani Pontificis authoritate id concessum fuisse; mox Vvichingo, qui Nitriensem Ecclesiam regebat; denique vicissitudine temporum ad prisca Laureacensium iura redijsse ex dicendis constabit. E

IESV CHRISTI ANNVS 980.	BENEDICTI PAP. VII. ANNVS 6.	OTHONIS II. IMP. 7. BASILII, ET CONST. 5. GEYSAE 10.	Indict. 8.

Piligrinus tam præsentem Christo lucrifacendi occasionem prætermittendam haud ratus, assumpto secum Vvolfgango, viro eiusdem æui doctissimo, qui deinde Insula Ratisponensi ornatus, magna sanctitate Ecclesiæ illuxit, in Pannoniam profectus est. A Geysa benignè susceptus, illico manus ad excolendam Domini vineam verbo, & opere misit. Mirum quanto prouectu: neque enim Christiani solùm, qui eò quondam vndique terrarum abacti fuerant, iam mitiùs habiti, publicè, & nemine prohibente, certatim accurrebant, sobolemque suam ad lustricam aquam deferebant; sed & plures ex finitimorum, immo & Hungarorum feroci natione, deposita omni feritate, dicentem audiebant, libenter suspiciebant; denique operante Dei virtute sequentibus sermonem signis, Christi religionem expetebant. Intra paucas hebdomadas quinque eorum millia sacro fonte lustrati accessere. Quibus vt Templa seorsim extruerentur, quod hactenus non licuerat, Geysa vltro fauente, & Piligrino vrgente, concessum est. PILIGRINVS AD GEYSAM PROFICISCITVR.

Porrò Piligrinus cùm messi tam copiosæ, messores, quos secum habebat paucos, haud sufficere animaduerteret, duos ad Benedictûm Septimum ablegat Sacerdotes, & vt antiquo Laureacensis Ecclesiæ iure Pannonicam, adeoque Hungaricam Ecclesiam, cooptādis sibi collegis ordinare liceat, literis datis efflagitat, quarum tenorem hic subijcimus. PILIGRINVS ROMAM MITTIT.

ORDINIS, AC NOMINIS CHARISMATE PRAEROGATO, SANCTAE ROMANAE SEDIS VNIVERSALIS BENEDICTO PONTIFICI, Piligrinus sanctæ Laureacensis Ecclesiæ humilis seruus, fidelitatem precum, deuotumque seruitium.

Notum fieri dignetur vobis, summe Sacerdotum Præsul, quòd supra omne animi mei desiderium, nunc delectarer, Apostolorum visitare limina, vestraque optabili perfrui præsentia, & ea facie ad faciem, quæ literis & internunciorum committo indicijs, sanctissimæ Paternitati vestræ coram ratiocinari: nisi quòd à Neophyta Hungarorum gente illuc ire prohibeor, apud quam fœdere pacto sub occasione pacis, fiduciam sumpsimus, operam exercere prædicationis. Cuius etiam error gentis ex longo tempore, & iam aliarum Prouinciarum prædicatoribus, mea diœcesis hactenus aditum clausit; ad quas nihilominus præsentis opportunitas temporis ire me vocauit. Quibus Deus optimus, qui solita sua pietate semper dispersa congregat, aperire dignatus est ianuam cordis sui diu clausam, vt disciso velamine duritiæ suæ, depositaque ferina crudelitate, leui iugo Domini colla submittant. Ab hac præfata Hungarorum gente multis precibus ipse inuitabar venire, aut Missos meos in opus Euangelij, illuc dirigere. Ad quos dum transmitterem satis idoneos viros ex Monachis Canonicisque Presbyteros, atque de singulis Ecclesiasticis gradibus clericos, & vita & omni conuersione illorum sic ordinata, quemadmodum in gestis Anglorum didici; tantum diuina gratia suis institutionibus fructum

statim ministrauit, vt ex iisdem nobilioribus Hungris vtriusque sexus Catholica A
Fide imbutos, atque sacro lauacro ablutos, circiter quinque millia lucrarentur. Christiani autem, quorum maior pars populi est, qui ex omni parte mundi, illuc tracti sunt captiui, quibus nunquam soboles suas licuit, nisi furtiue Domino consecrare, modò certatim nullo obstante timore, offerunt eos baptizare, ac gratulantur omnes, tanquam de peregrinatione sua in patriam reducti, quòd Christiano more, Oratoria audent construere, & licentia percepta linguam ligatam in laudem Saluatoris præsumunt soluere. Ipsi enim Barbari mira omnipotētis Dei operante clementia, quorū licet adhuc gentilitate sint quidam detenti, nullum tamen ex suis subditis vetant baptizari, nec Sacerdotibus inuident quocunque libet proficisci; sed ita concordes sunt Pagani cum Christianis, B
Isaia cap. 11. *tantamque ad inuicem habent familiaritatem, vt illic Esaiæ videatur impleri prophetia: Lupus & agnus pascentur simul, leo & bos comedent paleas. Factum est ergo, vt pene tota Hungarorum natio sit prona ad percipiendam Fidem sanctam: sed & alia Slauorum Prouinciæ ad credendum promptæ; & est ibi messis quidem multa, operarij autem pauci. Vnde quoque visum est, iam necessarium esse, quatenus Sanctitas vestra, illic aliquos iubeat ordinari Episcopos, quia, & quondam Romanorum Gepidarumque tempore, proprios septem Antistites eadem Orientalis Pannonia habuit, & Mœsia, meæ sanctæ Laureacensi, cui ego indignus ministro, Ecclesiæ subiectos: quorum etiam quatuor, vsque dum Hungri Regnum Baioariorum inuaserunt, sicut* C
præsenti cognitum est ætati, in Marauia manserunt. Quod nimirum graue, & onerosum est mihi, vt tot Pontificij Parochias, solus prædicando circumeam, quibus necessitate, & adiutorij inopia, cogor nonnunquam meam subtrahere præsentiam. Ecce Dominorum amantissime, huiusmodi Ecclesiasticis mancipatus officijs detineor; & ni fecissem moram sæpe dictæ gentis conuersioni, ire & prosterni ad vestra sanctissima vestigia non distulissem. Legatos tamen meos, præsentium scilicet portitores, ad vestram destinaui Sanctitatem, quos audire quæso dignetur Clementia vestra, & eorum meisque mixtim precibus præbere assensum, quatenus Pallium Infulamque pontificalem, quod speciale munus honoris ex hac Sede tantùm dirigitur Metropolitanis, referant. Quod D
etiam mei prædecessores à gloriosis huius principalis Cathedræ Primatibus accipere soliti erant. Mihi vero hoc ipsum benigno animo per illos dirigere dignetur; pariterque etiam priuilegia Apostolicæ authoritatis, meæ Ecclesiæ per eosdem Missos, vestris præsentata sacris obtutibus, more Prædecessorum vestrorum roborari supplico, & confirmari, vt hac Apostolica sanctione, benedictione munitus, mihi commissam populi gubernationem canonicè exequi valeam, & vestris rationibus in die Iudicij imputetur, quod in illis finibus ex Paganis noua Ecclesia Domino lucrata sit.

Hæc prior pars epistolæ, quam Piligrinus ad Benedictum Pontificem misit, in qua tamen humilitatis, & modestiæ causa tacet suam ad Hungaros profectionem, & præmissis à se operarijs tribuit tantum animarum lucrum, & ad Christum conuersionem, & totius pene Hungarorum gentis pro præsenti re- E
S. VVOLFGANGVS SOCIVS PILIGRINI. rum statu ad eandem inclinationem. Ipsum enimuero accitu Geysæ in Pannoniam, assumpto sibi socio D. Vvolfgango, iam maioribus infulis ornato, tradunt Germanorum Scriptores, & inter alios Ioannes Auentinus, alioqui religiosis viris non admodum fauens; tametsi plures præmisisset, qui viam pararent ipso continue subsecuturo, & plebem Domino perfectam formaturo. Ipsum sanè vbique adfuisse, ac interim paucis comitatum, satis ostendunt ea verba, quibus causatur onerosum sibi valde esse, vt tot Pontificij Parochias solus prædicando

A dicando circumeat: non defectu Cleri, sed Episcoporum, ad quos id munus spectat, & illis seculis strenue ab ijsdem obibatur; vtinam duraturo semper exemplo.

Porrò cùm tanta post primam à Caroli Magni temporibus conuersionem, initia sumpserit hæc altera Hungarorum a Piligrino ad Christum conuersio, miror nihil vspiam in rerum Hungariæ Scriptoribus de eo reperiri; verùm omnes Adalberti duntaxat, tanquam primi sui Apostoli, meminisse; vtique non immerita laude; sed plurimum honoris, & dignitatis addit, plures habuisse sanctissimos Viros, quos secundùm Deum religionis suæ authores agnoscant, B & ex ijs esse, ad quos antiquiori initio eandem referre queant. PILIGRINVS HVNGARORVM APOSTOLVS.

Posterior pars epistolæ, professionem Fidei continet, antiquo more ab Episcopis ad Romanum Pontificem, quando & dignitate inaugurabantur, mitti consuetam; vt constaret quàm puram traderent doctrinam, longe ab omni suspicione erroris positam. Hæc, quia & ingenium Piligrini summa sapientia excultum, quam merito admiratus est Pontifex, & cum sana doctrina feruentem in docendis Hungaris zelum commendat, libet hic integre subijcere.

Quia, inquit, variæ, & peruersæ hæreticorum sectæ timendæ sunt, quos sæpe contigit C *deprehendi, alios, quibus præsunt, errore suo corrumpere, quos agnitione orthodoxæ veritatis debuerant illustrare; vt hæc tam pestifera de me amputetur suspicio, solenne symbolum Catholicæ Fidei, quam ipse teneo, ac doceo, vestro Apostolatui profitendum salubre censeo.*

Confiteor, & Credo sanctam atque ineffabilem Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vnum Deum naturaliter esse, vnius substantiæ, vnius naturæ, vnius maiestatis, vnius virtutis. PROFESSIO PILIGRINI.

Et Patrem quidem non genitum, non factum, sed ingenitum profiteor. Fons ergo & origo ipse est totius Trinitatis. Pater namque ineffabili substantia Filium genuit; D *nec tamen aliud quàm quod ipse est genuit, Deus Deum, lux lucem.*

Filium quoque de substantia Patris, sine initio ante secula natum, nec tamen factum fateor. Igitur non sicut Filius à Patre, ita Pater à Filio est. Quia non Pater à Filio, sed Filius à Patre generationem accepit. Filius ergo Deus de Patre, Pater autem Deus, sed Deus non de Filio. Si enim Pater fuit, semper habuit Filium, cui Pater esset Deus, & ob hoc Filium de Patre natum sine initio confiteor.

Spiritum etiam sanctum, quæ est tertia in Trinitate Persona, vnum atque æqualem Deum, cum Deo, Patre, & Filio, credo Deum esse vnius substantiæ, vnius quoque naturæ; nec tamen genitum, vel creatum, sed à Patre Filioque procedentem, ambo- E *rum esse Spiritum. Nec enim procedit de Patre in Filium, nec de Filio tantum procedit ad sanctificandam creaturam; sed ab vtroque procedere monstratur, quia Charitas, & Sanctitas amborum esse cognoscitur; & nec Patris tantum, nec Filij tantum, sed simul Patris, & Filij Spiritus dicitur.*

In relatiuis verò Personarum nominibus, Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus sanctus ad vtrumque refertur. Quæ cùm relatiuæ tres Personæ dicantur, vna tamen natura, vel substantia creditur. Nec sicut tres Personas, ita tres substantias prædico, sed vnam substantiam, tres autem Personas. Quod enim Pater est, non alium quam ad Filium, & quod Filius est, non ad se, sed ad Patrem est. Similiter

Spiritus sanctus non ad se, sed ad Patrem, & Filium relatiuè refertur, in eo quod Spiritus Patris, & Filij prædicatur. A

In hac sancta Trinitate, tres Personas vnum Deum confiteor. Non ipsum qui est Pater, dico esse Filium, aut Spiritum sanctum: nec Filium Patrem esse, aut Spiritum sanctum fateor; aut Spiritum sanctum Patrem, vel Filium. Sed quod Pater est, hoc esse Filium, hoc esse Spiritum sanctum, sine vlla ambiguitate pronuncio. Personas enim distinguo, non naturam Deitatis separo.

Tres ergo illas vnius, atque inseparabilis naturæ Personas sicut non confundo, ita separabiles nullatenus prædico; cùm nulla ante aliam, nulla post aliam, nulla sine alia, vel extitisse, vel quippiam operata esse aliquando credatur. Inseparabiles enim inueniuntur, & in eo quod sunt, & in eo quod faciunt. Habet enim Pater æternitatem sine natiuitate, Filius æternitatem cum natiuitate, & Spiritus sanctus æternitatem processionis à Patre, & Filio sine natiuitate. B

De his tribus Personis, sola Filij persona hominem verum sine peccato, pro liberatione generis humani, ex Maria Virgine, nouo ordine nouaque natiuitate suscepit. Nouo ordine, quia inuisibilis in Diuinitate, visibilis monstratur in carne: noua autem natiuitate est genitus, quia incorrupta virginitas, & virilem coitum nesciuit, & fœcunda per Spiritum sanctum, carnis materiam ministrauit. Dei enim Filius non personam hominis accepit, sed naturam: naturam enim nostram in vnitatem suæ personæ assumpsit. Et iccirco Filius Dei, & filius hominis vnus est Christus. In eo namque, quod Filius Dei est, æqualis est Patri, & in eo quod est filius hominis, minor est Patre. C

Qui etiam ex quo homo est, pro delictis nostris passionem sustinuit, mortique addictus & Cruci, veram carnis mortem accepit. Tertia quoque die virtute propria suscitatus de sepulcro surrexit. Hoc ergo exemplo Capitis nostri, in hac carne, qua nunc sum, & moueor, resurrecturum me credo.

Idem autem Dominus, & Saluator noster, peracto resurrectionis suæ triumpho, paternam Sedem repetijt, à qua per Diuinitatem nunquam recessit. Inde in fine seculorum venturus, iudicabit viuos & mortuos, reddetque singulis prout gessit quisque in corpore, siue bonum, siue malum. D

Ecclesiam sanè Catholicam, precio sui sanguinis redemptam, cum eo credo in perpetuum regnaturam. Credo, & confiteor vnum baptisma in remissionem omnium peccatorum.

Hanc fidem professionis meæ inuiolatam me retinere, & ab ea nunquam deuiare promitto.

PILIGRINVS DOCTOR HVNGARORVM. Hucusque professio Fidei in posteriori parte epistolæ, cui demum ista subijcit: *Qualiter ergo ex prælibata Fide, idiotas erudire debeam, & ipse in suscepta nouitiorum Ecclesia conuersari, rescripto Sanctitatis vestræ, cautiùs flagito vt merear edoceri. Memetipsum etiam, iterumque Sanctitatis vestræ fidei precibusque subnixe commendo, commendatumque perpetualiter fore inhianter desidero. Dignam autem vestræ Sublimitatis memoriam, quam tota per Orbem frequentet Ecclesia, ego cum omnibus mihi subditis, votis & orationibus celebrare non desisto. Quicquid enim humani seruitij, quod vestram deceat Magnitudinem, ex me conferri possit, totum ex toto pro libitu voluntatis vestræ, liberaliter expendere, Pater dilectissime, satago.* E

Hucusque integra Piligrini ad Benedictum Romanum Pontificem epistola: qui vt tam iustæ petitioni satisfaceret, hanc ad Germaniæ Episcopos dedit epistolam,

A stolam, quæ apud Lazium ex peruetusto codice descripta habetur in hæc verba.

DILECTISSIMIS NOBIS IN CHRISTO FILIIS HRODBERTO, S. Moguntinæ Ecclesiæ, & Theoderico S. Treuerensis Ecclesiæ, atque Adalberto Sanctæ Magdeburgensis Ecclesiæ, parique modo Gereoni S. Coloniensis Ecclesiæ, atque Friderico S. Iuuauensis Ecclesiæ, sed & Adaldago S. Bremensis Ecclesiæ Archiepiscopis: pariterque Domino nostro Othoni gloriosissimo Imperatori Augusto, atque nepoti suo Henrico præcellentissimo Duci Boiariorum, cæterisque omnibus Episcopis, Abbatibus, Ducibus,
B *Comitibus Galliæ, & Germaniæ. Benedictus, Diuina gratia præditus Apostolicæ Sedis Pontifex, seruus seruorum Dei, in Domino salutem.*

Oportet iustis supplicantium petitionibus, nos semper faciles & humiles exhibere, & præcipue cùm fraternis religiosorum consacerdotum precibus solicitamur, qui passim ab omni mundi termino tenorem & regulam, & proprij officij vigorem ab hac vniuersali S. Romana Matre Ecclesia, eiusque sortiuntur ministro, Vicario scilicet beati Principis Apostolorum; cuius quamuis indigni, eiusdem tamen gratia, & dono potestati successimus, & ordini; cui voce Dominica dicitur: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Quapropter dignum æstimauimus, assensum præbere congruis po-
C *stulationibus Reuerendissimi Archiepiscopi Piligrini, quas per probabiles personas nobis intimauit, responsalium suorum duorum videlicet Presbyterorum, quatenus sibi Palliũ, & Metropolitanum honorem, Cathedræ suæ sanctæ Laureacensis Ecclesiæ restitueremus, confinio Hungarorum adiacenti: quod omnino nos eidem Ecclesiæ debere testantur antiquissima secum adportata priuilegiorum testimonia, in quibus continebatur, quòd ætate Pontificatus beati Symmachi huius almæ Sedis Apostolici Præsulis, præfata sancta Laureacensis haberetur Ecclesia Metropolis; & in quantum tam exinde, quam etiam de passionibus beatorum Martyrum, qui illic plures in tempore persecutionis, pro Fide Christi varijs sunt tormentis mulctati, colligere possumus, ex omnibus Ecclesiarum diæ-*
D *cesibus Pannoniæ, hæc antiquitate, & Archiepiscopij dignitate esse primitiua creditur. Quæ iam multis retroactis temporibus, ex vicinorum frequenti populatione Barbarorum deserta, & in solitudinem redacta, nullum Christianæ professionis habitatorem meminit, vsque dum inuictissimus Augustus, & Pater Patriæ, genitor quippe pij Imperatoris nostri (quem adhuc superesse, & diu dominari mundus exoptat) bellico trophæo eorum vires retudit. Nunc autem, quamobrem vocibus exultantibus in laudem Omnipotentis Dei erumpimus, non solùm sæpedicta sancta Laureacensis Ecclesia, hostium cessante terrore, cum accolis suis, pace & tranquillitate potitur, verùm etiam ipsi dudum inimici, ipsum quem persecuti sunt more gentili, iam iam Christum baptizati pro-*
E *fitentur, ac Sacerdotes modò habere desiderant, ac prout scire rudes poterunt venerantur.* * *Et Ecclesias quasdam in sua terra, quas patres incendio dederunt, posteri restaurare videntur. Hac ergo suadente ratione, quod prænominati sanctæ Ecclesiæ Laureacensis Ecclesiæ Archiepiscopi postulatio, antiqua Apostolica authoritate commendatur, & præterea quòd cùm iustum esset, pariterque etiam vtile, visum est, vt ad fructificandas Deo gentes ex nouitijs cultoribus Fidei Hungarorum, atque Marauorum, siue etiam alijs multis Slauorum sua Parochia finitimis, illic ordinatis Episcopis, secundum quod antiquius depositi erant, eis hunc constitueremus Archiepiscopum.*

* *Quæ sequuntur, in nonnullis exemplaribus desiderantur.*

Hucusque ex Lazio: plura alij addunt eidem epistolæ connexa, quæ nos ex Bruschio, alijsque integre subijcimus.

Cùm

Cùm autem Salisburgensis Ecclesia abusa est subiectione Laureacensis Ecclesiæ Pontificum, obliterata, & attenuata sua dignitate, ex deuastatione Barbarorum; quam propterea præceptis Apostolicis, & priuilegijs suis nequaquam patimur priuari, cùm & prior sit Salisburgensi, & ideo authoritate etiam præualeat apud secularia iudicia. Vnde authoritate, & potestate beati Petri Apostolorum Principis, atque ex aduerso beatorum Pontificum prædecessorum nostrorum, eandem sanctam Laureacensem Ecclesiam, eiusque Rectores, iam Archiepiscopos, amodo perpetim ab omni Salisburgensis Ecclesiæ, eiusque Præsulum subiectione, ac ditione absoluimus, & honore Metropolitano sublimamus. Et sicut sanctæ memoriæ Agapitus Papa eorundem Patriarcharum terminos abinuicem distinxit, sic ipsi distinguimus: vt sancta Salisburgensis Ecclesia Superioris B *Pannoniæ Episcopos suffraganeos habeat; sancta autem Laureacensis Ecclesia Inferioris Pannoniæ, atque Mæsiæ regionis, quarum Prouinciæ sunt Auaria & Morauia, in quibus septem Episcoporum Parochiæ antiquis temporibus continebantur; suique Antistites Archiepiscopale deinceps habeant potestatem. Et iuxta decretum Gregorij Papæ, qui prior fuerit in ordinatione, prioratum teneat & in ordine. Altercationis igitur materia sic sedata, venerabilem confratrem nostrum Pilgrinum Archiepiscopum canonicis literis munitum, sanctæ Sedi Ecclesiæ inthronisamus, Palliumque ei secundùm antiquum Ecclesiæ vsum direximus, atque in Prouincijs Auariæ, & Morauiæ, regionumque Inferioris Pannoniæ, siue Mæsiæ, & in contiguis Slauorum circumquaque* C *manentium nostram Apostolicam authoritatem, & vicem exercere committimus, atque delegamus: quatenus hic more antecessorum suorum sanctæ Laureacensis Ecclesiæ Archiepiscoporum, habeat potestatem Presbyteros, & Episcopos ordinare, & constituere, & ex prædictis gentibus sancta sua prædicatione parare Domino plebem perfectam.*

Hactenus Epistola Benedicti ad Episcopos Germaniæ. Paulo aliter refert initium Bruschius. *Reuerendissimis fratribus Rhudoberto Moguntinensi, Adalberto Magdeburgensi, Gereoni Coloniensi, Adaldago Vremensi, id est Bremensi, Archiepiscopis: Othoni Primo, & eiusdem nepoti Henrico Bauarorum Duci salutem.* Aliter etiam D Ioannes Auentinus. *Dilectissimis in Christo filijs Ruperto Mogontio, Theodorico Treuerensi, Alberto Magdeburgensi, Patriarchæ Germaniæ, Gerioni Agrippinensi, Friderico Iuuauensi, Adaldago Bremensi Archiepiscopo; pariter Domino Othoni gloriosissimo Imperatori Augusto, atque nepoti suo præcellentissimo Duci Baioariorum, cæterisque omnibus Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus Galliæ, atque Germaniæ, Benedictus diuina gratia Apostolicæ Sedis Pontifex, seruus autem seruorum Dei, in Domino salutem.*

Quo loco nomenclatura *Galliæ* non ita sedet, vt ad Franciam Occidentalem eiusque ditiones extendi possit; sed commune hoc fuisse vocabulum, & Franciæ E Orientali, siue Franconiæ, & Bohemiæ, & denique omni illi tractui, qui à montibus Pyrenæis ad limites Hungarorum vsque porrigitur, locupletes sunt testes, qui magnæ illius Mathildis virginis, de Romana Ecclesia immensùm meritæ genus diligenter vestigant, adeoque in hunc sensum interpretantur illud Domnizonis de Beatrice matre Mathildis dictum,

Atque Beatricem Gallia fert Italis:

Neque enim alia, hanc Gallia protulit, quàm vna aliqua ex memoratis Prouincia, quemadmodum ex multis non infimæ notæ Scriptoribus, luculentè deducit Guido Mellinus, in suo de Vita, & moribus Mathildis excusso tractatu; vt

idcirco

A idcirco non abs re Benedictus Pontifex Ecclesiæ Laureacensis prærogatiuam commendaturus, Galliæ & Germaniæ Episcopos, Abbates Duces, Comites censuerit commonendos.

Porrò de rebus ex memoria Mathildis Italiæ Comitis, edidit nuperrime insigne opus Franciscus Maria Florentinus, quo repurgatis omnium, qui hactenus de ea dixerunt laboribus, originem eiusdem, Lucensi præclaræ in Italia cum Republica Ciuitati, asserit, & plane euincere conatur; vndecunque tandem familia accersita, hic domicilium fixerit, vt inde posteri genus ducerent æternitati consecrandum.

B Errat verò Lazius, quòd hanc epistolam à Benedicto Tertio scriptam dicat, cùm hic centum & amplius annis quàm esset Otho, siue Primus, siue Secundus Imperator, Ecclesiæ præfuerit. Auentinus, Benedictum Sextum nominat, cuius tamen Pontificatus breuis, vt admittat scriptam ab eo hanc epistolam tempore Othonis Secundi, antequam Geysa Piligrinum inuitasset: eiusdem tamen Piligrini responsum, post initia conuersionis Hungarorum, non nisi ad Benedictum Septimum fieri potuit, quemadmodum ex dicendis constabit. Quod autem in eadem epistola, Romanus Pontifex, Principis Apostolorum Vicarius dicatur, cùm Successorem dici oporteat; neque enim Romanus Pontifex Vicarius C est Petri, sed Christi; ex more loquendi quorundam Pontificum antiquo manauit: nec alium sensum habet, quàm in idem cum Petro munus, seu, vt ita loquamur, in eundem Vicariatum successisse: qui dicendi modus subinde etiam in Pontificali Romano seruatur, proxime opinor corrigendo; eodemque aliquoties vsus fuit Otho Imperator Primus, in Diplomate de confirmatione Iurium Ecclesiæ Romanæ, quod aureis literis scriptum seruatur in Castro Sancti Angeli: ex consequentibus tamen clare colligitur, per Vicarium se intelligere Successorem.

Porrò dubium non est, ad eundem quoque Piligrinum scriptas à Benedicto D literas non secus ac ad reliquos Germaniæ Episcopos; sed præterea etiam ad Geysam Ducem Hungariæ, tam excellentis animi propositum collaudando, & vltro ad orthodoxam religionem salutaribus monitis inuitando: quod sane ad munus primi Pastoris spectabat, & huius præsertim Pontificis sanctitati par fuit. Verùm vt plurima alia eiusdem gesta, sic etiam hæc monumenta vicissitudo temporum inuidit; vt merito Baronius affirmet, inopia Scriptorum complura de Benedicto Septimo obscura mansisse.

Constat igitur ex prædicta Benedicti ad Germaniæ Episcopos epistola, restitutam Piligrino Laureacensis Metropolitanæ dignitatem; & vt Ioannes Auen- E tinus scribit, *Benedictus ob vetustatem Laureacense Templum ab Iuuauensium iugo soluit, præfertque Salisburgis; illi dignitatem Archimystæ restituit, quòd illic ab infantia religionis Christianæ diuina ædes dicata sit, ibique complures pro Christo mortem oppetierint. Piligrinum & successores eius, Episcopos Pataenses, Archiepiscopos perpetuo edicto designat, præstareque decernit Iuuauensibus (id est Salisburgensibus) Archimystis; illis Pannonias, Noricum Ripense, Morauos, Vgros, Auariam, Venedos addicit; his Noricum Mediterraneum, & Vindeliciam attribuit*. Hæc Auentinus.

Addit Lazius, *Piligrinum vigesimumquartum*, & postremum huius sanctæ, & longe antiquissimæ Sedis Laureacensis, in Norico Ripensi fuisse Archiepiscopum, eique in Patauia successisse Christianum; sed in Laureaco veteri, neminem PILIGRINVS VLTIMVS LAVREAGEN. ARCHIEP.

vlterius

vlterius à Pontificibus Romanis fuisse Pallio insignitum, prærogatiuam vniuersam Salisburgensi Archipræsule ad se trahente; decedentibus insuper Morauiæ, ac Hungariæ Episcopis, quorum Reges cùm sacris vndis essent perluti, cum vniuersa gente subdita, proprios de sua gente Metropolitanos creauere. Etsi Ioanni Duodecimo Papæ, vt habent antiquissimorum Annalium verba, huiusmodi forma, Diethmarus Salezeburgensis, VValdo Frisingensis, Zacharias Sebonensis, Erchonbaldus Eystetensis, Tuto Ratisponensis, & Richarius Patauiensis Episcopi, deprecatorias literas miserint pro eodem Patauiensi Episcopatu, qui in quinque Episcopatus eiusdem Ioannis iussu erat diuisus; sed quod rogauerant minime obtinuerunt. Hæc Lazius: qui præterea subdit, sub Othone Secundo Laureacensem Ecclesiam primùm omnium defecisse: quod difficile creditu videtur, cùm à Benedicto Septimo, qui Othoni Secundo superuixit, restituta sit, Piligrino id impetrante. Verùm qui in eo hallucinatus est, quòd supradictas literas à Benedicto Tertio scriptas existimauit, & huius temporibus vixisse Othonem; mirum non est, si consequenter aberrarit.

IESV CHRISTI ANNVS 981.	BENEDICTI PAP. VII. ANNVS 7.	OTHONIS II. IMP. 8. BASILII, ET CONST. 6. GEYSAE II.

Indict. 9.

HIc locus poscit, vt de S. Adalberto, prædicto à Beata Virgine, si Ransano & quibusdam alijs credendum est, Hungarorum Apostolo, dicamus; quando non pauci, hoc anno eum in Cathedram Pragensem subrogatum scribunt. Fuit Adalbertus in Bohemia oppido Lublycz nobili progenie, patre Slavvmik, matre Serzeszislaua ortus: qui piam filij curam gerentes, eum ad Albertum Primum Magdeburgensem Episcopum nutriendum, & docendum miserunt; à quo benignè susceptus, breui ad perfectionis culmen peruenit, ac præsertim zelum conuertendorum ad Christum infidelium imbibit, eo Magistro vsus, qui strenue Pontificatum administrando, plurimos VVandalorum populos assidua Euangelij prædicatione Christo lucrifecit.

ADALBERTI GENVS.

Ab hoc nomen mutuatus est, vt Adalbertus diceretur, cùm ante Vicechus, hoc est exercituum consolator, vt alij scribunt, VVentius à baptismo vocaretur: fecit etiam difficultas pronunciationis patriæ, vt Albertus in sacro Chrismate nomen commutaret. Post aliquot annos reuersus adstitit morienti Dithmaro primo Pragensi Episcopo, cuius de salute desperantis, & iam se tartareis spiritibus traditum affirmantis, voce perterritus, horrorem animo excutere non valuit, eoque salutari consilio suscepto, mores emendare, appetitum frænare, diuini timoris, & amoris continuò satagere, in posterum induxit, & magna constantia perstitit.

DITHMARI PRAGEN. DESPERATIO COMPVNGIT ADALBERTVM.

Interim Duce Bohemiæ Boleslao, clero & populo de Episcopo deliberantibus, omnium diuinitus inspirata vox fuit, non esse huic oneri ferendo aptiorem Adalberto, cuius nobilitas, diuitiæ, scientia, mores placabiles cum tanto honore concordarent. Ad quæ verba vnanimi omnium consensu, inter manus è terra leuatur, & mutata veste Episcopus acclamatur Adalbertus. Ferunt eo

ADALBERTVS FIT EPISCOPVS

ipso

A ipso die; multis audientibus, ex corpore obsesso locutum esse dæmonium, & cùm Presbyteri imprecationibus vrgeretur, vltro confessum, cedendum sibi esse metu eius, qui in Episcopum lectus esset; continuoque excessisse.

Sunt qui scribunt Adalbertum à Vvolfgango Ratisponensi Episcopo creatum ac datum Pragensibus Episcopum: nam quòd Vvolfgangus in conuertendis Hungaris operam Piligrino nauasset, huius commendatione, etsi ipso renuente, ad Cathedram Ratisponensem consecratus est, eoque in Bohemorum Ecclesiam, quæ in authoritate Ratisponensis erat, ius sortitus. Quare eo renunciato continuò adfuisse Bohemos, & docuisse quo in statu res religionis apud se B esset; vt nisi præsentem ipsi suum intuerentur Pontificem, & se ad eius præscripta conformarent, nunquam illos operæ fructum ex religione laturos. Hac petitione permotum Vvolfgangum, salutemque omnium in primis curandam ratum; renunciasse Imperatori, velle se postulatis Bohemorum annuere, ac idcirco Adalbertum dedisse illis, dignum loco, & cathedra virum. Hæc & plura isti, quæ quàm sibi constent ex eo colligitur, quòd Adalbertus non primus, & nouus fuerit Pragensium Episcopus, quemadmodum velle videntur, sed Dithmaro successit; nec à Vvolfgango, sed ab Vvilegiso Moguntino consecratus est, quodiam dicemus.

C Nulla deinde mora interposita Italiam petit Adalbertus, Othoni Imperatori, qui hoc anno Veronæ morabatur, se exhibiturus, ab eoque pro more illius temporis, accepta virga pastorali possessionem, quam Inuestituram vocant, percepturus. Annuit benignè Imperator, de Viri virtute pridem certus, qui non multo post ab Vvilegiso Moguntino Archiepiscopo, in die Apostolorum Petri & Pauli, qui tum in feriam tertiam incidit, ad Sacerdotij & Episcopatus dignitatem euectus est. Sic officiò perfunctus in patriam reuerti cœpit: in splendido plurimorum comitatu, humilis ipse, & equum cui insidebat, canapa torta rusticum in morem regens; ac vbi Pragæ appropinquasset, impedimenta D pedum soluens, nudis pedibus vrbem ingressus est. ADALBERTVS ITALIAM PETIT.

Laudata ab omnibus fuit Adalberti sanctitas; sed paucos habuit imitatores. Quin verò ob morum correctionem, plures illico pati cœpit aduersarios & persecutores, tam Clericos, quàm Principes; vt inde triennio post recedere sit coactus: quod in loco dicturi sumus.

IESV CHRISTI ANNVS	BENEDICTI PAP. VII. ANNVS	OTHONIS II. IMP. 9. BASILII, ET CONSTANT. 7. Indict. 10. GEYSAE 12.
982.	8.	

E

Bvlgaros Græciam infestantes S. Nicon Armenus precibus ad Deum fusis auertit. In societate Bulgarorum plures erant Hungari, qui pridem Græcis inhiantes, cùm in Occidentali Imperio fortunam sibi aduersam didicissent, huc se contulerunt; relictis in Pannonia ijs, qui vel cælum adamassent, vel ad tempus post tot clades quietem elegissent. Eos porro, qui in Græcia, vel cum Bulgaris versabantur, vnàque grassabantur, audita Niconis fama plurimum perculerat. Is enimuero in Ponto Polemoniato natus, & ad Gentium S. NICON BVLGAROS AVERTIT.

conuersionem electus, non verbo solum, sed & opere potens erat, vt timorem sui pariter, & venerationem omnibus incuteret. Vbi primum Armenos conuertisset, in Græciam venit: & Cretensium conuersione, admirabilis illuxit, plerosque ad pœnitentiam ardenti zelo pertrahens;& cùm eius continua vox esset, *Pœnitentiam agite*, inde sibi nomen conciliauit, vt diceretur *Pœnitentiam agite*. Quod vocabulum in auribus Bulgarorum, & Hungarorum cùm religione quadam insonuisset, ob virtutem viri formidatam, eos continuit, & temperate agere docuit. A

Quare plures in Pannoniam reuersi, cùm sub Geysa mitiora suorum ingenia, & mutatum quodammodo rerum statum inuenissent, quasi & istis Nicon, aut alius Cælo missus adfuisset, mirati; quid in Græcia secum gestum fuisset memorare, & Niconis virtutem deprædicare non cessarunt; vt iam ipsi religionis prædicatores esse viderentur, & Niconem, si fieri posset, Pannoniæ præsentem optare. Quæ res dici non potest, quàm grata acciderit Geysæ, ea de causa animum sibi consciscenti, vt paulò post, maiora, & palam pro religione Christi inserenda, auderet. B

Quod ad Occidentalis Imperij res spectat, hoc anno tradit Sigebertus, & quidam alij, Othonem Imperatorem, Apuliam, & Calabriam Italiæ Prouincias, ad ius Regni Græcorum pertinentes, transferre ad Romanum Imperium conatum esse; maxime propter affinitatem cum Imperatore Græcorum per Theophaniam vxorem suam contractam. Eum conatum euentu caruisse, quantum huc spectat, ad annum nongentesimum octuagesimumtertium, dicemus, quò bellum cum Græcis ab Othone gestum reliqui conijciunt. C

	IESV CHRISTI ANNVS	BENEDICTI PAP. VII. ANNVS	OTHONIS II. IMP. 10. BASILII, ET CONSTANT. 8. GEYSAE 13.
Indict. 11.	983.	9.	

D

GRÆCI OTHONI INFENSI.

HOc anno in Occidente apparatu bellorum ciuilium omnia nutant: nam Græci subodorati Othonis Imperatoris conatum de Apulia, & Calabria subiugandis, Saracenorum auxilia conducunt, & eidem occurrere parant. Sed nec Orientis fors melior, quòd præter bella ciuilia, & externa, aliaque mala, quibus affligebatur, peste etiam laboraret: ad quam curandam Lacedæmonij humano auxilio destituti, ad opem diuinam implorandam assurgunt, & legationẽ ad Niconem virum sanctissimum, de quo supra diximus, decernnnt. Is Spartam venire abnuens, Amyclas petijt. Quod cùm accepissent Lacedæmonij, certatim accurrere rogantes, vt Spartam vsque contenderet, Ciuitatem à pestifera lue, magnam iam partem depopulata, liberaret. Nicon benignè annuit, sed interposita conditione, si gentem Iudaicam, cuius piaculis Ciuitas contaminata esset, Vrbe exigere proposuissent. Recepere illi:& pergente cum ijsdem Nicone, vt primum ad Vrbem peruenit, lues cessauit; Ciues contra promissis stantes, omnes Iudæos eiecerunt. Ea fama plures exciti, ad pellendos vndique è finibus Christianorum Iudæos se accinxere. Quæ res magnam à defensoribus prauitatis persecutionem attulit Niconi: omnibus tamen ille superior triumphauit. E

S. NICON LACEDAMONIOS PESTE LIBERAT.

Ad

A Ad hunc præterea annum plerique, licet Marianus Scotus ad sequentem, recensent Othonis aduersus Græcos, & Saracenos pugnam. Hic secundus eius aduentus in Campaniam, & Calabriam fuit, vt tradit Leo Ostiensis: & præcesserunt vaticinia satis infausta, quòd Otho, à patris optimi moribus degenerans, non pauca contra iura Ecclesiarum admiserit, de quibus anthor eius temporis, res gestas S. Adalberti prosecutus, necnon qui scripsere tempora Adalberti Magdeburgensis, cuius, vt superius diximus, Adalbertus discipulus & nutritius fuit. Eius igitur infelicem pugnam Sigebertus ita describit, vt in hoc conflictu omnes Romanorum copias vsque ad internecionem pene deletas velit. *Imperator*, inquit, *natando nitens euadere, à nautis ignorantibus eum capitur, & à quodam eorum, qui negociator Sclauorum erat, agnitus, nec proditus per illum, re delata ad Imperatricem, & Deodericum Metentium Episcopum, qui in Ciuitate Rhosan rei euentum præstolabātur, difficulter per Sclauum & Episcopum liberatur: nautis quippe ad pecunias pro eo redimendo allatas inhiantibus, Imperator ascenso equo vix euasit. Omnibus pro infortunio Reipublicæ animo consternatis, sola Imperatrix fœminea & Græca leuitate insultabat eis, quòd ab exercitu suæ nationis victi essent Romani: ac per hoc cœpit Primatibus exosa haberi*. Hæc Sigebertus. Et ante hunc Lambertus narrat, in eodem prælio occisum esse Henricum Augustensis Ecclesiæ Episcopum, Vvernerum Abbatem Fuldensem, pluresque alios fortes milites. Et hoc nempe accessit ad culpam, quòd viri Ecclesiastici militarent.

Apud Sur. 23. April. OTHO INFELICITER PUGNAT.

B (margin letter)

Ad ann. 982.

C De hoc conflictu plerique Germanorum Scriptores meminerunt: sigillatim tamen Dithmarus describit, quomodo adepta primum victoria, post, à victis sint superati. Initium fugæ factum à Romanis, meminit etiam Cranzius in Metropoli; & de desertoribus Romæ ab Othone supplicium sumptum insinuat: id tamen alia occasione factum Siffridus Presbyter, & alij ostendunt. Mirum verò, in Græcis nihil haberi, quod sciam, de tam insigni suorum contra Romanorum Imperatorem victoria, in qua fortunā, & virtutem haud paucis iactare erat, nisi fortasse Basilij Imperatoris victorias, vbique in Oriente, præsertim contra Russos & Bulgaros circumferentis, scribere intenti, res Occidentis non re pexerunt.

Lib. 3. Chron. Lib. 3. cap. 35. Ad ann. 978.

D (margin letter)

Cuiusmodi autem ista fuerint, ob quæ Otho Imperator vltionem Dei, & pœnā temporariam prouocauerit, ex pluribus congerit Baronius ad hunc annum: vbi inter alia refert etiam visionem de Principibus Capuano, Salernitano, alijsque ad inferos condemnatis. Nec postremum fuit, sublatus ab Ecclesia Mersepurgensi, Diuo Laurentio dicata, Episcopatus. Quæ tamen postea Otho Tertius, simul ac Imperij habenas moderandas suscepit, piæ matris suasu, pleraque emendauit.

OTHO CUR VICTUS.

E Ab ea clade reuersus Otho, præ animi mærore non diu superuixit: mox tamen Roma Veronam profectus, de filio suo successore, Othone Tertio eligendo Comitia habuit. Id factum post obitum Othonis censet Sigebertus. Ait enim, *eo Romæ mortuo, de Imperatore substituendo dissensionem fuisse inter Primates; alijs filio ipsius Othonis deberi Imperium certantibus; alijs odio Imperatricis, à filio eius Imperium transferre volentibus ad Henricum Ducem, filium Henrici, fratris Othonis Primi*. Cæterùm Dithmarus, hoc anno ipsum Veronæ electum, & coronatum itidem ante obitum Patris, Aquisgrani, die Natalis, scribit: quod tamen difficile videtur, cum paulò ante dicat, Othonem patrem defunctum septimo Idus Decembris: Vt proinde non nisi electio Veronæ facta videatur, dilata

Lib. 3. Chron.

coronatione; quæ inter, mors patris intercessit: cùm præsertim constet Othonem Tertium, adhuc puerum, factione raptum ab Henrico, & in custodia detentum, quoad Principes eum de manu Henrici extorsissent, & in Regnum, quod inter alios notat Sigebertus; sublimassent. A

Porrò Imperator Otho Verona discedens, matrem Papiæ reliquit, & inde Romam rediens, vulnus animi diutius ferre non potuit. Sentiens verò adesse extrema, pecuniam omnem in partes quatuor distribuit: Ecclesijs, pauperibus, sorori Mathildæ, quam plurimum dilexit, denique suis ministris & militibus. *Post hæc facta*, inquit Dithmarus, *Latialiter* (hoc est Latine) *confessione coram Apostolico atque Presbyteris, accepta ab eis optata remissione, septimo Idus Decembris, ab hac luce subtractus est: terraque commendatus, ad introitum Orientalis Paradysi domus S. Petri, cunctis patet Fidelibus. Et Imago Dominica honorabiliter formata, venientes quoque stans benedicit.* Hæc Dithmarus. B

OTHONIS OBITUS.

Qui cùm dicit, factam coram Apostolico, atque Presbyteris confessionem, ab eisque acceptam remissionem, intelligendum est de pluribus confessionibus sacramentalibus, diuersis Sacerdotibus, & secreto factis, non autem de vna publicè coram pluribus facta: nisi id generatim, & humilitatis gratia, præsertim de manifestis noxis fecerit; quod consueuisse olim viros etiam sanctos, sæpe legimus: quanquam si id quispiam pro maiori sui confusione, de secretis etiam publice coram Sacerdote manifestandis fieri velit, dum scandalum absit, nihil refert ad Sacramentum, etsi vsus aliud præscribat. C

Quòd autem ad introitum Orientalis Paradysi domus sancti Petri sepultus dicatur Imperator, significatur mos antiquus in Ecclesijs construendis seruatus, vt templa & altaria ad Orientem respicerent; vel si id commodè fieri non posset, locus saltem aliquis, siue in vestibulo, siue in atrio templi viseretur, apposita Imagine, ad quam conuersi Fideles ante ingressum adorarent, ijsque locus Paradysus dicebatur, sumpto ex traditione Patrum vocabulo, quod Paradysus, vnde primi parentis eiecti sunt, ad Orientem positus crederetur, & ante vitæ ingressum. In hoc ergo loco Sancti Petri, sepulturæ mandatus est Otho Imperator, *In labro porphyretico in atrio Ecclesiæ Beati Petri Apostoli*, vt inquit Leo Ostiensis, *introeuntibus in Ecclesiæ ipsius Paradysum ad leuam*. Viuente Baronio, meoque tempore, visebatur adhuc eodem loco Porphyreticum illud, & perseuerabat Imago illa veneranda Saluatoris stantis, & introeuntes benedicentis, habens Imagines Sanctorum Apostolorum, à dextris, Pauli; à sinistris S. Petri, musiuo antiquitus efformatas. Postea tamen Paulo Quinto Pontifice Maximo, vbi area Templo laxando cessit, sublatum inde Porphyreticum, in Crypta sub Confessione Sancti Petri, vbi multorum Pontificum sepulchra visuntur, conditum est. Imago vero illa in ingressu Palatij Pontificij primæ portæ imminet: de cuius forma, cur nimirum Paulus Petro à dextris constitutus sit, variæ inter antiquiores etiam Scriptores habentur inquisitiones, de quibus nos egimus in notis ad Epistolam B. Virginis, ad Messanenses, vt fertur, datam, vbi de varijs Deiparæ Iconibus antiquitus pingi solitis tractauimus. Sublata porro dicta Saluatoris Imagine, & laxato Principis Apostolorum Templo, mos ille populi ante ingressum, versa facie ad Orientem adorantis, eo loco cessauit. D E

PARADYSUS, QUI LOCUS IN ECCLESIA.

S. Athan. de plur. quæst. 14. S. Basil. de Spiritu sancto. c. 27.

Lib. 2. cap. 9.

CONDITORIUM OTHONIS PORPHYRETICUM, VBI

A Hoc eodem anno S. Adalbertus Pragensis Episcopus, cũ apud suos Bohemos vehementer aduersos proficere nihil potuisset, eos deserens Romam abijt, inde Hierosolymam profecturus. Causa dissensionis erat, quòd populus duræ ceruicis cum cognatis misceretur, & sine lege cum vxoribus multis: quòd mancipia Christiana perfidis Iudæis vendebat, diesque festos confusa religione, rituque gentili obseruabat, dominicum in foro agens, dies vero ieiunijs dicatos voluptatibus traducens: denique, quod Christianam religionem maxime deformabat, Clerici ipsi castitatem proculcantes, palam vxores ducebant. Quibus abusibus cùm Adalbertus varijs modis acriter obuiam iret, omnium odia in se concitauit, ac paratas insidias, tandem meliora charismata æmulatus, vitare proposuit. ADALBERTVS PRAGENSIS ROMAM REDIT.

B

Romam vbi venit, ab Imperatrice Theophania accersitus, massam ingentem argenteam accepit, subsidium itineris Hierosolymitani, & vt pro anima defuncti Imperatoris oraret. Verùm ipse parum sibi prouidens, cito se eo onere liberauit, sequenti nocte pauperibus omnia distribuens. Mox ad summum Pontificem supplex accessit, & facultate dimittendi Episcopatus impetrata, peregrinationem ad loca sancta, eiusdem benedictione obtinuit. Nec mora, Vrbem egressus, quoquo tandem ductu, ad montẽ Cassinum peruenit: vbi cùm Abbati, & fratribus votum suum explicasset, ab ijsdem castigatus, & ne inutili vagatione tempora tereret montius, salutare consilium admisit, & profectionem sibi inhibuit. Quare totus in religionem accensus, cùm de sanctitate Nili non longe illinc, in loco qui dicebatur Vallis lucis, morantis audiuisset, festine ad eum descendit, ac vt discipulus eius esset rogauit. Verùm Nilus certiora animo prospectans, *Græcus*, inquit, *homo ego sum: melius id genus officij ex Monachis Latinis exigas. Redi igitur quamprimùm Romam Sanctorum nutricem, & quære isthic nobilem Abbatem amicum nostrum Leonem, & dic me misisse te rudem discipulum ad talem magistrum. Eo Duce ad prælia Domini securus accesseris, & maiori in dies incremento perfectionis ad metam pertigeris.* ADALBERTI PROFECTIO HIEROSOLYMITANA IMPEDITA. QVID S. NILVS AD ADALBERTVM.

C

D

Paruit Adalbertus, & Romam veniens ad S. Bonifacium, vbi & S. Alexius, à Leone Abbate, prius tamen summo Pontifice consulto, admissus, & habitu indutus, ad omnem pefectionis normam sese cœpit exercere; breuique eo peruenit, vt omnibus non exemplo tantùm, sed admirationi esset. Cur autem non permanserit cum Monachis Cassinatibus, causam affert Leo Ostiensis, quòd Monachi eum non tanquam Monachum, sed tanquam Episcopum obseruaturi erant; eo maximè retinentes, vt Ecclesias Ordinis dedicaret, & clericos ad sacra promoueret: quod is moleste tulit, nec cum habitu monastico stare posse existimauit. Lib. 2. cap. 17.

E A Nilo verò Abbate eò receptus non est, ne Cassinates ægrè ferrent, se ab Adalberto ea ratione desertos, quem ipse suscepisset; vnde futurum erat, vt ipse facile cum suis loco pelleretur. Romam itaque à Nilo directus, atque in S. Bonifacij Monasterio susceptus, aliquot annis monasticam egit. Addunt aliqui, non solum Adalbertum, verùm & germanum eius Gaudentium idem vitæ institutum, eodem in Monasterio fuisse consectatum. Inter alia Codex S. Cæciliæ, quo vsus est Baronius, habet, non prius acceptatum à Leone Abbate Adalbertum, & indutum monastico habitu, quàm consultus Ioannes Papa, hoc faciendum respondisset. Ex quibus sequitur eum non hoc anno, sed sequenti, quo defuncto Benedicto successit Ioannes Decimusquartus, monasticã vitã fuisse amplexũ. ADALBERTVS ROMÆ MONACHVS.

A

Indict. 12.

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAP. XIV. ANNVS	OTHONIS III. IMP. 1. BASILII, ET CONSTANT. 9. GEYSAE 14.
984.	1.	

BENEDICTI VI. OBITVS.

HOc anno postquam Ecclesiæ præfuisset annis nouem, Benedictus Pontifex migrauit, die decima Iulij, feria quarta. Eidem subrogatus est Ioannes Decimusquartus, antea Petrus dictus, Episcopus Papiensis, Othonis Secundi Imperatoris Archicancellarius. Facessit tamen dubium, quomodo plerique dicant, hoc anno migrasse Benedictum die decima Iulij, cùm in Constitutione Sodalitij hoc anno contracti, pro suffragijs ad iuuandos defunctos Sodales ferendis, habeatur nota: *Ioannis Decimiquarti Papæ, mensis Februarij dies vigesimusquintus, Indictio duodecima, Annus Dominicæ Incarnationis nongentesimus octuagesimusquartus.* Cæterùm, cùm plerique conueniant in die mortis Benedicti, & in subrogatione Ioannis, die vigesima Iulij, fatendum est in notis prædictæ Constitutionis errorem irrepsisse, vt pro Benedicto Ioannes signaretur; cùm præsertim eiusmodi Constitutio, quæ hodieque in Diaconia Sanctorum Martyrum Cosmæ & Damiani in Tabula marmorea ostenditur, verosimiliter tardiùs incisa fuerit, errorem que subducentibus parere potuerit. Subrogatus porro est Benedicto, ex Petro Episcopo Papiensi, Ioannes Decimusquartus, non ita pridem Othonis Secundi Imperatoris Archicancellarius. B C

Narrat ad hunc annum Sigebertus, defunctum Theodoricum Metensium Episcopum; eundemque prædixisse, vix aliquem Principum, qui ex clade Othonis in bello Calabrico euasisset, diu superuicturum; idque secundum prophetiam viri Dei, euentu fuisse probatum.

Inter hæc perlata ad Hungaros clade Othoniana; nec multo post eiusdem morte consecuta, cùm in Germania quoque ob electionem Othonis Tertij tumultuaretur, Hungari occasione arrepta, de bello rursum ciendo cogitabant: & fecissent ex quorundam inquietorum sententia, nisi Geysa, iam animo ergà Christi religionem Regno suo inferendam obfirmatus, constanter aduersum nixus fuisset, adiuuantibus ijs, qui cũ Piligrino venissent, quosque postea misisset, religiosis, & ecclesiasticis viris; necnon qui horũ opera non pauci nobilũ, quemadmodum diximus, Christo nomen dedissent; quibus quantũ laboris reliqui nondum emolliti, immo Fidei Christi prorsus iniurij facessiuerint, in loco dicetur. D

GEYSA HVNGAROS CONTINET.

E

Indict. 13.

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAPAE XV. ANNVS	OTHONIS III. IMP. 2. BASILII, ET CONSTANT. 10. GEYSAE 15.
985.	1.	

IOANNIS XIV. OBITVS.

BOnifacius, quem alibi diximus, Constantinopolim profugisse, cùm primùm accepit defunctum Benedictum Septimum; necnon Othonem Imperatorem, cuius patrocinio successerat Ioannes Papa, Romam hoc anno reuersus,

A ſus, Sedem Apoſtolicam iterum occupat; ſed non diu tenet, poſt quatuor ſcilicet menſes extinctus, defuncto interim & Ioanne, die Auguſti vigeſima, feria quinta. Succeſſit Ioannes Decimuſquintus natione Romanus; ſub quo Romana Eccleſia, fauente præſertim Othone Imperatore, non minimum reſpirauit.

Hoc anno Bohemi iniquè ſæuiunt in conſanguineos Adalberti ſui Epiſcopi. BOHEMI IN COGNATOS ADALBERTI SÆVIVNT. Nam quòd is Romam abiuiſſet, Epiſcopatu ob ſcelera indigenarum relicto, exiſtimarunt laborare eum apud Pontificem pro coërcenda ſuorum libertate: contra, alijs culpam facinorum ſuorum in eundem retorquentibus, vnanimi
B tandem conſpiratione oppidum Lublicz inuadunt, & quos inueniunt quinque germanos eius, crudeliter necant: horum nomina Sobbabor, Spiczmirus, Sobroslauius, Zimiſza, & Czaslavvius. Nec his contenti, omnem cognationem, oppido flammis tradito, extinguunt. Seruatus eſt Gaudentius, quem penes ſe Romæ habuit; & Porauius, qui in Polonia apud Principem Boleslaum agebat; & cùm Bohemiam repetere non auderet, ad eodem & poſſeſſionibus donatus eſt. Ex cuius ſtirpe deinde extitere Nobiles, quorum inſignia, roſa candida in area rubea, cum ſymbolo vocabuli *Porrai*, quòd authorem ſtirpis huiuſce in Polonia denotaret.

C Inter hæc Geyſa magis ac magis ad propagandam Chriſti religionem inter GEYSÆ PRVDENS DISSIMVLATIO. ſuos intento, tantam diligentiam Proceres quidam male feriati, ſuperſtitionem reputantes, reprehendere primùm cœpere, quòd ceremonijs potius quàm bello occuparetur; accuſare deinde incuriam, quòd opes augere more Maiorum, & domitis nationibus Regnum proferre negligeret, ea præſertim occaſione, quam turbatis in Italia, Germania, & Græcia rebus, fortuna ſubminiſtraret, dum interea is muliebri ſtoliditate, nouæ religioni ſtuderet. Nec defuere, qui illudere auſi, tanquam ſtultitiam liberius increparent, & imperia detrectarent, plura iocis profanis obliquè obijcientes. Quibus ipſe interim admirabili prudentia proſpe-
D xit, vt mites verbis, difficiles minis flecteret, obſtinatos armis etiam, ſi opus foret, in officio contenturus.

Id vt commodiùs exequeretur, finitimorum auxilia, quibus ad veram ſapientiam peruicaces animos retraheret, clam implorauit. GEYSA CLAM AVXILIA PARAT. Quin verò illos maximè populos ſibi maiore ſtudio reconciliare curauit, quos maiori damno Hungari aliquando affeciſſent. Nec conſilium euentu caruit. Omnes quippe finitimi, cùm Regem Hungarorũ Chriſti ſacra meditantem intellexiſſent, & fœdera vltro detulere, ac vt ſuos ad faciendum ſanctæ Fidei officium adducere quamprimũ valeret, omnes fortunas, copias, & auxilia promiſere; vel ea ſpe, non dubia, quòd
E ſi Hungari Chriſto parerent, Scythicam immanitatem poſituri, non ampliùs in exteros, eoſque Chriſtianos graſſaturi eſſent; ſed caritatem, pietatem, & iuſtitiam colentes, necnon diuino timore prædití, pacem cum omnibus ſeruaturi forent. Nõ inane hinc eſt documentum, quid Principes Orthodoxi facere queant, ſi ſubditos religione diſſentientes, morem gerere velint.

Circa hæc tempora, ipſe quoque Geyſa cum coniuge, & tota familia, multiſque GEYSA CVM TOTA FAMILIA BAPTIZATVR. familiaribus ſuis, vndis ſalutaribus creditur expiatus. Nam qui hactenus alijs poteſtatem fecerat, pluresque à Piligrino, vt diximus, tinctos gaudebat, indecorum ſibi fore arbitrabatur, ſi poſt tot pro religione Chriſtiana molimina, non ipſe reliquos exemplo, & fortitudine præiret, palamque oſtenderet non ſimulate

aut

Pet. Ranzan in epit. Ind. 8.; Ioan. Pistor. in Geneal. Reg. Hung.

aut ludo, quod nonnulli profani iactabant, sed seriò, & ex religione se pro Christo rem gerere. Quare Scriptores rerum Hungaricarum, aliqui primum in hac gente Christianum Principem fuisse Geysam affirmant; alij absolute primum Hungarorum omnium credidisse in Christum, eiusque obedluisse Euangelio dicere non dubitant. Quis ipsum expiarit, non inuenio: verisimile est fuisse aliquem ex ijs, quos Piligrinus, aut instituerat, aut ex adductis secum reliquerat, vt tractabilem Principis animum formaret, quoad idoneus esset ad religionē capessendam. Nec improbabile est, Geysam ab ipso Piligrino Baptismum suscepisse: quid ni enim, vt tot millibus magna ex parte nobilibus, qui ab eodem abluti sunt, ipse animos adderet, & caput esset, quando in eum finem Piligrinum aduocasset? Id tamen ne affirmare ausim, epistola Piligrini ad Benedictū Septimum data, facit; in qua cùm de cæteris sacro lauacro ablutis, numero agit, Geysæ Ducis non meminit; non vtique omissurus, si fuisset; quamquam ab eodem in Pannoniam vocatus, id maxime præstaret, vt cunctis potestate facta in promulgando Euangelio, suo fungeretur officio; Geysa interim meditando, & agendo satagente, quoad res & tempus, publicam profitendi Christi necessitatem proposuisset. Quocumque modo id acciderit, si circa hæc tempora euenisse dicamus, ne fortasse ab anno quidem longe abludimus. A B

GEYSÆ VOTUM IN BAPTISMO.

Illud constat, in sacro Baptismo Geysam animo concepisse, nullum se lapidem non moturum, quo omnes suæ ditionis homines, Christi sacra amplecterentur. Vnde ex eo tempore omnem curam huc conuertit, vt Pannonia tota quamprimum Christiana & Catholica audiret: nec iam, vt antea fecerat, edicto proposito, Christianis accedendi tantum, & Clericis, Monachisque Euangelium docendi, & sacras ædes extruendi potestatem faciebat, verùm ipse collegia Sacerdotum disponere, rem sacram quotidie curare, Templa, quæ Caroli Magni pietate erecta, post euersa fuerant, restituere; denique nouos Episcopatus, ne longe id subsidij petere cogeretur, designare contendebat. Quæ dum diuino spiritu afflatus molitur, multorum pectora emollit quidem, sed in pluribus adhuc edomandis plus laboris, & temporis insumendum restabat: quippe gens duræ ceruicis, ad patrios ritus abolendos, nouamque religionem, vt videbatur, inducendam, ac leges ab ijs accipiendas, quos grauissimo bello sæpe contriuerat, ægre se adduci patiebatur. C D

GEYSÆ APPARET ANGELVS.

Sed enim fluctuante Geysa, & nimium anxio, qua ratione cœpta perficeret, iterum mira quadam prouidentia benignus Deus, qui nunquam piorum conatus deserit, consuluit. Misit quippe cælestem interpretem, iuuenem humana specie augustiorem, qui hæc ei noctu in quiete ederet. *Pax tibi, Christi electe: facessat cura hac & solicitudo; non fiet per te quod meditaris: habes enim manus humano sanguine pollutas. Nascetur autem tibi filius, qui Diuinæ prouidentiæ consilio id efficiet, quod tu animo concepisti. Erit is Rex, & ex eorum Regum numero, quos Dominus elegit, coronam Regni temporarij æterna commutaturus. Tu verò hominem spirituali legatione apud te functurum honorificè excipito; exceptum reuerenter habeto; eius cohortationibus sincerum pij pectoris affectum adhibeto.* Quibus dictis disparuit. Expergefactus autē Geysa, & stupens ad visionem, priùs secū, deinde cū Christianis, & suis hominibus, quæ vidisset pertractare cœpit. Mox humi totus prostratus, expansis manibus humiliter gratias Deo egit, seque Principatūque suū, cū filio nasciturо, curæ illius, qui nō dormit neq. dormitat, lacrymabūdus cōmendauit. E

Vt

A Vt porro omnis ambiguitas tolleretur vxori quoque eiusdem, dubio procul religiosæ fœminæ, (Saroltha ea, siue Ascolta fuit, Giulæ, quem alij Iuliū vocant, vnius ex septem Ducibus Hungarorum, seu Capitaneis, alij Ducem Transyluanorum vocant, filiæ) iam partui proximæ, huiusmodi visio diuinitus oblata est. Apparuit quippe beatus Protomartyr Stephanus, Leuitico habitu insignitus, ita eam compellans. *Confide mulier in Domino, & certa esto, te filium parituram, cui primo huius generis, & Regnum, & corona debetur, cuique similem nunquam sit habitura Pannonia. Tu verò illi nomen imponas meum.* Ipsa porrò cum admiratione, quisnam esset, sciscitata: *Stephanus*, ait, *ego sum, qui* B *primus pro Christi nomine martyrium obiui.* Et his dictis disparuit. Eandem plane visionem & Giulæ oblatam scribunt nonnulli. *Cromer. lib. 3. de reb. Pol. in Miecislao.*

Sed hinc liceat non parum admirari, quo consilio Diuina Sapientia, quemadmodum à Dauide noluit sibi domum ædificari, quòd plurima bella bellans, multum humani sanguinis fudisset; ita persimili de causa, neque à Geysa sanctitatem, & salutem Hungarorum, voluit perfectam; verùm vtriusque studia nascituris filijs seruauit, horum virtute parentum quoque merita pensans. Egregio sane documento, multo minus placere vota, & conatus gentiū religione cognatarum; quorum bellis, quia bella Domini minime sunt, tantum abest vt Do- C mus Dei ædificetur, vt contra, Templa & aræ, immani impietate destruantur, sacra omnia polluantur, denique communis Fidei hostibus Religio prorsus excindenda obijciatur.

Non est hoc loco prætereundum, quod quidam tradunt, fuisse Geysæ duas ante Saroltham, quæ Stephanum edidit, vxores: Alteram quidem, de cuius nomine non constat, ex qua suscepit Iuditham, deinde Boleslao Miecislai Ducis Polonorum filio nuptam; alteram vero Adeleiden eiusdem Miecislai sororem, à qua persuasus Geysa, cum Hungaris suis Christianam & ipse religionem quinto post Polonos anno susceperit. Ita Dlugossus & Vapoius apud Cromerum, *Lib. 3. in Miecislao.* D qui tamen fatetur Annales Hungarorum, nullam Adeleidæ huius, sicut neque prioris coniugis, facere mentionem, sed eum Christianum iam antea factum, Hungaros quoque adduxisse; & ex Ascoltha, Giulæ Ducis Transyluaniæ filia, Stephanum filium, & heredem reliquisse. Addit se hanc litem, haud diremptu- rum: Illud quidem constare, vel eodem tempore, vel certe paulò posterius, Hungaros quàm Polonos populariter cum suis Principibus Christo nomina dedisse, Stephanumque Geysæ filium à Diuo Voicecho, siue Adalberto, primis Christianorum mysterijs initiatum, vel certe confirmatum esse anno post Christum natum nongentesimo nonagesimonono. Hæc & plura id genus Cro- E merus. Quæ cuiusmodi sunt, ex horum serie Annalium, & digestis iuxta rerum ordinem temporibus elucescunt, vt alia discussione non egeant.

Tandem ad finem huius anni editur in lucem Strigonij puer elegans, notus Domino, secundum Prophetam, priusquam in vtero conciperetur, & per Stephanum Protomartyrem à Domino appellatus antequam natus; cui mox in sacro fonte nomen Stephani diuinitus indicatum impositum est. Adfuisse initiando Adeodatum, vel vt alij, Theodatum San Seuerinatum olim in Apulia Principem, plerique scribunt; imò & sanctum infantem ex lauacro eduxisse, vt deinde patris iure plurimum in eo educando posset. Venisse hunc in Hungariam cum plerisque alijs externis familijs, ea occasione tradunt, qua Geysa reli- *NASCITVR STEPHANVS.*

gionem Christi in sua ditione propagaturus, multos Christianos Principes inui- A
tauit, auxilio sibi futuros, si quid subditi detrectantes aduersi molirentur. Eun-
dem verò postea Geysæ, & Stephani amore captum, mansisse isthic, acceptis à
Rege possessionibus, illustrem familiam inserturum, si sors tulisset: sed quamuis
vxorem haberet, nulla tamen suscepta prole migrauit. Interim, dum in viuis
esset, multis pijs & præclaris operibus effulsit, ac inter alia Monasterium, cui no-
men vulgo *Tata*, fundauit. Ratio nominis, Stephani pueri, quem educabat,
vox fuit, siue quòd infantum more, hoc vocabulo illum ceu patrem compella-
ret; siue quòd in illa ætatula, Adeodati vocabulum difficilius formando, breuiùs,
& balbutiendo exprimeret; siue etiam, vt alij notant, quòd deinceps quoque reue- B
rentiæ causa, hoc eum velut patris nomine compellaret. Ita porro cùm dicen-
dum esset *Adeodati Monasterium*, deerrante voce, *Tata* nomen accepit, & ad-
iunctæ quoque munitæ arci cognatum fecit. Eodem in loco post aliquot secula
Matthias Coruinus, deinde Rex Hungariæ, à Stephano trigesimusquartus, Re-
giam cum viuarijs, & lacu celeberrimam extruxit, cuius hodieque vestigia quæ-
dam extant.

QVIS S. STEPHANVM BAPTIZARIT. Quis porro Stephanum sacro fonte lustrauerit, ambiguum est: nisi idem fuerit
qui & parentes regenerauit. Nam quod plerique Diuum Adalbertum Pragen-
sem Episcopum, id muneris obiuisse existimant, non animaduertunt Adalber- C
tum aliquot post annis in Hungariam venisse, vt in loco dicemus: nisi dilatam
solemnitatem ad eius vsque aduentum fuisse cogitemus sine causa: sed neque in
visione parentibus oblata significatum, authore discreto, legimus venturum
Adalbertum, nisi ad religionem in populo formandam: qua etiam de causa, qui
cautius scripserunt, Stephanum ab Adalberto, aut baptizatum, aut edoctum, [Cromer. lib. 3. de reb. Pol. in Miecislao.]
potius, & confirmatum quàm educatum dixerunt, aut certe de baptismo reti-
cuerunt. Huc vero plurimum facit Romani Martyrologij authoritas, quæ cùm
Adalbertum Polonis & Hungaris prædicasse, non vulgari sane laude comme- [April. 23.]
moret, de baptizato ab eodem, Stephano Rege silet; non vtique prætermissura D
tam illustre genus commendationis, quo & Syluester Papa de Constantino Im- [Decemb. 31.]
peratore, & Remigius Rhemensis de Rege Clodoueo, & Ambrosius de Augu- [Decemb. 6.]
stino sacro fonte initatis, alijque de alijs eximijs, singulari quadam nota audien-
tes decorantur.

Multo verò minus cum veritate constat ijs, qui baptizatum ab Adalberto Ste-
phanum volunt, quo tempore Adalbertus, nondum Episcopus, vel Sacerdos
fuit, vel certè, cùm iam in viuis esse desijt. Hi sunt, qui Stephanum anno
Christi millesimo sexagesimonono, aut centesimo in lucem editum ponunt,
quando sexagesimonono, nondum sacris initiatus, ante centesimum verò trien- E
nio martyrium obierat. Quòd vero non nemo natum velit Stephanum anno
Christi nono supra millesimum, errorem calami potius dixerimus quàm
iudicij.

IESV.

A

IESV CHRISTI ANNVS 986.	IOANNIS PAPAE XV. ANNVS 2.	OTHONIS III. IMP. 3. BASILII, ET CONST. 11. GEYSAE 16.	Indict. 14.

Stephanus infantiæ primum annum futuræ sanctitatis indicijs signat; inter vbera nutricis pendens cælestia affectat. Fertur, cùm primùm linguam in vocem soluere conaretur infans, inter blæsa verba, nihil prius quam nomen Saluatoris protulisse; à primo vagitu, vix aliquando in fletum solutum, ipsam infantilem ætatulam, grauitate quadam cum hilaritate coniuncta temperasse, vt manus Domini cum illo esse continuò videretur; quando non magis lacte nutricis, quàm gratia Spiritus sancti pietatem irrorante nutriebatur. Geysa pius parens interim non sine admiratione, & ardenti desiderio præstolatus rerum sibi prædictarum euentum, nihil intermittebat, quo Diuinæ voluntati placeret; ante omnia satagens, vt quamprimum fieri posset, Stephanum puerum, à teneris vnguiculis, literis & sanctis moribus probè imbuendum curaret. STEPHANI SANCTA INFANTIA.

B

C Hoc anno mense Octobris ingens terræmotus, concussit, primùm quidem Vrbem Constantinopolitanam, deinde Græciam vniuersam; quo tempore Deo, ciuium intemperantiæ flagitijsque irato, quemadmodũ viris quibusdam pijs reuelatum est, Lacedæmoniorum Regio vniuersa propemodum deleta est. Tum etiam accidit, vt Sancti Niconis Deum intensa oratione placare æstuantis Imago, in saxo, vnà cum figura virgæ crucigeræ relicta fuerit: quod miraculi vniuersis argumento fuit, quanta vir iustus apud Deum polleret gratia & fiducia, & quid sperare per eum possent, qui tanti Patroni opem requirerent. GRAECIA TERRAEMOTV CONCVSSA.

D

IESV CHRISTI ANNVS 987.	IOANNIS PAPAE XV. ANNVS 3.	OTHONIS III. IMP. 4. BASILII, ET CONST. 12. GEYSAE 17.	Indict. 15.

Hungari, pueri Principis indole suspensi, futuros euentus alijs atque alijs animis prospiciunt; pij quidem de religione Christi propaganda omnia

E sibi promittunt; sed quibus superstitio Maiorum cordi esset, pro metu versant, quæ sibi noxia fore suspicantur: neque tamen interea moribus pueri in omnem sanctitatem spectantibus, ad mansuetiores cogitationes non flectuntur, satagente Geysa Patre, vt ab omnibus amaretur.

Porro eos, qui Christiana sacra nondum amare didicerant, excitabat fama conflictati malis Orientalis Imperij; vbi Phocas Barda à Proceribus Imperatori Basilio succensentibus, quòd dum Bulgaricam expeditionem institueret, nullo numero habiti fuissent, Imperator acclamatur, & diademate alijsque Imperij Insignibus exornatur. Plures itaque Hungarorum, iam Græciæ assueti, & Bulgaris infensi, aut in Græciam migrandũ sibi proponebant, Græcis libera religionē milita- HVNGARI DIFFICILES AD CONVERSIONEM.

militaturi, vel etiam cum Bulgaris reconciliandi, siue demum in Græcos, siue A alios mouendum esset, dum procul à Christi lege; aut certe exemplo à perduellibus petito, idem sibi non difficilius factu fore contra Geysam, & nouellam prolem persuadebant, nouo Principe, & suis subrogato, quàm ipsi contra Basilium attentassent. Et fortasse cum tempore satis voto fecissent, nisi Barda Phoca extincto, rebelles à Basilio domitos, & varijs supplicijs affectos intellexissent; quem proinde Christianis fauentem, imò & pro religione pugnantem tentare non sunt ausi; sed neque Bulgaris, quos non ita pridem copiosa præda abducta lacessiuissent, confidebant.

Moritur hoc anno Ludouicus Quintus, Francorum Rex, vt quibusdam B placet, stirpis Carolinæ nouissimus, vix anno vno Regno potitus. Cui liberis orbo, successit ex Procerum votis Hugo cognomento Capetus, siue Caputius, & *In Chron. à Pithaeo edito.* ipse, si quæ fides Vvilhelmo Mangio, Carolini generis, ex repromissione Sanctorum Richarij & Valerici Regnum Francorum obtinens. Nam quia Pater eius Hugo, Magnus Comes Parisiensis, translata in Flandriam terrore Nortmannorũ Gallias vastantium, corpora dictorum, per visum monitus Ecclesijs suis reddi procurauit, Valericus ei in somnis apparens: *Quia*, inquit, *hoc fecisti, generatio tua post te in Regno Francorum in septimam vsque generationem, & in perpetuum regnatura est*. Vt idcirco, quemadmodum Mangius ait, *Hugo iste Rex Franco-* C *rum factus videatur per Domini voluntatem*. An autem, & quomodo prædictio *Paul. Aemil. in Ludou. & Hugone.* eiusmodi responderit euentui, consule authores, qui Ludouicum ex Caroli Magni agnatione supremum gessisse nomen regium affirmant; & Hugone subrogato, *Tertium stemma in solio locatur, haud vnquam Francis pœnitendam*. *Ad ann. 912.* Satis hoc loco meminisse, quod alibi adstruximus, seriem Carolinam, non vsquequaque in Regibus, alijsque minoribus Principibus, sed duntaxat in Imperatoribus cum Ludouico Germaniæ Rege intercisam.

D

Indict. 1.

IESV CHRISTI ANNVS 988.	IOANNIS PAPAE XV. ANNVS 4.	OTHONIS III. IMP. 5. BASILII, ET CONST. 13. GEYSAE 18.

OTho Imperator, cognito rerum Hungariæ statu, & quòd Geysa Princeps, suscepta Christi Fide, religionis propagandæ studio arderet, eaque de causa missis ad Germaniæ Principes literis, eorundem & amicitiam, & auxi- E lium, si opus foret contra detrectantes imploraret; plurimum gauisus, omnem OTHO GRATVLATVR GEYSÆ DE CONVERSIONE. & ipse fauorem pollicetur, nouellam plantationem vicinis commendans Episcopis, qui præsertim antiquo iure Pannonias sibi vendicarent. Qua in re cùm primas teneret Piligrinus, nulli is labori parcebat, quo per suos, quos continuo mittebat, dignam in Vinea Christi operam locaret. Plurimum tamen obstabant Bohemi, quos Episcopo suo pridem desertos, prauorum licentia morum, in omnem impietatem præcipites agebat.

Ab his itaque cùm non parua ruina Hungaris recèns conuersis immineret, ne cum detrectantibus inita societate res Christiana turbaretur; actum est cum Roma-

A Romano Pontifice, de restituendo Bohemis Adalberto, aut certe nouo Episcopo illis instituendo, qui moribus formandis, & religioni intentus, bonos foueret, dischólos in officio contineret. Missi ob eam rem fuerāt etiam à Metropolitano, & Bohemis pietatis, & recti amantibus, viri præcipui, qui coram summo Pontifice de remittendo ad suam derelictam Ecclesiam Adalberto agerent, idque authoritate eiusdem summi Pontificis interposita ad effectum deducerent. BOHEMI REVOCANT ADALBERTVM.

Hoc tempore verisimile est, Adalbertum ex Italia secum duxisse præstantes illos viros, quorum deinde gestis Bohemia primùm, mox Hungaria, denique Polonia illustrata est: Matthæum videlicet, Benedictum, Ioannem, Isaach, & Christinum, postea Martyrio coronatos: Astricum item, qui & Anastasius, Colocensem Archiepiscopū futurum; pluresque alios. Quibus deinde, extructo à Boleslao pio Principe in Bohemia Cœnobio Breunouiensi, & munificentissime dotato, Abbatis nomine præfuit Astricus; adiuncto etiam Gaudentio fratre Adalberti, quem postea Gneznenses in Polonia dignum habuerunt Antistitem; alijsque sex Monachis aggregatis, quos vitæ sanctimonia commendabat. De quibus singulatim plura dicenda manent.

IESV CHRISTI ANNVS 989.	IOANNIS PAPAE XV. ANNVS 5.	OTHONIS III. IMP. 6. BASILII, ET CONST. 14. GEYSAE 19. Indict. 2.

Qvinquennium Romæ iam egerat Adalbertus in Monasterio S. Bonifacij, siue Alexij, dulcedine morum cunctis placens, & præstantia virtutū longe antecellens; cùm interea ob causas supradictas, & prærerea ob pœnitentiam Bohemorum requisitus à suis, ad destitutam Ecclesiā reuocabatur. Eam ob rem missi duo cum literis Metropolitani, qui tum erat Rupertus Moguntinus; coram Pontifice causam aduentus explicant; vt populo pœnitenti Pastorem restituat, orant; nomine omnium promittentes, nihil in posterum scandali admittendum, paratos ad meliorem frugem, damnatis prioris vitæ noxis.

Pontifex coacta Synodo, tametsi alioqui inuitus Adalbertum dimitteret, iusta tamen orantium petitione permotus, de reddendo eo decreuit his verbis. *Reddimus, quod iuste quærunt malè metuentes filij: sed dabitur eis hac lege: si audierint eum, teneant cum benedictione Dei, & faciant sub eo fructum centuplum. Si autem à consueta iniquitate recedere nolunt, absque sui capitis periculo malorum consortia declinet.* Sit ergo finita Synodo, summi Pontificis, & Abbatis sui imperio, lacrymabundus recedit Adalbertus, accepta prius à summo Pontifice virga pro regimine, anulo pro pignore. ADALBERTVS REDIT IN BOHEMIAM INVITVS.

Vix limites Bohemiæ attigerat die Dominico, & in mercatu magno, profanis negocijs vacantes offendens ciues, magna tristitia affectus est, & ad comites, qui reduxerant, conuersus: *En*, inquit, *quam rata vestra promissio: sicce ine mores emendati pœnitentium?* Nihilominus Pragam pergens, satagebat muneris, si quid proficere posset. Primo aduentu visi omnes lætari, Episcopo suo gratulari, spem vitæ melioris ostendere: sed non diu perstitere. Accidit, vt matrona quædā adulterij conscia, mariti manus euadens ad Episcopum confugeret: quam ille, vt vitam ad pœnitentiam erueret, absconditam in Oratorio clausit. Ex improuiso adfuit armata manus, & nisi mœcham redderet, gladium intentat. Illo renitente, accurrit

qui latentem proderet. Templum illico effringunt, vi irrumpunt, tremulam mulierem prehensis crinibus extrahunt, capite obtruncãt. Hæc effrænis in pietatem, & sacra iura barbaries, adeo consternauit Adalbertum, vt desperato fructu, inter promissi violatores, nec ad pœnitentiam flexibiles, Romam repetierit, relicto interea, qui quantum fas esset in duræ ceruicis populo Christianam religionem, & mores regeret. Ferunt, antequam Praga excessisset, visione dormitanti obiecta, huiusmodi vocem insonuisse. *Tu flertis, & ego iterum infidelibus vendor*. Experrectum verò processisse in forum, & plures offendisse Christianos venales; quos ab impijs venditoribus redimens, saluos abire iusserit; eoque magis animo obfirmatum, excusso puluere maturasse discessum. A

ADALBERTVS BOHEMIAM ITERVM DESERIT.

Sunt qui scribunt, antequam Romam redijsset Adalbertus, ad Hungaros eum abijsse, & eorum conuersionem tractasse. Quod vt fieri potuerit, non multo sane tempore apud eos moram traxerit; nec verum erit, formando Stephano Regio puero aliquot annos insumpsisse, nec Stephanũ vnquam ab eius latere discessisse, quoad doctrina, & exemplo eiusdẽ tantũ hausisset sanctitatis, quãtum suæ gentis saluti, & plenæ conuersioni postmodum satis esset. Quin verò, si vel à primo in Bohemiam reditu confestim in Hungariã profectus fuisset, nonnisi paucos Hungarorum conuersioni menses impendisset; quando & reditus ille hoc anno, & iterata Romam profectio, sequenti, vt dicemus, anno euenit. B

ADALBERTVS QVANDO VENIT IN HVNGARIAM.

Quod res est, negari non debet accessisse illum, iuxta promissionem, Geysæ & vxori diuinitus factam, nec alio quàm huius temporis interuallo, id commodũ accidisse. Venientem quanta cum voluptate exceperit Geysa, facile est opinari, quando ab eo ordinandum religionis statum, quem Piligrinus fundauerat, certo cognouerat. Neque id credendum est, venisse præter voluntatem Piligrini, ad quem de iure spectabat eius executio muneris, vel qui huius locum tenebat, si is in viuis non fuisset; nam quod aliqui vltimum vixisse Laureacensium Episcopũ velint, apud alios in dubium vertitur, qui non vnum numerant Piligrini eodem in loco successorem: quanquam si dignitas Præsulis aliò concessisset, ius quoque cognatum eòdem translatum credi possit, Hungarorumque Ecclesiam constituendam inde pependisse. C

Quicquid tamen de hac disceptatione in mediũ afferatur, nihil impedit, quo minus aliquot mensibus cum Hungaris extractis, quamplurima Adalbertus præstare potuerit, siue adhortando, siue Ecclesias pluribus in locis construendo, multos etiam sacro lauacro expiando; denique omnia, quæ pro tempore ad rem præsentem spectabant, disponendo. Quod autem Carturius ab eodem baptizatũ dicat Regium infantem, Stephani vocabulo eidem imposito; quam difficultatẽ habeat, supra ostendimus. Scripsitis vno post seculo vitam Stephani, iussu Colomanni Regis; dignus fide ob antiquitatem, nisi alij Adalberto citeriores, & qui tunc temporis res ab hoc gestas collegerunt, aliud nobis suaderent. Horum non nemo adeo restrictè de Apostolatu Adalberti apud Hungaros scribit, vt tantum obiter recenseat, eum iuxta positis Hungaris nunc nuncios suos misisse, (quod quidem ante factum oportuit, quàm primò iturus Romam Sedem suam deseruit) nunc seipsum obtulisse. Quibus & ab errore parum mutatis, vmbram Christianitatis impressit. Hæc iste. Nec immeritò alij Apostolatum Hungariæ primũ Piligrino vẽdicant. Mansit tamen id nominis, etsi à Martyrologio Romano præteritum, Adalberto, cuius gesta notiora, & à pluribus sunt conscripta. D E

Nam

A Nam quòd iuxta positis Hungaris interdum suos nuncios misit, ac demum Prutenorum Apostolus Martyrio munus concluserit, commissis vocabulis, vtriusque gentis, imò & Bohemorum Apostolus vulgo audijt; cohærent cum his, quæ Baronius ad hunc annum, postquam ex Cartuitio profectum ad Hungaros Adalbertum meminit, adijcit. Ipse sciens Apostolatus munus, non sponte sua à quoquam, sed Dei nutu ab eo, qui primariam in Ecclesia Catholica retinet à Deo concessam authoritatem, suscipiendum, Romam rursus statuit proficisci, vbi si Deus id vellet (vt fecit) à Romano Pontifice acciperet ipsum ad Gentes Apostolatum.

B Quæ si ita sint, nondum ergo functus ritè erat munere Apostolatus apud Hungaros: sed neque eo animo videtur Romam abijsse, vt destinatò peteret Apostolatum ad Gentes; quem tamen postea ex occasione impetrauit, vt in sequenti anno dicemus.

Circa hoc tempus ferunt quendam ex Hungariæ Proceribus vocabulo Hincoianum, alijs Heincmannum, venisse ad Othonem Tertium, ab eodemque missum in Saxoniam Inferiorem, quæ modo Frisia audit. Nam quia militiæ laude clarus, pluribus Principibus operam accommodare solitus erat; visum est Imperatori multum suæ dignitati accedere, si virum præstantem inter suos optimates accensuisset. Is porro cùm isthic aliquandiu apud Cæsaris Procuratorem mansisset, huius filiam specie sua, & indole captam, in Hollandiam haud modica thesauri parte auersa, abduxit; ibique gratiam Comitis ingeniosa dexteritate occupans, & non multo post opulentis prædijs auctus, illustris familiæ Arkeliæ author fuit, neque minus suis quam suorum descendentium gestis Hollandorum Annales plurimum nobilitauit. Vt ea gratia non parum sibi gratulari queat Hungaria, vicissimque nonnihil Hungariæ debeat Hollandia, quæ illustris adeo transitione generis, Heroum tantorum stirpem, quæ fortasse iam apud Hungaros planè resecta est, regioni suæ feliciter inseuit. Quanta enim inde seges extiterit sobolis, religione, armis, & literis præstantis, hodieque perlaudant eruditi Scriptores, vt non sit nobis necesse stylum à serie longius abducere. *Ann. Fris.*

C

D

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAPAE XV. ANNVS	OTHONIS III. IMP. 7.
990.	6.	BASILII, ET CONST. 15. *Indict. 3.*
		GEYSAE 20.

E

HOc igitur anno Sanctum Adalbertum Pragensem Episcopum, redijsse Romam, scribit Author vitæ eiusdem: sed ne amplius ad Bohemos reuerti cogeretur, abdicato iterum Episcopi munere, pristinæ in Monasterio Sancti Bonifacij quieti se tradidit. *Sic*, inquit author vitæ, *Monasterij sinus charam requiem intrat; amplexus pulchram Rachel, obliuiscitur laboriosam Liam.* Florebat Monasterium illud hoc tempore pluribus magnæ sanctitatis viris, non solum Latinis, verùm etiam Græcis, qui propter perturbatum Orientalis Ecclesiæ statum, Romam confluxerant. Fuere isti Gregorius, Nilus, Ioannes Stra- ADALBERTVS ROMAM REDIT. *Apud Sur. 23. Apr.*

Stratus, omnes Abbates vita in terris Angelica fulgentes. Inter Latinos eminebant, Ioannes Theodorus, Ioannes alter, & Leo Nonantulanus, de quo mira tradit Petrus Damiani, epistola ad Nicolaum Papam. A

Interim, quod ad res Hungaricas spectat, vulgata per Orbem Christianum Geysæ Ducis, plurimorumque etiam nobilium Hungarorum conuersione, factaque, non solum omnibus Christianis accedendi; sed Clericis prædicandi, & vniuersim nouas Ecclesias extruendi potestate; plerique feruentes religiosi excitati, studium suum nouellæ plantationi deuouerunt, & magno animo se in Hungariam contulerunt; accedente etiam hortatu Principum Christianorum, sed præcipue Romani Pontificis authoritate, proposito peccatorum indulto, multisque spiritualibus gratijs concessis, qui tam necessario, & pio operi studium nauarent. Tam sanctum Pontificis institutum, diuinitus videtur fuisse probatum, quando exemplo Hungarorum, non paucæ nationes, Dani videlicet, alijque Slaui, sed & plurimi Rutheni, religionis cogitationem suscepere, & vt mitterentur qui docerent, tacite procurauere. Subierat omnium animos admiratio, quòd Gentem Hungarorum tanta hactenus crudelitate in Christianos formidabilem; tandem Christi iugo colla subdidisse accepissent. B

ROM. PONT. STVDIST HVNGARORVM CONVERSIONI.

Plura hoc anno extitisse prodigia narrant Scriptores, ac inter alios Sigebertus, in Asbania annonam de cælo pluisse, imo & pisciculos paruos ex aëre eodem imbre deuolutos; quæ, curiosa multorum ingenia varijs exercuere iudicijs, & coniecturis. Nihil tamen tam dignum videtur animaduersione, quàm hoc anno celebratum in Gallia Concilium Syluanectense, in quo Patres, censura perstringentes eos, qui capta Ciuitate Rhemensi, eiusque Archiepiscopo Arnulpho in vinculis abducto, Ecclesiam quoque expilassent, *Omnia Regi licere, etiam in Ecclesijs*, dictitantes, magno zelo horrendum fulmen contorserunt; ex quo, vt per Orbem Christianum peruulgatum est, Carolinæ stirpis, quæ hactenus regnabat in Regno Francorum, secuta est excisio, vt dicetur anno sequenti. C D

IESV CHRISTI ANNVS 991.	IOANNIS PAPAE XV. ANNVS 7.	OTHONIS III. IMP. 8. BASILII, ET CONST. 16. GEYSAE 21.

Indict. 4.

STEPHANI PVERI SANCTA INDOLES

Stephanus puer regius iam sextum inchoans ætatis annum, mira de se edit sanctæ indolis indicia, non solum memoria retinens, quæ à pijs educatoribus imbibere solitus erat, verùm etiam eadem alijs propinans, non æqualibus tantum, quibuscum conuersabatur, sed maioribus quoque, & qui inter Aulæ Proceres summi habebantur. Hi quidem amore quodam singulari, & præcipua veneratione sanctum puerum obseruantes, mira voluptate audiebant, mirabantur, & laudabant, tanquã pro cõcione differentem, de religione, de timore Dei, de charitate, iustitia, pietate, & mãsuetudine, detestantem omnẽ crudelitatẽ, & generatim omnẽ iniuriam proximo illatam; cuius se, ob amorem Dei seuerum vltorem, quando licuisset, futurum recipiebat; ac interim apud patrem E

Ducem

A Ducem precibus acturum, vt si Deum timeret, amaret, nullam ipsi, & proximo factam iniuriam inultam esse permitteret. Quæ omnia ea gratia, & pro ea ætatula maturitate promebat, vt sui apud omnes, & amorem & venerationem conciliaret.

Hoc eodem anno moritur Miesko, Primus Dux Polonorum Christianus, qui vt alibi diximus, pietate coniugis fidelis Dubranæ, Boleslai Ducis sororis, Christo nomen dedit. Plura de eo rerum Polonicarum Scriptores; inter Germanos verò Diethmarus huius temporis auctor singularia quæque complexus est. Lib. 4. Chron.

Moritur etiam, haud minimo sui desiderio toti Ecclesiæ relicto, magnus ille OBITVS PILIGRINI.
B plurimarum gentium doctor, sed Hungarorum præcipuè Apostolus, Piligrinus, de quo iam pluribus egimus. Nec facile dicas, quanto Geysæ Ducis mærore, & Pannoniæ Procerum, maximeque bonorum omnium luctu, qui salutem ex eo se percepisse meminissent. Vixit insigne sui seculi ornamentum, Antistitum decus, fortitudinis & constantiæ, non minus in propaganda Fide, quam in tuenda Ecclesiæ dignitate exemplar singulare; Summis Pontificibus, & Orbis Principibus, ob religionem, prudentiam & doctrinam integram apprime charus, & venerandus. Cuius multa præclarè gesta, temporum inuidia posteritati inuidit, sed neque doctrinæ, & eruditionis monumenta seruauit. Fama
C dumtaxat memoratur, scripsisse eum de moribus, & ritu Gentium, quibus Euangelium attulit; authorem præterea fuisse ætatis suæ Scriptoribus, vt Paganorum irruptiones, diu in vicinis regionibus grassantium, quos deinde Otho Magnus perdomuit, allegorico Gigantum argumento literis commendarent: quæ tamen alicubi hodie supersint, vix compertum est. Obijt prope octuagenarius, & vt quidam scribunt, vltimus Laureacensium Archiepiscopus, vigesimasecunda Maij, feria secunda. Cuius memoriæ tale inscripsit Hexastichon Bruschius.

Ingenio magnus Piligrinus, & authoritate,
Præsedit templis, vrbs Patauina tuis.
D *At tibi non tantum, sed Christo profuit, Hunnos*
Lucratus, Morauos, Pannonas, atque Dacos. Lib. 1 de Patau.
Nam quos Primus Otho gladio pacauit, & armis,
Abluit hos sacra Præsul honestus aqua.

Hoc demum anno captus ab Hugone Rege Francorum Carolus Lotharij Baronius ad hunc annum.
Regis iunioris frater, & Regno exclusus, nullum amplius ex se Regem Francorum reliquit; vt tunc penitus Regnum eius cum stirpe excisum sit, & euentu probatum quod Patres Syluanectensis Concilij imprecati sunt: Iusto Dei iudicio, cùm nimia eiusdem aduersus Ecclesiam præsumptione, hæresis illa *Politico-*
E *rum adhærentium* pullulare cœperit, qua affirmarent, *Carolo omnia licere, etiam in Ecclesijs*. Scilicet eo vsque Deus tolerauit peccata Regum illius stemmatis, quandiu non defenderunt, vt iure facta: postquam tamen obfirmatè sua iniqua placita defendere conati sunt, adeoque errori caput dederunt, effusa est ira Dei super Principes, & præcisum est Regnum ab eo, datumque eius æmulo, vt de Saul translatum in Dauid. Habet hæc secta suos semper Classicos, qui præteritorum obliti, præsentium machinantur incautè Regnorum, & Regum excidia.

A

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAPAE XV. ANNVS	OTHONIS III. IMP. 9. BASILII, ET CONSTANT. 17. GEYSAE 22.
992.	8.	

Indict. 5.

STEPHANI PVERI PRVDENTIA.

STephanus in Collegio Sacerdotum, & in Sacris assiduus, in dies proficit, innocentia & sapientia; patri etiam stimulos addit, vt populum sancte regat. Ea iam prudentia puer septennis pollebat, vt si quid subditi pro pietate, & iustitia actum à Geysa patre optarent, Stephanum intercessorem adhiberent. Agebat verò puer ea gratia & efficacia, vt pius pater nihil ei negaret: tum vt fauorem populi futuro heredi conciliaret: tum quia nihil eius petitiones continebant, quod non libratum, & merito concedendum videretur. In qua re eam industriam adhibebat cautus, & sapiens puer, vt nonnisi coram audientibus Sacerdotibus, quæ obtineri vellet proponeret: quod quidem eo animo faciebat, vt si quid minus rectè, vel consideratè protulisset, eorundem animaduersione, & consilio emendaret. B

STEPHANI PVERI GRATIA SACERDOTES CONSILIIS REGIIS ADHIBITI.

Hac pietate sapientis pueri, factum, vt Sacerdotes Geysæ consilijs vnà cum Proceribus interessent, multoque magis post quam ipse regnare cœpit. Quæ demum consuetudo apud omnes posteros in Hungaria Reges, in ius sacrosanctum abijt, nunquam vt Sacerdotes in regijs consultationibus desiderarentur, nec quicquam legitimè deliberatum censeretur, quod ipsorum vota, & sententiam præteriret. Non, vt ipsi fortasse exercitus ductarent, aut acies instruere docti, quocunque iure belli militiæ præessent; sed vt religione armati, ne quid domi forisque in pace & bello, minus diuinæ legi probatum susciperetur, sanctissime prouiderent. Ea de causa multis honoribus aucti, vt sanctitate & sapientia auctiores, optimè in rem consulerent, vnice curatum est; duratura felicitate, si elati, paulatim à munere non desciuissent, ac tandem, qui fructus ambitionis est, dissentiendo, & alieno foro vtendo, Regnum non lacerassent. Quod malum plurima Regna experta sunt, in quibus Ecclesiarum Præsides, rebus publicis è sanctitate gerendis adhibiti, ambitionis studio in diuersa abierunt. C D

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAPAE XV. ANNVS	OTHONIS III. IMP. 10. BASILII, ET CONST. 18. GEYSAE 23.
993.	9.	

Indict. 6.

E

S. VDALRICVS CANONIZATVR.

HOc anno S. Vdalricus Episcopus Augustanus, post vigesimum obitus sui annum, cùm miraculis plurimis coruscaret, in Sanctorum numerum relatus est à Ioanne Decimoquinto. Qua de re extat Decretum eiusdem Pontificis ad Germaniæ Episcopos, datum mense Februarij, manu Stephani Notarij Regionarij, & Scriniarij Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Frequens porro tempore hoc vsus Canonizationis Sanctorum in Ecclesia reperitur, vt patet ex Petro Damiano, qui & modum Canonizationis seruatum describit. *Nostra ætate*, inquit,

Epist. 16. c. 19.

A inquit; *beati viri, videlicet Romualdus Camerinensis, Amicus Ramibonensis, Guido Pomposianus, Firmanus Firmensis, & quamplures alij sanctæ conuersationis studio floruerunt; super quorum videlicet veneranda cadauera, ex sacerdotalis Concilij authoritate, sacra sunt altaria erecta, vbi nimirum diuina mysteria miraculis exigentibus offeruntur.* Hæc Damianus.

Porrò celeberimum fuisse cultum S. Vdalrici, apparet ex vna epistola Gregorij Papæ Septimi, qua humiliter petenti Patriarchæ Aquileiensi, concedit in die Natalis eiusdem Sancti, & præterea Sanctæ Afræ Ciuitatis Augustanæ patronæ, Pallio vti. Quantum verò enituerit eiusdem sanctitas, ex ea prædicatione, B qua futuram Hungarorum in Germaniam eruptionem, Othoni Regi explicauit: iterum, ex ea diligentia, qua Ciuitatem Augustanam ab ijsdem obsessam propugnauit, in loco ostendimus. Taceri tamen hic, ad laudem eius, & Dei iustitiam exaltandam, non debet, per visum ad Dei tribunal raptum, didicisse se ad ignem Purgatorium condemnatum ob nimium erga Adalberonem nepotem suum studium, quem sibi successorem optarat.

Lib. 6. ep. 38.

S. VDALRICVS AD TRIBVNAL DEI SISTITVR

Nihil defuit Adalberoni ad gerendum munus, non doctrina, non prudentia, non bene instituti mores; & accedebat omnium iudicio rectè fore prouisum, ne periculosis illis temporibus, quibus Imperatores per inuestituram soliti C erant, etiam indignis, & pene profanis, eiusmodi conferre dignitates; quod vnicè cauere volebat Vdalricus, certo sibi persuadens, hanc esse diuinam voluntatem, pro qua exquirenda pridem Apostolorum limina viserat, & de successore sibi constituendo, nimirum Adalberone, Deum continuis à biennio precibus interpellabat; vt certo sibi constare crederet persistendum in proposito, & quàmprimùm id executioni mandandum: cùm præsertim ipse plenus dierum, & lassus (agebat quippe annum ætatis supra octuagesimum) abdicato Episcopatu, regulæ S. Benedicti in Monasterio reliquum vitæ dandum, sanctè secum statuisset.

Nihilominus coacta coram Othone Imperatore Synodo Ingelheimensi, Pro- D uinciales Episcopi constanter obstiterunt, plenam periculo rem existimantes, si id genus facti in exemplum transiret, omnibus Ecclesijs perniciosum. Indignè præterea tulerunt, Adalberonem, nondum Episcopalibus sacris initiatum, publicè baculum pastoralem gestare; id contra sacros Canones peccatum interpretati, quòd viuente adhuc proprio, & legitimo Episcopo, eam sibi dignitatem vsurparet. Non defuere tamen aliqui Episcopi, qui & reuerentiæ Vdalrici senis, & existimationi Adalberonis aliquid deferendum rerentur, ex varijs circumstantijs necessitatem captantes. Quare in eam tandem post prolixam deliberationem itum est sententiam, vt Vdalricus, quoad viueret, Episcopatum retineret, E certus post decessum, non alium quàm Adalberonem successurum.

Paruit Vdalricus, quamuis dolebat negatam sibi in supremis annis quietem monasticam; idque vt ratum fieret, Imperatorio etiam assensu, & promissione roboratum est. Atque ita Synodus conclusa est. Sed non in his beneplacitum fuit Deo: Iudicauit quidem Synodus; ipse tamen præiudicauit, vt nepos patruo succederet. Sed neque moratus sententiam iustus Iudex, & terribilis in consilijs super filios hominum, effecit vt priùs Adalbero quàm Vdalricus è viuis excederet; idque repentina morte antequam verteret annus: cùm forte de cœna surgens, sanus, ac saluus in lectum ad requiescendum se demisisset, mane inuentus est mortuus. Id vbi resciuit Vdalricus, iudicium Dei expauit, & culpam secum

IVDICIA DEI TERRIBILIA

V I retta-

retractans, ingemuit. Exinde in dignitate, & officio suo sanctè perseuerans, A tandem hoc anno die duodecima Iulij, feria quarta anno ætatis octuagesimotertio, pie in Domino obdormiuit, tam in vita, quàm post, clarus miraculis.

IESV CHRISTI ANNVS 994.	IOANNIS PAPAE XV. ANNVS 10.	OTHONIS III. IMP. 11. BASILII, ET CONST. 19. GEYSAE 24.

Indict. 7.

B

STEPHANVS PVER, PARENTIS SVI MONITOR.

STephanus annum ætatis nonum ingressus, mira pro ætate prudentia pollet, innocentia & pietate per omnia comitantibus: Patri author est, vt impensiùs tueatur innocentes, & commiseratione dignos; vt Scythicam crudelitatem, quæ in quibusdam adhuc dominabatur, seueritate coërceat: à qua quidem mirum quantum ipse puer abhorrebat, vt præcoci quadam vehementia interdum infremeret, si quem homicidium commisisse accepisset, quàm primum eum ad pœnitentiam adactum, & correptum iubens. Nondum Regni leges conditæ erant, quæ certis supplicijs capitales noxas plecterent, sed ex arbitrio infligebatur pœna iuxta criminis æstimationem. Illud constat: si quis adhuc infidelis homicidium, aut capitalem quamcunque in proximum iniuriam admisisset, non, nisi eiurata impietate, & accessione ad Christi sacra, supplicium capitis euitabat: ita procurante Stephano, quò plures Christo lucrifaceret: nec dici potest quanto animi gaudio perfunderetur quoties opera Sacerdotum aliquos baptismo expiari intellexisset; quibus initiandis, nunquam non fere intererat, miro plausu illis gratulatus, & pauperibus abunde apud Patrem subueniens. C

Nec quicquam pio parenti gratius esse poterat, quàm à tali filio moneri, & vrgeri ad opera pietatis, vt non semel Geysa publicè fateretur, se multa consilio, & postulatione pueri facere, neque se aliter credere, ab eo, quàm diuinitus misso admoneri. Eius itaque hortatu vectigalia remittebat, vim, cædes, latrocinia coërcebat, bella cum finitimis componebat, miserabilibus prospiciebat, pauperibus erogabat, in administranda iustitia pari discrimine Proceres humilesque habebat; denique diuino cultui impensiùs studebat. D

Scilicet Stephanus ea indole assurgebat, vt specimen quoddam cunctarum virtutum præferre crederetur, nec quemquam falleret concepta in antecessum expectatio. *Mira morum, qua pollebat, elegantia perquam facile effecit,* inquit Ranzanus, *vt omnium animos in sui conuerteret admirationem, omnium hominum generi charus, incredibiliter amœnus atque iucundus; tantaque inerat ei vis, ac dexteritas ingenij, tantusque ac talis incipientis cuiusdam prudentiæ vigor, vt prudentissimus quisque natum ipsum ad Regnum arbitraretur.* E

In Epitom. rer. Hung. Ind. 8.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS 995.	IOANNIS PAPAE XV. ANNVS 11.	OTHONIS III. IMP. 12. BASILII, ET CONST. 20. GEYSAE 25.	Indict. 8.

HOc anno moritur Nicolaus Chrysoberges Patriarcha Constantinopolitanus, multum se fatigans in redigendis ad concordiam suis Græcis,
B qui circa quartum Matrimonium, nonaginta prope annis Monachorum, & Sacerdotiorum dissensiones nutriuerant. Factæ ob id multæ acclamationes, Imperatoribus, Patriarchæ, Imperatrici, & alijs, quorum studium enituit, vt quartæ nuptiæ admitterentur. Quasi hoc pluris fuerit, quàm in cæteris longè maioris momenti disceptationibus, cum Latina conuenire Ecclesia, & Apostolicæ Sedi, sublato schismate, sese submittere. Nempe versuto consilio, humani generis, & pacis hostis diabolus, ita his controuersijs occupare sategit Orientales, decimantes vtique mentham, anethum, & cyminum, ne quæ magis salutaria
C essent, ad animum demitterent.

Quod ad res Hungaricas pertinet, Gens hactenus indomita, paulatim ceruicem flectebat, & gentilem superstitionem quotidiana ad Christum accessione, pietate imbuta eijciebat; vt quodammodo completū videretur illud Prophetæ: *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.* — HVNGARI PAVLATIM CREDVNT. — *Isaia cap. 9.*

In Stephano Regio puero illud admirandum, eum à Patre inter Proceres Regijs Consilijs adhibitum, vt rebus ex Iustitia & Prudentia tractandis paulatim assuesceret, & seniorū sapienter dicta, mente retineret. Assidebat porrò Sacerdo- — STEPHANVS PVER CONCILIIS ADHIBETVR.
D tibus nunquam ab eorum latere discedens, & diligenter animaduertebat, illud discriminis interesse, quòd Laici ex vtilitate Regni politica, rem metientes, de religione raro expresse meminissent; contra vero illi, in primis deliberationibus cultum Dei velut vnicum scopum nominatim proponerent. Quo factum, vt erga illos ea de causa plurimum afficeretur; neque tamen ab alijs abhorreret; qui & ipsi adolescentis indolem probe cognoscentes, persæpe, in medio Senatu verba de cultu diuino propagando, de industria serebant, eoque animum eiusdem mirè deuinciebant.

Sed neque tacendum, eam pij parentis de tanto filio fuisse existimationem, vt — IVS DICIT.
E subinde per eum ius dici vellet, Oratores audiri, responsa reddi, vno verbo, paternum munus obire. Qua in re ad præscriptum seniorum, ita dextrè & regificè se gerebat, vt omnium amorem & admirationem conciliaret; parenti vero non minimum consolationis afferret, quòd iam senio confectum labore & molestia, tam apposite subleuaret.

Ad hæc omnia plurimum ei momenti addebat religionis amor, & Christianæ pietatis supra quam dici potest cultus. Cuius rei memoratu dignum est exemplum, quòd cùm accepisset, permultos Hungarorum simulate Christum colere, vtpote qui sacri baptismatis vndam metu suscepissent, sua ipse diligentia id egit, vt plerique sublata omni fictione, vere crederent. Scilicet assumptis

Chri-

Christianæ religionis armis, quod in adolescentulo mireris, nunc hos, nunc A
2. ad Tim. 4. illos ad se accersens, aperuit eis sensum diuinarum Scripturarum, iuxta Apostoli doctrinam arguendo, obseruando, increpando, præmijs item credentium, & supplicijs æternis detrectantium, tandem consecutus est, vt in omni Hungaria perpauci desiderarentur, qui Christo manus non dedissent. Itaque non minus ipse puer adhuc, quàm Geysa parens, est adeptus; cùm quod iste magna ex parte armis & terrore, ille amore, & diuinitus indita in ea ætatula sapientia perfecit; vt vel ea de causa *Apostolici* postea *Regis*, immo & *Apostoli* nomen reportarit, qui non minus ad terrenum Principatum ampliandum, quàm in conuertendis populis ad dilatandum in Ecclesia Christi Regnum contulerit. B

Indict. 9.	IESV CHRISTI ANNVS 996.	GREGORII PAPAE V. ANNVS 1.	OTHONIS III. IMP. 13. BASILII, ET CONSTANT. 21. GEYSAE 26.

IOANNIS XV. OBITVS. HOc anno Ioannes Papa Decimusquintus, die septimo Martij, feria sexta, C postquam vixisset annos decem, menses quatuor, dies duodecim, piè defunctus est. Adfuit tum Romæ Imperator, vt Crescentium Tyrannum, aut è medio tolleret, aut certè compesceret; nec multo post, die nempe duodecima Iunij, feria quinta, ope Imperatoris successit Bruno Othonis Ducis filius, vt Lib. 4. Dithmarus loquitur, nepos Imperatoris, dictus in Pontificatu Gregorius Quin- SVCCEDIT GREGORIVS V. tus. Alij tamen scribunt, Othonem nondum Romæ existentem, audita, siue in Germania, siue iam in Italia, dum Rauennæ ageret, morte Ioannis Decimiquinti, Brunonem Pontificem dixisse. Interim verò à Crescentio lectum Episcopum Placentinum, natione Calabrum, patria Rossanensem, appellatum- D que Ioannem Decimumsextum, qui antea Philagathus vocabatur. Quod vt primum innotuit Othoni, ira accensus, ingenti exercitu Romam contendit; Pontificem malè electum comprehendit, Crescentium in mole Adriani obsedit; qui cernens se non posse euadere, latenter exijt lacerna indutus, & operto capite, à quibusdam Imperatorijs ministris compatientibus, admissus, corruit ad pedes Imperatoris ab eius pietate vitam seruari petens. Eum cùm vidisset Imperator, amaro animo, *Cur*, inquit, *Romanorum Principem, Imperatorum decretorem, datoremque legum, ordinatorem Pontificum intrare siuistis, mapalia Saxonum? Reducite eum ad Thronum suæ sublimitatis, donec nos paremus, ad dignam eius susceptionem.* E Ita reductus illæsus, cùm reliquis inclusis nunciasset desperatam esse salutem; post aliquot dies expugnata arce, trucidatis omnibus, ipse captus ab Imperatore, ex superiori propugnaculo iussus est dari in præceps. *Deijcite*, inquit, *eum, ne Romani dicant suum Principem vos furatos fuisse.* Sed non satis fuit deijcere, nisi etiam post terga boum religatus, & raptatus, postremò in conspectu Vrbis è sublimi trabe suspensus fuisset. Hæc fere Glaber.

In Chron. Cass. lib. 2. cap. 18. Verùm Petrus Damiani, cui etiam assensit Leo Ostiensis, scribit Crescentium in munitione inexpugnabili se continentem, nonnisi dolo, & iuramento firmata promissione, deduci potuisse ab Othone Imperatore, & ita deceptum capitis obtrūcatione luisse. Sepultus est ad portam Aureliā in Cœmeterio Calepodij.

Hic

A Hic notatum velim, hunc non eundem esse cum altero, itemque Tertio Crescentio; quorum vnus ante annos duodecim fatis concedens, conditus est in Ecclesia Sancti Bonifacij, siue Alexij, in monte Auentino; vnus item in Diaconia Sanctorum Cosmæ, & Damiani; à quibus descendit Illustris illa Crescentiorum familia, quæ hodieque in Vrbe viget.

Porro dictus Ioannes Decimusquartus, quem finem habuerit, ex secunda epistola Damiani ad Cadalorum Antipapam, qua ipsum tam diro exemplo ad seipsum reuocat, & ex Actis Sancti Nili abunde liquet. Si quid tamen in eo tollendo Imperator admisit, pœnitentia ex obiurgatione Nili recepta, dum pedes ab
B Vrbe ad Fanum Michaelis Archangeli, in monte Gargano situm pergeret, expiauit.

Iam verò, conciliata Ecclesiæ pace post male mulctatum Ioannem, hoc ipso anno Otho Imperator, à Gregorio Papa diadema suscepit, si quæ fides Lamberto, Odoranno, alijsque veteribus Chronographis. Agit ea de re etiam author vitæ Adalberti Pragensis Episcopi, qui vel interfuit, vel certe interesse potuit. *In purpura*, inquit, *natus Otho Rex Tertius, causa scandendi Imperij culmen, (vt mos est à Carolo Magno Rege Francorum) multo comitatu Romam venit. Ostendit se tanquam post Deum altera iustitia: iniqui omnes tremunt, boni magno gaudio gaudent.*
C *Fecit propter quod venit. Quem ipse in Sacellum suum tractum posuit Gregorius Papa Cæsarem, benedixitque; & populus, Kyrie eleison, celsa voce cantauit. Ascendit ille vnctus cum corona Imperij Romanorum, Imperator Augustus, gerens sydereos vultus, & bonæ voluntatis plena præcordia ferens.* Hæc author.

Hoc eodem anno, habito Concilio Romæ, Gregorius Quintus suasu Othonis Imperatoris constituit septem Electores in Germania, quibus solis liceret Principem deligere, qui tunc Cæsar, & Romanorum Rex dictus, postquam à Romano Pontifice coronatus fuisset, Imperator & Augustus appellaretur. Sunt tamen qui scribant hanc Sanctionem editam anno Christi secundo supra millesi- SEPTEM ELECTORES INSTITVTI.
D mum. Ante hac Leo Octauus, quò Imperatorem ad liberandam Romanam Ecclesiam à Tyrannis oppressam prouocaret, concessit Othoni Primo, & successoribus, vt sibi successorem deligerent; nec ante hunc Imperatorem inuenitur id alicui concessum. Hinc factum, vt duo Othones, successores ad Imperium promouendos, filios nominarent. Verùm quia Otho Tertius prole caruit, per Pontificem Gregorium aliter Imperio consulendum putauit; vt nimirum ab Electoribus designatis Princeps subrogaretur.

Fecit id Otho eo consilio, *vt refert Baronius*, ne post obitum suum, inter tot consanguineos & affines, aliosque Principes æmulos, bellis ciuilibus Imperium
E conflagraret: neue iterum ad Francos rediret, qui quòd explosis Carolinis, nouos ex alia linea Reges adsciscere didicerant, eoque ignominiæ nomine sugillarentur, facile pro mutabilitate animorum, Imperium eos affectaturos non dubitabat. Cæterùm, quia post Othonis Tertij obitum, ducentis & amplius annis, Romanorum Reges, Imperatores designati, omnium Principum Germanorum, qui ad Concilia conuenissent, suffragijs, ad Regium culmen sunt euecti; & hoc ipsum in tanto variantium numero, sæpe scissiones pariebat diuersorum partes sectantium, & Christianam Rempublicam grauissime perturbabat; optimo demum consilio ab Innocentio Quarto, in Concilio Lugdunensi anno supra millesimum ducentesimum quadragesimoquinto, redactus est numerus Ele-

QVINAM ELECTORES. ctorum ad septenarium: qui quidem ex Laicis fuere Dux Austriæ, Dux Bauariæ, Dux Saxonum, Dux Brabantiæ, qui & Louaniæ: Ex Ecclesiasticis verò, Archiepiscopus Coloniensis, Archiepiscopus Moguntinus, Salisburgensis: & hi quidem omnes in insulam quandam Rheni deducti, ibidem relinquebantur soli, amotis nauiculis, donec in electione conuenissent. Toti autem negotio præerat Archiepiscopus Coloniensis. A

Quando autem, & à quo mutatio facta sit personarum, vt pro Ducibus Austriæ, Bauariæ, Brabantiæ, fuerint subrogati Comes Palatinus Rheni, Marchio Brandenburgensis, atque Rex Bohemiæ, non certe constat. Illud certum, post annos vndecim iam extitisse hanc mutationem, vt patet ex ijs quæ scribit Albertus Abbas Stadensis; vt credibile sit, factum sub eodem Innocentio Quarto, aut certe sub Alexandro Quarto, eiusdem successore. Cur autem Duces illi cesserint alijs, haud opinor aliam fuisse causam, quàm quòd ipsi mallent eligi quàm esse Electores. Rex tamen Bohemiæ, qui tum temporis, nondum in Germanis numerabatur, adscitus est, quemadmodum elicitur ex dicto Abbate Stadensi, nõ tam vt esset Elector, quàm Definitor, si discrepassent Electores. B

Ex hactenus autem dictis patet, ignoratione historiarum peccasse illos, qui non à Romanis Pontificibus, sed ab Imperatoribus sancitam fuisse Constitutionem Germanorum Electorum tradiderunt. Qui rursum septenarium Electorum numerum, non ante quàm sub Gregorio Decimo cœpisse existimauerunt. Sed de hac re pro instituto satis. C

ADALBERTVS IN BOHEMIAM REMITTITVR INVITVS. In hoc eodem Romano Concilio actum est de restituendo iterum Bohemis S. Adalberto Episcopo, id maxime vrgente Moguntino Archiepiscopo, qui eam ob causam indicij postulauerat Adalbertum, quòd proprij commodi gratia suam deseruisset Ecclesiam, in qua Pastor residere tenebatur, nec connubium spiritale, cum ea velut sponsa contractum, poterat dissoluere. In eandem sententiam iuit Gregorius, Scripturæ sententijs affirmans, non posse semel susceptum à Pastore gregem impunè dimitti. Omnium denique Episcoporum vna mens fuit, anathematis vinculis nectendum Adalbertum, si non paruisset. At is videns se constrictum, secretò protestatus est Papæ, hostis inuidiam esse, quæ ipsos stimularet ad detrimentum animæ suæ faciendum; multisque rationibus humillimè obtestatus suasit, inde nullum in gente peruicaci fructum expectandum, sibi vero certum animæ periculum imminere: proinde, si non prodest homini vniuersum mundum lucrari, suæ verò animæ detrimentum pati, multo deterius est hoc pati absque vlla spe illius lucri. Ad extremum petijt sibi alteram facultatem dari, vt si tentato omni conatu, nihil profecisset apud suos Bohemos, liceret sibi ad exteras, & incultas gentes abire, & inter has charismata meliora æmulari. Acquieuit libens voluntati hominis. Dei Gregorius, atque ita animo recreatum à se dimisit; quanquam is non sine multis suis, suorumque fratrum lacrymis, è Monasterio discedens, omnes afflictos reliquerit; interim vnica spe Martyrij obeundi, quod nunquam non ardenter desiderauerat, animum erigens, suum. D E

Itaque Otho Imperator, constitutis Romæ rebus, in Germaniam reuersurus, comitem adsciuit Adalbertum: qui antequam in Bohemiam rediret, perrexit in Gallias, ad visitãdum Corpus Sancti Martini: inde vero Floriacum diuertens, veneratus est Reliquias Sancti Benedicti, ac tandem Bohemiam repetijt.

Impe-

A *Imperator verò interim Aquisgranum petens, Caroli Cæsaris oßa, dubitans vbi requiescerent, rupto clam pauimento, vbi ea esse putauit, fodere iussit, quousque ea inuenta in solio regio conspexit: Crucemque auream, quæ è collo pendebat, cum parte vestimentorum minimè adhuc putrescentium sumens, reliqua cum magna veneratione reposuit.* Ita Diethmarus.

CAROLI MAGNI OSSA RETEGVNTVR.

Hoc demum anno perhibetur è viuis excessisse in Hollandia, Hincoianus ille Pannonici generis, de quo supra diximus, haud paruo Hollandis sui desiderio relicto: quod tamen egregia soboles in arduum assurgens, familiæ totiusque Reipublicæ decus, & recordatione præteritorum, & spe futurorum, haud mediocriter mitigauit. *Ad ann. 989.*

B

IESV CHRISTI ANNVS 997.	GREGORII PAPAE V. ANNVS 2.	OTHONIS III. IMP. 14. BASILII, ET CONST. 22. STEPHANI 1.

Indict. 10.

GEysa iam senio grauis, cùm de supremis cogitaret, vocata concione Stephanum filium duodennem in medio constituit, & coram Proceribus multa pie effatus, religionis cultum in primis ei proponit, paternoque affectu peculiaribus præceptis instruit: demum vniuersis tanquam bonum Principem habituris, vnà cum Regno commendat; sibi quietem indulgeri tantisper optat, quoad rebus cum Deo compositis, è viuis excedat, in filio deinceps victurus. Mouit Proceres oratio pij Ducis: ac vt lecto decumbens ætate quàm morbo grauior, feriaretur, non solùm libenter concedunt; verùm vt præsens, summam, quam in hac vita optare poterat, voluptatem perciperet, eo adhuc viuente, & vidente, vnanimi consensu Stephanum, non iam Ducem, sed Regem Hungarorum renunciant, diuino magis quàm humano iudicio. Quod autem Chartuitius scribit, post obitum Patris, Principum & plebis fauore subrogatum fuisse Stephanum; ita intelligendum, quòd tum precipua solennitate, inter manus Procerum elatum in solium, Regem vniuersi consalutarint, atque in manus eius Sacramento fidem dixerint, eodemque plausu, & faustis acclamationibus delatum in Castra prætoriana legiones adorarint.

C — GEYSA REGNO SE ABDICAT. — D — STEPHANVS IN REGEM SVB ROGATVR.

Dici non potest quàm iucundè id acciderit pio parenti; qui non multos post dies nihil amplius felicitatis in mundo superesse ratus, astantibus Proceribus; pluribus Sacerdotibus Monastici etiam ordinis, Ecclesiæ Catholicæ Sacramentis munitus, vbi Stephanum filium, vltimùm amplexus, & collacrymantem osculatus fuisset, conuersis in Cælum oculis, animam Creatori commendans, obdormiuit. Verè inter beatos Hungarorum Reges numerandus, per quem primum ipsi lumen Fidei acceperunt, diuinitus ad id paratum, dum adhuc in gentilitate, Cornelij instar Centurionis, moribus & vita futuram sanctitatem parturiret: Quo mense aut die mortuus sit, non traditur: sed neque, si Vxori, piæ admodum feminæ, superstes fuerit: quod tamen admodũ verisimile videri queat, cùm vix aliquid de ea scriptũ inueniatur, vnde Marito in extremis constituto præsens fuisse, vt debebat, videri possit, alioqui & ipsi paris pietatis coniugi Stephanum filium adolescentem commendaturo, Nec dubium, si præteritæ actæ vitæ spectentur, & quo pacto diuinitus formata sit, ad sanctiorẽ Fidem agnoscendam, quin pium admodũ, & sanctũ ei quoque exitũ cõtigisse affirmare ausimus.

E — GEYSÆ PIVS OBITVS.

STEPHANI IN REGNO CAPESSENDO PIETAS.

Stephanus iustis Parenti regificè persolutis, exinde Deũ magis ac magis præ A oculis habens, quò Regnũ ex pietate administrare valeret, instar Salomonis continuis votis flagitabat; ac in primis nihil antiquius habuit, quàm vt præcepta pij Parentis executurus, vniuersam gentem Hungarorum sibi subditam in lucem veritatis assereret. Quod vt faciliùs assequeretur, diuinis codicibus incumbere deinceps, & sacrarũ rerum præceptores assidue, & familiariter adhibere, sed præterea nihil magis deliberare, nisi consultis quos sanctitate præstare sciebat viris.

Interim Adalbertus Roma redux, paulatim ad Martyrij palmam tanto desiderio concupitam appropinquat. Diximus alibi, dum hic Romæ versaretur, fratres, & cognatos eius, Bohemorum iniqua suspicione, vel potius odio in sanctum Virum, è medio sublatos. Id aliqui accidisse putant post eius reditũ ad Vrbem, & aliquot rursum annorum isthic morã, vbi Boleslaus Dux Bohemiæ intellexisset, vrgente coram summo Pontifice Moguntino Archiepiscopo, remittendum ad suos Adalbertum: Quod Dux impius acerbè ferens, & Adalberto reuerso libertatem scelerum coërcendam metuens, hac arte putauerit accessum eius auertendum. Verisimiliter id narratur: sed nihil obstat post primam eiusdẽ ad Vrbem profectionem sæuisse impios in sanguinem Iusti, & quam illi absenti inferre non potuerunt, in fratres, & consanguineos eius exercuisse crudelitatẽ: quæ ratio præcipua fuit, vt certò sibi persuaderet Adalbertus, nihil se profecturũ apud C Gentem duræ ceruicis; eaque de causa fortiter obluctatum, flexisse demum Romanum Pontificẽ ad indulgendam sibi ad gentes exteras missionem; præsertim cùm, vt aliqui scribunt, paratam sibi palmam Martyrij diuinitus cognouisset. Quo exemplo præclarè erudimur, nunquam ita cæcam esse erga summos etiam Prælatos obedientiam, quin discretionem reginam virtutum agnoscat; & posse vnumquemque liberè proponere, si quid sibi diuersum diuinitus inspiratum existimet, iuxta doctrinam Apostoli; dum iudicio suo non ita tenaciter inhereat, vt à Prælatis regi nolit. Nouit enim, qui salutaria inspirat, vel nobis remittentibus, & aliorum directioni subditis, ita humana temperare consilia, vt ad D eum demum res nostræ flectantur exitum, quem ipse diuino suo decreto, ab æterno proposuit. Quæ omnia religiosum Adalberti factum, singulari nobis exemplo attestatur.

ADALBERTVS PROHIBETVR INGRESSV BOHEMIÆ.

Roma itaque reuersurus, & iam Bohemiæ vicinus Adalbertus, cùm accepisset, inter plures Boleslai, & Bohemorum machinationes, esse etiam prohibitionẽ certam, ne is citra capitis periculum in suam rediret Ecclesiã, ratus se à præcepto residendi solutum, & memor etiam Indulti Pontificij, ad Prussios abire instituit: E Tradunt aliqui, prius quam ad illos proficisceretur, Hungariam repetiuisse, diuque cũ Stephano Rege hæsisse, donec hortatu Romani Pontificis inde moueret. Primum verisimile est, non magni dispendio temporis; siue vt nouello Regi diuinitus destinato gratularetur, eidemque salutaria traderet documenta; multoque magis, si ab eodem conscio iactationis, & Bohemicæ peruicaciæ, fuerit accersitus; siue vt herbescentem iam Christianitatem, & in lætas segetes paulatim assurgentem spectaret Hungaricam Ecclesiam: ac tum fieri potuit quod aliqui tradũt, baptizatũ ante Stephanũ, Sacramentũ Cõfirmationis ab Adalberto percepisse. Postremũ credibile non est, cũ hoc anno nondum satis adulto, nimirum vigesimatertia mensis Aprilis, Martyrio apud Prussios decertarit. Quare vt adfuisse illum Geysæ morienti fortasse concedamus; quod isti etiã affirmant; aliquot

A quot tamen annos cum Stephano Rege commoratum non probamus. Quanquam dubium nullum sit, Stephani rogatu & mansurum fuisse illum, & Ecclesiæ illic ordinandæ cum assensu Pontificis, curam suscepturum, nisi diuino consilio ipsi perpecto, aliter constitutum fuisset: quando præsertim in Hungaria, pullulante iam in flores religione Christiana, non adeo necessariam suam illic præsentiam animaduertisset; remota etiam spe Martyrij, quod apud Prussios cito se obtenturum diuina visione cognouerat.

Relicta ergo, siue Bohemia, siue Hungaria, in Prussiam per Poloniam contendit; primaque statione Gnesnæ Missam celebrauit, & habita concione plu- ADALBERTVS IN PRVSSIAM CONCEDIT.
B res etiam sacro fonte expiauit. Nec obest veritati, si, quòd tradunt rerum Polonicarum Scriptores, prius Cracouiam recta petiuisse Adalbertum: Ciues per aliquot dies instruxisse, & hinc Gnesnam abijsse credamus. Quòd autem hic mortuo Roberto Archiepiscopo, ad preces Myerzslai Principis, & filij eius Boleslai, Cathedram Gnesnensem regendam susceperit, nec longe post subrogato Gaudentio, siue Razimo, quem Diethmarus Kadimum vocat, germano suo, ipse in Prussiam perrexerit; penes illorum fidem relinquimus. Nam Diethmarus Othonis opera Kadimum, Vngero in Posnaniam translato, successisse insinuat. In Prussiam vbi venit, traiiciens flumen Ossam, quæ à Polonia diuidit, cùm non
C haberet naulum, à Barbaro nauclero in caput percussus, primum patientiæ dedit exemplum; mox in interiora penetrans, quòd contra Idololatriam, & cultum Solis, Lunæ, Ignis, Lacuum, & Syluarum, verba fecisset, irrisione & verberibus exceptus, & cum suis abire iussus est.

Mox ad Luiticos vicinos populis conuersi, & suo tempore illinc opportuniùs reuersuri, ab ijsdem vinculis vinciuntur, atque ducuntur ad supercilium montis, vbi Sanctissimus Adalbertus septem confossus lanceis, Martyr migrauit in Cælum. Rerum Polonicarum Scriptores tradunt, ei Sacrificium Missæ celebranti superuenisse sicarios, & multis ictibus, & scissionibus petitum, denique ADALBERTVS MARTYRIO CORONATVR.
D septies confossum occidisse; post hæc capite absciso, truncum ex arbore suspendisse, ibique per triduum ab Aquila custoditum, donec hospes quidam lacera membra in sportam collecta, in loco Martyrij sepeliuisset.

Paulo aliter aliter alij narrant, Sacris coram eo rite peractis, secessum petiuisse; & dum quiesceret, ab impiorum turba inopinè circumuentum, & raptatum esse ad crepidinem montis, ibique ad palum reuinctum, & septem lanceis ictum, inter cruciatus, hæc secum protulisse: *Habes Adalberte, quod optasti: vltro nunc pro Christo morere, qui pro te sponte Crucem subijt: septem lanceis victima cadis, qui totidem donis ornatus ad vitam signatus es, ad quam proinde pulcherrimè moriens securus* Bonfin. lib. 2. Dec. 1.
E *euola*. Quibus dictis spiritum reddidit: & continuò vinculis sponte solutis, cadauer è palo humi demissum, passis in speciem Crucis manibus procubuit. Tum caput auulsum, & conto præfixum, in ludibrium Christianorum per pagos, & oppida circumlatum est. Resectus digitus, cuius gestu inter concionandum plurimùm vtebatur, & in Vandalum amnem proiectus, è ventre pisci, qui absorbuerat, miro splendore eluxit. Quo portento piscatores exciti, piscem industria captum, vbi exenterarunt, Adalberti digitum instar facis collucentem inuenerunt.

Passus est vigesimatertia die Aprilis, feria sexta; & post mortem multis miraculis coruscans, illud in conuersione Gentium præstitit, quod viuens concupiuit.

cupiuit. Eius Martyrium tanquam præsentes per visum spectarunt Romæ Monachi Monasterij S. Bonifacij, Magnus Abbas Nilus, & Ioannes Abbas, & quidam alius Presbyter; cui Missam facienti, dum sacram Hostiam offerret, reuelans Spiritus ad aures dixit, vt beati Adalberti Martyris suffragia mundo laboranti imploraret. Corpus eius Boleslaus Princeps æquali auri pondere à Prussis redemit; ita tamen, vt appensum in stateram, diuina virtute, perexiguum ponderaret: illudque Gnesnam vigesimo die Octobris honorifice transtulit. Vbi tam admirandis cœpit clarere miraculis, vt complures ex Germania, & Pannonia, ad sacrum eius Sarcophagum confluerent, & remedia sibi salutaria impetrarent. A B

BONIFACII COMITIS MIRA CONVERSIO.

Ad gloriam S. Adalberti, lubet hic paucis narrare conuersionem S. Bonifacij, Othonis Imperatoris Consanguinei maximè chari. Hic cùm Romæ esset, forte ex Capella Regia conspexit Ecclesiam Bonifacij Martyris in Monte Auentino, de quo sæpe diximus; & illico diuinitus tactus, & exemplo sui æquiuoci ad Martyrij desiderium prouocatus, *Cur & ego*, inquit, *Martyr non efficiar?* Magis ac magis exinde compunctus, & Romualdum secutus, monasticum institutum suscepit, & ad perfectionem magno studio contendit. Vt primum autem Adalbertum martyrio coronatum accepit, impatiens moræ, illud ipsum stadium decurrendum proposuit: mox Romam abijt, summo Pontifici ad prædicandum inter gentes Euangelium se obtulit; a quo Archiepiscopus consecraturus, ad Russos abijt. Hi olim Christiani effecti, ingruentibus iugiter bellis, ita desciuerant, vt vix aliquam Christianitatis memoriam seruarent. Inter hos ergo Bonifacius verbo, & operibus potens, cùm rursus Fidem Christi in florem eliceret, obstinatos Gentiles mirum in modum prouocauit; & quidem paratos illi necem inferre, nisi metuissent cæso, Bonifacio, dubio procul euenturum, quod à martyrio Adalberti fuerant experti, coruscantibus nimirum miraculis, quamplurimos suæ gentis Christo nomen daturos. *Quare*, vt inquit Petrus Damiani, *longo tempore à beato Viro manus artificiosa malitia repriment, & cupidissimo mori, nolentes occidere, crudeliter parcunt.* Quando autem, & quomodo tandem desiderium eius exaudierit Dominus, in loco dicturi sumus. C D

In Romualdo cap. 33.

Indict. 11.	IESV CHRISTI ANNVS 998.	GREGORII PAPAE V. ANNVS 3.	OTHONIS III. IMP. 15. BASILII, ET CONSTANT. 23. STEPHANI 2.

E

MVLTI EXTERI SACERDOTES AD STEPHANVM CONFLVVNT.

Diuulgata Sancti Regis Stephani per orbem fama, & de religione propaganda conatu, magni vbique motus in religiosis pectoribus excitati sunt. Hanc enim initio statim præcipuam curam suscepit, vt inita cum vicinis omnibus, & confirmata pace, studio religionis Christi Regnum communiret. Id propter plures ad eum viri pietate insignes, Sacerdotes, & Monachi confluunt publica vtilitate commoti, ad Verbum Dei differendum, & fundandas in Hungaria Sedes; maximeque allecti Regis optimi sāctitate, qui propositis diplomatibus, laudabile propositū longe lateque declarabat. Quippe dies & noctes assiduis Deū precibus solicitans, in cinere, & cilicio frequens in Templo supplicabat, ne sibi

A ſibi ante ex humanis excedere, quàm Hungariam totam Catholicam videre contingeret.

Inter eos verò, qui è remotis partibus venerant, cum primis adfuit Aſtricus Abbas, dictus poſt Anaſtaſius, eximia ſanctitate conſpicuus, cum nonnullis diſcipulis ſuis. Qui, vt alibi diximus, ex Italia ab Adalberto adductus, Brevnouienſi in finibus Bohemiæ Monaſterio aliquando præfuit: hinc dubio procul in Hungariam à Stephano accerſitus. Nec videtur inueriſimile, Adalbertum ex Hungaria diſcedentem voluiſſe prouidere de hoc viro, qui recèns conuerſis, & conuertendis adeſſet, & Regi in omnibus conſilio, & auxilio foret. ASTRICVS ABBAS QVIS. *Ad ann. 938.*

B Quantus autem vir fuerit, in loco dicturi ſumus.

Hoc eodem anno, *Adeleida Othonis Tertij auia, Primi vero Othonis vxor*, inquit Diethmarus, *gaudens moritur decimoquarto Kalendas Ianuarij* (nempe decimanona Decembris, feria ſecunda) *ædificata Ciuitate Olſa, collectis ibidem Monachis. Cuius fideli ſeruitio iuſta recompenſans præmia Dominus, ad tumbam eius plurima operatur miracula.* Hæc Diethmarus huius temporis Scriptor: vt Menardus recentior minus rectè notaſſe videatur, huius Imperatricis depoſitionem in Monaſterio Sehlſenſi ad Rhenum in diem Decembris decimumſextum incidiſſe. Fuit Adeleida celebris ſanctitatis fœmina, nec raræ (ſi quæ dici poteſt) in *Lib. 4. Chron.* *In Martyrologio Benedictinorum.*

C terris felicitatis, quæ & maritum, & filium, & nepotem Cæſares vidit. Felix vt matre Mathilde, ita coniuge Adeleida Otho Primus: nec infelix ſua Theophania Otho Secundus: vtinam & ſua Maria Aragonia Otho Tertius.

Iterum verò Otho Tertius, Romam profectus, propemodum capitis diſcrimen adijt, à proditoribus tyrannidem affectantibus circumuentus. Fuit in his Gregorius Ciuis Romanus, & alioqui Othoni perquam charus, eoque gratia Cæſaris in fraudem abuſus. Hic, vt ait Diethmarus, *dolo eum capere niſus, occultas tendebat inſidias. Quibus collectis, & ex improuiſo aduerſus eum inſurgentibus Imperator de porta cum paucis euaſit, maxima ſuorum caterua ſociorum incluſa: &* *Lib. 4. Chron.*

D *vulgus nunquam contentum Dominis ſuis, malum huic pro ineffabili pietate reſtituit.* Sic Diethmarus.

Porro Cæſar tantam perfidiam citra vltionem minimè ferendam ratus, immiſſis quamprimum copijs armatis, & vindicandæ maieſtatis ſtimulis acrius efferatis, nocentiſſimorum capitum excidium imperat. Tum perculſi metu Ciues, erubeſcendam ingentis ſceleris culpam agnoſcunt, mutuoque ſeſe accuſantes, incluſos primum Cæſarianos emittunt, deinde gratiam Imperatoris ſupplices, & abiecti expetunt. Sed enim toties mentitis, iniquiori exemplo parcere viſum non eſt: ſæuitumque in noxios, quoad horum ſanguine miles exau-

E ciatus, Imperatoris iram pacauit, cæterà vicem innocentum miſerantis. Ita rebus compoſitis, & ne quis dolus in poſterum ſubeſſe poſſet, in tuto collocatis, Beneuentum abijt.

A

Indict. 12.

IESV CHRISTI ANNVS 999.	SYLVESTRI PAPAE II. ANNVS 1.	OTHONIS III. IMP. 16. BASILII, ET CONST. 24. STEPHANI 3.

GREGORII PP. OBITVS.

GRegorius Papa, annos duos, menses circiter octo Pontificatu functus moritur, vt quidam ponunt, die vigesimatertia Ianuarij, feria secunda; vt alij, die Februarij quarto, in Sabbato: vt plerique xviij. Februarij in Sabbato. Successit Othonis opera Gerbertus, *ne homini Germano subrogaretur Romanus, quòd Romanorum fidem*, inquit Baronius, *suspectam, & nunquam tutam expertus fuerat Otho*: sed Gerbertum, qui dictus est Syluester Secundus, Romanum Populum Imperatori adulatum, postulasse scribit Aimoinus. Huius ergo tam inopina promotio, & continuata prosperitas occasionem dedit multis, miranda de eo opinandi, & scribendi, quasi magicis incantationibus ad Apostolicæ Sedis culmen prouectus esset, pacta pro mercede anima, quam statuto loco Hierosolymis (sic nuncupata in Vrbe S. Crucis Ecclesia) exactor violentus extorserit. Fecit fidem simplicibus, quòd in rudi seculo, cùm Astrologiæ peritissimus esset, Magiam diabolicam callere crederetur. Atque hoc fuit argumentum Bennonis Schismatici, qui se Archipresbyterum Cardinalem vocat, vt tam horrenda, & monstruosa de eo traderet, adeoque reliquos Pontifices, sed præsertim Gregoriū Septimum immani odio, mendacijs, & maledictis laceraret; & minimùm, omnes huius prædecessores Magiæ accusat, & vt maleficos damnat.

B

Lib. 5. cap. 45. SVCCEDIT SYLVESTER SECVNDVS.

C

Lib. 6.

Non prætereundum, quod de Syluestro hoc narrat Diethmarus. *Optime callebat astrorum cursus discernere, & contemporales suos varia artis notitia superare. Hic tandem à finibus suis expulsus, Othonem petijt Imperatorem, & cum eo diu conuersatus, in Magdeburg Horologium effecit, illud rectè constituens, considerata per fistulam, quadam stella Nautarum duce.* Hæc iste. Ex quibus non nemini fortasse veniat in mentem, tubum opticum, quo hoc seculo quidam Astronomi plura circa Sydera detexerunt, non esse recèns eorum inuentum, sed potius reuocatum.

D

DE SYLVESTRO PAPA FABVLA

Ad elidendam porro Bennonis, qui plerunque cognominatur Schismaticus, & mendax, de Syluestro fabulam, & nonnullorum posterioris seculi Scriptorum leuitatem, qui idcirco negant, eum verum fuisse Pontificem: stabit authoritas Diethmari, Glabri, Helgaldi, Lamberti, Mariani Scoti, qui res suæ ætatis, cominus intuiti scripserunt quibus addi potest fragmentum veteris Chronici Floriacensis à Pithæo editum, in quo hæc ad verbum. *Otho Tertius Gerbertum Archiepiscopum Rauennæ, propter summam Philosophiam summo amore excolens, ordinauit eum Papam, vocauitque nomen eius Syluestrum.* Sed super omnia fidem facit, epitaphium eius sepulchro insculptum in Basilica Lateranensi, authore Sergio Quarto Romano Pontifice, eiusdem post duos, successore, planè dignum quouis Magni nominis Romano Pontifice.

E

Hæc etsi fortasse prolixiùs, non ab re de Syluestro Pontifice diximus: ab eo quippe & Stephanus Regiam Coronam, & Hungaria dignitatem Regni accepit,

mul-

A multiſque alijs priuilegijs, & prærogatiuis ornata eſt, quas reliqui ſucceſſores continuò augere non deſtiterunt. Cæterum, Scriptores rerum Hungaricarum decepti, quòd Syluestrum non legitimum fuiſſe Pontificem falſo exiſtimarent, authoritatem omnem ſuſceptæ Hungaricæ Coronæ, & maieſtatis à Benedicto Sexto Septimoue inconſtanter deriuarunt, Quo factum, vt putatione temporis cũ veritate minime cohærente, calculum totius Regiæ chronographiæ loco mouerent, omnia perturbantes, & quæ geſta ab vno ſunt, alteri tribuentes: nec ſolum nomina perſonarum mutarent, ſed res ipſas luxarent. Porro cùm certum ſit, Syluestrum legitimum fuiſſe Pontificem, etſi aliquando priuato affectu, & am-
B bitione, male de Pontificatu ſentientem; non eſt vt collatas ab eo Hungaris prærogatiuas minus digno conſtituendas loco cenſeamus; quando hìc non ſanctitatis, ſed authoritatis ratio habenda eſt, nec aliena ſpecie veritas obumbranda.

Hoc anno cùm Otho Imperator Romæ eſſet, *auditis*, inquit Diethmarus, *mirabilibus, quæ per dilectum ſibi Martyrem Dominus fecit Adalbertum, orationis gratia eò pergere feſtinauit*. Et poſtquam iter eius deſcripſiſſet. *Videns*, inquit, *à longe Gneſnam vrbem deſideratam, nudis pedibus ſuppliciter aduenit, & ab Epiſcopo eiuſdem Vngero venerabiliter ſuſceptus in Eccleſiam introducitur, & ad Chriſti* OTHO AD ADALBERTI SEPVLCHRVM PEREGRINATVR.
C *gratiam impetrandam Martyris interceſſione profuſis lacrymis inuitatur*. Hæc & plura alia Diethmarus; quæ inter, etiam meminit, quàm digne exceptus fuerit Otho à Boleslao Poloniæ Duce, magniſque donatus muneribus. Scriptores rerum Polonicarum tradunt veniſſe Othonem, ſiue exoluendi voti, quod graui morbo implicatus conceperat, gratia; ſiue ſceleris expiandi cauſa, quòd Comitem innocentem, Imperatricis dolo accuſatum, indicta cauſa interfici iuſſiſſet. Addunt, ſubito, & miraculoſe eum conualuiſſe; & vt Boleslao gratificaretur, Coronam eidem, & ſucceſſoribus Poloniæ Regibus perpetuo duraturam contuliſſe. Quod an verum ſit, ex ſequentibus clarum euadet. *Chromer. lib 3. in Boleslao. Ioann. Piſtor. tom. 2. lib. 3. c. 8.*

D Inter hæc, dum Stephani pietas circa Religionem Chriſti propagandam, & ornandam, Aſtrici & Monachorum eius, aliorumque Sacerdotum & Procerum Dei amantium opera, ſeſe efferret; non tulit malignus dæmon ſuos ritus aboleri; ſed traducta per idoneos nequitiæ miniſtros Regis adoleſcentia, tanquam leuitate puerili motus, nouam induxiſſet religionem, & ſacramento Romano Pontifici dicendo, Sacerdotum ſuggeſtione, Regnum Hungariæ dediturus foret, omnem lapidem mouit, quo rurſum impietas campum ſibi vendicaret. Iraque diſceſſionem faciunt, haud pauci, authore Cupa Calui Zerindi filio, Simigienſium Duce: qui cùm Stephani materteram thoro ſibi ſociandam, vt ea occa- CONIVRATIO IN STEPHANVM.
E ſione Regem è medio tolleret, & regno ipſe potiretur, fruſtra optaſſet, & ſperaſſet; coniurationis princeps extitit, Regemque criminibus ad augendam inuidiam onerare non deſtitit. Quo factum, vt pauci partes regias cum religione tutarentur, & plures baptiſmum eiuraturos, pudor tantum, & Regis gratia non pietas contineret. Quid faceret Rex adoleſcens, qui Regno potius & vita exui, quàm ſuos quoquo modo perditos mallet? Hi interim prædijs, & vrbibus vaſtitatem inferentes, multos cædebant, & iam in conſpectu Regis graſſabundi, capiti eiuſdem imminebant.

Quid multis? ſcribit & Stephanus exercitum ex ijs, quos patris beneficentia fidos habebat, opera vſus eorum Comitum, qui viuente adhuc Geyſa, Chriſtiana

Fide

Fide imbuti in Pannoniam venerant, eidemque in conuertendis populis consilio, & auxilio fuerant. Hos inter enituere Hunt & Pazman, * nec non Vvenzelinus, ex Bauaris, & Noricis mediterraneis oriundi, qui familiaritate, & beneficentia Geysæ, prædijs & subditis ditati, gentili connubio familiam deinceps per secula in Hungaris propagarunt: nonnihil immutatis ex vsu gentis vocabulis. Duo ergo primi à Stephano Magistri equitum lecti, ipsum castris ad Garam amnem locatis, more Theutonico, gladio accinxerunt; vt tunc primum adolescens Rex, Deo totus deditus, religionis & publicæ salutis causa, ensem lateri admouisse meminisset. Vvenzelino post istos Dictatori adhibito; exercitus vniuersi summa tradita est. Verùm Stephanus plus diuinæ virtuti, quàm humanæ confidens, sub signis Deo dilecti Pontificis Martini, cui si vicisset, Templum dicandum recepit, & clarissimi Martyris Georgij, in hostes mouit. Inchoata pugna, diu prælium anceps tenuit; & ne miles cederet, Stephanus elatis in cælum oculis, & manibus, anxie fugam deprecatus, causam belli, vocato in vota Iesu Christo, Sanctisque Patronis, contestatur; iterumque religionem propagandam, & Basilicas salutis Authori voce, & mente nuncupat. Vix effatus est, & inclinato hostili cornu, per legiones resumptis animis, clamor ingens exoritur; adeoque conuersa feliciter alea fusi, fugatique perduelles, gloriosam victoriam relinquunt, amputato etiam, egregio Vvenzelini facinore, capite Cupæ, perduellionis authoris; quod in castris circumlatum, & spectaculo, & rebellibus terrori fuit: sed multo magis cùm cadauer quaterne dissectum, singulis Ciuitatum, Strigonij, Vesprimij, Iaurini, Albæ Iuliæ in Transyluania, sui parte præfixum, exemplo fuit.

*Margin: * al. Pazman. — STEPHANVS GLADIO PRIMVM ACCINCTVS. — A — B — C*

Sed enim, vt hoc loco aduertamus, insignem habet antiquæ religionis notam, sub Signis Georgij Martyris in hostes duxisse Stephanum; dubio procul more ab Asianis, & proxime à Græcis accepto; quem tamen Hungari, Stephani maxime pietate, celeberrimum reddiderunt: vt neque Galatæ miraculorum eiusdem cultores, neque Constantinopolitani magnifica Martyris Basilica à Iustiniano Imperatore extructa gloriantes, illis anteferri queant. Quando quod Christiani Principes soliti sunt, quod de Nicephoro Imperatore Cedrenus, de Henrico Secundo Bonfinius, alij de alijs tradunt, Georgium nempe Martyrem in prælijs inuocare, eoque propitio victores remeare; id Stephanus Rex in primis, deinde non pauci eius successores, multis argumentis testatum fecerunt: eaque de causa Georgio diem maxime solennem dixerunt, qui & diremptionum limes esset, & rerum nouandarum initum; neque solùm, sed oppidis & crebris Basilicis fundatis, quin etiam familijs nuncupatis, nomen tanti Martyris perquam religiosum reddiderunt.

Margin: D — In Compendio. — Dec. 2. lib. 1. — E

Domitis hostibus, spolia eorum, villas, prædia, Stephanus vendicauit, non in proprium vsum, sed in commune religionis bonum. Ac in primis pro tam salutari victoria supplicationibus habitis, & ad omnes aras celebratis solennijs, vt voto se solueret, Diuo Martino, eo loco, qui Mons olim Pannonius nomen Regno dedisse, à quibusdam putatur, deinde à sanctitate Viri culta *Sacer* audijt, quòd maxime constaret Martinum hic precari solitum, Monasterium construxit, amplisque possessionibus, & reditibus dotauit. Verisimile est, hoc Monasterium, Templo iam olim dicato, sed denuo instaurato, fuisse additum. Certe temporibus Caroli Magni, postquam is primum Templum, quemadmodum alibi

Margin: STEPHANVS REBELLES VINCIT. — MONS SACER.

A alibi diximus, Hungaris iam bonam partem ad Fidem adductis, Dei Genitrici fundasset; alterum vel non longe à primo, quocunque tandem numero, Hungaris Diuo Martino locasse, constans est opinio: quippe quem non nesciebant in Pannonia natum, à Geysa Pannoniæ Patronum dubio procul adoptatum; cuius etiam auspicijs, Carolus Magnus Hungaros bono eorum deuicisset.

Huc facit, quòd Chartuitius hoc Monasteriũ iuxta cuiusdam Præsulis sancti fundum constructum narret: vt iam insignem aliquam memoriam Martini ibi fuisse credamus, à qua & locus *Montis sacri* nomen obtinuerit, diu ante quam hoc Monasterium recèns constructum esset. Quò etiam referri ex parte queat, In vita Stephani.

B quod Ioannes Thurocius, Bonfinius, & alij tradunt, Diuo Martino Pannonicæ gentis Patrono, vt debita vota exoluerentur, perpetuo Regis edicto Simigiensẽ populum, Cupæ Tyranni audaciam sectatum, non modò frugum, vini, ac pecorum, verùm etiam liberorum decimas Diui Martini Basilicæ quotannis pendere iussum esse. Quamuis nihil redundet, si hæc omnia in Monasterium recèns extructum collata dicamus: eò maxime, quòd Cupæ Tyranni, & confœderatorum bonis auctum ex voto legimus. Extat priuilegium singulare huic Monasterio à Rege Stephano, tanquam Proto Abbatiæ in Hungaria biennio post concessum, de quo infra dicturi sumus.

C Porro Astrici, & Monachorum eius sancta conuersatione, mirifice delectatus Stephanus, eorum auxilio & opera, quamplurimos in lucem veritatis asseruit: ac vt saluti Regni commodiùs se totos impenderent, insigni liberalitate ad radices Montisferrei, Cœnobium extruxit, Benedicto Patriarchæ, sub cuius regula militabant, sacrum. Quod quidem diu non sanctitate minus, & religione; quàm doctrina floruit. De eo hæc Chartuitius. *Astricus Abbas cum suis honorificè acceptus, ad radices Montisferrei Cœnobium in S. Benedicti honorem construxit, vbi hodieque Monachorum est congregatio, regulari disciplina pollens, temporalium rerum copijs ex Ducis liberalitate superabundans, nullius egens, nisi vt ad Euangelij* MONASTERIUM ORDINI BENEDICTI EXTRUIT.

D *præscriptum suos aliorumque pedes quotidianis precibus, & lacrymis lauet.* Hæc Chartuitius.

Quidam hoc Monasterium confundunt cum eo, quod primum Diuo Martino dicatum est; decepti, quòd huius Abbatem institutum legant Astricum, siue Anastasium: quasi proinde cùm vnus Abbas non potuerit præesse duobus Monasterijs, nõ aliud Monasterium intelligendum sit, quo Rex Stephanus construendo, voto se soluit, & quod eius liberalitate, Astricus suis Monachis extruxit. Verùm, hoc ipsum discrimen satis ostendit, duo fuisse Monasteria, & loco & nominibus distincta: alterum quidem in Monte sacro, alterum ad radi-

E ces Montisferrei positum; illud Diuo Martino, hoc Benedicto sacrum; vtrobique Ordinis Benedicti Monachos institutos. Nec quicquam prohibet, Astricum, alio sibi subrogato, priori fuisse præpositum; quemadmodum deinde dimisso etiam isto, boni publici causa ad Archiepiscopatum euectus est. Habuisse porro Astricum, discipulos & comites præsigni sanctitate fulgentes, dubium non est: in quibus præcipue enituere Sebastianus, & Bonifacius Martyr, de quibus suo loco.

Hoc eodem anno quinque illi excelsæ vitæ Religiosi, de quibus supra diximus, Astrici Abbatis discipuli, magistro suo iam in Hungaria satagente, ex Bohemia in Poloniam migrarunt; postquam scilicet de Adalberti martyrio, & Ad ann. 988.

glo-

gloriosis miraculis intellexissent; partim eius sepulchri visendi religione, partim desiderio solitudinis incitati. Quò cùm peruenissent, à Gaudentio quondam socio, nunc Archiepiscopo Gnesnensi, locum impetrantes; neque enim apud ipsum, vel precibus vrgentem, manere constituerant; remoti ab omni rerum caducarum cura, Deo ex perfectiori monastico instituto deinceps vacare inceperunt. A

Indict. 13.

IESV CHRISTI ANNVS 1000.	SYLVESTRI PAPAE II. ANNVS 2.	OTHONIS III. IMP. 17. BASILII, ET CONST. 25. STEPHANI REGIS 1.

B

MIllesimus illucescit salutis annus, felicior Millenario Vrbis conditæ, vel eo, quòd propior consummationi; quæ quousque tandem differatur, cùm præsens fuerit, docebit tot millenos etiam ab Orbe condito annos, instar vnius fuisse diei: vel si primo homini singulos numeranti ad finem vsque viuere licuisset. C

STEPHANVS, EPISCOPATVS FVNDAT.

Hic verò Millesimus annus, quartus est Stephani à morte Geysæ Principatum obtinentis; sed primus Regni, quòd is felicioribus auspicijs Deo sacratus, in magna quæuis & ardua, religionis Christi propagandæ causa animum, vires opesque intendit: ac in primis ad fundandos in proprio Regno Episcopatus, curam omnem conuertit. Videbatur id maximè expediens, tum vt populus recèns imbutus, præsentes semper haberet Pastores: tum vt adessent Regi, qui consilia è religione dirigerent: ita quippe à puero assueuerat Stephanus, nùnquam vt Sacerdotes, à quibus prudentiam, & timorem Dei doceretur, abesse sibi pateretur. Nam quòd Antistites, siue Laureacenses, siue Patauienses, siue D demum Iuuauienses, ad quos iura Laureacensium reciderant, longius abiuncti minus commode, tam vastis prouincijs sibi subiectis intenderent, nihil propius è re visum est, quàm suos Hungaris rogare Antistites, qui & Sacrorum, & cum Rege Regni curam gererent.

STRIGONIENSIS ARCHIEPISCOPATVS.

Ea de causa Stephanus, Conuentu suorum habito, aliquot Episcoporum Sedes designat; inter quos Strigoniensem, natalis soli, eminere, ampliorique censu, & dignitate Metropolitanæ fulgere decernit. In decem Episcopatus distribuisse Prouinciam tradit Chartuitius: neque tamen continuò omnes erecti sunt, sed per interualla, veniente in rem præsentem Romani Pontifici Nuncio. Inter E primos fuere Colocensis, cuius Antistitem nominauit Astricum Abbatem, mox ad summum Pontificem ablegandum, à quo is rite confirmatus est. Suos cessere Agriensis, Vesprimiensis, Vaciensis, Chianadiensis; quibus stabiliendis & ordinandis, alijsque deinde rite constituendis, Romanum oraculum requirendum fuit. Hi verò sunt Sirmiensis, Varadiensis, Iaurinensis, Quinqueecclesiensis, qui denarium numerum impleuere. Nam redacta deinde in Prouinciam, vt in loco dicemus, Transyluania, nouis religioni proferendæ Sedibus, ijsdemque fundandis pietas, & zelus Apostolici Regis parem se exhibuit, erecto eadem de causa in speculam Colocensi altero Archiepiscopatu.

De

A De Nittriensi verò, si vera sunt quæ inter alia de Vvichindo à Ioanne Octauo huc misso diximus, vetustatis suæ prærogatiua, id solùm præter numerum actū est, vt splendidior restitueretur. Atque hi quidem Episcopatus Stephano debentur. Plures, qui postea prolatis Regni Hungarici spatijs accesserunt, eiusdem exemplum, & authoritatem secuti sunt. Enimuero cùm per multam ætatem singularis illa religio comes Sceptrorum, Hungaricis Regibus insedisset, vt se Reges vix nossent, nisi ab indepto Regno, illico Basilicas Clero, Monasteria Regularibus fundarent, imò & Episcopatibus constituendis, vbi opus, impensè studerent: Ea de causa cùm vastæ Transyluaniæ Prouinciæ, Sedes vna B à Stephano erecta, non sufficeret, temporibus consecutis plures, aliorum pietate, & munificentia Regum, exurgerent. Et in his numerant quidam Hermanstadensem, & Bacchensem. De Zagrabrensi verò, & Bosnensi, suus dicendi manet locus.

Porro quæ circa id genus instituti, aliaque ad Regnum è Religione cernenda Stephanus animo præcepit, vt Romanus Pontifex authoritate sua rata haberet, honorificam ad eum legationem adornat. Deligitur Astricus, ex Abbate nuncupatus Episcopus, non doctrina minus, quàm religione, eloquentia, prudentia, & dexteritate agendi præstans; & mox commendata Abbatis in Mona-C sterio S. Martini Bonifacio cura, Romam pergit ad Syluestrum Secundum, non autem ad Benedictum Septimum, vt plerique tam Hungaricarum, quàm Polonicarum rerum Scriptores, falsò tradunt; eò minus tolerando errore, quòd hoc anno institutam velint legationem ad eum, cuius funerati, iam decimussextus circiter numerabatur.

STEPHANI AD SYLVESTRVM LEGATIO.

Legatio tota quatuor capitibus continebatur. Primum, vt Vicario Christi, & Petri Apostolorū Principis Successori consuetam à Principibus Christianis obedientiam præstaret: necnon eidem Principi Apostolorum, Regnum, ac populum, cunctaque sua, & semetipsum in perpetuum offerret. Deinde, vt Vicarius D Christi recèns conuersæ Pannoniæ largam benedictionem impertiens, vicissim Regnum, & Gentem Hungarorum, vnà cum Rege suo in tutelam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ reciperet. Mox, vt Strigoniensem Ecclesiam Apostolica authoritate Metropolim constitueret, reliquos Episcopatus sua benedictione, & facultate muniret. Denique, vt se hactenus Hungariæ Ducem, Regio nomine & Diademate cohonestaret; quo fultus honore, quæ diuinæ gratiæ auxilio cœpisset, magis magisque ad Dei gloriam, & Catholicæ Ecclesiæ exaltationem promouere in posterum valeret.

Narrat porro Chartuitius, & ex eo Baronius, admirandam Dei hac in re E prouidentiam Stephano fauentem, his verbis. *Per idem tempus etiam Meiska* (alijs Miecislaus filius Boleslai) *Polonorum Dux, Christianam complexus fidem, Legatos suos Romam miserat, vt Pontificis benedictionem, & Regium ipsi titulum impetrarent. Assenserat quidem Pontifex, & iam Coronam egregio opere confici curauerat, quam ei mitteret sua benedictione adiuncta. Sed quia nouit Dominus, qui sunt eius, qui etiam duobus Apostolis propositis Matthiam socio suo prætulit, & cum Apostolis annumerandum curauit; illa Corona Stephanum ornari voluit, postea felicius gloria sempiterna coronandum. Nocte enim eius diei, quo statuerat Pontifex Coronam Polonorum Principi perferendam, apparuit ei Angelus Domini, aitque ad eum: Noueris, cras hora diei prima, ignotæ gentis Nuncios ad te venturos, suo Duci Coronam*

CORONA STEPHANO DIVINITVS DESTINATA.

Regiam,

Regiam, & Apostolica benedictionis munus à te expetituros. Eam ergo Coronam, quam parari iussisti, illis ineunctantur tribue, ad ipsorum Ducem eam exportaturis; nec dubites, illi eam cum Regni gloria pro vitæ eius meritis deberi. Itaque crastina luce, ea hora qua prædictum erat, Præsul Astricus ad Pontificem venit, demandatumque sibi officium prudenter exequens, sanctique Ducis res gestas ordine referens, à Sede Apostolica Regni Coronam petijt, ostendèns dignum esse Ducem eo honore ac dignitate; quippe qui diuina fretus ope, multos sibi populos subiugasset, multosque infideles sua potentia ad Christum conuertisset. His auditis mire exhilaratus Pontifex, precibus eius libenter annuit. Hæc Chartuitius: reliqua mox subiungemus. A

Addit Baronius. Indignè hæc ferentes rerum Polonicarum Scriptores, Coronam scilicet paratam Duci Poloniæ, Dei monitu datam Duci Hungarorum, tradunt Regiũ nomen, atque Regium diadema Duci Poloniæ datum ab Othone Imperatore, tunc cùm in Poloniam ipse ad S. Adalberti recentis Martyris corpus profectus est: *At in his, inquit, minimè ipsis assentiri possumus: si enim accipissent ab Othone Imperatore, cur opus fuit postea quærere à Romano Pontifice post Othonis obitum, imperante Henrico Imperatore? Non igitur id factum per Othonem putamus, magis persuasi authoritate seculi huius Scriptoris laudatissimi Petri Damiani Episcopi Ostiensis S. R. E. Cardinali, veritatis in omnibus amantissimi. Ipse enim in rebus gestis Romualdi, opportuna occasione diuertens ad res Polonorum sub Sclauorum nomine recensendas, ait discipulos S. Romualdi petitos ab Othone, illuc esse missos ad prædicandum: quorum causam Martyrij dum enarrat, meminit de legatione ab eodem Duce Boleslao (quem corrupto vocabulo, vel deprauato textu, Busclauum legimus) ad Romanum Pontificem missa, pro Corona regia consequenda; eleganterque eiusmodi contexuit historiam.* Hæc Baronius. Quibus si addas illud Syluestri Pontificis, in literis ad Stephanum datis, & paulò post afferendis: *Diadema,* videlicet, *quod Duci Polonorum confectum per nos fuerat, Tibi dandum mandauit;* nempe Deus omnipotens; nullus ambigendi locus relinquitur. B C

MIECISLAVS DVX POLONIÆ. Cæterùm, non Boleslaus, seu Busclauus; sed Miecislaus huius filius, misit Romam ad petendam Coronam, viuente adhuc Othone; quod fatentur Scriptores Poloni: quamuis in eo errent, quòd ad Benedictum Septimum missam velint legationem; vnde & in reliquis miram annorum confusionem inducunt. D

Lib. 3. de reb. Polon. in Miecislao. Audiamus Chromerum. *Cæterùm, inquit, quò augustiorem posteris suis Principatum relinqueret Miecislaus, hortante Senatu, Lampertum Cracouiensem Archiepiscopum, siue Episcopum, virum doctum, & eloquentem oratorem, mittit ad Benedictum eius nominis Septimum Pontificem Maximum, vt Regium Diadema sibi mitteret, Regemque Polonorum se & posteros suos esse iuberet. Quo tempore etiam Stephanus Geysa filius, post defunctum patrem Hungariæ Princeps, eadem de re miserat. Atque ille quidem impetrauit, quanquam Hungari vulgo crediderunt, ab Angelo cælitus ei Diadema esse allatum, & impositum. Nostro negatum est; vel quòd de morte eius nunciatum esset; vel quòd differre eam Pontifex diuino oraculo iuberetur, quòd Poloni minus caste religionem colere dicerentur.* Hæc Chromerus. E

STEPHANI VISIO DE CORONA SIBI IMPOSITA. Qui, cùm dicit, Hungaros vulgò credidisse ab Angelo cælitus delatum, & impositum Stephano Diadema, eò tendit, quòd Hungaris constaret ab Angelo monitum Romanum Pontificem, vt paratam Duci Poloniæ Coronam, Stephano mitteret. Quippe Angelo præmonente, fuisse à Deo decretam Stephano eandem Coronam, Syluester ipse Pontifex in literis ad Stephanum datis affirmat,

quas

A quas paulò inferius exhibemus. Quanquam non desunt qui scribant, eadem hora, quo Pontifici Romæ apparuit Angelus, Stephano quoque visum in somnis adstare Angelum, qui Coronam sibi imponeret: hinc ortum, vt aliqui dixerint Stephanum experrectum cælitus delatam, & capiti circundatam sensisse Coronam; idque deinde nimis ampla, sed non constanti fama à credulis vulgatum est, nisi fortasse prælusione quadam diuinitus ostensa, veri obiecta sit imago.

Sunt iterum alij, qui non Lampertum Cracouiensem, sed Ioannem, & Benedictum à Boleslao missos ad impetrandam à Romano Pontifice Coronam,
B tradunt. Eius rei non meminere, quos vidi, rerum Polonicarum Scriptores; expressè tamen narrat Petrus Damiani, & ex eo alij in hæc verba: *Busclauus volens Coronam Regni sui ex Romana authoritate suscipere, prædictos venerabiles viros obnixa cæpit supplicatione deposcere, vt ipsi plurima eius dona Papa deferrent, & Coronam sibi à Sede Apostolica deportarent. Qui regia petitioni assensum penitus denegantes, dixerunt: Nos in sacro Ordine positi sumus, tractare nobis secularia negotia minimè licet: & ita relinquentes Regem ad cellam reuersi sunt. Quidam vero Regis agnoscentes consilium, sed quid sancti Viri responderint ignorantes, copiosum auri pondus, quod mittendum Apostolico fuerat, secum eos detulisse ad cellulam opinati*
C *sunt. Deinde intra se conuentione pacta condicunt, vt noctu eremum latenter ingressi, & Monachos interficerent, & pecuniam asportarent. Quos cùm beati Viri, tentantes irrumpere persensissent, aduentus eorum causam protinus agnoscentes, Confessionem inter se fecere, & Sanctæ Crucis se cæpere vexillo munire. Erant autem ibi duo pueri, eorum obsequio ex aula Regia deputati; qui prout vires dabant, stare pro Sanctis, & furibus resistere nisi sunt. Fures verò reperto tandem aditu irruentes, extractis gladijs omnes pariter interfecerunt.* Hæc Petrus Damiani: Qui deinde narrat diuinam in impios vltionem, & miracula ad corpora Sanctorum. Eos Martyrologium Romanum ad duodecimum Nouembris, inter Martyres censet, his
D verbis. *In Polonia Sanctorum Martyrum Benedicti, Ioannis, Matthæi, Isaac, & Christini Eremitarum..*

In vita Romualdi.

RELIGIOSVM EREMITARVM RESPONSVM.

A LATRONIBVS CÆDVNTVR EREMITÆ.

Scriptores rerum Polonicarum non meminere Legationis Romam pro Corona instituendæ, sed aiunt Boleslaum Regem, quò se & Regnum orationibus dictorum Eremitarum commendaret, obtulisse palam eis magnam auri massam; quam illi nequaquam sibi conducere professi, renuerunt; & post triduum, eoque absente, venisse interim sicarios, auri à Rege dati conscios: quod dum multis cruciatibus à Sanctis Viris extorquerent, nec quicquam proficerent, igne tectis iniecto crudeliter eos mactarunt. Alij narrant, illis in solitudine Deo
E vacantibus, iuxta ea quæ alibi diximus, cùm fama sanctitatis Vrbes implerent, forte & Principem Poloniæ Meschonem inuasit cupido eos videndi: qui proinde ad eorum latebras penetrans, tantum eorum colloquio profecit, vt tanquam numina præsentia veneraretur. Abiens deinde non mediocrem vim pecuniæ, vel ipsis inuitis reliquit, præsidium causatus futuræ inopiæ; quam illi accersito Barnaba (hunc panis, & olerum dispensationi præfecerunt) Principi remiserunt, gratias agentes pietati, sed paupertatem suam à pecunijs tractandis abhorrere sunt professi. Qui dum pecuniam referret, adfuisse interim latrunculos, & nocte irrumpentes, quæsita nec inuenta pecunia, ira & furore præcipites, sæuijsse in innocentes, & ad vnum omnes trucidasse. Ita isti.

Hic tamen dubium incessit, quòd ab Othone Imperatore missi dicantur prædicti viri ad excolendos in Fide Christi Polonos, petente Boleslao; & nihilominus adijsse, Henrico Imperatore promouente, & viuente adhuc Boleslao, Martyrium obiuisse anno salutis supra millesimum quinto; qui vt temporibus Henrici congruat, non tamen ætati Boleslai, nec ijs quæ à Boleslao per eos gesta narrantur. A

Si conciliare licet, verisimile est Boleslaum ante Miecislaum cogitasse de Corona à Romano Pontifice impetranda, eaque de causa Ioannem, & Benedictum mittendos destinasse, datis itineris expensis; quas tamen ipsi vnà cum prouincia suscipienda renuerunt. Deinde verò Boleslao iam vita functo, Miecislaum paterni consilij memorem, misisse pro eadem Lampertum Cracouiensem Episcopum; quo tempore destinata iam Polonis Corona, pro qua Boleslaus egerat, Angeli monitu Regi Hungariæ cessit. Quod verò dicti Martyres passi dicantur anno millesimoquinto, quemadmodum ex ijs Scriptoribus Baronius quoque enotauit, error irrepsit; cùm potius translata ex loco Martyrij eorum corpora in Regiam Vrbem Gnesnam hoc anno dicendum fuisset; aut potius ob multa, quibus coruscabant miracula, decretum illis diem celebrando solennem. Fuere verò à pio Rege Boleslao translati, magnaque deinceps in veneratione habiti. Quibus & Barnabæ tandem additæ Reliquiæ creduntur; qui etsi absens, cum interfectis palmam Martyrij non sit assecutus, ad extremum tamen vsque spiritum vitam ducens ex instituto intemeratam, eodem demum cum illis sepulchro conditus est. B C

In not. ad 12. Nouemb.

Illi porro in numerum Martyrum veniunt, non quia à latronibus vtcunque cæsi, sed quia amore paupertatis, quam insigni propositi constantia, Dei causa profitebantur, redditis regijs pecunijs, spem eorum frustrati, cæcum auaritia furorem armarant, atque huiusmodi professione virtutis in Deum relata, veritati Fidei attestati mortem oppetiuerunt. Verùm de his satis. Ad institutum reuertamur. D

SYLVESTER EXCIPIT LEGATIONEM STEPHANI.

Audita Hungarorum legatione Pontifex, mirè exhilaratus, quæ sibi nocturno visu obiecta diuinitus fuissent narrauit; & plura sciscitatus de ijs, quæ de indole, sanctitate, feruenti religione, & propagandæ Fidei conatu, necnon summa in Ecclesiam Romanam, & Sedem Apostolicam pietate Stephani, certa fama vulgasset, cùm omnia supra opinionem sibi constare intellexisset, decreuit peculiari quodam honore, & prærogatiua eundem decorare; Hungariæ vero Regnum eximio quodam religionis affectu, & vinculo Romanæ Ecclesiæ deuinctum, singularibus quibusque beneficentiæ, fauoris, & gratiæ priuilegijs exornare. Ac inter alia, non solum Coronam libens contulit, sed *Crucem* ante Regem, *ceu APOSTOLATVS INSIGNE*, deferendam indulsit: *Ego*, inquiens, *sum Apostolicus, at ille meritò Christi APOSTOLVS dici potest, cuius opera tantum populum sibi Christus acquisiuit. Qua de causa, quemadmodum diuina gratia ipsum docebit, Ecclesias Dei vnà cum populo, nostra vice ei ordinandas relinquimus.* E

SYLVESTER MAGNIS PRÆROGATIVIS EXORNAT REGEM, ET REGNVM HVNGARIÆ.

Hæc Romanus Pontifex oretenus, eademque literis explicatus, dignis vtique memoria posterorum, & præcipue quos tam insignis facti à Romano Pontifice, tantique Regis ad omnium exemplum Regum religio, ab eodem commendata delectat. Quo loco lubet in mentem reuocare, dum in nectenda rerum, & temporum serie non parum laboraremus; quippe à principio incesserant con-

fusæ

A fusæ omnium narrationes,& perturbatus ordo historiæ, vt sic diuinarent quidē, à quo Romano Pōtifice, quoue tempore sacram Stephanus Coronam accepisset; verùm in diuersa plane abeunte, omnem in medio relinquerent veritatem. Ex quo vlterius consequebatur, vt neque ritè recolerent, quo sęculo is vixisset, ne dum quo anno, vel natus, vel ad Regnum fuisset euectus. In tam densis nihilominus tenebris, ex certioribus quæ se offerebant, rimati veritatem, & temporum circumstantias ex momentis legentes, ita res quasque suo ordine, & gesta suis annis digessimus, nihil vt cuiquam, vel omnia vaste complectenti, occurrere posse videretur, quod non suo loco sederet.

B Et iam confecto huius Primi Tomi argumento, magnamque partem liberatis è prælo folijs, dum propemodum millesimi huius anni historia subijcienda foret, inopine, sed peropportune, suggessit Reuerendus Frater Raphael Leuacouicz Croata, Ordinis Minorum Obseruantium, Sacræ Theologiæ Lector, atque in Vrbe, Sacrorum Illyricanæ Ecclesiæ Codicum Corrector, haberi apud se Literarum Syluestri Pontificis exemplum, quæ Legatis Hungariæ, tum adhuc Ducis Stephani, mox inaugurandi Regis, vnà cum sacra Corona traditæ, non singulares duntaxat prærogatiuas eidem concessas, sed & summam rerum ad hanc historiam pertinentium exactè continerent. Et ne de fide religio incesseret,
C ret, tametsi stylus abunde pro se loquatur, authoritatem faciunt, quæ idem suo Vir Ordine dignus, manu addidit. Antonius Verantius Dalmata, superiori seculo, magnæ, tum doctrinæ, tum prudentiæ laude clarus, eoque viginti plus Legationibus ad maximos Principes perfunctus; apud Ferdinandum demum, & Maximilianum Romanorum Imperatores ea gratia valens, qua suæ dignitati Strigoniensem Archiepiscopatum adderet. Hic enimuero, cùm in Archiuo Traguriensis Ecclesiæ, cognoscendis, colligendisque Antiquitatū monumentis intenderet, has quoque Literas forte, anno seculi quinquagesimo, offendit; & dignum studij sui præmium, in Aduersaria, quibus titulum *Memorialis* præfi-
D xerat, manu sua descripsit. Eo post annos tres & viginti vita functo, veluti lampada per varios traditum accepit Athanasius Georgier, proinde genere, & Legationum prouincijs illustris; cuius eximia erga eruditos humanitate Viennæ Austriæ nactus est Frater Raphael, cùm nuper datum à summo Pontifice Vrbano Octauo, Terræ Sanctæ negocium apud Cæsarem Ferdinandum Tertium procuraret. Ab eo demum nos, qua diximus occasione, habitas, ne amplius desiderio, & errore multorum, ne dicam insigni Ecclesiæ damno, in priuatis scrinijs, adeoque in tenebris delitescerent, hisce Annalibus inserere, & publici iuris, & lucis esse voluimus; ita etiam optante eo, qui ceu pignus, & depositum
E argumenti sui, *De Vinea Domini in Illyrico*, in nostris lucubrationibus extare voluit; Vt hoc propter, qui has lecturi probauerint, gratiam acceptam eidem referant, vnaque meminerint Martini Pannoniorum Diui tutelaris; cuius, inter alia Regni Hungariæ sydera, dum veluti Cynosuræ ductu hosce Annales molimur: Quippe quo die gloriosus eiusdem transitus Ecclesiæ solemnis est, eodem hoc exemplum ad manus nostras venit; vt votis ad illuminandos labores respondere voluisse videri possit. Est autem huiusmodi.

SILVESTER EPISCOPVS A
SERVVS SERVORVM DEI.
STEFANO DVCI VNGARORVM
Salutem, & Apostolicam benedictionem.

LEgati Nobilitatis Tuæ, in primis verò carissimus Confrater noster Astricus, venerabilis Coloceusis Episcopus, tanto maiori cor nostrum lætitia affecerunt, ac B *minori officium suum labore confecerunt, quanto diuinitus præmoniti, cupidissimo animo illorum aduentum, de ignota nobis gente præstolabamur. Felix Legatio, quæ cælesti præuenta Nuncio, atque Angelico pertractata ministerio, priùs Dei conclusa est decreto, quàm à nobis audita fuisset. Verè non volentis, neque currentis, sed, secundum Apostolum, miserentis est Dei: qui, teste Daniele, mutat tempora & ætates: transfert Regna, atque constituit: reuelat profunda & abscondita, & nouit in tenebris constituta, quia lux cum eo est: quæ sicut docet Ioannes, illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Primum ergo gratias agimus Deo Patri, & Domino nostro Iesu Christo, qui temporibus nostris inuenit sibi Dauid filium Geysa,* C *hominem secundum cor suum, & luce irradiatum cælesti suscitauit illum pascere Israel populum suum, electam gentem Vngarorum. Deinde laudamus Pietatem Sublimitatis Tuæ in Deum, & reuerentiam erga Sedem Apostolicam, cui diuina patiente misericordia, nullo meritorum nostrorum suffragio, præsidemus. Tum verò Largitatem Liberalitatis, qua B. Petro, Apostolorum Principi, Regnum ac Gentem; cuius Dux es, cunctaque tua, ac Teipsum per eosdem Legatos, & litteras perpetuùm obtulisti, digno præconio commendamus. Hoc enim facto egregio apertè testatus es, & re vera talem Te merito esse demonstrasti, qualem, vt Nos Te declarare dignaremur, studiosè expetiuisti. Sed parcimus. Neque enim necesse est, vt quem tot* D *ac talia præclare pro Christo gesta facinora voce publica clamant, quemque Deus ipse commendat, ampliùs commendemus. Quare Gloriose Fili, cuncta à Nobis, & Sede Apostolica expostulata, Diadema, nomenque Regium, Strigoniensem Metropolim, & reliquos Episcopatus, de Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius authoritate, præmonente atque ita iubente eodem Omnipotente Deo, cum Apostolica & Nostra benedictione libenter concessimus, concedimus & impertimur. Regnum quoque à Munificentia Tua S. Petro oblatum, Teque vnà, ac Gentem, & Natione Vngaricam præsentem, & futuram, sub protectionem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ acceptantes, Prudentiæ Tuæ, Hæredibus ac legitimis Successoribus tuis habendum, tenen-* E *dum, regendum, gubernandum, ac possidendum reddimus & conferimus. Qui quidem Hæredes, ac Successores tui quicunque, postea quam per Optimates legitime electi fuerint, teneantur similiter Nobis, & Successoribus nostris per se, vel per Legatos debitam obedientiam, ac reuerentiam exhibere, seque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ subiectos non habet vt seruos, sed vt filios suscipit vniuersos, subditos esse ostendere, atque in Catholica Fide, Christique Domini ac Saluatoris nostri religione firmiter perseuerare, eandemque promouere. Et quia Nobilitas Tua Apostolorum gloriam æmulando, Apostolicum munus, Christum prædicando, eiusque Fidem propagando, gerere non est dedignata, Nostrasque & Sacerdotij vices supplere studuit, atque Aposto-*

A *Apostolorum Principem præ cæteris singulariter honorare: idcirco & Nos singulari insuper Priuilegio Excellentiam Tuam, tuorumque meritorum intuitu, Heredes, ac Successores tuos legitimos, qui sicut dictum est, electi, atque à Sede Apostolica approbati fuerint, nunc & perpetuis futuris temporibus condecorare cupientes; Vt postquam Tu, & Illi, Corona, quam mittimus, ritè iuxta formulam Legatis tuis traditam, coronatus, vel coronati extiteritis, Crucem ante se, Apostolatus Insigne, gestare facere possis & valeas, atque Illi possint valeantque: & secundum quod diuina gratia Te, & Illos docuerit Ecclesias Regni tui præsentes, & futuras, Nostra, ac Successorum nostrorum vice disponere atque ordinare, Apostolica authoritate similiter concessi-*
B *mus, volumus, & rogamus, sicuti in alijs Litteris, quas in communi ad Te, Optimatesque Regni, & cunctum fidelem populum, per Nuncium nostrum, quem ad Te dirigimus, deferendis, plenius hæc omnia explicata continentur. Oramus Omnipotentem Deum, qui Te de vtero matris tuæ vocauit nomine tuo ad Regnum &. Coronam, quique Diadema, quod Duci Polonorum confectum per Nos fuerat, Tibi dandum mandauit, augeat incrementa frugum Iustitiæ suæ, nouellas plantas Regni tui rore suæ benedictionis perfundat largiter; Regnum tuum Tibi, Teque Regno seruet incolumem; ab Hostibus visibilibus, & inuisibilibus protegat; ac post terreni Regni molestias, in cælesti Regno Corona adornet æterna. Data Romæ vj. Kal. April. Indi-*
C *ctione decimatertia.*

Hucusque ex literæ, quas hoc anno millesimo datas character Indictionis decimætertiæ prodit, die nimirum vigesimaseptima Martij, (*feria quarta*) cuius lunationem Hungarorum religio, ex Annunciatione Deiparæ mensem *Paruæ Dominæ* sua lingua vocat; comparatione Augusti, qui ijsdem ob solennitatem Assumptionis, *Magna*, seu *Beata*, & *Coronata Domina* mensis est. Vnde id quoque Stephano periucunde accidit, datam sibi circa celebritatem Annunciationis Coronam, in die Assumptionis videre capiti impositam; quasi ita oportuisset honorari eum, qui talis Dominæ seruus esset.

D Præter has verò, alias quoque à Syluestro Pontifice scriptas ad Regem, & Optimates Regni, Literæ ipsæ loquuntur: quæ tametsi hactenus desiderentur, ne ex verbo legi queant; dubium tamen non est fuisse eas, & religiosas, & præceptis Apostolicis plenas: quibus reddita in primis Deo ob accessionem nouæ gentis ad Ecclesiam gloria, tum pietate Regis, & Procerum collaudata, vniuersi ad salutem in suscepta semel Fide constanter seruandam, vitamque ex Euangelij sententia ducendam flammarentur.

Quo loco aduertimus, Hungaros, *Ignotam Gentem* à Syluestro appellari, non quia Romano Pontifice clam esset, nuper conuersæ Hungariæ illustris fa-
E ma, Geysa præsertim Duce tanto conatu rem gerente; deinde Stephano filio, ac tot Viris sanctitate præditis, qui in Pannoniam inuitati certatim affluxerant, omni studio Religionem promouentibus. Neque enim ista Romanum Pontificem latebant, quæ sine ipso, nec adeo remoto loco, eodem inscio geri minime poterant. Verùm quia stabiliendæ ex omni parte Religionis ratio, nondum in Romana Curia contestata, publicam susceptæ Fidei authoritatem, & præstandam Romanæ Sedi obedientiam desiderabat, *Gentis Ignotæ* prætextum ferebat. Quanquam eo etiam respectu appellatio ista congruebat, quòd ad Coronam alteri destinatam, adhuc *Ignota* ad Regnum esset: nisi etiam accedat, ab

Angelo dictam *Ignotam Gentem*, quæ occulta vocatione signata, in peculiarem A
Dei populum, Ecclesiæque Romanæ deditum destinabatur.

Porro non Literas solum dedisse Syluestrum, sed cum authoritate Nuncium quoque misisse Apostolicum, qui Stephano Regi adesset, ex iisdem habemus; idque pro consuetudine antiqua Sedis Apostolicæ, & iure Vicarij Christi apud Christianos Principes agentis: quod præsertim pietas Regis optimi, tam arctè deuincti, singulari quadam prærogatiua sibi vendicabat. Qui is Nuncius fuerit, nomen non prodit. Existimare licet Anonem illum, qui deinde Quin-
Ad ann. 1009. queecclesiensis Episcopatus erectioni, quemadmodum infra videbimus, legitur interfuisse. Hic alijs Anonius; quibusdam Amonius Bibliothecarius dictus, B
traditur vitam, & res gestas Syluestri scripsisse; quæ tamen nobis obscuræ sunt, & magno rerum Hungaricarum damno desiderantur. Quidni enim has præcipue complexus sit Author, multis annis Prouinciam apud Hungaros pro Pontifice gerens? quippe qui apud initiatos ordinandæ religioni ex authoritate, & instituto Romanæ Sedis, pernecessarius fuit. Cæterùm & reliqua Syluestri Acta, sicut & Constitutiones, præter vnam ab Ademaro Monacho Lemouicensi recitatam, interciderunt.

Omnibus impetratis, quæ postulauerat Astricus, lætus ad suos reuertitur, Coronam secum ferens, cuius causa Romanum iter emensus fuerat; sed adiun- C
cta Cruce, plusquam sperarat reportantem ingentis lucri accessione fama commendans præuolarat, eademque Regem, & Proceres excitarat. Aduenienti cum Apostolico Nuncio, in primis vniuersæ Ciuitates, & Oppida, quà succedebat, obuiam effusa; deinde Vrbs Regia, denique propiùs tota Aula honorifice aduersum iuit. Illico Senatu dato, vbi Literæ Apostolicæ lectæ, & Corona cum Cruce in medium allata; dici non potest quàm læta deuotione, & plausu Præsules cum Clero, Comites cum populo gestire: sed ante omnes Stephanus in laudem Dei prorumpens, feruentiori quàm vnquam religione, se suumque Regnum Romano Pontifici, & Sedi Apostolicæ addicere, & Deiparæ Virginis D
STEPHANVS CORONATVR. tutelæ singulari pietate commendare. Mox indicta Coronationi die, qui Assumptæ Virgini sacer fuit, quam magna Procerum, & populi vniuersi potuit frequentia, Stephanus Deo dilectus ab Apostolico Nuncio, Præsulibus administris, in Regem vngitur, & Diademate Regio felicissime redimitur. Tenuit ea solennitas octiduum, religiosa magis, quàm seculari celebritate; qua perinde pauperes inopiæ obliti, quàm diuites exaltati, Deo gratias egere, & Regi nouo summa animorum voluptate applaudentes, acclamauere.

RITVS CORONANDI. Ritum in vngendo, & coronando Stephano, seruatum esse eundem, qui hodieque apud Hungaros in vsu est, dubium non videtur: decuit enim Maio- E
rum mores, consuetudine per manus ducta, religiose tueri; vt brachio dextro, humerisque, sacro Catechumenorum oleo persusis, gladio primùm auctoritate Apostolica, consecratus, accingeretur; tum capiti Corona imposita, demum manus sceptro armaretur; hoc denique peculiari in huius Regis coronatione ad Successores transmittendo ritu, pax aurea, & *Apostolicum Insigne Crux*, item aurea, sed gemmis distincta præferretur. Quanquam successu temporis, plures etiam ceremoniæ, partim ornamenti, partim peculiaris cuiusdam religionis significandæ causa, fuerint adhibitæ. Illud constat, præter paludamentum, quod Regibus

A Regibus commune est, deinde Reges Hungariæ coronandos, habitum Diui Stephani Primi Regis deferre folitos, aureisque cothurnis indutos, pallium quoque è serico cæruleo, seu cælestino gestare consueuisse. Hoc verò thronus Maiestate Dei insignis, necnon Apostolorum Imagines phrygio opere, auro intextæ, in palmatæ vestis speciem, non solum mirifice exornabant; verùm etiam singularis mysterij repræsentatione longe reddebant augustissimum. Tenuit hic ornatus vniformi per aliquot successiones vsu; deinde tamen arbitratu Principum varius euasit; nec tam vetustate, & censu operis, quàm religione, & venustate artis, spectabilis habetur. Sed etiam, quod ad Coronationem spectat,
B non omnia, quemadmodum fieri deinde posteris consueuit, eo ordine & lege circa Stephanum sunt peracta: quando nondum erant omnes Episcopi constituti, quorum hodie singulorum diuersa sunt in Rege coronando munera rite obeunda, de quibus suo loco dicturi sumus.

In iisdem porro literis Apostolicis mirabitur fortasse quispiam, vix concessum à summis Pontificibus priuilegium, nisi causas exacte secum retractauerit: *Crucem ante Regem Apostolatus Insigne praeferre:* Et *Ecclesias omnes praesentes, ac futuras Romanorum Pontificum vice disponere atque ordinare.* Quæ prærogatiua non in vno duntaxat Stephano hæsit, verum eiusdem meritorum intuitu, vt
C ibidem apparet, in hæredes quoque, & omnes ex præscripto Sedis Apostolicæ legitimos Successores deriuata est. Quàm enimuero præsens ex id gens priuilegijs, vel sensu restrictis & defectis, arripitur occasio miscendorum iurium, si religione oblique æstimata, versute & callide lubeat vsurpare, norunt qui his studijs delectantur. Sed profecto quàm dignus fuit Stephanus, vt Romanus Pontifex, hoc ipsum honore prosequeretur, non coactè, vel iuris impediti tolerantia, sed sponte & vltro gratificando; tam fuit excellens religio, & sobria pietas Stephani, Carolum Magnum, Ludouicum Pium, Henricum Secundum, cæterosque Principes, æquè iusti erga Sedem Apostolicam seruantissimos referentis.
D

Et quidem, quod spectat ad merita Stephani, Syluester Pontifex ea paucis, sed ingentia comprehendit. Nam vt *reuerentia* erga Sedem Apostolicã plurium sit; illa tamen *liberalitas*, vel vt Pontifex loquitur, *largitas liberalitatis*, qua *Regnum, ac Gentem, cunctaque sua, ac seipsum B. Petro Apostolorum Principi perpetuùm obtulit*, nisi nullius, paucorum est. Nullius certe Regum, quod sequitur, *Apostolorum gloriam aemulando, Apostolicum munus Christum praedicando, eiusque Fidem propagando, gerere non dedignari*; vno verbo *Pontificias, & Sacerdotis vices supplere.* Vnde quod ait Chartuitius, *Quamuis ipse sibi Euangelizandi munus non sumpserit,* *In vita S. Stephani.*
E *instar ducis tamen Concionatorum, & magistri, defensionis, & sustentationis eis solatia suppeditauit*; nisi forte è suggestu verba fecisse neget; enunciatione Pontificis inducitur, nec cum reliquis constare potest: qui enim *instar ducis Concionatorum, & Magistri egerit*, nisi docendo, vel vt Pontifex loquitur, *Christum praedicando, eiusque fidem propagando*, in hoc Apostolicum munus, in reliquis vero, mittendo qui per totum Regnum, Christum annunciarent, Episcopatus, & Antistites designando, *Pontificias, & Sacerdotis vices* recte dicitur impleuisse. Pleraque autem ex his cùm in sensu Pontificis, *gerere non sit dedignatus,* satis intelligitur, eum ad infima quæque, & humanis oculis vilia, Christi causa descendisse.

Ad

Ad hæc vniuersim spectant, Adolescentulus cùm accepisset, vt alibi insinua- A
uimus, permultos suorum Religionem simulare, metu Geysæ parentis adductos, ipsum anxie persecisse, quò sublata fictione, vere crederent, à puero Euangelium edocti, & genuinum Sacrarum Scripturarum sensum: vt verè audiret, quod Apostolicum est, diuina sapientia puerum non minus fuisse adeptum, quàm armis parentem; vnde postea pacificus Salomon, & manus sanguine innocuus, plurium Templorum meruit esse fundator. Præterea nihil vnquam maiore studio est aggressus, quàm vniuersos Hungaros in lucem asserere veritatis; & dolebat se impediri subinde ab ijs, à quibus iuuari oportuisset, religionis causas ex fine proprio metientibus. Id igitur vnum, ardentissima in Deum charitate succen- B
sus, & quotidie humi prostratus, apud Deum vrgebat, liceret salutariter cœpta ad exitum perducere, totamque Hungariam antequam rebus humanis excederet, videre Catholicam. Ac vt adsequeretur, in cinere & cilicio sæpe cubare, assidueque Templo affixus Deum in vota vocare; denique laudabile propositum suis Diplomatibus longe lateque exhortando, rogando, declarare.

Hoc quoque Apostolicum & plane Pontificium est; continuo voluisse Codices sacros, ex quibus religionis, & iustitiæ decreta formaret: odisse contra libros, qui de litibus, & bellis ferendis præciperent. Quantum vero in illis profecit, Regnum salutariter administratum, & Euangelica monita in libellum C
collata, ac deinde filio Emerico ad erudiendum credita, luculente ostendunt. Sic, vt istos longe haberet, exemplo & aliorum periculo doctus est, raram inesse litibus pietatem, rariorem in armis iustitiam. De Regno dilatando nunquam cogitauit, nisi religionis interesset; hanc vbique etiam apud exteros proferre modis omnibus laborabat, non armis, sed pijs fœderibus, & amicitia nationum; turpe & iniquum existimans ambitioni religione prætextum facere. Hoc merito verosimiliter factum, vt plura, Deo fauente, Regna sponte eius Coronæ sese submitterent, religionis & iustitiæ cultu probè formanda; in quibus adijciendis, etsi eius quoque potestas interuenisset, nunquam tamen nisi DEI GRATIA D
adeptum ferebat, procul belli, vel gladij sui, vt solet, epigraphe. Paganis aduersus Paganos, si iusta subesset ratio, requisitus, opem, Dei caussa ferebat, religioni viam apud illos parans: contra, eorum auxilio, vel sponte oblato, & ad rebelles domandos, vti nefas putabat, ne quid alienigenarum vis præter intentum religioni officeret, sibi coram Deo præstandum. Quanquam & Christianorum gladijs sæuire in sanguinem Christianorum, nisi manifestissima eiusdem Religionis, & Iustitiæ causa, & cùm alia decernendi ratio non suppeteret, prorsus iniquissimum ducebat. Denique Pontificium erat, nihil ardui tentare, nisi viris E
doctrina, & sanctitate præditis in consilium adhibitis; ne quo, se suosque religionis piaculo, vel inscius obijceret; multo magis ne multorum salutem præcipitando in discrimen adduceret.

Adhuc vero perpulchre ad Sacerdotij vices implendas spectare queat, perpetuo instituto, pauperum, viduarum, orphanorum, & Ecclesiarum curam habere; in horum vsum Regias opes, quæ superessent, erogare, damnatis vanis, & arbitrarijs, vt quidam iactant, ad humanum luxum expensis; impium ducens Regem, & Pastorem luxuriare, populum & gregem egere; Crucem auream ante se Principem Apostolicum deferri, Templa & Altaria ornamentis nuda esse; adeoque horum omnium gratia creditas à Deo sibi opes, præter decorum, &

A contra fas aliò verti. Quamobrem ſicut crebro, & diligenter cauit, ne pauperum viduarum, & orphanorum afflicta eſſet conditio, ita quotannis Baſilicas, & Monaſteria à ſe condita reuiſere ter ſolitus, ad Aras primum omnes, preces & ſacra facere, deinde Templa ſingillatim luſtrare, & ſi quid vitij deprehendiſſet, continuo obducere, & ſarcire, denique magis magiſque ornare. Quot autem Baſilicas fundarit, qui tot Epiſcopatus in ſuo Regno erexit, haud facile comperias; ac quemadmodum illas extra ſuum quoque Regnum conſtituit, ita de his quoque facturus erat, ſi licuiſſet.

Hæc hiſtoriæ gratia reſtricte dicuntur, vt appareat quæ Sylueſtro Pontifici
B cauſa fuerit, *Apoſtolici Regis*, & *Apoſtoli* nomine tam pium, & religioſum Ducem exornare, honore dubio procul nullis titulis commutando: vt inter omnia Regum & Principum Chriſtianorum vocabula, quibus olim de Eccleſia Catholica, & religione benemeriti, ab Apoſtolica Sede, diuerſiſque ſacris Concilijs donati ſunt, cuiuſmodi eſt nomenclatura, *Glorioſiſsimi*, *Religioſiſsimi*, *Orthodoxi*, *Piiſsimi*, *Fideliſsimi*, *Sanctiſsimi*, *Chriſtianiſsimi*, *Catholici*, nomen APOSTOLICI quadam ſingulari, & plane veneranda dignitate explendeat. Scio non primum fuiſſe Stephanum Regem Hungariæ, cui appellatio APOSTOLICI ſacra authoritate adhæſerit: nam aliquot ſeculis ante, nempe anno quingente-
C ſimo octuageſimonono in Concilio Toletano tertio, ſub Pelagio Secundo, cùm Reccaredi Regis zelo & pietate prouocante, hæreſim Arianam Gothica natio abiuraſſet, eidem Regi, tanquam ſuæ Gentis Apoſtolo, à Patribus acclamatum eſt: *Ipſe mereatur veraciter Apoſtolicum meritum, qui Apoſtolicum impleuit officium*. Quæ ratio poſtea obtinuit, cur in picturis Reccaredus Crucem, tanquam Gothorum Apoſtolus, manu ferat. Verùm enim hoc excellentior eſt Stephani prærogatiua, quòd non à Patribus Concilij Prouincialis, ſed à Summi Pontificis oraculo, non *Apoſtolicus* duntaxat, ſed vt Chartuitius refert, verè APOSTOLVS, facta ſui nominis comparatione ſit appellatus; nec denique arrepta
D ſolum occaſione Crucem in picturis effingi, ſed viuæ vocis Pontificiæ explicatione Regi præferri ſit vltro datum, & pro ſingularis muneris Apoſtolici notanda dignitate vſurpatum.

Alterum porro, quod ſpectat ad omnes *Eccleſias Romanorum Pontificum vice diſponendas, & ordinandas*; ita fortaſſe quiſpiam interpretabitur, vt Reges Hungarorum abſoluti iuris eſſe velit, ac proinde inconſulto etiam Romano Pontifice, nedum attento Epiſcoporum Regni iure, cum authoritate ſumma Eccleſias ſui Regni ordinare ex arbitratu poſſit: vno verbo, Politicis iuxta, ac Eccleſiaſticis, Monarchiæ imperio præeſſe, poteſtatem, & iuriſdictionem in ijs perinde
E exercere. Sed enim exiſtimandum, hoc genus prærogatiuæ Stephano Regi conceſſum, vt inſtar Vicarij Pontificij, pro re & tempore, Eccleſias Hungariæ ex *Canonum præſcripto* ordinaret; ac potius dirigendo, quot vellet Epiſcopatus inſtitueret, dignoſque Cathedris Epiſcopos præficeret: quæ omnia, quæ ex numero, & gradu Cleri, locorumque dignitate præſtanda forent, copijs & cenſu ritè fundaret. Ita planè decebat Romanum Pontificem, indulgere pietati Stephani Regis, gentis ſuæ mores probe edocti. Quod tamen priuilegium non eatenus in ſucceſſores tranſijt, nec ritè à quibuſdam vſurpatū eſt, vt præterea Epiſcopos etiam Regis iudicio, & ſententiæ ſubmiſſos cogitarent. Certè Regem Stephanum non niſi in conſtituendis primùm Eccleſijs, iuxta dicta, Romani Pontificis vice,

APOSTOLICI VOCABVLVM QVAM INSIGNE.

RECCARDVS APOSTOLICV

QVALE PRIVILEGIVM STEPHANI IN ORDINANDIS ECCLESIIS.

ex Indulto functum fuisse, satis constat ex reliquis eiusdem gestis, ac præsertim A
Lib. 1. Decret. cap. 1. Lib. 2. cap. 2. ex Decreto, quo filium Emericum de impendendo Pontificibus honore, & reuerentia instruit: itemque ex altero, quo Episcopos potestatem habere declarat, *prouidendi, regendi, gubernandi, atque dispensandi iuxta Canonum authoritatem.*

Verùm quemadmodum ex eo, quòd Stephanus è religione omnia tractaturus, Episcopos adesse consilijs voluit, is tandem apud posteros abusus irrepsit, ABVSVS POLITICORVM IN ORDINANDIS ECCLESIIS. vt non tantũ consultationibus, verùm etiam bellis gerendis præesse eos vellent; ita ex illo singulari Regibus concesso priuilegio, occasionem alij sumpsere vsurpandæ in posterum authoritatis; idque præsertim suadentibus huius seculi B filijs in generatione sua prudentioribus, quibus Regum salus minoris curæ est quàm Regni census. Quo fit vt in vtroque genere plura se offerant exempla in historijs Hungarorum, ex quibus extitere fontes malorum. Lego tamen & in Annalibus Ptolemæi Lucensis, & in Magno Belgarum Chronico, & denique apud Martinum Polonum, Regem Hungariæ monitum à Paschali Papa Secundo, per Literas eidem renunciasse inuestituras Episcoporum, & aliorum Prælatorum, quas vsque ad hoc tempus (vertebatur annus salutis cum millesimo centesimus duodecimus, à Coronatione vero Stephani Regis annus circiter cum duodecimo centesimus) Reges Hungariæ habere consueuerant; de C qua tamen re nihil inuenio in Actis Paschalis Secundi; plura vero in gestis Regum Hungariæ vsque ad quintum à fundata Ecclesia Hungarica seculum, facto contraria.

Neque tamen inficias iuerim, fecisse Paschalem cum Hungariæ Rege, si mos iste in Hungaria vigebat, quod cum Rege Angliæ, immo cum Imperatore Henrico Quarto, à quibus inuestituras, vel vsurpatas, vel aliàs concessas, penitus auocauit. Et quidem, quod spectat ad Henricum, tametsi illas eidem violenter extorquenti concessisset, postea tamen Concilio apud Lateranum coacto, priuilegium per vim concessum irritauit, anathemati subijciens, qui eo vsurus D fuisset; idque toti Orbi Christiano significari voluit: vt hac occasione verisimile sit, & Regem Hungariæ monitum parere voluisse, & si quid hactenus in Hungaria quouis prætextu fuisset attentatum, in posterum induci iussisse. Idem fere cum Rege Angliæ, cæterisque factum, constat ex varijs Epistolis Pelagij.

Nũquam enim bene cessisse Regnis Ecclesiastica iura, quouis etiam pio prætextu, vendicantibus, nedum ambitiose vsurpantibus, experientia seculorum non vno exemplo docuit; vt ea de causa plura cecidisse Regna, Principumque excisas generationes, quàm hostium gladijs, recensere in promptu sit. Et frustra malorum, quibuscum populi frequenter conflictantur, rationem aliunde E quàm ex hoc fonte ducimus; ex quo pene quotidianæ calamitates manant, vt Christianus Achior noster dilucide ob oculos ponit, sed & Concilij Gallicani Patres luculentè attestantur.

CORONÆ HVNGARIÆ QVANTA DIGNITAS. Porro singularis est, præter Crucem Apostolicam, Coronæ diuinitus imperatæ, religio. Legimus quidem nonnullos Reges sanctos fauore cælesti mira dispositione institutos; sed Diadema, seu Corona, proprium Regis Insigne, diuinitus datum, merito inter Reges vnctos, numero dignum sibi vendicat locum. Lib. 1. de Inst. Arm. cap. 4. Quod si verum esset, quòd non nemo apud Armacanum crasse somniauit;

Vnctio-

A *Vnctionem Regibus imprimere characterem, & conferre ipsis gratiam viuificantem;* quid non magni, & sancti Stephano in primis, non vncto solùm Regi, sed Corona diuino oraculo præparata insignito, deinde & legitimis successoribus tribuendum esset? vnde cæteris Regibus sine exceptione præferendi forent. Sed reiecta huiusmodi Theologia tam absurda; quantam præter hoc genus Coronæ, Regi non primogenito Ecclesiæ, collatum munus Apostolicum concilliet prærogatiuam, inde facilius erit colligere, quòd rarus sit in Principibus, cui tantum Romana debeat Ecclesia, si obsequium, & deuotæ religionis sacramentum pensare velit. Quippe, si Ruthenorum Reges excipias, vix fuit, qui

B non modò se, & populum suum protectioni Vicarij Christi submiserit, verùm & Regnum ipsum Romanæ Ecclesiæ dono dederit: quod tamen præclaro super alios specimine fecit Stephanus, idque ante, quàm ab ea Regiá Coroná accepisset; vt non gratiam rependere, sed religione se deuincire Deo, & Ecclesiæ voluisse ipsum cogitemus; si verum est quod Baronius ad hunc annum narrat, eamque fuisse causam affirmat, cur Stephanus *tantam diuinitus reuelatam gratiam promeruerit,* vt alteri præparatam ipse Coronam tulerit; idque ex Literis Gregorij Septimi ad Salomonem Regem Hungarorum datis ostendit. Quibus nempe Summus Pontifex Salomonem Regem, à Stephano Sextum, redarguens, inter *Lib. 2. epist. 13.*

C alia, *Sicut, inquit, à Maioribus patriæ tuæ cognoscere potes, Regnum Hungariæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ proprium est, à Stephano olim B. Petro cum omni iure ac potestate oblatum, & deuote traditum. Propterea Henricus piæ memoriæ Imperator, ad honorem S. Petri Regnum illud expugnans, victo Rege, & facta victoria, ad corpus Beati Petri Lanceam Coronamque transmisit, & pro gloria triumphi sui illuc Regni direxit Insignia, quo Principatum dignitatis eius attinere cognouit.* Hæc Gregorius. Quæ tamen non de Henrico Primo, qui Stephanum antecessit, sed de Secundo; qui *Lege, sed de Tertio, qui eius successor è* licèt Stephani cognatus, eius tamen Successorem Petrum Germanici sanguinis, *Petrum. &c.* ab Hungaris, subrogato Aba, seu Ouone, iniustè deiectum, vt restitueret, cruen-

D tam de Ouone victoriam retulit; de qua plura Hermannus Contractus, & Bonfinius, alijque: nemo tamen, nisi fallimur, Lanceæ & Coronæ ad corpus Beati *Ad ann. 1044. Dec. 2. lib. 2.* Petri missæ meminit; vt idcirco, pluribus in loco tam insignis authoritas Pontificis expendenda supersit. Rarum porro fuit deuotionis Stephani Regis erga Romanam Ecclesiá exemplú, sed deinde pluribus eius successoribus peculiare, nulla spe priuati lucri, aut alio quouis prætextu, sed indubitato sacrosanctæ Religionis studio, siue contra vexantes Romanam Ecclesiam, siue contra Hæreticos insultantes, siue denique contra capitales Fidei hostes, ad nutum Romanorum Pontificum bella Domini toties præliatos esse, opes, vires, capita sua præsentissimo discrimini obiecisse.

E Quæ dum de dignitate Coronæ Hungaricæ adstruimus, neque tamen negamus hanc ipsam alia diuinitus prærogatiua fuisse munitam, vnde sanctitatis veneratio augeretur. Nam quod Regibus Angliæ, Aragoniæ, Franciæ, Principibus item Austriæ, ab Habspurgensibus oriundis, alijsque datum fuisse quidam asserunt, vt ritè coronati potestatem sanandi strumas acciperent, id etiam Stephano, & reliquis Hungariæ Regibus concessum, vt singulari quadam gratia non iam strumas, sed longè deterioris morbi, hoc est cuiusuis icteri sanandi, virtutem haberent. Scio item quod probati authores tradunt, Regibus Gallorum vnà, & Anglorum diuina gratia obtigisse, vt annulorum vsu, quos ipsi benedixissent,

MORBOS SANANDI VIRTVS REGIBVS HVNGARIÆ DIVINITVS DATA.

Polyd. lib. 8. Hist. Ang. And. Laurent. lib. de strumas Ioann. Paull. in Spudo ped. Alon. Ar mac. de Insf. Arm. l. 1. c. 13. Alan. Cop. Dial 3. cap. 8.

lues

Carol. Tapia in Rubr. ff. de Constit. Princ. c. 1. num. 3. Cassan. in Catal. Glor. Mun. p. 5. consid. 1.

lues comitialis depelleretur; Hispanorum præterea Regibus agnatam facultatem, qua dæmones ex obsessorum corporibus exigerent. Sed enim singularis prærogatiua Regum Hungariæ est, & Regibus duntaxat Angliæ, mira quondam religione claris, ex parte concessa, morbum quemuis ex veneno epoto, aut virulento viperæ, aut alterius cuiusque bestiæ letifero morsu enatum, impresso Crucis signo compescere, sanitatem pristinam reuocare: Quicquid tandem hinc liceat, siue de potestate, siue de authoritate, & dignitate adstruere: malim enim Regibus cum sanctitate adesse virtutes, quàm de eorum authoritate disputare. Verum de his hactenus. A

Post peracta Coronæ solennia, primum curæ fuit Stephano Strigoniensem Archiepiscopum formare, & cum suo Pontifice, quemadmodum designarat, extollere. Iam cæteris suos præfecerat Antistites: Huic Sebastianum eximiæ religionis, & prudentiæ virum, nuper in Cœnobio Diui Martini Monachum, de quo iterum dicturi sumus, optat, eundemque Nuncius Apostolicus rite consecrat. Sebastianus ergo seriem Strigoniensium Archipræsulum initiat; cuius inaugurationem haud recte quidam ad nonum à millesimo annum referunt. Nam vt Episcopatus nonnulli seriùs, quod ibidem constabit, emerserint, alios tamen pridem ante constitutos non decuit esse Acephalos, & sine Primatis authoritate, ad quam respicerent. Sed neque Regis optimi studio par fuit, tam diu differre quod in Religione, & Regno ordinando præcipuum erat. B C

Hoc eodem anno millesimo venere ex Polonia in Hungariam fratres Eremitæ, Andreas, & Benedictus, doctrina, & exemplo, nouellæ plantæ profuturi; & à Rege salutis suorum cupientissimo liberaliter sunt excepti; de quibus sermo recurret infra ad annum nonum.

OTHO ROMAM DEFERT RELIQVIAS S. ADALBERTI.

Hoc præterea anno Otho Imperator, ex Polonia, quò pietatis ergo profectus fuerat, ad visitandum, vt diximus, S. Adalberti sepulchrum, Romam reuersus, eiusdem sancti Martyris sacras Reliquias, hoc est manũ integram secum detulit, & in Insula Tyberina, (quæ olim Lycaonia, hodie S. Bartholmæi appellatur) Ecclesia Martyri Adalberto extructa, gemmis & auro mirè exornatas honorifice condidit, & plurima Sanctorum Martyrum corpora, vbicunque inueniri possent, eòdem deportari iussit. Quo etiam tempore in Ecclesia Sanctorum Martyrum Abundij, & Abundantij iuxta mõtem Soractem, in vno tumulo inuentæ sunt horum sacræ Reliquiæ: in alio S. Theodoræ, quæ eos in suo prædio sepulturæ mandauerat; plurium denique aliorum Martyrum: *Qui*, vt inquit Author Appendicis Vitæ Othonis, *habebant inauratas vestes, & mirè exornatas, & super altare eorum mensam sculptam, & nimis decoratam; & deportata sunt omnia secundum iussum Imperatoris ad Ecclesiam S. Adalberti Martyris*. Hæc iste. Sed cùm non multo post Otho è viuis excessisset, dicti Martyres aliò atque aliò translati sunt: Abundius quidem, & Abundantius ad Diaconiam SS. Martyrum Cosmæ & Damiani, vnde tandem post quingentos septuaginta & amplius annos, Gregorio Decimotertio Pontifice, solenni pompa in Templum Societatis Iesu migrarunt. D E

OTHO AD MONTEM GARGANVM PEREGRINATVR.

Porro, vt inchoatam à se Ecclesiam Otho preciosis quibusque ornamentis augeret, cõsilium inijt auehendi Beneuento Corporis Sancti Bartholomæi Apostoli, & S. Paulini Episcopi Nolani; eaque de causa, quam S. Romualdus ei indixerat peregrinationem ad memoriam S. Michaelis Archangeli ad montem

Gar-

A Garganum in Apulia situm, exoluere maturauit. Id ab Othone Secundo factum scribunt quidam Germani Scriptores: sed erroris arguuntur à Leone Ostiensi, qui hoc anno millesimo testatur, Othonem Tertium Beneuentum venisse, & inde pœnitentiæ gratia, quam ei vir Dei Romualdus imposuerat, Montem Garganũ petijsse; iterumque Beneuentum reuersum, Corpus Bartholomæi à Ciuibus postulasse. *Qui cùm, inquit, illi negare nihil auderent callide pro Corpore Apostoli, beati Episcopi Paulini Nolani Corpus, quod erat in maiori Ecclesia Ciuitatis honorificè conditum, ostendère. Ille nihil fraudis suspicans, eo sublato recessit. Sed hoc vbi ille resciuit, nimis indignans, corpus quidem Confessoris Christi Romam ad Insu-* B *lam honore congruo condidit; sequenti vero tempore Beneuentũ rursum aduenit, eamque diebus multis vndique obsidens, cùm nihil ex obsidione proficeret, Romam iterum redijt.* Hæc Leo. Ex quo saltem habemus, Othoni Tertio, & non Secundo eam Apostoli translationem esse tribuendam. (Lib. 2. cap. 24.) (BENEVENTANI OTHONEM DECIPIVNT.)

Quod vero spectat ad deceptionem, & Paulini pro Bartholomæo suppositionem, aduertit Baronius à pluribus contradici, asserentibus omnino eiusdem Apostoli Corpus in Ecclesia in honorẽ S. Adalberti extructa, certo certius asseruari; & in eius veritatis attestationem adduci Romanorum Pontificum sacra Diplomata, ac Federici Imperatoris Literas, Constitutionis vim habentes, editas anno C millesimo centesimo sexagesimoseptimo: quibus accedunt Acta Synodalia sub Alexandro Tertio. Attestatur & inundatio illa Tyberis facta anno millesimo centesimo quinquagesimoseptimo, quo sacrum Corpus Apostoli integrum repertum est. Qua de re hæc habet Robertus, qui ad Sigebertum adiecit Appendicem: *Circa hoc tempus inundatione Tyberis facta non modica; Romæ in quadam insula eiusdem fluminis, in Ecclesia antiqua inuentum est in quodam Sarcophago Corpus beati Bartholomæi Apostoli totum integrum, excepto corio, quod remansit Beneuenti, quando Otho Imp. capta eadem Ciuitate, Corpus prædicti Apostoli transtulit Romam, sicuti tabulæ æreæ demostrant, scripta literis Græcis & Latinis, quæ repertæ fuerũt in corpore* D *Apostoli. Repertũ est in eadẽ Ecclesia Corpus B. Paulini Nolani Episcopi.* Hæc Robertus.

Factum est autem, vt illatione corporis S. Bartholomæi, Templum, quod sub titulo Martyris Adalberti inchoatũ fuerat, transierit in nomen, & cultum eiusdẽ Apostoli Bartholomæi, memoriaque Adalberti paulatim obliuione deleta manserit; vnde qui eandẽ Ecclesiam post annos centum & triginta restituit, Paschalis Secundus, hos versus in superliminari portæ maioris eiusdem Ecclesiæ inscribendos curauit, qui hodie quoque ita leguntur.

Tertius istorum Rex transtulit Otho piorum
Corpora, queis Domus hæc, sic redimita viget.
E *Quæ Domus ista gerit, si pignora noscere quæris,*
Corpora Paulini sint credas, Bartholomæi.

Et infra. *Tempore Paschalis Secundi Papæ. Anno Dominicæ Incarnationis M. C. XIII. Indictione septima, mense Aprili, die quarta.* Ex quibus iterum redarguuntur, qui sub Othone Secundo id factum scripserunt.

Hæc fere ex Baronio. Contrariũ sentiunt, vt vidimus, Leo Ostiensis magnæ Vir authoritatis, Vincẽtius Belluacensis, S. Antoninus, & plerique alij; qui & Friderici Cõstitutionẽ imposturæ arguũt, vtpote multis erroribus scatentẽ, & quòd inter alia ab Othone Secundo translatũ Corpus S. Bartholomæi affirmet: neque solum, sed in Actis Synodalibus Alexandri Tertij, nihil de hac re cõtineri ostendunt, (QVI NEGENT S. BARTHOLOMÆVM ROMÆ HABERI. Leo lib. 2. c. 26. Vinc. l. 24. c. 11. Ant. in Chron. tit. 14. c. 4. §. 2. Otto 6. c. 13. §. 1)

dunt, Paschalis Secundi Inscriptionem superliminarem fallaci Romanorum persuasione niti contendunt; eademque deceptum Robertum de Monte, qui Sigeberto Appendicem fecit; in quo præterea non vnũ errorem reprehendunt: denique ex Diplomatibus quatuor summorũ Pontificum, Benedicti Duodecimi, Clementis Sexti, Vrbani Quinti, & Bonifacij Noni, luculente contrarium se demonstrare existimant. Legimus non semel librum manuscriptum Antonini Amici Messanensis, Canonici Panormitani, & Regij Historiographi, Vrbano Octauo dicatum: Quem ad nos missum, Eminentissimo Cardinali Francisco Barberino, eruditorum vnico Mecœnati, qui dum hæc scriberemus, pro Patruo Pontifice, rebus moderabatur, vt exhiberemus, quemadmodum fecimus, author optarat. Is vero multis collectis, ex instituto, conatur ostendere S. Bartholomæi Reliquias Beneuenti haberi; nec tantum argumentis Baronij, existimat se satisfacere, verum etiam errores omnium detegendo, ita tuendo suo intento pro viribus incumbit, vt rationibus aliorum nihilo plus videatur concedere, quàm eos ex alio Bartholomæo Monacho Cryptæ ferratæ, sanctissimo, & sancti Nili socio, an discipulo, in eadem Ecclesia Tyberina condito, occasionem erroris arripuisse. Cuius, & aliorum rationes in Notationibus nostris ad Martyrologium Romanum diligentius excussuri, nunc ad institutum redeamus. A B

Sed antequam hunc millenarium claudamus, non est omittendum quod notat Sigebertus, multa hoc anno visa fuisse prodigia. *In primis terræmotum extitisse permaximum, Cometen apparuisse decimonono Kal. Ianuar. circa horam nonam, aperto cælo, quasi faculam ardentem, cum longo tractu fulguris instar illapsam terris, tanto splendore, vt non modo, qui in agris erant, sed etiam in tectis, irrupto lumine ferirentur. Qua Cæli scissura sensim euanescente, interim visa est figura quasi serpentis, capite quidẽ crescente cum cæruleis pedibus.* Hæc fere Sigebertus. Quæ tamen posteriora vix aliquid commune habent cum Comete, cuius apparitionem nonnulli retulerunt ad indicium futuræ mortis Othonis; alij ad alia, quæ in sequentibus ex occasione dicturi sumus. C D

IESV CHRISTI ANNVS 1001.	SYLVESTRI PAPAE II. ANNVS 3.	OTHONIS III. IMP. 18. BASILII, ET CONST. 26. STEPHANI REGIS 2.

Indict. 14.

OPINIONES DE ADVENTV ANTICHRISTI

HOc seculi noui initium, multi finem humanarum rerum existimarunt, huc reuocantes, quæ prodigia paulò ante ex Sigeberto retulimus. In Gallijs, primum Parisij promulgata palam reuelatio Antichristi. Idem suadebat corruptio morum, præsertim in Ecclesiasticis, quòd insuper ferreum hoc seculum ob malorum inundationem diceretur, adeoque postremum crederetur. Plures viri docti contra huiusmodi errorem scripserunt, quos inter fuit Abbo Floriacensis Abbas. Sed nimirum inualuerat olim, vt ob infelicia tempora, quibus Orbis cõflictabatur, plerique nõ semel putarint aduenisse Antichristũ, & instare supremum diem: Ita ad annũ sequentis seculi sextũ, quod ibidem memorabimus, eadẽ falsitas à Norberto viro sanctissimo pro veritate habita est, vt refert S. Bernardus; cui tamẽ sapientissimus ipse fidẽ non habuit. Sed in nostro instituto pergamus. E

STEPHANVS FVNDAT DECEM EPISCOPATVS, ET STRIGONIVM METROPOLIM CONSTITVIT.

Stephanus Rex in decẽ Episcopatus prouinciã diuidẽs, *Metropolim, & Magistrã, voluit esse Strigoniensem,* inquit Chartuitius, natale nempe solũ: idque ratũ habuit Sylue-

A Syluester Pontifex. Eidem vero præfecit Sebastianum in Cœnobio Diui Martini Monachum, virum non mediocri sapientia, sed insigni præterea religione, & pietate præditum, quem iccirco Rex singulari amore prosequebatur: quanto enim quisque religiosior, hoc eidem erat charior. Qua de causa ob vitæ meritum, hoc eundem honore insigniuit. Sunt qui Astricum Abbatem, dictum Anastasium, errore quodam Primum Strigoniensem Archiepiscopum numerent; quòd is vel primus fines, & dignitatem, Stephani iussu, metatus sit, vel Sebastiano ad tempus oculis capto vicem tulerit. Dignus vtique habebatur & ipse; verùm eius opera, & industria cùm Reipublicæ causa, apud exteros SEBASTIANVS PRIMVS ARCHIEPISC. STRIGONIENSIS.
B etiam, & longè positos necessaria esset, Sebastianum interim Stephanus, & præsentem sibi, & Ecclesiæ continuo adesse voluit; seruata Astrico sua, cum res ferret, dignitate.

Mox enim verò, & Colocensem Basilicam in Albensi Comitatu instituit, eique Astricum, moribus, & doctrina præstantem, Pontificem canonica electione dedit: eumque post initum Pontificatum, incertum qua de causa, Anastasium vocauit: nisi hoc ei cognomentum fuit, aut certe accepta ex euentu Græcæ vocis graria, hæserit appellatio, quia cum Regno assurgente, ipse quoque assurrexit. Vnde hic Episcopatus deinde etiam, occasione in loco dicenda, Metropolitanæ COLOCENSIS EPISCOPATVS
C honore auctus, secundas & dignitate, & antiquitate obtinuit. Nam primus locus Strigoniensi datus, cui etiam successu temporis id Priuilegij datum est, vt Regni Hungariæ Primas, & Legatus natus esset, ad eundemque pertineret ius coronandi Regem; quam dignitatem accessisse primum tradunt Stephano Hungaro, qui ex Archiepiscopo Strigoniensi, Cardinalis Prænestinus ab Innocentio Quarto creatus, eo etiam honore insignitus est, postquam diu in Hungaria, & Sclauonia, Romani Pontificis legatione functus esset. Extat de eo Priuilegio Diploma eiusdē Pontificis in historia Oriētali per Bongarsiū edita, de quo in loco. Tom. I.

De cæteris Episcopatibus à Diuo Stephano Rege fundatis, ordine agemus, ne
D rerum seriem, & temporum confundamus.

Hoc eodem anno Papia Rauennam se contulit Otho Imperator; vbi, quemadmodum scribit Petrus Damiani, *Romualdus protinus eum adijt, & acceptæ promissionis exactor, vt Monachus fieret insistere vehementius cœpit; hanc enim inter alia pœnitentiam, idem peccata sua confitenti iniunxerat, vt ob necem Crescentianam abdicato Imperio, vitam Monasticam amplecteretur; eo magis quòd diuino spiritu afflatus instare obitum eius intellexisset: Vt hac saltem ratione, quod necessitate vrgente facere paulò post cogeretur, in amore Dei, & in expiationem patrati delicti sponte præstaret: id quod ipse, & antea facturum se lubens promiserat, & nunc etiam magis vrgente* *In vita Romualdi. Sur. 19. Iunij.*
E *Romualdo, recepit quidem, si tamen prius Romanæ res Vrbis, quæ rebellauerat, composuisset. At Romualdus, Si Romam, inquit, ieris, Rauennam vlterius non videbis: & apertissime illi mortem propinquam esse denuncians, quia eum à proposito reuocare non potuit, ab eo recessit.* Hæc fere Petrus Damiani. Quo autem modo secundum prædictionem Viri Dei non multo post secuta sit mors Imperatoris, ad sequentem annum dicemus.

Interea Romam vbi peruenisset, coercitis rebellionis authoribus, præsensione quadam instantis migrationis, ita totus in seipsum conuersus est, vt quamuis pluribus ad eum visendum aduentantibus hilarem vultum præferret, conscientiæ tamen secreto, ob præteritæ vitæ acta continuò ingemiscens, noctis silentio, OTHONIS POENITENTIA.

vigilijs, & orationibus intentus, crebra vi lacrymarum coram Deo se.e effunderet. Interdiu tamen nauabat operam, quo pacto Ecclesiam S. Adalberti, quam in Tiberina insula construxerat, pluribus ornamentis, ac præ.erim Sanctorũ Martyrũ Reliquijs locupletaret; idque perfecit, iuxta ea quæ alibi diximus. A

IESV CHRISTI ANNVS 1002.	SYLVESTRI PAPAE II. ANNVS 4.	BASIL. ET CONST. IMPP. 27. HENRICI REGIS 1. STEPHANI 3.

Indict. 15.

B

OTHONIS OBITVS. Circa initium huius anni, ex hac vita decessit Otho Tertius Imperator, incertum quo die: pluribus vigesimum primum, quibusdam vigesimum tertium, alijs vigesimum quartum, denique alijs vigesimum octauum Ianuarij signantibus. Sed neque de loco obitus eadem est omnium assertio. Rupertus Tuitiensis Romæ mortuum; Petrus Damiani in Romualdo, itemque Diethmarus, iam ab Vrbe digressum, in itinere apud Paternum defunctum affirmant. In quam sententiam plures eunt. Discessisse ab Vrbe vna cum Syluestro Pontifice, auctor est Sigebertus: quòd enim ipsum sensisset infestum, deducere ac secum ducere proposuerat. Vtcunque fuerit, prædictio Romualdi euentum sortita est, non visurum eum Rauennam, si Romam abiuisset. Necis causam afferunt aliqui, à nobili fœmina Ioanna, Crescentij, quem is sustulerat, quondam coniuge, machinationem; quòd spe frustrata coniugij, ferre non posset illusum pudicitiæ ab Imperatore, nec ex repromisso Imperatricem se dici. Aiunt venenum chirothecis infudisse, & Imperatori velut pignus amoris dedisse; quibus ille incaute vsus, lethali morbo contracto, paulò post extinctus est. Diethmarus, vir pius, & veritatis amans, qui singulis præsens singula præscripsit, nihil de familiaritate Othonis cũ Vxore Crescentij, nihil de veneno habet: sed *in Vrbe*, inquit, *Paterna pustellis interiora prementibus, & interdum paulatim infirmatus exiuit ab hoc seculo, suisque insuperabilẽ reliquit mærorẽ, Romani Imperij Corona, facie clarus, fide præcipuus; quo nec largior vllus illo tepore, nec per omnia clementior fuit.* Hæc Diethmarus. C D

Apud Sur. 16. Martij. cap. 3. Rupertus tamen Tuitiensis in Heriberto Othonis comite, & Consiliario, eius exitum deplorans, *Imperator*, inquit, *si vt in cæteris, ita & in causa per quam mortem incurrit, consilium beati Viri* (Heriberti) *attendisset, multo melius sapientiæ appropinquasset, & non pœnituisset eum; quemadmodum ipsa sapientia dicit, Omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebis. Quod quia non fecit, incidit in insidias mulieris malæ, videlicet eius, cuius virum Crescentium sibi rebellantem, captum, iusserat capitalem subire sententiam: & ab illa non præcauens, quamuis à sancto Viro sæpe esset commonitus, veneno intra cubiculũ dormiens infectus est. Obijt itaque Romæ anno post ordinationem beati Viri tertio. Ierat autem nunc quoque Sanctus idem cum illo, vtpote ad disponenda pernecessarius maxima Regni negotia: cui cùm die sequenti confessus fuisset pestem quam perceperat, seque mori persentiret, id quoque supremùm ab eo postulauit, quatenus corpus eius Aquisgrani sepeliendum transferret.* Hæc Rupertus; sed melius dicturus, pro *Roma*, *Paternum*, obitus locum. E

In hoc porro Othone extinctũ est penitus stemma regnantiũ Othonũ, in nepotem duntaxat Magni Othonis, secundũ Imperij heredẽ, propagatũ: ita fortasse Deo vlciscente, quòd pro arbitrio Romanos Pontifices amouerent, subrogarent;

quam-

A quamuis non nisi pietatis intuitu id facere præseferrent. Successit Othoni Henricus in Regnum Germaniæ, die Iunij vndecima, post, Dei nutu, iuxta Sancti Vvolfgangi prædictionem, factus Imperator. Is, quemadmodum Athelboldus Episcopus Traiectensis ait, *ex parte patris à Carolo Magno decimamseptimam, & ex parte matris decimamsextam lineam propagationis tenebat*. Patre genitus Henrico, Norici, & Carantanorum Regulo; matre vero non Gertrude, vt quidam scribunt, sed Gysela Burgundiorum Regis filia, ex qua primus ipse Henricus, suo tempore Imperator, deinde Gysela Regina Hungariæ futura, post hanc Bruno Episcopus Augustanus, denique Brigitta, Ratisponæ Sacrarum Virginum
B Antistita, suscepi sunt. Quorum omnium vitæ statum S. Vvolfgangus Ratisponensis Episcopus, à quo & Henricus institutus, & educatus est, diu ante diuinitus præsagijt, & prædixit.

HENRICVS SECVNDVS SVCCEDIT OTHONI.

Hoc porro anno Stephanus iam Rex coronatus, quemadmodum antea deuictis hostibus, non solum ex eorum spolijs locupletauit Cœnobium S. Martini Montis Sacris verum etiam decimas omnium attribui voluit, adeo exacte, vt si quis decem haberet natos, decimum eidem dare iuberetur; ita hoc anno singulari priuilegio exornauit, iisdem decimis stabilitis, & pluribus alijs prærogatiuis adiunctis, quæ in subiecto Diplomate continentur.

C

PRIVILEGIVM DATVM

PROTOABBATIÆ S. MARTINI PANNONIÆ.

IN NOMINE DOMINI DEI SVMMI; Stephanus, diuina prouidente clementia, Hungarorum Rex. Credimus, & verè scimus, si locis diuino cultui mancipatis, potestates atque honores adaugmentauerimus, id non solum laude humana prædicandum, verùm etiam diuina mercede remunerandum. Quocirca omniū Sanctæ Dei
D *Ecclesiæ fidelium nostrorum, quod præsentium atque futurorum solers comperiet intentio, significauimus, quòd nos interuentu, consilio, & consensu Domini Anastasij Abbatis Monasterij S. Martini in monte supra Pannoniam sito, à Genitore nostro incepto, (quod nos per Dei subsidium, ob animæ nostræ remedium pro stabilitate Regni nostri ad finem perduximus) talem concessimus libertatem, qualem detinet Monasterium Sancti Benedicti in monte Cassino; quia propter orationes sanctas fratrum eiusdem Monasterij, consiliante Domino Anastasio, præscripto Abbate, & iugiter adiuuante, confortati, & laureati sumus. Singulare namque suffragium, quod per merita S. Martini in me à pueritia expertus sum, memoriæ posterum tradere curaui. Ingruente namque*
E *bellorum tempestate, qua inter Teutonicos, & Hungaros seditio magna excreuerat, præcipuè, quòd cum ciuilis belli ruina vrgeret, volente Comitatu quodam nomine Simigiensi, paterna me sede repellere, quid fluctuanti consilij darem, quòque me verterem, tanta tactus verecundia, astantibus Ducibus, videlicet Paznano, Cincio, Orthio, Dominoque meo Archiepiscopo, votum voui S. Martino, quòd si de hostibus interioribus aut exterioribus, eius meritis victor existerem, supranominati Comitatus decimatione, de omnibus negocijs, prædijs, terris, vineis, segetibus, vectigalibus, vinumque hospitum, quod in prædijs eorum excresceret, ne Parochiano Episcopo pertinere videretur, sed magis Abbati eiusdem Monasterij, sub testimonio præfatorum Ducum, multorumque Comitum, absque vlla mora subiugare. Dumque post cogitatum victoria potirer, quod*

animo reuolueram, operis efficacia complere studui: nec dum etiam Episcopatus, & Abbatia, præter ipsum locum, in Regno Hungarico sita erant. Quod si vos fideles licuit mihi, quo volui, loco Episcopatus, & Abbatias statuere, an non licuit cuipiam loco, vt facerem? Et ne adhuc Ecclesia S. Martini vacua esse videretur, vel Episcopus Parochianus iniurias querimoniasque in collectione decimarum pateretur, ei Curtem, qua vocatur Cortem, cum hominibus eodem pertinentibus tradidi. Quod si ipsi contra mea statuta, quid iniquè agere, vel acquirere voluerint, ante Deum iudicem viuorum, & mortuorum in die Iudicij se contendere mecum sciant. Adhuc tamen subiungens dico, sit ipsum Monasterium ab omni inquietudine semotum, habeantque Monachi post transitum sui cuiusque Abbatis, alium Abbatem secum eligendi, & à quocunque velint Episcopo consecrandi eum, (supple ius) *itaque illis licitum ordines accipere, quouis loco, & à quocunque Episcopo. Ante neminem vero Abbatem Capilla incedat, nisi ante Patrem eiusdem Monasterij propter reuerentiam, & sanctitatem eiusdem loci, moreque Episcopi, in sandalibus Missam celebret. Præcipimus itaque sub testificationibus Saluatoris Domini Nostri Iesu Christi, vt nullus Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, seu aliquis homo, magnus siue paruus, de iam fato Monasterio, aliquo modo se intromittere, in mancipijs, terris, vineis, decimationibus, piscationibus, ripis, placitis, sine concessione Abbatis eiusdem Monasterij audeat. Quod qui fecerit, componat centum libras auri optimi, medium Cameræ nostræ, ac medium præfato Monasterio, suisque Rectoribus, maledictionisque perpetuæ vinculo feriatur. Quod vt verius credatur, hanc paginam manu propria roborantes sigillari iussimus. Datum anno 1002. Regni nostri secundo, Indict. xv.*

Hæc in eo Priuilegio: quod tamen aliqui non rectè ponunt datum anno superiori, cui nec Indictio xv. nec secundus Regni Stephani annus, rite connecti potest: proinde, vt suis omnia locis, & temporibus apte cohæreant, hoc anno supra millesimum altero, datum signauimus: alioqui nō secundum Regni annū, sed primum, nec Indictionem decimamquintam, sed vna minus numerare oportuisset, non tantum ipsis temporibus perturbatis, sed etiam veritate ipsa luxata.

STEPHANI IVS LEGATIONIS QVALE.

In eo porro, & summam Stephani Regis pietatem, & singularem erga ordinem D. Benedicti propensionem licet percipere, multoque magis venerationem D. Martino deuotam. Multa vero sunt in hoc Priuilegio, quæ si ad strictum ius exigantur, admirationem pariant. Verùm enim Stephanum iure Legati Summi Pontificis, vt supra vidimus, circa Ecclesias, earumque iura disposuisse tradunt Scriptores rerum Hungaricarum: inter quos Bonfinius narrat, Regis acta cuncta cum institutis Episcopatibus fuisse à Summo Pontifice approbata; & præterea ad exaggerandam eius dignitatem, Pontificiæ Legationis munus, qua sibi, posterisque Regibus in perpetuum fungi fas esset, præferendæ Crucis potestate honestasse. Scio non fuisse olim insolens, magni meriti Principibus id genus authoritatis indulgere ad tempus, nec tamen transmissum in posteros, nisi fortasse qui eiusdem cum primo sanguinis essent, idque perraro: Hungariæ priuilegium est: cum Apostolici Regis dignitate, ius illud ad quoscunque transire posteros: non vtique plenitudine potestatis ad causas etiam cognoscendas detorta; quæ enim in Ecclesia potestas est, ordinata est; sed limitata in designandis nominandisque Viris idoneis, & fruendo concessit, quadam vsurpatione. Quanquam *Apostoli* nomen, soli Stephano inhæsisse credendum sit, qui officio Apostoli

Dec. 2 lib. 1.

A functus, id vocabuli promeruit,& vltro imponente Romano Pontifice eatenus accepit, vt manente penes ipsum Apostoli munere & honore, nihilominus quicunque in Regno Hungariæ successissent orthodoxi, titulum & nomen *Apostolici* incomparabile iure ferrent.

Certe quæ Chartuitius narrat, ostendere quidem videntur, Stephanum iure Legati in Ecclesijs plura disposuisse, vel non requisito vllius Episcoporum suorum consensu: neque tamen absoluta potestate iura earum,vel Cleri velut mancipio tractasse. Ita vero habet,vbi non pauca præmisisset de sumptuoso Deiparæ Templo Albæ, quæ Regia sedes erat,extructo. *Tanta elegantia Ecclesiam vsque*
B *adeo Rex sibi vni vendicauit, adeoque immunem esse voluit, vt nullus Episcopus quicquam in ea iuris haberet. Quibus autem diebus esset absolutio pœnitentibus impendenda, aut sacrum Chrisma conficiendum, eum Episcopum voluit in ea & absoluere pœnitentes, & Chrisma conficere, quem ipse, vel præsens id facere iuberet, vel quem absens eò mitteret. Diuina quoque Missarum solennia, Rege illic præsente, eum duntaxat Episcopum celebrare, cui Rex consentiente cum fratribus Præposito, id demandaret: absente autem Rege, absque Præpositi, & fratrum bona venia, nullum Episcopum illic sibi, vel Missas celebrandi, vel cuiuslibet Pontificalis ministerij exercendi licentiam vsurpare potestas erat. Præterea eius Ecclesiæ populum tanta libertate, & immunitate*
C *gaudere voluit, vt nulli omnino Episcopo decimas penderet, sed soli Præposito & fratribus, prout ipse instituisset, seruitium exhiberet.* Hæc fere Chartuitus. Ex quibus tantum abest, vt Monarchiam inferas, quantum si ex dubia luce meridiem. Quanquam, si quid aliquando propera quorundam, & intempestiua interpretatione, vt nunquam desunt Principibus adulatores, hinc insubide arrogarunt posteri Reges Hungarorum, id totum deinde, matura ex religione recti considerantia,quemadmodum alibi diximus, abdicarunt, expiarunt.

Quàm porro sanctè concesso sibi priuilegio vsus fuerit Stephanus, nemo dubitabit, qui vel zelum religionis Christi vbique proferendæ, vel studium cul-
D tus eiusdem in suo Regno extollendum, vel denique reuerentiam erga Sedem Apostolicam, Romanumque Pontificem considerabit. In qua re vna, quantum omnibus Christiani orbis Principibus excelluit,eo exemplo ostendit,quod Scriptores rerum Hungaricarum tradunt. Cùm Astricus Abbas Roma reuerteretur, nec Coronam duntaxat à Pontifice referret, sed præter omnia alia quæ volebat obtenta,etiam Apostolatus honorem, & Crucis præferendæ prærogatiuam; non solum eidem obuiam longe iuit, sed munera Pontificia, & Apostolatus Insignia deferentem singulari Sacerdotum, & Pontificum pompa honorificentissime excepit: & mox ingentes Deo gratias agens, Pontificis oraculum
E exponentem publice, ea reuerentia audiuit, vt quoties Romani Pontificis nomen, & mentionem audiret, toties vniuerso spectante populo, inclinato capite sese in genua demitteret exemploque suo ad Romani Pontificis Apostolicæque Sedis reuerentiam, & debitam Christi Vicario submissionem omnes incitaret.

STEPHANI ERGA SEDEM APOSTOLICAM REVERENTIA.

Quandiu porro hac prærogatiua vsi fuerunt Reges Hungariæ, incertum est; Non continuasse,ex ijs quæ supra diximus,facile quis arguat; quando ea quoque de causa videri possit concessum Stephano Archiepiscopo Strigoniensi ab Innocentio Quarto Ius Legati nati, ne amplius ordinandi Ecclesiam Hungaricam potestas penes Reges Laicos esset, sed à primo Regni Metropolitano, meritò

pende.

penderet. Quod cùm res ipsa præsens doceat, cessasse priorem illam Regum prærogatiuam, consequens est; neque enim duo eidem Regno præfici, aut Legati, aut Vicarij Pontificij, pari potestate soliti sunt. Quanquam dubium non sit, mansisse penes Reges ex eo priuilegio ius eligendi Episcopos, à Romanis Pontificibus confirmandos; vt plerique meminerunt, & inter hos Galeotus Martius, Matthiæ Primi Regis familiaris: idque in hodiernum vsque diem, quo hæc scribimus, viget; vel si non alia Concordata accederent. A

Lib. de dict. & fact. Matthiæ Regis cap. 18.

ANASTASIVS IDEM QVI ASTRICVS.

In eodem autem Priuilegio mirum videri non debet, quòd *Anastasius* modò *Abbas*, modò *Archiepiscopus* nominetur. Nam etsi *Astricus* non ante nomine *Anastasij* audiuerit, quàm post susceptum Episcopatum Colocensem; in hoc B tamen Priuilegio Rex Stephanus non tam nominis, quam muneris habuit rationem: idem enim, qui tempore dati Priuilegij dictus est *Anastasius*, quo tempore Monasterium D. Martini à Geysa inceptum, Stephanus filius perficere cogitauit, verè Abbas fuit; idque ex eodem Priuilegio innotescit; etsi postea cùm hoc Priuilegium sanciretur, Episcopus esset. Quanquam, si dicamus *Archiepiscopi* vocabulo non Anastasium, sed Sebastianum intelligi, primum Strigoniensem Archiepiscopum; nihil redundabit, & ex hoc intelligitur, conditum hoc Priuilegium Strigoniensi Ecclesiæ, iam Archiepiscopatus titulum ferenti. Nec obstat quod dicitur, inter alios Duces, coram quibus Stephanus vouit, si C de hostibus victoriam reportasset, præstiturum se D. Martino, quæ promisit, adfuisse etiam *Archiepiscopum*; qui tamen titulus non nisi aliquot annis post eam victoriam collatus est. Vocatur quippe hic *Archiepiscopus*, iuxta præsentem dignitatem; qui tamen quo tempore Rex vouit, Monachus duntaxat fuit. Nam quod alicui fortasse in mentem veniat, *Anastasium* hìc vocari Archiepiscopum, ratio temporis, & rerum gestarum series non admittit.

al. Poznanum.

In Chron. Hun. cap. 11. 12.

Nec prætereundum hoc loco, in eodem Priuilegio nominari Duces *Pazmanum*, *Cencium*, *Orthium*: hi vero omnes, & plures alij Germanici, Italicique sanguinis, quo tempore Geysa D. Stephani parens, Fidē Christi meditabatur, illi D copijs adductis adfuerunt, & Regis studium egregiè iuuerunt. Omnes deinde benignitate, & beneficentia Geysæ allecti, & loca possidenda acceperunt, & genus suum in Hungaros infuderunt, per longam deinde seriem familiam propagantes. Meminit horum & aliorum, Ioannes Thurocius, sed corruptis, vt solet vocabulis: vnde factum, vt transfusæ familiæ, hodie vix stirpem agnoscant suam, paucis auita nomina ferentibus: quos inter, *Cencij*, Romani sanguinis, olim potentes viri, nobilitatem adhuc seruant suam; nec minus Romano genere hodieque illustri, quàm Hungara prosapia clarent. A Paznano verò accinctum ad fluuium Garani, Germanico more, tum primum gladio Stephanum, idem narrat Ioannes Thurocius, & nos supra cum eodem, & E alijs.

CAPILLA, SEV CAPPA CVR ABBATI SANCTI MARTINI PRÆLATA.

Quòd denique in eodem Diplomate Regio dicatur: *Ante neminem Abbatem Capilla incedat, nisi ante Patrem eiusdem Monasterij, propter reuerentiam, & sanctitatem eiusdem loci*; dignam habet quæstionem, quam ego libenter à prioribus rerum Hungaricarum Scriptoribus explicatam voluissem, ne diuinare cogerer. Conijcio tamen, saluo meliori iudicio, *Capillam*, vel potius *Capellam*, nihil ailud significare, quàm diminutum à *Cappa* vocabulum, qua, deerrante Latinitate, *capitis operimentū* Maiores dixerunt: quamuis deinde id genus quoque

tegu-

A tegumenti laxioris, quo religiosi, ac præsertim Monachi vtuntur, eo nominis, vsque in hodiernum diem vendicarit. Constat præterea, si suis Scriptoribus habenda fides, Cappam sancti Martini, Hungari, sed Turonensis in Gallijs Episcopi, in ea veneratione fuisse à Fidelibus Gallis habitam, vt ad eam honorificentiùs asseruandam, Sacellum extructum voluerint; quod à *Cappa* vocabulum *Capellæ* sortitum est: idque nominis apud Gallos cœptum ad omnem tandem Ecclesiam peruasit, vt loca sacra, quæ iustam Ecclesiæ aream non æquarent, *Capellæ* dicerentur. In huius ergo rei memoriam, cùm & Stephanus, Martino gentili suo tam illustre Monasteriũ condidisset, par esse existimauit, in signum eximiæ

B venerationis, Gallorũ imitari religionem, & quod isti reipsa habebant Viri sancti pignus, eiusdem memoriam sacro aliquo symbolo exhibere; adeoque Abbati *Capillam*, seu potius *Cappam*, singulari, & imitatione, & monumento præferre. Verùm hæc saluo aliorum iudicio, & eruditione, dicta sint. Non nescio *Capellæ* vocabulum plerosque Gallis quidem concedere: neque tamen aliunde repetitũ antiquiùs, quàm quod Rex Ludouicus, alias Clodoueus, Primus ex Frãcis Christianus, ob tot prælia, maxime contra Vvisigothos, ope Diui Martini feliciter confecta, gratitudinis, & cultus ergo, Sacellum æternæ memoriæ eidem nuncuparit; cuius hodieque non minus sancta quàm solennis est veneratio, & *Ioan. Calu. in Lexico Iuridico v. Capella.*

C splendidis muneri appositis ministris, regiam cum magnificentia commendat pietatem. Hinc tamen non tam deriuatio vocis, quam ea accepta, vnde & *Sacra Capellæ* nomen tulit, propagatio religionis ostenditur.

Quod vlterius ad hunc annum spectat, probabile est, hoc tempore accidisse, quod narrat Chartuitius, & ex eo reliqui: Sebastianum nempe Archiepiscopum Strigoniensem, vt eius patientia probaretur ad tempus, vtriusque luminis orbitate afflictum, curam deposuisse: Quare ne grex nouellus pastoris gubernatione destitutus, à recto itinere deflecteret, Romano Pontifice assentiente; Astricum Colocensem Episcopum, in eius locum à Rege fuisse substitutum. Quod tum *ASTRICVS ADMINISTRAT ECCLESIAM STRIGONIEN.*

D primum oportuit factum, postquam Astricus Roma reuersus fuit. Verùm triennio inde euoluto, Sebastianus Dei benignitate visum recuperauit; & Põtifice Romano approbante, Astricus cum Pallio rediji ad suam Colocensem Ecclesiã.

Hinc factum, vt plerunque Anastasius vocetur Strigoniensis Archiepiscopus; quo etiam vocabulo notatur in Martyrologio Menardi, quamuis Colocensem Ecclesiam ad finem vsque administrarit. Ex eo porto, quòd cùm Pallio redierit, facile est colligere ipsum Archiepiscopi titulum semel adeptum retinuisse, aut certe ea occasione transtulisse, vt hoc tempore, & hæc Colocensis Ecclesia, secunda post Strigoniensem, eo titulo, & Priuilegio, erecta gauderet. *Ad 17. Nouemb.*

E Sed hinc præterea colligimus, non ita arbitrarium fuisse Stephani Regis circa Ecclesias ordinandas Priuilegium, vt Romanum Pontificem haud respiceret; quando nec Astricum Colocensem sufficere Stephano oculis capto potuit, nisi Pontifice assentiente; nec rursum is recepto visu, recipere munus Episcopi in Strigoniensi Ecclesia valuit, nisi eodem Pontifice approbante. Adhuc vero colligimus, aberasse eos Scriptores, qui in texendo Archiepiscoporum Strigoniensium Catalogo, non modò Astricum, seu Anastasium, Sebastiano ordine præponunt, sed etiam eius primam institutionem, ad annũ huius seculi nonũ reijciunt; quasi tot annis à conuersione, à coronato Rege, & fundatis Ecclesijs, Episcopos Hungaria desiderasset.

IESV

A

Indict. 1.	IESV CHRISTI ANNVS 1003.	SYLVESTRI PAPAE II. ANNVS 5.	BASIL. ET CONST. IMPP. 28. HENRICI REGIS 2. STEPHANI REGIS 4.

GYVLA BELLVM MOVET STEPHANO.

HOc anno inter Stephanum, & Gyulam auunculum intestina bella exoriuntur. Hic enim nepotem Christiana Fide initiatum, & à Scythica superstitione desciscentem, iniquissimo ferebat animo. Quare non solùm verbis sæpe eum acriùs obiurgabat, verùm etiam armis lacessere nitebatur, vt ad patrias ceremonias reuocaret. Vbi verbis nihil se proficere intellexit, è Transyluania, cui præerat, Hungariam quotidianis incursionibus, & rapinis vexare cœpit. Contra Stephanus, ad omnem pietatem factus, ne cum patruo manum conserere cogeretur, per Legatos egit; sæpius deprecatus, vt abiecta Scythica feritate, eandem secum religionem amplecteretur, vero Deo victurus; ac vt arma deponeret enixe hortatus est. Frustra omnia: proinde Gyulam deteriora omnia cogitantem, & Hungaris quotidie vastitatem inferentem, armis coërcere parat. Paruo sane exercitu, Transyluaniam petit, vniuersamque intra paucos menses subigit: Patruum cum Vxore, duobusque liberis captum, in Hungariam adducit. Qui non multo post eiurata superstitione, sacris vndis expiati, non solum ex vinculis, sed in libertatem filiorum Dei asserti, regificè à Stephano habiti sunt.

B

C

GYVLA CVM SVIS BAPTIZATVR.

Thuroczius. p. 1. Chron. cap. 29. Ranzan. in epit. Ind. 8.

Eadem fortuna Transyluaniam Christo peperit; populique omnes eundem Daciæ tractum incolentes, metu, an sponte, religioni manus dederunt. Ita etiam ex eo tempore regio diues auri, argenti, necnon vini, frumenti, pecorum, omniumque rerum feracissima, Regno Hungariæ accessit; vt non modo Stephani parerent Imperio, verum etiam omnibus, qui deinceps eidem succederent: primaque cura maximè pij Regis fuit, Ecclesiam Christi in vasto, & opulento Principatu fundare, & Antistitem, qui religioni formandæ ordinandæque præesset, constituere; vt hoc anno videri possit Transyluaniensis, siue Albæ Iuliæ in Principatu Transyluaniæ erecta Sedes Episcopi, Colocensi deinde ex dispositione parens. In Auunculi Regia ingens auri & argenti copia reperta, ab eo, vt vulgo ferebatur, facinorosè parta, in sumptus erigendæ Basilicæ Deiparæ, de qua & anno superiori diximus, & mox plura dicturi sumus, tota cessit. Non est autem prætereundum hoc loco quod notat Bonfinius, hanc Ecclesiam sæpe fuisse incendio obnoxiam; & hinc esse natam publicam opinionem, adeoque exploratam fidem, id toties euenisse, quia ex pecunia scelestissimè à Transyluanis parta, fuisset ædificata. Id verum fuerit, an secus, magnam certe Hungarorum in augendo religionem ostendit; neque ex iniuste partis gratam vsquequaque Deo pietatem arguit.

TRANSYLVANIA HVNGARIÆ ACCEDIT.

D

Myrani lib. 4. Notit. Episc. cap. 18.

Dec. 2. lib. 1.

E

SYLVESTRI II. OBITVS.

Hoc eodem anno Syluester Pontifex, vbi Sedis suæ annum iam quintum inchoasset, vita functus est, duodecimo die mensis Maij, feria secunda, & sepultus in Basilica Lateranensi, vbi hactenus integrum seruatur eius Epitaphium à Sergio Papa appositum. Refert illud Baronius ad hunc annum, & inter cætera præclara eius monumenta, recenset Epistolam ex ficta Hierusalem deuastatæ persona,

A sona, Vniuersali Ecclesiæ scriptam, cuius initium. *Ea quæ est Hierosolymis, Vniuersali Ecclesiæ, sceptris Regnorum imperanti.* Est quidem ea perbreuis, sed sententijs grauis, quibus Hierosolymorum Vrbis reliquiæ, Christianorum Principum, & vniuersorum Fidelium opem efflictim implorant. Vt hinc conijcias, Syluestrum, si non primum, certe inter primos fuisse, qui sacræ militiæ classicum cecinerit, à posteris suo tempore promouendæ. Eius quoque nomine scripta est vita S. Adalberti Martyris Pragensis Episcopi, cuius initium: *Est locus in partibus Germaniæ:* ea tum passim manibus terebatur, ac præsertim apud Hungaros, & Polonos cum veneratione legebatur. Plura alia ad Mathesim
B spectantia ante Pontificatum scripsisse Syluestrum, ferunt nonnulli: nec pauciora postea in Ecclesiastica dignitate constitutum, in rem præsentem fecisse, zelus & excussa in meditando cura suadent. Ac denique ad Ecclesiæ culmen euectum, & sui muneris memorem, pro summa rei Christianæ, cum Principibus egisse quamuigilantissime per Literas, & Nuncios, ea, quæ paulò ante diximus dubitare non sinunt. Idque præsertim factitasse, cum Stephano Rege recèns ab se coronato, & insigni religionis, & beneficij merito Romanæ Ecclesiæ deuincto; nec minus cum Boleslao Rege Polonorum, nuper etiam cum suis præcipuo rei Christianæ ornamento, addito, nemo iure inficias ibit. Quæ tamen omnia,
C sicut non paucorum aliorum Pontificum monumenta, temporum iniuria posteris eripuit.

Cæterùm, eo defuncto, subrogatum Ioannem cognomento Siccum, patria Romanum, eius nominis Decimumsextum, dictum Decimumoctauum, ac tantum præfuisse menses quinque, dies aliquot, habent Indices veteres Vaticani. Huic vero successit Ioannes Decimusseptimus, dictus frequentiùs Decimusnonus, licet Marianus Scotus huius seculi Scriptor, priorem appellet Decimumseptimum, hunc vero Decimumoctauum. Verùm, vt dicebam, frequentior vsus obtinuit, vt hic posterior numeretur Decimusnonus: *Præter rationem tamen,* IOANN. XVII. AL. XVIII.
D inquit Baronius, *dum hoc numero Schismatici, nomine Pontificis indigni, includuntur.*

Non est autem prætereundum hoc loco, quod de Ecclesiarum in toto Orbe Christiano instauratione narrat Glaber. *Infra millesimum,* inquit, *tertio iam imminente anno, contigit in vniuerso pene terrarum Orbe, præcipuè tamen in Italia, & in Gallijs innouari Ecclesiarum Basilicas, licet pleraque decenter locata minime indiguissent; æmulabatur tamen quæque gens Christicolarum, aduersus alteram decentiore frui. Erat enim instar, ac si mundus ipse excutiendo semet, reiecta vetustate, passim candidam Ecclesiarum vestem indueret. Tunc denique Episcopalium Sedium Ecclesias* Lib. 3. cap. 4. MVNDVS ECCLESIIS RENOVATVS.
E *pene vniuersas, ac cætera quæque diuersorum Sanctorum Monasteria, seu minora villarum Oratoria, in meliora quique permutauere Fideles.* Sic Glaber. Non autem alia de causa id factum constat, nisi quia Christiani metu recreati, animaduertebant, lapso iam tempore euanuisse, quæ de Mundi interitu constanti assertione fuerant vulgata, & passim credita. Gaudebant ergo, quasi tanto discrimine liberati: & quæ loca prius, ruituro quemadmodū sibi persuaserant, proxime Mundo, negligebant, nunc eodem velut stabilito, rursum ad reficiendum, adeoque alacres ad nouas etiam ædificandas passim Ecclesias certatim insurrexere.

At enim, si alicubi in Orbe terrarum, nusquam magis quàm in Hungaria id feruebat opus, Stephano Rege, tot Episcopatus & Ecclesias, non solum fundante, STEPHANI REGIS DILIGENTIA IN EXSTRVENDIS ECCLESIIS.

dante, sed amplissimis pronentibus locupletante, ac præterea structura admirabili supra artem & precium ita nonnullas exornante, vt quæ Basilica cum eis conferri posset, in cæteris Regnis, si Constantinopolitanam Sapientiæ excipias, vix inueniretur. Id quod præcipue de Basilica Dei Genitricis Albæ inchoata tradunt Scriptores. Neque tamen opinor eò fecisse Stephanum, quòd metu ruituri Mundi liberatus exultaret; quippe iam pridem struendis vbique Ecclesijs diligentiæ satagebat: sed duntaxat diuini cultus extollendi religione, in recèns conuerso populo, atque etiã Fidei Christi apud exteros propagandæ amore feruentem; vt iccirco de Mundo finituro, vulgi opinioni nihil concederet: quanquam, si hoc quoque sibi persuasisset, non alienum à re erat, conuersioni gentium operam nauare: adhuc vero communi totius Orbis Christiani lætitiæ, siue tandem timore illo liberatum se senserit, sine secus, concedere poterat, vt in Basilicis instaurandis, & ornandis, cæteris segnior haud esset, imò omnibus exemplo, & religione præiret.

MORITVR IOANN. XVI. AL. XVIII. SVCCEDIT IOANN. XVII. AL. XIX.

Circa finem porrò huius anni mortuo Ioanne Decimosexto, alijs Decimooctauo, successit Ioannes Decimusseptimus, alijs Decimusnonus, dictus Fasanus, die Nouembris vigesima. Apparet nimirum defuncto Othone Imperatore, qui duos iam promouerat Vltramontanos ad Pontificatum, Gregorium nempe, & Syluestrum, post huius obitum, res recidisse ad Comites Tusculanos, eorumque factione, duos prædictos eiusdem nominis intrusos. Omnes quippe eiusdem factionis, eodem quoque nomine amabant censeri, vt etiam Schismatici numerarentur; quemadmodum accidit in Ioanne illo Placentino prorsus indigno, qui contra Gregorium Sedem occupauit.

Indict. 2.

IESV CHRISTI ANNVS 1004.	IOANNIS PAP. XIX. ANNVS 2.	BASILII, ET CONST. IMPP. 29. HENRICI REGIS 3. STEPHANI REGIS 5.

Ingens à Bulgaris bellum exoritur. Hi Inferiori Mysia quondam potiti, quæ vltra citraque Istrum, ad Euxinum vsque Pontum porrigitur, hoc tempore Cea duce, finitimos adorti sunt; prædasque ingentes abigendo, & latrocinijs passim grassando, cunctos infestare, nunc Transyluaniam, nunc Hungariam diripere conati. Ad horum audaciam coërcendam Stephanus Rex magno vbique delectu habito, hostes non magis robore & numero, quàm locorum difficultate præfidentes, ipsam Inferiorem Mysiam ingressus, & adortus, non semel æquo Marte conseruit, sed tandem terga vertentes late fudit, Cea Principe in pugna cæso, castrisque direptis, tanta præda acta, nemo vt hostium spolijs non diues recesserit; scilicet quidquid auri, & argenti, ac gemmarum multis bellis rapuerant, vno hoc prælio amiserunt.

STEPHANVS IN BVLGAROS MOVET.

Cæterùm tantæ opes in diuinum vsum conuersæ, breui omnia Pannoniæ Templa non ornarunt modo, sed splendidis plane Sacrorum instrumentis, & supellectile adeo instruxerunt, nulla vt esset sacra ædicula, quæ ex his spolijs non niteret. Basilicæ tamen in primis Albensi, de qua superius dictum, præclara duo dona-

A donaria cesserunt. *Rationalia* vocat Bonfinius, *quorum*, inquit, *vtriusque oram cernere erat, è septuaginta obryzi pondo sanè constantem, vbi lapilli late discintillabant. Quæ cùm Benedictus Pontifex Maximus* (Ioannes is fuit, non Benedictus) *spectasset, ea donanda Priuilegia censuit, vt quicunque in Sacris faciendis his vteretur, coronandi Regis Hungariæ integram sibi potestatem inesse sentiret*. Ita Bonfinius: qui præterea addit, à Gysela multa huic Basilicæ ornamenta fuisse adiecta, quæ nemo sine maxima admiratione spectaret. Quo autem pacto Romanus Pontifex dicta ornamenta spectare potuerit, nisi forte ea Stephanus Romam visenda miserit, aut potius fama descripserit vnà ac commendarit, haud facile intelligas.

Dec. 2. lib. 1.

IOANNES QVÆ PRIVILEGIA CONCESSIT PONTIFICALIBVS ALBENSIS BASILICÆ.

B Hæc porro victoria de Bulgaris, grata etiam accedit Imperatori Basilio, qui paulo ante ex ijs non minimum damni fecerat. Erectus quippe Stephani Regis fortuna, Bulgariam ingressus, perculsis vbique vastitatem intulit, Samuele Principe eorum congredi non auso, & vix elapso: quare multis cæsis, nec pauciori numero captis, adeo desæuijt, vt captiuis omnibus, circiter quindecim mille, oculos erui iusserit, vno singulis centurijs monoculo duce relicto. Quos cùm Samuel vidisset, atrocitatem rei non ferens, oborta vertigine, viribusque destitutus, humi procidit nec multo post interijt.

Hoc anno Vrbs Roma ingentis morbi malo conflictata, quàm plurimos Ciues C desiderauit. Nimirum catharrus in fauces descendens, & meatus obstruens, miseros momento suffocabat. Plurimum vero valuit religio SS. Bonifacij, & Alexij, quorum meritis non pauci euaserunt, & ad eorum Ecclesiam confugientes, Monasticum etiam habitum induerunt. In omnium ore sonabat lacrymabunda inuocatio, SANCTE BONIFACI ADIVVA ME, SANCTE ALEXI SVCCVRRE MIHI. Atque ita placuit omnipotenti Deo merita seruorum suorum continuò quidem, sed hoc tempore maxime, manifestare: nemo vt esset, qui eorum opem frustra imploraret. Nec dubitem, hodie quoque ad eorum intercessionem fidenter recurrentes quosque fideles, voti sui mi-
D nime pœnitere.

ROMA PAVCIVM LVE VEXATA.

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAPAE XIX. ANNVS	BASIL. ET CONST. IMPP. 30. HENRICI REGIS 4. STEPHANI REGIS 6.	
1005.	3.		*Indict. 3.*

E Hic annus Stephano Regi vigesimus est, quo ipse suorum suasu despondit sibi sororem S. Henrici Imperatoris Secundi nomine Gyselam, alij Gyslen vocant, ætatis fere paris, sanctitatis æqualis. Mouit Stephanum Henrici Secundi sanctitas, gestorum gloria, & religio; cuius etiam hortatu, & ope in conuertendis ad Fidem subditis præcipuè vsus fuerat. Mouit & Henricum Stephani præstãtia, & ingenita quodammodo vitæ sanctimonia; ideo nihil ducebat antiquius, quàm huiusmodi affinitate pacem Reipublicæ salutarem conciliare. Proinde postulatam à Stephano sororem vltro tradidit, vt pari cum viro sanctitate certaret, pacemque perpetuam inter Alemannos, & Hungaros pacisceretur.

STEPHANVS DESPONDET GYSELAM.

Miror quorundam Scriptorum oscitantiam, qui Gyselam Henrici sororem Toxo, siue Toxidi, auo Stephani Regis, volunt nuptui traditam: cuius tempore nedum Henricus, aut Gysela, sed vix fortasse Henricus Noricus, Pater ipsorum, in rerum natura fuerit. A

ERROR SCRIPTORVM DE GYSELA.

Errant etiam ij, qui hanc Guglielmi Ducis filiam fuisse asserunt, Guglielmũ vero S. Sigismundi Burgundiorum Regis fuisse fratrem; quem post Sigismundi necem aiunt ad Henricum Imperatorem confugisse, & eius iussu Venetiis fuisse collocatum; Gertruden deinde Imperatoris sororem habuisse coniugem, ex eaque susceptam filiam Gyselam Stephano Hungariæ Regi desponsasse; vicissimque huius sororem, Gertrude intempestiua morte subrepta, sibi copulasse, & B ex ea tandem genitum filium Petrum in Regnum successisse. Ita isti. Sed quomodo hæc vera esse queant, ex eo patet, quòd Sigismundus quingentis propemodum annis ante Henricum, & Stephanum, Martyrium fecerit; Testatur id Sigibertus ad annum quingentenresimum decimumquintum, & plures alij. Qui ergo potuit habere fratrem, cuius filiam Stephanus anno quinto supra millesimum duxerit? Verùm istos decepit, quòd legerint Matrem Henrici Secundi Imperatoris, fuisse Gyselam Burgundiorum Regis filiam; vt inde filiam eius nominis, ex fratre Burgundiorum Regis natam dicerent; quòd hic Henricum Norici, & Carantanorum Regulum, patrem Henrici Secundi, vt fratrem diligeret, eique filiam desponsasset, ex qua tandem nata est Gysela filia, nupta Stephano, soror Henrici Imperatoris. C

Alij quoque minus considerate scripserunt: Gyselæ pulchritudine per nuncios, & pictores accepta captum Stephanum, eius connubium expetiuisse. Quæ tamen aspernata sit, nisi abiecto Idolorum cultu, Christo nomen dedisset. Accepisse conditionem Hungarorum Regem, dum venustissima puella potiretur; moxque cum toto Regno ad Christi sacra accedentem, Stephani nomen tulisse. Henricum verò, quòd tradita sorore conuersioni gentis operam nauarit, Hungarorum Apostolum dictum esse. Cui fabulæ inter alios assensi videntur Sigebertus, Albertus Cranzius, Ioannes Cuspinianus; non animaduertentes, ex Christianis pridem parentibus, & diuino monitu appellatum Stephanum, id genus pactionem procul habuisse, & Henricum vltro adamata eius virtute, fauisse tam opportuno matrimonio, quod ad Religionis in gente iam conuersa incrementum haud parum faceret. Quanquam dubium non sit, ad plures nondum Christo deuotos traducendos, Gyselæ, fratrisque Henrici pietatem, & zelum, ingens momentum adiecisse; vt hoc propter, & hic *Apostoli Hungarorum*, & illa *Adiutricis fidelissimæ* nomen tueri queat. D

Sig. ad hunc an. Cranz. lib. 4. Metrop. cap. 3. Cuspin. in Henrico.

Qui nuptias hasce conciliarit, non inuenio. Verisimile est Romani Pontificis accessisse authoritatem, nec defuisse Henrici Regis studium, qui dubio procul tam sanctam, & vtilem Orbi Christiano affinitatem, vltro ambiuerit. Celebratas in Castro Schurensi in Norico, præsente tota gente cognata, plerique tradunt: Adfuisse vero, & munere functum esse Athanasium Archiepiscopum, eo fit credibile, quòd Sebastianus, pro quo is Strigoniensem Ecclesiam administrabat, oculis captus, rei gerendæ idoneus non erat. Deductam postea in Hungariam Regio comitatu Gyselam; mox verò, & Chrismate vnctam, & Corona Regia insignitam, ijdem narrant. E

GYSELA AN SACRA CORONA REDIMITA

An vero Corona illa, quã Hungari *Angelicam*, & *Sacram* vocant, hoc est, quã

Syl-

A Syluester Pontifex Angeli monitu Stephano misit, Gyselæ imposita fuerit, apud
nonnullos disceptatur. Aiunt enim, hac sacra Corona solius duntaxat Regis,
qui *Apostolici*, inmo & *Apostoli* ferr nomen, caput cingi; Reginarum vero hu-
meris duntaxat eandem admoueri: cæterùm diuersa Corona earum inaugu-
rationem celebrari; idque Priuilegijs, & Legibus Hungarorum cautum esse.
Nam quia Rex Hungariæ nisi hoc sacro Diademate coronatus, Imperio nec ple-
ne, nec legitime potitur, à quo fœminæ ad normam velut Legis cuiusdam Sa-
licæ, iure successionis arcentur; iccirco non hac, sed alia Corona, quam ipsæ sibi
ad eum vsum parant Reginæ, ornantur; nec ab Archiepiscopo Strigoniensi,
B sed ex veteri instituto seu Priuilegio, ab Episcopo Vvesprimiensi, solenni pom-
pa consecrantur.

Itaque ea fuit initio sacræ huius Coronæ religio, vt sine ea redimitus, legiti-
mus Rex esse non posset, nec Stephani Primi successor; qui primus eam tulit.
Quo factum, vt hæc duo apud Hungaros recurrerent, sacrum Diadema legi-
time suscepisse, & Stephani Regis successorem esse: non attenta interim sangui-
nis propinquitate, si Corona desideraretur. Et tenuit hæc consuetudo diu, do-
nec Reginarum inauguratio, sine discrimine Coronarum celebrari cœpta est;
vt neque Priuilegia Sacræ Coronæ, vel Leges, perpetuo rigore seruatæ sint; quan-
C do, & Maria Ludouici Primi Regis filia, consensu omnium, & suffragio, ob præ-
clara Patris merita, eodem sacro Diademate ornata, regimen suscepit; quamuis
hoc discrimine, quòd ea de causa non Regina, sed Rex diceretur: & idem ser-
uatum in Beatrice Matthiæ Primi Regis coniuge, nonnulli suspicantur. Equi-
dem, vt religionem sacræ Coronæ sartam tectam velim, atque adeo post obi-
tum Regis Stephani, soli inter Reginas Mariæ dictæ concessam fatear; neque
tamen arbitror Gyselam eius honoris, & dignitatis expertem mansisse, in ea
præsertim noui Regni constitutione, quando nondum eiusmodi Leges emana-
rant, nec Priuilegium Episcopo Vvesprimiensi Reginas coronandi datum; nisi
D postquam Basilica Vvesprimiensis ab eadem Regina non minus magnificè ex-
tructa, quàm regificè dotata fuit.

REGINA MARIA CVR REX DICTA.

Cæterùm, etsi deinde eadem Corona, remittente, vt dicebamus, Legum ri-
gore, perinde à Regibus, & Reginis vsurpata sit; mansit tamen perpetuo indi-
stricta sanctio, an consuetudo, ne legitimi Rex Reginaue censerentur, nisi qui
sacra hac Corona initiati. Quod subinde ad animum ducentes, studia partium
secuti Proceres, exterisque Principibus ad Regnum capessendum fauentes, vni-
cè attenderunt, quò eius Coronæ copiam sibi facerent; vt subinde ea ad plures
auersa, non minus pro recuperanda armis certatum sit, quàm pro Regno acqui-
E rendo. Et notum est, Alberto Austrio Rege defuncto, cùm Elisabetha Regina
vidua Proceres fallendo, adulterinam Coronam reposuisset, ac veram secum
abstulisset, Vladislao Polono ab Hungaris ad Regnum vocato, non potuisse Co-
ronationis solennia obiri, postquam muliebrem fraudem deprehendissent.
Quapropter necesse fuit nouo plane ritu, Diademate Reliquiarum de sacro Ste-
phani capite desumpto, Regem peragere, quo Religioni satisfieret. Si verum
est, quod non nemo existimauit, Reliquias fuisse non Diadematis, sed sacri
ipsius Capitis Diui Stephani; lubet compellare plures hodie Hungarorum ab or-
thodoxa Fide alienos, vt secum retractent, quæ Maiorum suorum fuerit pietas,
quæ erga Sanctorum Reliquias religio, vt proinde esset, Regem futurû his tangi,

ac Diademate sacro coronari: nisi enim sanctas & venerandas eas esse cogitassent, ad vsum tam sacrū non adhibuissent, Regem legitimum ex sacro attactu non censuissent. Carent proinde omni prorsus religione, qui hodie Regem honorantes, vnde is sacro honore dignus est, non recogitant. Hæc inter Henricus Rex Germaniæ, in Italiam aduersus Harduigum, qui Longobardiam titulo Regis occuparat, profectus, fuso hoste, Papiam victor accessit; ibique honorifice susceptus, & ab Antistite Mediolanensi Arnulpho Secundo in Solium collocatus, summo omnium Procerum consensu, & voluptate Coronam accepit. Nec multo post tumultuantibus in Germania rebellibus reuocatus, non modo rem composuit, sed celebrata Synodo Tremoniensi, vt Cleri & populi praui mores corrigerentur, anthor fuit. Quo sane egregio facto, ita Deum sibi propitium fecit, vt vnà viam sibi muniret tum ad plurimas victorias, tum ad Romanum Imperium obtinendum. De qua re Diethmarus, & alij.

HENRICVS PAPIÆ CORONATVR. — A — B

Indict. 4.

IESV CHRISTI ANNVS 1006.	IOANNIS PAP. XIX. ANNVS 4.	BASIL. ET CONST. IMPP. 31. HENRICI REGIS 5. STEPHANI REGIS 7.

C

GISELÆ REGINÆ PIETAS.

GYsela post acceptam Coronam iam Regina, cum Rege pietate certabat, præcipua beneficentia in miserabiles, ac calamitosos, in Sacerdotes, ac Templa vtebatur; Basilicas omnes profusa liberalitate prosequabatur, ne quid diuinarum rerum ornamentis deesse videretur; simulacra Diuorum expostulato argēto obryzoque multa dicauit. Item gemmatas phialas, sacras vestes ex auro contextas, insano sumptu factas, per Collegia Sacerdotum sæpe distribuit. Vesprimiensem Ecclesiam propria impensa exædificauit, abundeque donauit rebus omnibus, quæ cultui diuino vsui esse solent; & præterea vberrimos prouentus; vnde Antistites, cæteraque Sacerdotum Collegia pro dignitate viuerent, adiecit. Hinc factum, vt qui Vesprimiensis Episcopus esset, Reginæ Cancellarius diceretur; quo munere hodieque fungitur. Et dum hæc scribere incepissemus, præerat eidem vetusti, & inclyti generis Antistes Georgius Iakusich, de quo in nuncupatoria diximus, modò ad Ecclesiam Agriensem translatus. Est autem ea Ciuitas amœnissimo sita loco, ab Ortu habens Balatonem lacum admodum piscolentum: ab Occasu, & Meridie agrum vinetis vbique consitum, generosi vini feracem, quod à Comitatu, seu districtu, qui ciuitatem continet, *Simigiense* vulgo nuncupatur: denique à Septentrione imminet illi *Bakon* sylua, omnium longissima, per quam Iaurinum; siue etiam in Austriam euntibus iter est. Dictum porro Vesprimium aliqui volunt, siue à Vespronio Pannoniarum olim post Seuerū Legato, siue vt alijs placet, Germanica origine ab Albo fonte isthinc aliquando effluente; sed ab Hungaris detorto in *Vesprimium* vocabulo, quod *Vvaisbrun* dicendum esset, Alba Regali, qui & Regiæ Coronationis, & Coronæ locus quondam erat, quinque auulsum leucis.

VESPRIMIENSIS ECCLESIA ÆDIFICATA. — D — E

Stephanus vicissim inchoatum à se Templum Deiparæ Virginis, Albæ Regiæ mirifica structura iam antea cœptum, vrgebat: de cuius pulchritudine, & magni-

TEMPLVM B. VIRGINIS ALBÆ REGIÆ.

A magnificentia, iam aliqua ex Chartuitio attulimus: sed iuuat & ea subijcere, quæ Bonfinius, suo tempore florente adhuc ea Basilica, scripsit. *Opus est mirabili sumptu, incrustationibus marmoreis renitens, vbi pauimenta tessellata cernere est, magnificas columnas, Aras iconibus, ac tabulis nonnullas mirum in modum exornatas, ex purissimo auro argentoque conflatas; item Sacella Regia, ac Monumenta pleraque in Mausoleorum speciem: præterea signa sunt quædam, & tabellæ lapidibus, & gemmis exculptæ: quin & supra Mensam Christi acuminata testudo insano lapillorum, & auri sumptu elaborata; ne varia quidem vasorum genera desunt, multa chrystallina, pleraque myrrhina, conchina multa, & porphyrite, & alabastro complura gem-* Dec.2.lib.1.
B *mata; nonnulla, in quibus nil auro, & argento vilius intueri licet. De vestibus, supellectilique sacra nihil dicendum, quando cunctarum rerum mira copia, quæ diuino cultui sunt vsui.*

Quum peculiarem hanc Regum Aedem esse iuberet, tanta eam immunitate priuilegioque donauit, vt huius Antistes nemini Episcopo, præterquam Pontifici Romano subijceretur. Quin & Regibus ius esset, expiationis, & cuiussuis consecrationis tempore, pro arbitratu suo Episcopum optare, & illuc ad exhibenda Sacra mittere. Omni Basilicam qua potuit liberalitate, potestateque donauit; præsente, absente Rege, nulli Pontifici rem sacram ibi facere, ius & fas esse, nisi cui Rex, Præsulue Basilicæ, demandasset; PRIVILEGIA BASILICÆ ALBÆ REGIÆ.
C *quem Præpositum appellant. Quin etiam populus nulli decimas Pontifici, præterquam huic, suoque collegio iussus est pendere: denique nemo Rex Hungariæ, Reginaue instituí, regijsque Insignibus donari debebat, nisi Præsule huius Basilicæ præsente.* Hæc fere Bonfinius.

Atque huiusmodi Stephani huic Ædi concessit priuilegia: quam toto Orbe celebrem, sed tempestate Matthiæ Regis Coruini aliquo vetustatis situ obductam, idem Matthias, non instaurare, sed multo magnificentiore sumptu cœpit amplificare & ornare, à fundamentis etiam erecta Magnæ Aræ testudine; eamque dum vixit nunquam cessauit splendidiorem, & ornatiorem reddere, nō sine
D mortalium admiratione. Huic Stephani Regis, & Reginæ coniugis respondit in Germania par studium Henrici Regis cognati in fundando Episcopatu Bambergensi. Qui ea de causa allocuturus Patres in Synodo Francofordiense congregatos, rara Principum, & admiratione digna humilitate, humi se abiecit: nec priùs surrexit, quam à Vvillegiso Antistite Moguntino, qui cæteris honore & authoritate præsidebat, eleuaretur. Tum vero in hæc plena pietatis, reuerentiæ, & religionis verba preces laxans, *Ob recompensationem*, inquit, *futuram Christum heredem elegi, quia in sobole acquirenda nulla spes remanet mihi. Et quod præcipuum habui, meipsum cum modò acquisitis seu acquirendis, in sacrificium Patri* Ditmar lib. ...
E *ingenito iamdudum secreto mentis obtuli. Episcopatum in Bauenberga cum licentia Antistitis mei facere hactenus concupiui, & hodie iustum hoc perficere volo desiderium. Ob hoc Serenissimam vestrimet interpello pietatem*; & quæ sequuntur. Hæc Rex Henricus: Qui cùm non nemine Antistitum refragante, anxiam iudicum sententiam nutare perspexisset, iterum atque iterum prostratus euicit, vt tam iustæ, & religiosæ petitioni, consensus omnium Regis tanti humilitatem admirantium, rite, & ordine accederet.

Fuit hic annus toti fere Orbi, sed præcipue Germaniæ, fame & mortalitate grauis; *Vt*, quemadmodum notat Sigebertus, *sepelientium tædio vivi adhuc spiritum trahentes obruerentur cum mortuis*. Nulla tamen regio minus id mali sensit

Hungarica, dubio procul sanctitate Regis ita promerente, qui nullum genus A charitatis, aut liberalitatis prætermisit, quo adiacentibus circum Regnis, exhaustis etiam suis granarijs, subueniret.

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAP. XIX. ANNVS	BASILII, ET CONST. IMPP. 32. HENRICI REGIS 6. STEPHANI REGIS 8.
1007.	5.	

Indict. 5.

B

S. EMERICVS NASCITVR ALBÆ REGIÆ. HOc anno Emericus Stephani Regis natus in lucem editur Albæ Regiæ. Quo mense, dieue, non traditur, sed felici vtique partu. Alios ex Gysela liberos suscepisse Stephanum memorant Scriptores, quorum nomina ignorantur: hos adhuc infantes migrasse notat Chartuitius; solius Emerici sanctitas, etsi non diu in terris victuri, meruit famæ æternitatem. Quotus ipse nascendo fuerit, non memoratur. Si ætas, & nuptiæ Stephani Regis spectentur, alter item fortasse, vel tertius fuerit; ex ijs quæ dicturi sumus, si non postremum natu, supremum certè paternæ dilectionis argumentum fuisse, facile C conijcitur. A Præposito Templi sacris vndis expiatus, Emerici nomen tulit. Alij Americum vocant. Rectè Cuspinianus notat Henricum Auunculi vocabulo fuisse appellatum, sed ex vsu gentis Hungarorum in Emericum abijsse, quod deinde apud exteros quoque speciosa compellatione peculiare nomen fecit. Ioannes Tomcus, ex antiquis Illyricanis Scripturis, *Mircum* vocat; *quòd nomen Illyricis*, inquit, *mansuetum, seu pacis studiosum sonat*. Addit vero *Hungaris vsitatum, vt nomina per consonantem literam incipientia, ipsi præposita vocali proferant; quod Stephani nomine exemplo constat, cui literam I, præponendo semper Istephanum pro Stephano dicunt*. Hæc ille; melius dicturus primam, & mediam à se D dereptas, vt ex Emerico *Mircum* redderet. Id tamen facile condonent Hungari, viro doctrina, moribus, & dignitate claro, Episcopo nimirum Bosnensi, qui præcipuâ in Nationem voluntate cùm eam inter Illyricanas censere amat, tum etiam Emericum Stephani Regis filium, sui generis *Ducem Slauonicum* honorificè appellat.

In Henrico Sancto.

Lib. de Illyr. Sanct. fœcund. In vita S. Emerici.

STEPHANI REGIS ERGA DEVM GRATITVDO. Vt autem Stephanus Rex pro data sibi sobole gratum se Deo exhiberet, Deiparæ Virgini Patronæ insignem Basilicam erexit, adiuncto Patribus Ordinis Sancti Benedicti Cœnobio, omnibusquè tam pro ornatu, quam pro commodo victu copijs aucto. Viguit ea diu ad radicem Montisferrei in Diœcesi Quinque- E ecclesiensi, vocabulo Abbatiæ de *Varad*, siue vt alij appellant, *Pech-varad*, donec defluentibus Hungariæ rebus, & ipsa inconstantiæ se submisit.

Sed neque dici facile potest, quo gaudio totum Hungariæ Regnum, ex nato Regni herede sese extulerit, non tam ludicra celebritate, quemadmodum quidã solent Principes, quàm supplicationibus votiuis vbique ad Aras institutis. Ipse in primis Stephanus Rex Pater, magnas illas tribulationes, quibuscum ex contracta valetudine frequenter conflictabatur, nec non reliquæ prolis orbitatem, vel futuræ, si fors fortuna ferret, desiderium, præsentis amore nati Emerici temperauit. Sed etiam Henrico Regi paris sanctitatis cognato, periucunde accidit,

ex

A ex sorore sua natum, qui in spem Regni, & firmamentum Religionis, iam radicantis successurus foret. Adhuc autem Basilius Orientis Imperator amico felicitatem gratulatus, dignum sua magnificentia munus misit, auream Crucem pretiosis gemmis interstinctam, sed quod omne precium superat, insigni ex Ligno sacro auctæ Crucis portione conclusa radiantem, quam deinde Emericus è collo gestare consueuerat. BASILIVS IMP. GRATVLATVR STEPHANO.

De ea tamen tradunt rerum Polonicarum Scriptores, dono Emerici postea concessisse Monasterio S. Crucis in Lysecio, seu Caluo Monte Poloniæ, constructo quidem à Rege sanctæ memoriæ Boleslao, sed ipso Emerico petente; quòd B vnà cum Rege in eodem monte, forte venationi intento, mirificè arriserit locus, religionis domicilio aptior, quàm ferarum lustro: quem iccirco Boleslaus gratiæ tanti hospitis fauens, illico Templo, & Monasterio ponendo metari iussit; & à precioso donario, quod sibi detractum Emericus perpetuo isthic cultui sacrum esse voluit, sanctæ Crucis nomine dedicauit. Salua huius narrationis est fides, dum constet Emericum aliquando in Polonia cum Boleslao egisse: quod fortasse non videbitur inuerisimile cogitanti, facilem fuisse ex Hungaria breuis temporis commeatum, religiosissimi præsertim, & propinqui Regis amica pietate vltro inuitante; quem Stephanus pari secum studio Fi- C dei Christi propagandæ feruentem, eo honore maximè dignum æstimaret. Adhuc tamen reuocandi sunt ad mentem Scriptores, si tutam velint esse authoritatem suam, ne prædictum S. Crucis Monasterium à Boleslao fundatum ponant anno huius seculi sexto, quo Emericus nondum in luce fuit. Cæterùm eo post annum edito, satis in adolescentia spatij datum est, quo Boleslaum productiori tempore regnantem, antequam vita decessisset, inuiseret, eiusque amicitia ad mutuam gratiam vteretur: nec fidem fallet Chromerus, qui cum Boleslao propinquo viro sancto & casto, Emericum lubentem, in Polonia vitam degisse affirmat. Viget porro eo loci religiosissima sanctæ Crucis celebritas, vt in hanc D vsque diem salutaria affluentibus, & pie colentibus, edantur miracula, continua perinde sanctissimi Emerici memoria, qui tam preciosum sibi amuletum, isthic commune mortalibus esse voluit remedium. Tom. 1. l. 2. c. 7. Lib. 3. de Reb. Pol. in Bolesl. I.

Cæterū, dū hoc tempore Henrici, & Stephani Regum religione, & pietate, pax & iustitia late per Regna dominantur, vtrique pietatis operibus, & cultui Christi propagando, & ornando mirificè studebant. Ac inter alia Stephano incessit, etiam extra Regnum suum, sed in tribus præsertim Christiani tum Orbis præcipuis Vrbibus, Romæ, Hierosolymis, Constantinopoli, Christiana pietatis monumenta erigere. Nam quòd Romam ad Fidei arcem, continuas fieri peregri- E nationes cognouisset, ad eas etiam suos, subditos excitauit, & vt commodiùs irent expensis iuuit; pauperioribus etiam integras numerauit ita, libenter, & liberaliter sumptus erogans, dum Religioni consultum esset, vltro & ipse iturus, si per Regni curas licuisset: quanquam aliquando Romæ eum fuisse, nonnulli non verisimiliter existimarint. Fecit tamen suo voto per alios satis, nec semel munera misit.

Neque hoc solum præstitit Rex egregius, verùm in medio propemodum itinere sitis ad Vrbem pergentibus commodum esse iussit, non hospitum tantum, sed etiam suæ pietatis, atque in Principem Apostolorum præcipuæ religionis singulare monumentum. Quippe ad Rauennam, inclytam, & amplam

Ciui-

Ciuitatem, nobile Templũ extruxit Diuo Petro ad Vincula sacrum; additoque A
insigni Cœnobio, largis prouentibus dotauit, vnde & Monachis Regia manu il-
lic constitutis alimenta, & Hungaris omnibus religionis causa Romam peten-
tibus abundè suppeterent. Meminit eius Templi in agro Rauennate constru-
cti, Hieronymus Rubeus, & ex eo Ioannes Tomcus: qui tamen haud recte con-
ijcit, factum id anno seculi noni trigesimoquinto, quo Stephanus Rex in rerum
natura nondum fuit. Quanquam nec Rubeus ipse collimet, tametsi quadraginta
propemodum addere videatur. Sed neque constat, à Gerardo Morisiensi Epi-
scopo & Martyre, quemadmodum ipse ait, prædictum Templum consecratum:
Morisiensem vocat à continua ad agrum Morisiensem, siue Morissenum habita- B
tione, Episcopum alioqui Chianadiensem. At enim ex quo is in Hungariam
venit, nunquam Italiam reuisisse legitur, vt eo munere fungi posset; proinde
vero similius fuerit, ab Antistite Rauennate factum, quod officij erat.

Lib. 5. Hist. Rauen. IN VITA S. STEPHANI.

Vt autem Rauennæ potius, quam alio loco perinde ex sententia, Stephanus
religioni suorum commodaret, mouit, opinor, celebritas Vrbis, inter Italicas
aliquando primas obtinentis, quæ idcirco frequentiæ itinerantium vltro citro-
que commeantium consuetum habebatur receptaculum. Sed ne alterius Diui
quam Petri ad Vincula nuncupatione Templum insigniret, fecit in primis ho-
nor Principis Apostolorum vnice ab se culti; tum religio Vinculorum nuper C
in Vrbe propagari cœpta, vt recenti voto sancti Regis pietas, periucunda non
Romæ solum, sed æmulæ quondam Ciuitati accideret. Eius porro Templi, &
Abbatiæ cura, successu temporum, & rerum cum fortunis, commendari subro-
gatis cœpit; hodieque dum hæc scribimus, Curatorem habet in paucis religiosis-
simum Franciscum S.R.E. Cardinalem Barberinum, Vrbani Octaui Pontificis
Maximi, fratris natum. Par erat in summa rerum, hanc quoque particulam
solicitudinis sortiri eum, cui Diui Regis cultus semper preciosus fuit, eoque no-
mine propensus in nationem fauor. Id sane quemadmodum crebro ad Vrbem
accedentes Hungari cum fœnore experiuntur, ita reuersi ad suos deprædicare D
non cessant.

Verum, vt ad institutum reuertamur, dici vix potest quam promptis officijs,
& beneficentiæ studijs adnentantes Hungarorum peregrinos excepit populus
Romanus, gentis non ita pridem ad Fidem accessione gratulatus, Regisque
sancti amore, cuius fama iam Orbem Romanum, & Catholicum impleuerat,
permotus; vt idcirco, nullum studium deesse pateretur, vnde affluentibus hospi-
tibus aliquid commodi accederet.

STEPHANVS REX ROMÆ PEREGRINIS HOSPITIVM, ET ORATORIVM ÆDIFICAT.

Quod cum Rex sanctus intellexisset, pietatem quoque suam desiderari nõ est
passus; ac vt peregrini suæ gentis in Vrbe commodiùs manerent, & religioni E
suæ vacarent, domos & hospitia eis prope Basilicam Principis Apostolorum exæ-
dificauit, addito Oratorio, quod deinde S. Stephani Hungarorum, & S. Stephani
Minoris est appellatum; cuius tamen memoria ob fatiscentem vetustate structu-
ram paulatim abolita erat, nisi circa annum millesimum quadringentesimum,
septimum supra nonagesimum, rebus sub Matthia Rege reflorescentibus, Hun-
garorum aliquot peregrinorum opera refectis omnibus restituta fuisset; quan-
quam hodie afflicta Hungariæ felicitate, & ob minus frequentem Hungarorum
concursum, situm duntaxat seruat, vix formam & splendorem.

ITEM COLLEGIVM DVODECIM CANONICORVM.

Non his contentus Rex Stephanus, vt Regnum Hungariæ continuò ha-
beret,

A berèt, quos in Vrbe literis, & religione instructos, Christi cultui propagando, & ornãdo adhibere posset; ea de causa sub Protomartyris Stephani titulo duodecim Canonicorũ Collegiũ, apud quos reliqui instruerentur, & alerentur, cõdidit, rebusque necessarijs, tum ad victum, tum ad Templi ornamentum stabiliuit. Is locus est dictus S. Stephani in Piscina*; qui post aliquot secula, deficientibus quacunque de causa Canonicis, & Alumnis, in Parœciam, quæ hodie superest, desijt. Sunt qui putent Stephanum Regem id Collegij instituisse, eo loco, qui hodie dicitur S. Stephani in Monte Cælio, vulgo *Rotundi*, eandemque Ecclesiam vocant S. Stephani Minoris, habita comparatione, non cum priori in Pi- *al. Piscinula.* TEMPLVM S. STEPHANI IN MONTE CÆLIO.

B scina, qua longe maior, sed cum Rege Stephano, qui Protomartyre iunior est. Cuius tamen nomen imponi non potuit, nisi labentibus annis, postquam inter Sanctos relatus, ab Ecclesia vniuersim coli cœpit. Verùm obstat eam Ecclesiam longe ante Stephanum Regem, anno videlicet supra septingentesimum circiter septuagesimosecundo, ab Hadriano Secundo Papa fuisse extructam; quanquam verisimile sit, eam postea Stephani Regis religioni concessam ad fundandum isthic Nationi suæ Collegium; quod non traditione magis, quàm etiam authoritate continetur. Illud certius, mutata S. Stephani Æde in Piscina, ad hanc in Monte Cælio migrasse Hungaros, iisdemque à Nicolao Quinto adiunctos fuisse

C Fratres Ordinis S. Pauli Primi Eremitæ, rebus in Hungaria turbatis profugos; vbi ad tempora vsque Gregorij Decimitertij, per centum & septendecim annos vna habitarunt; donec is conuersioni Infidelium, & Hæreticorum nouis vbique Collegijs prospecturus, dictum Hungarorum Collegium, Germanico vniuit, ac vt totidem Alumni, quot antea Canonici erant, ex iisdem prouentibus vnà alerentur, instituit; neque solùm, sed vt inter Hungaros tres dicti Ordinis Eremitarum Fratres continuò numerarentur, sanciuit.

Floruit porro & primum illud Collegium multis annis, quoad Hungariæ Regnũ floreret, non paucis viris præstantibus indè emergentibus qui in varias

D sedes, & munera in patria assumpti, Religionem, & patriæ; honorem egregiè tutati sunt. Verùm, vt sunt humanarum rerum vicissitudines, Regno paulatim deflorescente, Canonicis quoque desideratis, in eum statum, quem diximus, res recidere.

Alteram in Vrbe Regia, & altera Roma; Constantinopoli, mirifici operis, hoc eodem anno condidit Ecclesiam Stephanus, rebusque omnibus necessarijs stabiliuit, maxime id probante Basilio Imperatore, qui Stephani amicitiam cupidè ambiebat, ac recentibus in Bulgaros victorijs gloriosus, religionem æmulabatur, vt soluendis Deiparæ votis Athenas vsque pergeret, multisque preciosis muneribus Ædem sacram exornaret. STEPHANVS CONSTANTINOPOLI ECCLESIAM CONDIT.

E Nec parum ad eam amicitiam conciliandam faciebat, quòd hoc tempore, quemadmodum tradit Petrus Episcopus Antiochenus in epistola ad Michaëlem Cærularium scripta, post annos quadraginta septem, Constantinopolitana Ecclesia cum Romana, communione coniuncta fuerit; vt non immerito quem Regem Basilius Romanæ Ecclesiæ deuinctissimum accepisset, sibi quoque amicum esse peroptaret.

In ea porro Ecclesia, Principi Apostolorum Sacra, Natio Hungara ritu Latino ministrabat, certo Sacerdotum, & Clericorum numero definito; quem ad Regis nutum supplebant alij, quoties alijs, aut mori, aut in patriam reuerti contigisset,

Fuit

Fuit quidem ea in re præcipuus Stephani scopus, diuini cultus propagatio, sed A
etiam auebat suos Græcis literis eruditos Hungariam illustrare, non secus ac Latinis eos, qui Romæ operam dabant. Ex quibus, quàm multi illustres viri euaserint, peculiari loco tractandum erit, vt Hungaris suos vendicemus ciues, qui quorundam gloriantium arte ad alienos abstracti sunt. Præter hæc vero mouebat Stephanum religio Constantini Magni, Imperij in ea Vrbe fundatoris, cuius conuersionem, & præclara pro Fide Christi gesta, auide lectitabat, & virtutes in se exprimere studebat; identidem retractans parem sibi diuinæ vocationis contigisse sortem, parem Religionis proferendæ ardorem, neque casu illum à Syluestro Primo religione magis quam Imperij Diademate exaltatum; se vero B
post susceptam Religionem, à Syluestro Secundo regia, & sacra Corona fuisse exornatum.

STEPHANVS LECTITAT ACTA CONSTANTINI MAGNI.

Eodem studio tertiam Hierosolymis fundauit cum Cœnobio Ecclesiam; de qua in loco dicturi sumus.

Hoc eodem anno Bonifacius Astrici discipulus, cui etiam ad Episcopatum assumpto, Abbas in Monasterio successerat, clara morte persunctus, Martyrij coronam adeptus est. Miserat eum triennio ante beatus Rex in inferiorem Pannoniam, ad conuertendos finitimos populos, qui nondum omnes Christo crediderant; & proferendum etiam vlterius Euangelium, si licuisset. Verùm is C
cùm Verbum Dei feruenter prædicaret, à peruicaci populo ludibrio habitus, ac tandem in vertice gladio percussus, interijt. Non illico eum mortuum, sed superuixisse, neque tamen Martyrij Corona frustratum, notat Chartuitius.

BONIFACIVS MARTYR.

In vita Stephani.

De hoc Bonifacio nihil se offert in Martyrologijs, & alijs historijs Ecclesiasticis, vnde ipsum sibi vendicare sola queat Hungaria. Fuit quidē alius eiusce nominis Bonifacius Martyr, Romualdi discipulus, cuius meminere cū Martyrologio Romano, Arnaldus Vvion, Hugo Menardus, & alij; eiusque præclara facinora, ante omnes recitat Petrus Damiani, & ex eodem Baronius ad annum millesi- D
mum octauum, quo anno, aut circiter, eum Martyrio coronatum putat. Quod sanè cum sequentibus quæ dicturi sumus, ægre constat. Diuersus sine dubio hic Bonifacius ab illo; nam primus fuit discipulus Astrici, ab Adalberto missi; hic alter Romualdi: ille Abbas, hic Episcopus Bornensis, si quæ Vvioni fides; ille missus à Rege in inferioris Hungariæ partes, hic missus à Romano Pontifice in Russiam: ille traditur per ignem transiuisse illæsus, eòque miraculo Regem, ac populum commotum sacris vndis expiasse, sed à furente Regis fratre necatus; hic in vertice gladio percussus, etsi non extinctus: denique hic perhibetur fuisse consanguineus Othonis Imperatoris, Tertium puta; illius progenies reticetur. E

Ad diem Iunii 19.

In vita S. Romualdi.

In qua tamen re non vna occurrit difficultas: nam Baronius in Notis Martyrologicis, & Vvion ad eundem diem, alijque non pauci, vixisse scribunt Bonifacium circa annum millesimum, vt Martyrium paulo seriùs fecisse credi possit. Præterea cùm Petrus Damianus affirmet, *Romualdum cùm audisset, Bonifacium Martyrium suscepisse, nimio & ipsum desiderij igne succensum, vt pro Christo sanguinem funderet, in Hungariam mox ire disposuisse: & licentia ab Apostolica Sede accepta, & duobus è suis discipulis in Archiepiscopos consecratis, cum viginti quatuor fratribus iter arripuisse. Sed cùm iam ipsis Pannoniarum finibus interessent, repente languore correptum, vlterius ire non potuisse. Cùm-*

Ad diem Iunii 19.

In vita Romualdi.

que

A *quæ diutiùs pateretur, si quando redire disponeret, melius habuisse; sin autem ire vltra tentaret, tota facie protinus timorem prætulisse, nec cibos iam retinere stomacho languescente potuisse. Idque cùm perpendisset diuino iudicio factum, ne vlterius progrederetur, vix cum septem discipulis rediisse, reliquis vt irent permisisse: ex iis tamen ne vnum quidem, Martyrium consecutum, sicut prædixerat vir sanctus, etsi quidam flagellis cæderentur, alij venundarentur.* Cùm inquam hæc narret Damianus, si quæ fides illi habenda est, meritò verò omnes habent, consequitur, Romualdum ætate iam decrepitum, hoc est tres supra nonaginta annos numerantem, pergere voluisse in Hungariam, vt Martyrium subiret; quippe qui septimo S. ROMVALDVS QVO ANNO CONATVS IRE IN HVNGARIAM.
B noni seculi anno editus sit in lucem, & vigesimoseptimo decimi migrarit in Cælum. Id tamen si difficile quibusdam videtur, impossibile certo non est; & exempla, si sexcenta non suppeterent, vnus S. Simeon filius Cleophæ, Hierosolymorum Episcopus, cùm annum centesimum & vigesimum ageret, accerbissimos Crucis dolores fortiter, & constanter passus, abunde fidem facit.

Non est autem prætereundum, idcirco Martyrio superfuisse Romualdi socios, quòd vererentur Pagani, ne quemadmodum Bonifacio, & ipsis honos haberetur à Christianis, quando illi fruenter de Christo verba facienti, quamuis dira omnia optarent; diu tamen pepercerunt, ne sicut Adalberti nuperi Martyris
C miraculis, plerique Sclauonicæ gentis conuersi sunt; ita reliquis, à Bonifacij Martyrio eueniret. Certe Bonifacius Adalbertum nuper apud cognatam gentem Martyrio coronatum cùm audisset, impatiens moræ, illud ipsum stadium vitæ sibi currendum proposuerat; quid mirum, si Bonifacio etiam coronato, Baron. Tom. 11 Ad ann. 997.
Romualdus eadem cupiditate flagraret obeundi Martyrij? Sed non omnium eadem est vocatio, nec semper Martyr, Martyrem parit. Induxerat Bonifacium clarissima miraculorum fama, quibus coruscabat Adalbertus; non quia eandem affectaret, sed quia fructum gloriosi certaminis speraret, conuersionem infidelium: Id quod isti inuidia declinabant. Ad Romualdum redeo. Mihi vide-
D tur, diuino consilio ipsum frustratum fuisse Martyrio sanguinis, vt agnosceret gratum Deo esse genus illud Martyrij, quod ex Instituti professione, tota die carnem mortificat, rigore quidem mitius, sed diuturnitate molestius.

IESV CHRISTI ANNVS 1008.	IOANNIS PAP. XIX. ANNVS 6.	BASILII, ET CONST. IMPP. 33. HENRICI REGIS 7. STEPHANI REGIS 9.	Indict. 6.

E

DVm in Hungaria opus Religionis feruet, apud Ruthenos, Martyres parit. Hoc siquidem anno Bruno Episcopus, suscepto pridem pro animarum lucro Apostolatu, in Prussiam pergens; cùm Euangelium feruenter annunciaret, primum ab incolis prohibitus, nec idcirco hominibus; sed Deo magis obediens, mox etiam captus est. Denique, vt scribit Diethmarus, *amore Christi, qui Ecclesiæ caput est, decimosexto Kalendas Martij,* (hoc est decimaquarta Februarij, feria Sabbati) *mitis vt agnus decollatur cum suis decem & octo. Corpora tot Martyrum insepulta iacuerunt, quoad Boleslaus* (Rex Poloniæ) *id comperiens,* BRVNO APVD RVTHENOS MARTYR. Lib. 6.

eadem

eadem mercatur, ac domui suæ futurum acquisiuit solatium. Hæc Diethmarus. Sigebertus horum Martyrium in sequentem annum conijcit: sed Marianus Scotus, qui hoc seculo vixit, cui etiam Vrspergensis consentit, hoc anno consignant. Addit tamen Marianus, post abscissionem manuum & pedum, postremò capite plexum; quod & Martyrologium Romanum affirmat ad decimamquintam Octobris, (qua die forte facta est translatio) hoc elogio. *In Prussia Sancti Brunonis Episcopi Ruthenorum, & Martyris, qui Euangelium in ea regione prædicans, ab impijs tentus, manibus pedibusque præcisis capite truncatus est*. Hæc ibi. Porro *Prussiam* pro *Russia* vsurpari frequens est. Meminere huius præter dictos Auctores, Albertus Cranzius, Ioannes Trithemius, & alij, qui de rebus Ordinis S. Benedicti pertractant: vt mirum sit nihil de eo haberi in fastis Ruthenorum, saltem qui nobis ad manus sunt. A B

In Metr. lib. 4. cap. 3. *In Saxon. lib. 4. cap. 28.* *De Viris Illust. lib. 4. cap. 126.*

INVENTIONES PLVRIMARVM RELLIQVIARVM.

Spectabilis præterea fuit hic annus, sacrarum Reliquiarum, quæ diu latuerant inuentione; ita disponente Deo, vt post innouatas toto fere Mundo Ecclesiarum Basilicas, quod superius diximus, reuelarentur etiam pignora Sanctorum, quibus illæ ornarentur, & aucta religione Ciuium, Diuorum intercessione, Vrbes etiam Christianæ munirentur. Contigere huiusmodi reuelationes, quemadmodum narrat Glaber, initio facto in Senonica Galliarum Vrbe, apud Ecclesiam beati Martyris Stephani, cui præerat Leothericus; qui inter plurima alia, quæ latebant antiquorum Sacrorum insignia, dicebatur partem Virgæ Moysi inuenisse: ad cuius rei famam, non solum ex Gallia, & vniuersa pene Italia, verum etiam ex transmarinis regionibus plurimi concurrebant, nec pauci ægrotantes Sanctorum interuentu redibant incolumes. Agit de his nonnihil etiam Fulbertus Carnotensis, in epistola ad dictum Leothericum. C

Lib. 3. cap. 6.

Indict. 7.

IESV CHRISTI ANNVS 1009.	SERGII PAPAE IV. ANNVS 1.	BASILII, ET CONST. 34. HENRICI REGIS 8. STEPHANI REGIS 10.

D

IOANNES PP. MORITVR.

HOc anno die decimo octauo Iulij, feria secunda, decessit Ioannes Papa, cuius tempore coniunctam fuisse, vt supra diximus, vtriusque Romæ Ecclesiam, præter attestationem Petri Antiocheni ibidem relatam, constat ex eiusdem Pontificis Epitaphio, quod in monimentis Basilicæ Vaticanæ legitur, sed hic breuitatis causa omittitur. Successit eidem vltima die Augusti, feria quarta, Sergius ex Episcopo Albano, Petrus nuncupatus, qui ob reuerentiam Principis Apostolorum, nomen mutauit: quanquam alii affirment, quòd cum minus honesto vocabulo *Buccaporci* diceretur, noua munus suum appellatione honestarit, eamque nominis mutandi consuetudinem ad posteros exemplo transmiserit. E

SERGIVS IV. PAPA.

HVNGARORVM SACRÆ PEREGRINATIONES.

Crescente porro in dies sub Stephano Rege Hungarorum Religione, crescebat & Regis in promouendo zelus & pietas, vt mutuo certare viderentur. Hinc frequentes illi non solum vtriusque Romæ loca sacra petebant, verum etiam ad Hierosolymorum sanctuaria anhelabant, & continuo ad visendum pergebant. Vbi ne quid desiderarent, quo peregrinationis molestia leuarentur, pius Rex de fundan-

A fundandis illic, domibus, hospitijs, ac Nationis Templo deliberauit, atque etiam serio animum applicuit. Quòd autem hoc anno conatui minime responderit euentus, Hierosolymorum Templum, quod Sepulchrum Redemptoris nostri seruabat, iussu Ammirati Babyloniæ Principis euersum fecit: quod cùm Iudæorum opera factum vulgaretur, ingens eorum in Occidente strages edita est.

Nam cùm plurimi, ex toto terrarum orbe fideles, eòdem venerationis gratia affluerent, ac præsertim Hungarorum recèns conuersorum, & turmatim accurrentium religione omnia circum feruerent, rursum cœpit Diabolus per assuetam sibi Iudæorum gentem, veræ Fidei cultoribus, suæ venenum nequitiæ
B propinare. Erat ea tempestate Aureliæ Galliarum, nidus & velut asylum perfidæ gentis, qui inito consilio, corrupto quodam Roberto pecunia literas ei tradiderunt Hebraicis characteribus exaratas ad Principem Babylonis deferendas, quas ille in capulo baculi condens habitu peregrini detulit: continebant illæ: Nisi celerius Templum Hierosolymitanum subuerteret, proxime futurum, vt Christianis religionis prætextu affluentibus, ipse Regno, & dignitate deijceretur. Quibus ille acceptis furore correptus, protinus misit, qui funditus euerterent; tametsi concauum sancti Sepulchri, ferri etiam tulitibus quassare tentantes, minime lædere valuerunt. Interim tamen & beati Martyris
C Georgij Ecclesiam in Ramulo, Saracenis aliàs sæpe fatalem, quòd ingredi cupientes cæcitate percuterentur, hac vice penitus destruxerunt. TEMPLVM HIEROSOLYMORVM EVERSVM.

Patuit illico scelus Iudæorum per Orbem diuulgatum: ideo communi omnium Christianorum consensu decretum, vt vndique è Christianis sedibus pellerentur; quo plerique non contenti, pulsos gladijs trucidare, fluminibus mergere, flammis exurere, nullo non supplicio mortis interimere: quod, vt ipsi præuenirent, sibi ipsis plerique necem consciscere. Quæ sanè vltro, ita fere omnes nocentes cum innocentibus inuoluit, vt pauci in Orbe Romano IVDAORVM IN OCCIDENTE STRAGES.
D superessent. Tum quoque decretum ab Episcopis, ne quis Christianorum cum illis in qualscunque negociorum tractationes se ingererent, nec quempiam admitterent, nisi eiurata per veram resipiscentiam perfidia, baptismi gratiam petiuisset. Quod quidem fecere plurimi, magis amore præsentis vitæ, ne mori cogerentur, quàm æternæ desiderio; vnde paulo post impudenter ad vomitum reuersi sunt.

Robertus porro ille literarum baiulus, reuersus, & perpaucis Aureliæ sceleris patrati conscijs inuentis, cùm familiariùs illis vteretur, ab alio peregrinationis socio, conferente secum ea, quæ Hierosolymis ab eo fieri aduerterat, & Aureliæ
E rursum factitari viderat, detectus est; & quæstioni subditus, vbi crimen fassus fuit, iussu Regis, spectante vniuerso populo, igni traditus, & consumptus est.

Hoc eodem nihilominus anno, diuina fauente clementia, mater Principis, Maria, mulier Christianissima, damnato filij facinore, Templum euersum politis, & quadris lapidibus moliri cœpit, adiuuante marito paris pietatis viro, qui occulte ab vxore docta Christum confitebatur, & colebat. TEMPLVM HIEROSOLYMORVM REFICITVR.

Meminere & Græci, huius Templi Hierosolymorum euersionis, sed tacita causa. Ex Latinis verò aliqui confundunt hanc euersionem, cum ea, quam

Lib. 1. c. 2. 3. &c. Gulielmus Tyrius narrat factam ab Homar Principem Saracenorum, anno salutis millesimo decimooctauo, iterumque post annos triginta septem, reædificatum à Christianis Templum sub Constantino Monomacho, Oreste Hierosolymorum Episcopo. A

Interea tamen, quod foris non licuit, domi præstitit optimus Regum: neque Templum solum, sed Episcopatum fundat insignem, amplisque prouentibus ornat, Quinqueecclesiensem: Nomen est Vrbis in Baraniensi Comitatu opulentissimæ, à quinque Basilicis inditum, quibus splendorem, & religionem, felici illa tempestate efferebat. Sed hoc postea; nam Hungaris sua lingua vetustius est vocabulū à Peuce, quod ex Peucinorum reliquijs ad Drauum fluuiū Ciuitas assurrexit. Bastarnæ scilicet ex Germanis oriundi, cùm ad ostia Danubij Peucen insulam, infra quam Darius aliquando pontem construxit, occupassent, Peucini appellati sunt, ad quos ex septenis ostijs per Hierostomum, quod maximum est, nauigatio centenis & viginti stadijs patebat. Hoc loco tam celebri, & postea ex felicitate cæli, ac soli, fertilibus viribus passim exculto, Stephanus Episcopatum erexit. Cuius fundationis literas à F. Raphaele Leuacouicz, quem aliàs laudauimus, exhibitas, hic subijcimus. B

Vulgo Pets, seu Pechal, Pecz. Strabo lib. 7.

IN NOMINE SANCTISSIMAE TRINITATIS, C

ET INDIVIDVÆ VNITATIS.

STEPHANVS HVNGARORVM REX.

INSTRVMENTVM FVNDATIONIS EPISCOPATVS QVINQVEECCLESIENSIS.

*NOuerint omnes fideles nostri, præsentes, scilicet & futuri, qualiter Nos, cum consensu Sanctissimi Apostolici, & in præsentia eius Nuncij Anonis Episcopi, & aliorum omnium nostrorum fidelium Episcoporum, Marchionum, Comitum, necnon minorum quoque personarum, electionem * Episcopatus, qui vocabitur Quinqueecclesiensis, statuimus in honorem Dei, & omnium Sanctorum, Bemperto ibi Episcopo facto, Priuilegijs terminisque ordinauimus, & confirmauimus. Primum terminum Zemegny viculum, vsque ad Thapeon vicum posuimus: secundum Ozora, donec perueniatur ad aliam aquam, quæ Clupa nuncupatur: Tertium Ropus vsque ad Almas aquam: Quartum, vt dicitur Reo Arok, sicuti incipiens à Danubio super Sauum fluuium terminatur. Et vt hæc nostra ingenuitas authoritatis, stabilis & inconcussa permaneat, hanc chartam inde conscriptam, sigilli nostri impressione insigniri iussimus.* D E

* al. Erectionem.

✻ Signum Stephani Regis Hungarorum.

Quos terminos si quis violare præsumpserit in posterum, componat centum libras auri optimi, medium Cameræ nostræ, ac medium præfato Episcopatui, ac Rectori eius. Et vt plus diuinæ iræ occursum paueat, sciat se à Deo Patre, & Filio, & Spiritu sancto, & Gloriosa Dei Genitrice Maria, & Sancto Petro Apostolo, in cuius honorem supramemoratus constructus est Episcopatus, perpetuo anathemate damnandum,

A *dum, & ante tribunal Christi rationem redditurum. Dat. decimo Kalend. Septemb. Indictione septima, Anno Incarnationis Domini millesimo nono, Pio Stephano regnante, anno nono. Actum in Ciuitate Iauryana.*

Hactenus ex literæ, quarum & Diuus Ladislaus Rex in suis meminit, suo loco recitandis. Quod hic animaduertimus, est; notari in his nonum regnantis Stephani annum, quem iuxta seriem Annalium, nos decimum numeramus: scilicet à Kalendis Ianuarijs, non à Coronatione Diui Regis, quod in literis seruatum est, annos auspicati.

In hunc annum conijciunt quædam manuscripta sat vetusta, quibus vtimur, B Sanctæ Peteæ Virginis dudum antea in Vrbe Regia cultæ, translationem Belgradum factam. Aiunt, Basilium Imperatorem id concessisse religioni Bulgarorum, Hungarorum, aliorumque finitimorum; vt donec Hierosolymis Templum sancti Sepulchri, & domicilia Christianorum restituerentur, haberent itinerantes velut commune religionis hospitium, vbi pietati commode vacarent. Assiduo porro aduentantium concursu fuisse ibidem excitatam insignem celebritatem, plures alij tradiderunt; fauente nimirum Cælo Diuæ sanctitati, crebris miraculis; nec parum adnitente Monachorum Ordinis Basilij pietate, apud quos præstanti cultu asseruabatur in Templo à Regibus olim Thraciæ C splendide extructo. Quæ quidem veneratio singulari ceremonia tenuit per aliquot secula, quoad anno superioris seculi vigesimosecundo, expugnato à Turcis Belgrado, ipsis permittentibus, sacrum pignus à Monachis asportatum est. Ita isti. S. PETEA VIRGO.

Quæ tamen narratio alibi à nobis discutienda erit, ex rerum & temporum ordine, vt clarum euadat, de quanam Diua Petea sermo vertatur; & an hæc aliquid commune habeat cum ea, quam Rutheni sibi vēdicant, Ordinisque Basilij fuisse, & Romæ sepultam tradunt; quam item Bulgari à Francis, tum Constantinopoli dominantibus, petente Rege Bulgarorum Ioanne Asænio iuniore, ob- D tinuerunt, & ex Epiuatis Ternouum auexerunt; quam denique Locrenses Magnæ Græciæ incolæ, Virginem, & Martyrem celeberrimam tanquam suam colunt. Etsi enim gesta harum ita plerunque confundantur, vt non plures vna esse videantur, quæ quidem vulgo *Petea*, vel *Piatnica*, nonnullis *Praxedes*, sed maxime communi vocabulo *Parasceue*, corruptè *Parascauia*; alijs item, quod Parasceue diem Veneris innuat, *Venera*, sed ornatiori appellatione, *Veneranda* nuncupatur: ratio tamen temporum plane diuersas fuisse luculente ostendit: quid enim Basilio Imperatori cum Francis longe post inundantibus? vt plura mittamus, quæ in loco pensitanda erunt, & in historia non minus iucunda lectu, E quam necessaria scitu, suis omnia momentis restituenda. IOANNES ASÆNIVS REX BVLGARORVM.

Ea porro clades Hierosolymorum Vrbi & Templo illata, fecit, vt non pauci, quieti religiosæ, tumultuantem Tyrannidem intercedere non ferentes, aut abditas quærerent sedes, aut remotas appeterent, Deo reliquum vitæ, magis ardua vocatione impensuri. Inter hos enituit sempiterna memoria dignus ille Matthæus Escandeli Budensis Ciuis, Apostolica Hungariæ gloria, cuius gesta alteri quam huic nostro Orbi notiora, neque tamen omnia hominibus cognita, beatæ prædestinationis liber condita asseruat. Hic post illatum sub Stephano Rege Primo, in Hungariam Euangelij lumen, cùm ardore Fidei, plurimorum religio MATTHÆVS ESCANDELI BVDENSIS CIVIS.

non se contineret, quin ad pleraque sacra loca, sanctitatis causa visenda ef- A
funderetur, singulari desiderio accensus Hierosolymam abijt; & cum omnia circum, vestigijs signata Redemptoris, deuotè lustrasset, amore sanctitatis captus, in recessus mōtis Sion se abdidit, & anachoretico per aliquot annos vacauit instituto. Iamque Deo plenus, & eius amore totus flagrans, quò cæteri quoque eadem charitate flammarentur vehementer cupiebat; sed præsertim eos qui longe positi cæcutiebant, vt Deum verum, & quem is misisset Iesum Christum cognoscerent, ad lucem adducere præoptabat.

AD INDOS PERGIT. Itaque animo, & voto diuinitus concepto, & dubio procul exemplo eorum, qui superioribus seculis Euangelij causa non semel id fecerunt, ad Indos pergit; B
nec longo minus quàm laborioso terræ mariq́ue circumflexu, Deo duce in Sianis Regnum peruenit, ac tandem hinc ad Sinas penetrauit. Hic Dei regnum instauraturus, vitæ sanctitate, prædicationis efficacia, & miraculorum magnitudine quamplurimos populos conuertit; adeoque alte radicem Fidei Christi in omnium animis egit, vt nulla deinceps eam penitus euellere superstitio potuerit.

Inter innumera miracula, quinque mortuos ad vitam reuocauit. Cumque maiori in dies apud omnes coruscaret sanctitatis fama, eoque plures Christo, depressa Bonziorum superstitione, lucrifaceret, horum insidijs sæpius appetitus, ac tandem circumuentus, illustri Martyrio vitæ mortalis finem fecit. C

MARTYRIO CORONATVR.

Lucen. lib. 10. cap. 24. Iarr. lib. 4. c. 6

Eius memoriam hodieque incolæ loci præclara religionis ab eo traditæ significatione venerantur, quemadmodum ex ijs quæ Ioannes Lucena, & præsertim Petrus Iarricus, in suis Indiæ Orientalis historijs constanti Lusitanorum fide tradunt. Nempe cum ex his captiui quidam à Sinensibus abducerentur, & in interiora Regni penetrassent, conspexisse eos ad vnum ex oppidis, erectam è lapide Crucem insigni opera elaboratam, eamque humi prostratos debita veneratione honorasse. Quod cùm animaduertissent incolæ loci, & ipsi protinus in genua sese demittentes, erectis in cælum manibus venerari cœperunt, & mox prono ore basim adoratæ Crucis deosculati, patria lingua accinere, IESVS CHRISTVS, IESVS CHRITVS, MARIA VIRGO CONCEPIT, VIRGO PEPERIT, VIRGO PERMANSIT. Quibus Lusitani applaudentes, & hanc veram esse Fidem attestati, multū apud eos gratiæ inierunt. Qui ob id lætitia gestientes, quòd in peregrinos suæ religionis homines incidissent, eos in oppidū deduxerūt, & eximia charitate fouerunt. Inter alia porro, dum iucundè confabularentur, de Fidei sibi traditæ initijs memorantes, librum protulere patrio typo exaratum, (ducentorum annorum vetustatem superabat) in quo luculente ea, quæ paulò supra de Mathæo Escandeli recensuimus, æternitati consecrata legebantur. D E
Huic nempe religionem suam acceptam ferebant, quem scilicet Maiores sui, ab eodem Matthæo initiati, posteris velut per manus sartam tectam tradidissent; vt idcirco nunquam non eius tanquam Fidei progenitoris, adeoque singulari cum veneratione meminissent. Hæc ibi.

Ex quibus facile quiuis agnoscat, quantum inde sanctitatis in Ecclesiam, quantum redundet honoris, in Apostolicum Regnum Hungariæ: protulisse nimirum circa ipsa Religionis suæ primordia Virum eiusmodi, qui secundum primos illos, à nascente Ecclesia, & Christo in Cælum recepto, Apostolos, alios-

que

A quæ deinde (quod in loco diximus) Apostolicos viros diuersis temporibus in Regna Sinarum penetrantes, non minimo interuallo successit, & extinctum Euangelij lumen post diuturnam prædicationem, sanguine etiam fuso, velut ardentiori flamma subdita excitauit. Vt non immerito laus eius in omnibus Ecclesijs, sed in Regno præsertim Hungariæ solenni commemoratione celebris esse queat. In quo genere illud quoque piè subit, fecisse Matthæum in Religione apud Sinas condenda, quod primis illis à Christo institutis Apostolorum Coriphæis, quemadmodum in nostris Coniectaneis ostendimus, in more fuit: nunquam vt apud Gentes de Christo verba facerent, quin Deiparæ quoque Vir-
B ginis necessario meminissent. Quanquam peculiari quoque patriæ pietate, verisimile est, sategisse Matthæum, vt qui ex Mariæ Regno ortum duxisset, religionem Mariæ à lacte infantiæ sibi cognatam vbique præferret, adeoque Regnum Mariæ cum Ecclesia Christi late explicaret. Sed de Matthæo hactenus.

Hoc præterea anno venisse in Hungariam duos illos Eremitas, de quibus supra ad annum millesimum diximus, asserunt quidam. Eos Bonfinius ex ea Dalmatiæ parte, quam Polianam dicunt, venisse affirmat; rectius Chartuitius ex Polonia accessisse scribit. Ex ijs alter Andreas dictus, confessionis merito SANCTI EREMITÆ ANDREAS, ET BENEDICTVS.
C Angelicis choris est adiunctus, haud obscurè id declarantibus meritorum signis, quæ per eum Dominus effecit. Alter Benedictus nomine, pro Christo sanguine fuso, inter Martyres est numeratus. Eremitas Ordinis S. Pauli fuisse vetustus codex manuscriptus, quo vtor, de gestis Fratrum Eremitarum eiusdem Ordinis, testatur. Ex ijs vero narrat, *Alterum prius Zoërardum, postea Andream dictum, eius vero discipulum fuisse Benedictum; postquam is ex Polonia venißet circa annum Christi millesimum, & in Nitriensi territorio eremum coluisset, accessisse & Benedictum; & Magistri vitam per tres annos edoctum, tandem à latronibus iuxta fluuium Vaagh iugulatum, Martyrij tulisse palmam. Corpus in flu-* BENEDICTVS MARTYR.
D *uium proiectum, & per annum fere quæsitum, ac tandem inuentum, in sepulchro Magistri sui apud Basilicam B. Emerami fuisse conditum.* Hæc fere in eo codice, ex quibus liquet in primis Andream priùs fuisse vita functum, quàm Benedictus cæsus fuisset: deinde non primum in Pannonia fuisse Martyrem, Gerardum Episcopum Chianadiensem, vt inter alios asserit Petrus Thomas Saracenus. In Menologio Carmelitan.

Sed horum gesta non aliunde rectiùs petuntur, quàm ex B. Mauri, Quinqueecclesiensis Episcopi, monumentis, quæ extant apud Surium. Ea nos hic libenter inseremus, ne pium lectorem desiderare patiamur. Tom. 3. ad. 1. Mait.

Tempore illo, quo sub Christianissimi Stephani Regis nutu, nomen & religio Deitatis
E *in Pannonia rudis adhuc pullulabat, audita fama boni rectoris, multi ex terris alijs, Canonici, & Monachi, ad ipsum quasi ad patrem confluebant; non quidem alicuius causa necessitatis coacti, sed vt nouum sanctæ conuersationis gaudium, ex eorum conuentu adimpleretur. Inter quos quidam sancti Spiritus instinctu tactus, ex rusticitate quasi rosa ex spinis ortus, nomine Zoërardus, hanc in patriam de terra Polonorum aduenit: & à Philippo Abbate, cuius Monasterium Zobor nominatum in Nitriensi territorio ad honorem S. Hippolyti Martyris situm erat, habitu accepto, & Andreas nominatus, eremiticam vitam agere statuit. Ibi verò quanta contritione cordis, & corporis maceratione afflixerit sese, ex relatione discipuli eius B. Benedicti cum ipso conuersantis, qua audiui, paucis literis mandare decreui. Ego quidem Maurus Deo mise-* PHILIPPVS ABBAS.

MAVRVS QVINQVECCLESIENSIS EPISCOPVS. rante, nunc Episcopus, tunc autem puer Scholasticus, virum bonum vidi, sed qua esset eius conuersatio, non visu, sed auditu percepi. Ad nostrum ergo Monasterium in honorem beati Pontificis Martini consecratum, cum iam dictus Monachus Benedictus sæpe venisset, mihi hæc quæ sequuntur de vita eius venerabili narrauit. A

ANDREÆ EREMITÆ VITA AVSTERA. Postquam idem venerabilis Vir Andreas Eremi solitudinem petijt, magna quidem corporis defatigatione, spiritualis autem vitæ corroboratione ieiunium semper obseruauit. Tribus diebus ab omni re qua mandi potest, abstinuit, pro dilectione gratia ipsius, qui propter homines homo factus, quadraginta diebus ieiunauit. Cùm autem quadragesimale tempus adueniret, exemplo vitæ regularis, sub qua Zozimus Abbas degebat, vbi quadragintaquinque dactylis quisque Quadragesimam deduxit, ipse à Patre Philippo, à quo habitum religionis perceperat, quadraginta nuces accepit, & eo existens victu contentus, diem sanctæ Resurrectionis cum gaudio expectauit. Iisdem verò, & alijs diebus, licet esus ad corpus resocillandum, non solum non sufficeret, verùm etiam spiritum ipsum ad defectum duceret, ipse tamen, excepto tempore orationis; nunquam à labore cessauit: sed accepta securi, quendam laboraturus syluæ locum solitarium intrauit. Vbi cum præ nimio labore, & ieiunij districtione, corpore, & spiritu deficiente, quadam die præmortuus iaceret, quidam iuuenis pulcherimus aspectu, & visionis Angelicæ, aduenit, & impositum vehiculo ad cellam eius adduxit. At extasi, in qua erat, decedente, postquam ad se reuersus, quid erga ipsum misericordia Dei egisset agnouit, supradicto discipulo suo Benedicto, qui mihi hæc narrauit, id confessus est, constringens eum iuramento, ne ante diem obitus sui notum cuiquam faceret. B C

ADMIRANDA VITÆ AVSTERITAS. Post laborem autem diurnum, corpori nocturnam quietem talem adhibuit, quæ magis tormenti, & afflictionis, quàm requiei nomen mereatur. Planatum equidem truncum quercinum sepe circumdedit, & per ipsam sepem arundines acutas ex omni parte infixit. Ipse vero in trunco sedens tali sessorio visus est, artuum reiteratione; vt si forte corpus sopore grauatum, qualemcunque in partem se flecteret, arundinum acu sauciatum grauiter, euigilaret. Insuper & ex ligno coronam factam capiti suo circumponebat, ad quam in partibus quatuor totidem lapides suspendebat, vt si caput sopitum quocunque inclinaret, lapide percuteretur. O beati Viri merces, quam beata, & æterna vita, corona centies ornata; quæ in Cælo compensat, quod in terra grauiter emptum fuerat. O inauditum genus confessionis, quod preciosius facit Regnum promissionis. Non cibus, non requies auferre potuit dulcedine vana, vitam æternitatis, & nequam spiritum aditum inuenire nequiuit direptionis. D

Hæc quæ iam dicta sunt, discipulo eius Benedicto referente, cognoui, inquit Maurus: Et post nonnulla de nece Benedicti, & in eodem B. Andreæ sepulchro in Basilica Beati Emmerami conditi, (de quo nos infra in loco) hæc subdit de B. Andrea. Ad ann. 1012.

Iam quæ sequuntur Philippus Abbas mihi Abbati constituto narrare consueuit. E

OBITVS ANDREÆ EREMITÆ. Cùm igitur tempus resolutionis sui corporis immineret, indicans eis hoc qui aderant, ne ab vllo vestimentorum suorum exueretur operimento præcepit, donec Abbas Philippus, quem miserat accersitum, adueniret. Qui Pater adueniens, vbi corpus venerabile iam mortuum iacebat lauandum, catenam aream viscera iam attingentem inuenit. O mira res & inaudita! Catena carnes intus putrefaciens, cute foris est obducta. Sed nesciri hoc genus Martyrij posset, nisi ad vmbilicum ligati nodus appareret metalli. Soluta verò catena, dum ex corpore trahitur, sonus costarum elisarum grauiter auditur. Cuius catenæ partem mediam ab eodem Patre impetraui, & nunc vsque custoditam potitioni Ducis Christianissimi Geysæ, cum desiderio mihi pro ea instanti negare nequiui.

Sepulto

A *Sepulto quoque beati Viri corpore, quæ per reuelationem Abbatis Philippi cognoui, & cognitu digna esse videbantur, memoria notaui.*

Tempore quodam latrones, quorum collegia maxima ex parte solitudinem inhabitant, in sylua congressi sunt. Quibus confligentibus vnus ex eis multum sauciatus est. Conflictu dirempto, cùm hunc socij vulneratum nequaquam in sylua dimittere vellent, consilio inito ad cellam superius dicti Viri Andreæ, cuius fama iam ad omnes circumquaque diffundebatur, eum deferre statuerunt. Sed cùm adhuc locus longè abesset, latro in via defunctus est. Corpore verò eius ad cellam deportato, & in eadem posito, media iam nocte, cum ossa commendare vellent humo, subito spiritu recepto mortuus resurgere cœpit. Illis autem qui aderant valde perterritis, & præ pauore fugientibus, resuscitatus ille re-
B *uocabat eos dicens: Nolite fratres formidare, neque fugere: sanctus enim Zoërardus me à morte suscitauit ad vitam. Illis autem præ gaudio plorantibus, & vt discederet cum suis rogantibus, dixit, se nunquam ab ea cella discessurum, sed ibi in perpetuum Deo & sancto Zoërardo seruiturum. Fecit itaque quod promisit, & vsque ad obitum suum ibi permansit.* ANDREAS IAM DEFVNCTVS MORTVVM SVSCITAT.

Aliud quoque eius miraculum nequaquam reticere volui, quod eodem Philippo Abbate narrante cognoui. In Ciuitate Nitria quidam reus damnatus suspensus est. Qui post solutus Dei misericordia, ad Abbatem venit Philippum, & qualiter per merita beati viri Andreæ liberatus esset indicauit. Dixit enim, quòd cùm damnatus esset, sem-
C *per nomen ipsius implorasset; & cùm sublenaretur in patibulum, statim manibus suis beatus Vir Andreas eum sustentauerit; At illi, cùm eum omnes mortuum putantes, domum reuerterentur, ipse eum manu sua solutum abire permisit. O quanti meriti vir ante Deum, qui visibilis apparens homines soluit, cùm inuisibilis inter Angelorum choros locum possideat.* SVSPENSVM E PATIBVLO LIBERAT.

Hactenus de rebus gestis Andreæ & Benedicti: Maurus Quinqueecclesiensis, qui tempore Stephani Regis vixit, idem ipse est, cui Emericus puer Regius septem oscula, vt infra dicemus, ob puritatis meritum fixit, & eundem Stephanus de virtute periclitatū, & laudatum, ad Episcopatum Quinqueecclesiensem pro-
D mouit. Is porro cùm se dicat vidisse Andream, quo tempore puer Scholasticus esset, hoc est literis operam daret, deinde verò Monasticam in Monasterio beati Martini Montis Sancti professus sit, nec tam repente eo quo diximus modo dignitatem Episcopalem ascenderit, consequens est Andream tempore Geylæ patris diui Stephani in Hungariā venisse. Cū præterea ex Benedicto eiusdem discipulo, quæ hic de Andrea scripsit acceperit, quæ vero Benedicto contigerint pene oculis coram inspexerit; propius accedere ad veritatem censendus est, quàm cæteri, qui longe post confusè prædictam historiam tradiderunt. FIDES PRÆNARRATÆ HISTORIÆ.

Cæterùm, à quo constructa sit Basilica B. Emmerami, in qua vterque condi-
E tus est, Andreas nimirum, & Benedictus, non inuenio, neque id indigitat Catalogus Ecclesiarum Monasteriorum, quæ Regem Stephanum fundatorem agnoscunt. Illud quidem Monasterium Zobor nominatum, cui Philippus Abbas Ordinis S. Benedicti præfuit, & in quo ab eodem Zoërardus, siue Andreas habitum suscepit, satis constat fundatum, & dotatum à S. Rege Stephano in Nitriensi Diœcesi in honorem S. Hippolyti Martyris; & Monachis S. Benedicti, qui iam vndique magno numero confluxerant, datum ad habitandum. Imò suadentibus, & vrgentibus Monachis S. Martini, vltro, sicut non pauca alia, maxime pium Regem condidisse, & munificentissimè ornasse, dubium non est. Quan-

quam

quam deinde temporum euentu, quod suo loco dicetur, desideratis Monachis, Episcopatui Nitriensi cessit. A

B. EMMERAMI BASILICAM QVIS CONDIDIT.

Vide Chronicon premissum ad an. 750.

Verisimile, si quid vnquam, est, B. Emmerami illustris apud Boios Martyris, & Episcopi Ratisponensis Basilicam, à Gysela Regina Coniuge Diui Stephani fundatam esse. Fecerit id pia Regina deuotione iu suum gentilem eximia, cuius memoriam, & Hungaris celebrem optauit, vel hoc nomine, quòd is olim, hoc est tria circiter ante secula, Hunnos in Pannonia tum adhuc gentem barbaram, & militarem, ad Christi Sacra magno labore conatus est adducere, vt de nouellis Christianorum in Hungaria vineis bene meritus videri possit. Nec dubium Henrici quoque sancti Imperatoris votum valuisse in ea memoria, tanto viro cum religione concilianda. Et fortasse non nemo ad tempora Geysæ Christum meditantis, & prima post Carolum Magnum templa sanctitati molientis, reuocare hanc quoque Basilicam queat, sed quæ nobis verisimiliora videntur, innuimus. Cuius autem cleri ea fuerit Basilica, similem coniecturam habet: Benedictinos fuisse Monachos si dixerimus, vix errabimus. B

IESVS CHRISTI ANNVS 1010.	SERGII PAPÆ IV. ANNVS 2.	BASILII, ET CONST. 35. HENRICI REGIS 9. STEPHANI REGIS 11.

Indict. 8. C

VVlgata per Orbem Christianum fama restitui à Maria fœmina magnæ religionis, Templi Hierosolymitani, quod filius Ammiratus Princeps Babylonis destruxerat, extemplo se erexit mærens Christianorum pietas, & gratijs Deo actis, ex vniuerso terrarum Orbe incredibilis fidelium multitudo rursum excita, *exultanter*, vt inquit Glaber, *Hierosolymam pergentes, Domui Dei restaurandæ plurima detulerunt munera.* D

STEPHANVS HIEROSOLYMIS COENOBIVM FVNDAT.

In his nón postremus Stephanus, non solum munera sacro Templo regia misit, verùm augendæ fidelium religioni studens, quod superiori anno deliberauerat effectui mandauit. Itaque spectabile Monachorum Cœnobium, addita Ecclesia, magnifico sumptu, illic fundauit, qui ad venerandum Saluatoris nostri Monumentum, Sacra quotidie pro publica salute facerent; idque prædijs in Hungaria, vnde prouentus submitterentur, abundè donauit. Ecclesia Georgio Magno Martyri sacra est, siue vt euersam à Saracenis, eiusdem Martyris in Ramulo memoriam renouaret; siue vt eandem Ecclesiam pristino splendori restitueret. Additæ præterea domus, & hospitia peregrinis Hungaricæ nationis, quorum cura penes dictos Monachos erat; qui Carmelitani an Basiliani fuerint, in medio est: de alterutris quidam verosimiliter affirmant. Lego etiam, non ex Hungaria prouentus illis submissos, sed in ea ipsa Hierosolymorum ditione coemptis prædijs & vineis, vnde quotidiani victus copia suppeteret, procuratos: quod mihi quidem in illa rerum vicissitudine, difficile creditu est. Sed felix demùm pietas, si ea diutius in eodem statu frui licuisset. Quomodo autem tanto bono rursum exciderint, in loco narrabimus. E

ITEM HOSPITIA PEREGRINIS HVNGARIS.

Manuscript.

Ad hunc annum reuocat Sigebertus Hungarorum ab Idololatria conuersionem

A sionem per Gyselam sororem Henrici Imperatoris, *qua*, inquit, *nupta Hungarorum Regi, ad hoc sua instantia Regem adduxit, vt se & totam Hungarorum gentem baptizare expeteret: qui in baptismo Stephanus est vocatus*. Similia quantum ad hoc posterius, habent Cranzius, & Cuspinianus. Verùm quàm longe circa tempus aberrat Sigebertus, tam vane cum eodem circa modum conuersionis reliqui hallucinantur, vt ex hactenus dictis, præsertim ad annum nongentesimum octuagesimum quintum, vbi ex Christianis parentibus diuinitus promissum, & Stephani vocabulo appellandum, genitum esse ostendimus, clarum euadit. *Lib. 4. Metrop. cap. 3.* *In Henrico.*

B Certè Henricus Regum sanctissimus, sororem suam Pagano Regi nunquam locasset, vel præmisso de Fide capessenda sacramento, nisi iam conuersæ gentis, à pietate Geysæ, religionem perspectam habuisset, & Stephani diuinitus nati, educati, ac tandem Corona sacra donati, indolem & sanctos mores probe cognouisset; neque enim latere poterat Henricum, quod toto iam Orbe terrarum fama admirabunda vulgarat. Ecquæ alia ratio potentissimo Regi hanc suasisset affinitatem, nisi commendatæ sanctitatis in nouo Rege Christiano suffragatum fuisset argumentum? Quin potius nouissimum detestandi fœderis exemplum hoc ipso tempore in Hispanijs editum prorsus deterruisset, quo Princeps Sara-

C cenorum Toletanus Habdalla, Theresiam Christianam Virginem Adelphonsi Legionis Regis sororem, inuitam in nuptias adsciuit; eò magis execrandas, quòd promissa religione Christiana, sed pactis temeratis, in vtroque turpiter illusit.

Hoc eodem anno Romæ magno prodigio in vna Ecclesiarum oleum scaturijt, ex quo vas impletum missum est ad Henricum Regem. Rem gestam his verbis describit Diethmarus. *In arce Romulea, quæ omnium caput est Vrbium, ob diuersarum qualitatem causarum, in vna Ecclesia, & in dextra parte Altaris, ab vno pauimenti foramine per integrum diem, multis hoc cernentibus atque stupentibus, oleum* *Lib. 7.*

D *emanauit. Huius partem Ioannes Crescentij filius in ampulla quadam Henrico Seniori suo, & tunc Regi nostro transmisit*. Hæc Diethmarus, qui per oleum partim clementiam abundantem Henrici, partim adulationem Crescentij, quiquè hostis occultus esset Pontificis, & Regis, interpretatur.

IESV CHRISTI ANNVS	SERGII PAPAE IV. ANNVS	BASIL. ET CONST. IMPP. 36. HENRICI REGIS 10. STEPHANI REGIS 12.
1011.	3.	

Indict. 9.

E

EMericus iam quadriennis, pia parentum cura ab optimis moderatoribus institutus, quò sanctitatis euasurus erat, ostendit. Nihil in eo puerile apparebat: longe à iocis, & ludicris, totus in grauitatem morum compositus; seria amabat, ac præcipue diuinis auscultans, concionibus, & sermonibus ecclesiasticis libenter aderat, & pro captu de auditis interrogabat, de cælesti gloria, de Inferno, de peccatis; à quibus diuino quodam instinctu ita abhorrebat, vt ne nomen quidem audire, sine odio sustineret. Doctus Orationem Dominicam, *EMERICI INDOLES, ET EDVCATIO.*

Salu-

Salutationem Angelicam, & Symbolum Apostolicum, de singulis dictis, & articulis ita curiosè pro captu inquirebat, vt nec cibum, nec somnum caperet priùs, nisi esset, qui ad interrogata, quæ ipsi incidissent, respondisset. Ex omnibus autem ita proficiebat in dies; vt nihil vnquam visus sit ab ore dicentis excipere perfunctorie, & quod non profunde in animum demisisset. Illud iucundum erat visu, quòd adhuc tenellus puellus, & peccati expers, nunquam tamen aut cubitum ibat, aut è lectulo consurgebat, quin peccatorum veniam flexis genibus à Deo imploraret, atque vt id etiam ephœbi sui facerent, crebro moneret. Ex quibus illos præcipuo amore instar fratrum videbatur amare, qui nugis procul, modestiores essent, ac in deuotionem propensiores. Hæc & id genus sanctæ pueritiæ argumenta vniuerso Regno singularem voluptatem pariebant, sed præterea optimis parentibus ingentem sanctissimi Regis futuri spem, si ita Deo visum fuisset, faciebant.

SANCTA EMERICI PVERITIA

Interim verò, & ipse Rex Stephanus maioribus in dies incrementis pietati studens, misericordiam in primis adamare, quòd Christi Domini ore prolatum alte imbibisset: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Et iterum: *Date, & dabitur vobis*. Tanta igitur pietate pauperes Christi, & Christum in pauperibus complectebatur, nullum vt vnquam hospitem, & peregrinum absque solatio discedere pateretur; & ad recreandos egenos quotidianas expensas larga manu, continuoque fieri iuberet. Quin etiam nocturnis horis multa alacritate abluebat fidelium pedes, & in sinu pauperum eleemosynas abscondebat. Et accidit aliquando, vt nemine conscio, de noctu surgens, crumenam nummis plenam deferret pauperibus erogandam: hi cùm ad accipiendum auidiùs inhiarent, forte beati Viri barbam euulserunt. Nihil ea re commotus Stephanus, quin potius ingenti gaudio perfusus, ad Deiparam Virginem se conuertit, & humi prostratus, gratiasque agens, *En*, inquit, *Regina cælestis Domina mea, quem tu Regem constituisti, sic honorarunt Milites tui: quam iniuriam si hostes intulissent, tuo fretus auxilio inultam haud finerem; nunc quia hinc confido parari mihi gloriam, lætor, verborum Filij tui memor, Capillus de capite vestro non peribit*. Quibus dictis tantam spiritu hausit voluptatem, nunquam vt poscentibus opem negaturum se, voto conciperet.

Matth. 5. Luca 6. STEPHANI ERGA PAVPERES PIETAS, ET LIBERALITAS. Luca 21.

Non dispari pietate Henricus Rex cognatus in Germania satagebat. Hoc anno quippe ad dedicationem Ecclesiæ Bambergensis à se magnifice cōstructæ, conuocauit plusquam triginta Episcopos; inter quos Ioannes Patriarcha Aquileiensis Sacra obiuit. Mox eodem cœtu coacto, præsente Rege, sedatæ particulares Episcoporum controuersiæ, nec pauca ad mores formandos, & Ecclesias regendas constituta.

ECCLESIÆ BAMBERGENSIS DEDICATIO. Diethmar. lib. 6.

Contra, in Oriente res aduerso quodam omine successerunt, quo Regia Vrbs Constantinopolis horribili terræmotu à mense Ianuario vsque ad Martium crebro concussa fuit; sed die noua præsertim, circiter decimam diei horam, maiori horrore sæuijt, quo etiam sphæræ Templorum Sanctorum Quadraginta, & Omnium Sanctorum dirutæ sunt. Hæc futuram mox in Italia seditionem significasse tradit Curopalata; quando scilicet Meles, siue, vt Leo Ostiensis vocat, Melus Princeps Bari, aduersus Græcos rebellans, primum Longobardos, mox Nortmannos in auxilium exciuit: qui deinde Apulia potiti, diu pulsis Græcis dominati sunt, ac tandem Siciliam quoque obtinuerunt.

CONSTANTINOPOLIS TERRÆMOTV QVASSATA. Leo lib. 2. c. 38. 40. 41. MELES PRINCEPS BARI NORTMANNOS EVOCAT

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS 1013.	BENEDICTI PAP. VIII. ANNVS 1.	BASILII, ET CONST. IMPP. 37. HENRICI REGIS 11. STEPHANI REGIS 13.	Indict. 10.

SERGII PAPÆ OBITVS. SVCCEDIT BENEDICTVS OCTAVVS.

Sergius Papa, postquam Ecclesiæ præfuisset annos duos, menses octo, dies
B tredecim, mense Maij ex humanis excessit. Successit Benedictus Portuensis Episcopus, aduersus quem Gregorius quidam, Romanorum potentia ingressus, Benedictum expulit, & ipse contra Canones Pontificatum occupauit. Benedictus ad Henricum Regem, qui tunc erat in Saxonia, se contulit, *cum omni paratu Apostolico*, vt loquitur Diethmarus, *expulsionem suam omnibus lamentando innotescens. Huius Crucem Rex in suam suscepit custodiam, & à cæteris abstinere præcepit, promittens sibi, cùm ipse illuc veniret, hæc secundum morem Romanum diligenter finire.* Hæc Diethmarus. Lib. 6.

Porro dum apud Hungaros, & qui his ab Oriente confines sunt, continua fit
C accessio ad Christum; in Germania res religionis turbantur, Slauorum gente in Saxonia Christo rebellante, & ad Paganismum declinante, postquam septuaginta, & amplius annis trium Othonum tempore Christum coluissent. Adeò verò impiè sunt grassati in omnes Ecclesias, vt nulla superesset non æquata solo, aut flammis non exusta, nec vllum Christianitatis vestigium appareret; ita Clerum nullo crudelitatis genere prætermisso, Sacerdotes in primis exquisitis supplicijs neci tradidere. Refert Adamus antiquus Chronographus, narratum sibi à quodam Rege Danorum, *Sexaginta Presbyteros, cæteris more pecudum obtruncatis, ad ludibrium seruatos fuisse: quorum maior loci Præpositus Oddor eidem Regi*
D *sanguine iunctus erat. Et hic quidem cum cæteris huiusmodi Martyrio consummatus est, vt cute capitis in modum Crucis incisa, ferro cerebrum singulis aperiretur; deinde ligatis post tergum manibus per singulas Slauorum Ciuitates raptati, verberibus alijsque modis vexarentur donec deficerent.* Addidisse vero Regem eundē, tot haberi in Dania, seu Slauonia Martyres, *vt vix iusto libro comprehendi queant.* Hæc fere iste.

SAXONES REBELLANT, ET A FIDE DEFICIVNT. Lib. 2. cap. 32. MARTYRVM MVLTITVDO IN DANIA.

Rex Henricus iniquè tulit tantam impietatem, suo tempore vlturus, si Deo placuisset; interim occulta super homines Dei iudicia admiratus, animo retractabat, quomodo qui priùs credidissent, tantamque de se spem Orbi Christiano fecissent, tam inopine ad Paganismum relapsi fuissent; Hungaris interim tam
E læto successu, tantoque religionis incremento sub sancto Rege in Ecclesia florentibus, de quibus tamen paucis ante annis, vix aliquid boni sibi promittere Christianitas ausa fuisset. Verùm interea non cogitabat, nec cogitare noluerat, quæ & istis vicissitudo, sublato Rege Stephano, obuentura erat.

Hoc eodem anno S. Colomannus natione Scotus, Macolmi Scotorum Regis ex Margarita filius, primum Edeltredus, sed postea ab euentu Colomannus dictus, illustre in Austria Martyrium fecit, vnà cum quodam Gothalmo fortunarum suarum socio. Is post patris obitum, maximis in Regno discessionibus, & bellis, inter Donaldum Macolmi fratrem, & eiusdem nothum Duncanum exortis, Regno pulsus est. Qua sorte vsus ad sanctitatem, neglectis omnibus humanæ

S. COLOMANNVS MARTYRIO CORONATVR.

vitæ

vitæ commodis, exilium in peregrinationem vertit, Hierosolymam religionis A
causa petiturus. Vbi per Rhætiam, & Noricũ delatus, cùm secundo Danubio in Austriã peruenisset, linguæ ignarus, Scotorũ, seu Scokerouij oppido, sex milliaribus supra Viennam, à quibusdam sceleratis, & Paganismo deditis comprehensus, varijsque, & exquisitissimis, tanquam si explorator esset, tormentis subiectus, cùm nunquam sibi extorqueri passus fuisset, vt ulli crimini se affinem fateretur, hoc magis impiorum furorem accendit; qui proinde capitali in innocentem sententia prolata, eum de robore suspensum neci tradiderunt.

S. COLOMANNVS MIRACVLIS CLARVS POST MORTEM.

Post mortem pluribus miraculis sancti Viri innocentiam Deus testatam voluit, vt idcirco in Martyrum numero haberetur, & coleretur. *Nam & corpus* B *postquam per sesqui annum pependisset, nulla tabe corruptum apparuit, & caro incisa sanguinem fudit*, Diethmaro teste; *& vngues capillique crescebant: denique ipsa arbor, ex qua pendebat, floruit, & Christi Martyrem esse monstrauit.* (Lib. 5. an. 1017.) Quæ omnia Henricus Marchio, vt comperijt corpus, Melicum (celebre ab antiquo Ordinis Benedicti in Austria Monasterium,) translatum honorifico sepulchro condidit: illæsum humi iuxta atque in sublimi permansit, aliaque haud parua sanctitatis signa prodidit, quæ Viri Deo gratissimi gloriam illustrarunt. Meminit eius tanquam Martyris Martyrologium Romanum ad decimumtertium Octobris. Alij tamen, inter quos Ioannes Cuspinianus, tradunt Colomannum, postquam C
annum cum dimidio illæsus pependisset, terræ traditum, pari temporis spatio non fuisse tabefactum, atque hoc propter exhumari iussum à Meginardo Halberstadensi Episcopo, summa veneratione fuisse Melicum delatum. *Vbi adhuc hodie in templo Melicensi cernitur*, inquit, *splendido & eleganti sepulchro sepultus Martyr ille, qui à vicinis incolis pie, ac religiose quotannis aditur sex supra Viennam milliaribus, & solita veneratione pro auxilio imploratur.* Nempe postquam ex Hungaria fuit eòdem reportatum, non multis quippe annis à quo Melici sepulturæ traditum fuit, sacrum pignus tempore Petri Regis in Hungariam delatum, hìc aliquot annis insigni cultu asseruatum est; deinde vero satagentibus D
quorum intererat, pristino rursum loco restitutum. Id quo consilio factum sit, in tempore dicemus.

Occasionem Martyrij nonnulli scribunt eam fuisse, quòd cùm inter Bohemos, & Pannones bellis omnia arderent, obseruatum sæpius vltro citroque meantem, isti ceu exploratorem interceperint: ex quo cùm tormentis extorquere nihil possent, innocentiam obstinationem rati, hoc magis crescente suspicione, exquisitis supplicijs è medio sustulerint. Alij verisimilius existimant, deprehendisse eum inter Pannones, hoc est Austriacos, qui Pannoniæ superioris censebantur, quosdam adhuc Paganismo affectos, Christiana sacra temerare: E
quos cum redarguisset, magis irritauit, vt tandem, constantius, & feruentius Christum ingerentem tenuerint; varijsque suppliciorum generibus, de quibus scribit Ioannes Stabius, exercitum, cùm nihil remitteret, crudeliter mactatum suspenderint. (In hymno de S. Colomanno.) Id verosimilius esse suadet, quod vt idem ait, *inter Austrios, multoque minus inter Pannones, Hungaros, Bohemos, & Polones, nondum adhuc intercesserit recens bellum, sanctitate, & cognatione Regum Henrici, & Stephani, pace omnia moderante, dum alteruter in humanis esset.* Ita iste

Constat tamen, Ducem Poloniæ Boleslaum, quaqua tandem de causa, præter alios, electioni eius inuidentes infestiorem fuisse Henrico; vt idcirco hic cum

sæpius

A sæpius Romam ire cogitaret, atque adeo itineri iam se accinxisset; propter illum, in regiones finitimas sibi subiectas incursanté cogeretur, à cœpto desistere, atque in Germaniam redire: vt mirum non videatur, si forte in horum, & auxiliariorum manus Colomannus inciderit. Sed nihilominus Leopoldus Austrij limitis Præses, quem Sextum numerant, in suo de Austriæ Dynastis chronico, tradit Colomannum pro exploratore habitum, *quòd tunc temporis*, inquit, *nostri Principes guerras habebant continuas cum extraneis gentibus, & terminis suis*. Hæc ille: Ex quibus non tam bellum fuisse inter Reges, quàm duntaxat tumultuarias secessiones, & motus, inter Marchiones Austriæ, & regulos, qui con-
B fines erant, satis elucescit.

Hoc etiam Anno Benedictus Eremita, de quo superius dictum est, Zoërardi, qui & Andreas dictus, Eremitæ discipulus, triennio post obitum Magistri, & Patris sui, à latronibus iugulatus in flumen Vvagh demergitur, & inter Martyres asseritur. Quo pacto id acciderit, narrat B. Maurus Quinqueecclesiensis, in historia, cuius supra meminimus, cùm eandem ex manuscripto vetusto paucis perstringeremus; fusius aliquantulum Maurus. *Decreuerat*, inquit, *hic patre suo defuncto, locum eundem inhabitare: cùmque per tres annos exemplo Magistri, districte vitam ageret, latrones superuenientes, & multam apud ipsum pecuniam esse*
C *sperantes, ductum ad ripam fluminis Vvagh iugularunt, & in ipsam aquam demerserunt. Diu verò corpore eius quæsito, & non inuento per integrum annum, visa est aquila in ripa fluminis Vvagh, quasi quædam obseruatura sedere: per quam de corpore certi effecti, quendam in aquas immergi fecerunt, & sic integrum, quasi nuper obijsset, inuenerunt. Conditus est autem Benedictus in Basilica B. Emmerami Martyris, in eodem sepulchro, in quo asseruabantur ossa B. Andreæ eius sancti Patris*. Hæc Maurus.

BENEDICTVS EREMITA MARTYR.

Ad an. 1009.

VVAGH FLVVIVS.

CORPVS BENEDICTI AQVILA OBSERVANTE INVENTVM.

D

IESV CHRISTI ANNVS	BENEDICTI PAP. VIII. ANNVS	BASIL. ET CONST. IMPP. 38.
1013.	2.	HENRICI REGIS 12.
		STEPHANI REGIS 14.

Indict. 11.

EMericus sexennis, iam prima literarum elementa doctus, nihil antiquius habebat, quàm vt pios libros, sed præsertim Dauidicos psalmos lectitaret, & pro captu, diuinique Spiritus suaui ductu, quæ accepisset, in vsum, & exercitiũ quotidianum deduceret. Hinc in illa adhuc ætate à somno sibi temperare, cito
E se lecto expedire, & antelucanis horis, piæ lectioni inuigilare assueuerat; quem morem quoad vixit ita tenuit, vt semper somni parcior, à secunda fere vigilia noctis meditando, & legendo vacaret; id præsertim in Dauidicis psalmis; vt per singulos repetito mentis examine, supplex à Deo veniam imploraret, & crebro tenellum corpus flagellis affligeret. Quod sæpe rimatus pater, animo compunctus, inter ingentem de filio spem conceptam, mixtis gaudio lacrymis Deo gratias egit, & pro salute filij supplices cum matre preces fudit.

EMRICI PVERI STVDIA.

Hoc tandem anno Rex Henricus, frustra obnitente Boleslao Poloniæ Duce, & Harduigo in Italia falso Rege Longobardorum, qui Boleslai

HENRICVS REX ROMAM VENIT.

partes fouebat, vltro gratiam Henrici, quòd potentissimo Regi resistere non posset, demerente, Romam cum exercitu venit, Benedictum Papam, quem antea præmiserat, Sedi restituturus, & ab eodem inuitante Coronam Imperij accepturus. Cessere illico omnes Principes Gregorij intrusi fautores; cessit & ipse; ac tandem Benedictus consensu omnium admissus, compositis vrbanis rebus de Coronatione Regis deliberauit. Quæ vt magis rite, & ordine succederet, vtriusque consensus Decretum vtile ad pacem seruandam, & honestum, præcessisse tradit Glaber, nimirum, *Vt ne quisquam audacter Imperij Romani sceptrum præproperus gestare Princeps appetat, seu Imperator dici, aut esse valeat, nisi quem Papa Sedis Romanæ morum probitate delegerit aptum Reipublicæ, eique commiserit Insigne Imperiale.* Hæc Sanctio: cuius rationem reddit idem Glaber, *quòd olim tyranni sese procaciter impellentes, sæpissimè sunt Imperatores creati, atque eo minus apti Reipublicæ, quo constat eos tyrannide potius quàm pietatis authoritate processisse.*

Lib. 1. in fine. IMPERATOR, NON NISI CORONATVS A ROM. PONT. DICITVR.

Addit præterea de Insigni Imperiali, *Hoc diuersis speciebus prius figuratum fuisse: venerabili tamen Papæ Benedicto Sedis Apostolicæ, visum est admodum intellectuali specie. Qui idem Insigne præcepit fabricari quasi aureum pomum, atque circundari per quadrum preciosissimis quibuscunque gemmis, ac desuper auream Crucem inseri. Erat autem instar speciei huius mundanæ molis, quæ videlicet in quadam rotunditate circumsistere perhibetur. Vt dum si quidem illud respiceret Princeps terreni Imperij, foret ei documentum non aliter debere imperare, vel militare in mundo, quàm vt dignus haberetur viuificæ Crucis tueri vexillo. In ipso etiam diuersarum gemmarum decoramine, videlicet, Imperij culmen plurimarum virtutum speciebus exornari oportere.* Hæc Glaber.

Adhuc verò vlterius addit, Benedictum Henrico Romam venienti, maxima sacrorum ordinum, & aliorum multitudine obuiam ex more processisse, eidemque huiusmodi Insigne Imperij, in conspectu totius Romanæ plebis tradidisse. Quod cùm Henricus hilariter susceptum, curiosè inspexisset, *Optime*, inquit, *Pater, istud facere decreuisti, nostra portendendo regimen Monarchiæ, qualiter moderari debueras, cautius perdocuisti.* Deinde manu gerens aureum pomum, *Nullis*, inquit, *melius hoc præsens donum possidere, ac cernere congruit, quàm illis, qui pompis mundi calcatis Crucem expeditius sequuntur Saluatoris:* misitque illud protinus ad Cluniacense Monasterium Galliarum, quod tunc temporis religiosissimè florebat, & Principum donis super regias Basilicas splendebat. Qua in re miremur oportet, & laudemus modestiam sancti Imperatoris, qui eo dono indignum se existimans, speciosum Monarchæ titulum sibi debitum non agnouit: Præclaro exemplo, si Principes intelligant Monarchiæ vocabulum, cum volubili Globo, qui mundi est Insigne, nunquam constanter vsurpari.

Cæterùm, quod Henricus modestiæ gratia renuit, Conradus eiusdem postea successor ad Imperij maiestatem significandam resumpsit, posterisque gerendum Insigne transmisit. Vnde factum, vt Scriptores eius vsum Conrado huic, tanquam primo inuentori tribuant, haud memores Benedictum Pontificem, Henrico prius contulisse, non aliter ac non multis annis ante Syluester, Crucem Apostolicam Stephano Regi concesserat. Et dignum profectò fuit, nobile par Sanctissimorum Principum, qui tum supra omnes, Orbi Christiano illuxerant, eiuscemodi donis exornare.

Subijcio

A Subijcio hoc loco, non vt fidem conciliem, sed vt lectoris animum oblectem, in vetusta de Tribus Magis Euangelius, primis Christi ex Gentilitate adoratoribus historia, haberi, Melchiorem Christo infanti, inter alia munera pomum etiam aureum, quod pugno concludi poterat, obtulisse. Id vero fuisse quondam Alexandri Magni, domitoris Orbis, conflatum ex minimis auri particulis, quod ex tributis omnium Orbis Prouinciarum obueniebat. Quod cùm manu gestare solitus esset; quasi Mundum vniuersum potentia, & manu contineret significasse. Cæterùm, vt primum Christo infanti oblatum fuit, narrat author Legendæ, illico in puluerem redactum euanuisse. Nimirum argumento lapidis illius sine manibus abscissi: vel certe Regnorum omnium Imperio Christi subdendorum. Hæc ibi. Cap. 2. & 13. Daniel. 2.

B

Slauorum Ecclesia, quæ nuper ad Paganismum defecerat, hoc rursum anno Vnuani Archiepiscopi Hamburgensis prudentia, & dexteritate, resipuit, & Lucis destructis, Ecclesias ædificauit. Fecit id Vnuanus collectum Ecclesiæ thesaurum erogando; vt & literis mansuetis, & hilaritate munerum ferocissimos illos Aquilonis Principes, ad omnia quæ vellet beneuolos, & obsequentes haberet. Sic nimirum carnalia seminans, messuit spiritualia. Quod genus conuersionis, an posteriora secula experta sint, historiæ docent. SLAVI A PAGANISMO RESIPIVNT. 1. Cor. 9.

C

IESV CHRISTI ANNVS 1014.	BENEDICTI PAP. VIII. ANNVS 3.	HENRICI IMP. 1. BASILII, ET CONST. 39. STEPHANI REGIS 15.

Indict. 12.

D HEnricus hactenus per duodecim annos Rex Romanorum, & cognatus Regis Stephani, hoc anno vnà cum coniuge Cunigunda, Romæ coronatur, & Imperiale nomē suscipit festa ceremonia, & à Romano Pōtifice, Benedicto Octauo, inauguratus, AVGVSTVS acclamatur. Accidit id mense Februarij, die vigesimoquarto, in festo S. Matthiæ, die Dominica, cum antea, nimirū anno millesimo Moguntiæ, die sexta Iunij, Rex Romanorum dictus, & coronatus fuisset. HENRICVS ROMÆ CVM CVNIGVNDA CORONATVR, AVGVSTVS ACCLAMATVR.

Describit eam coronationem Diethmarus. *Decursis à Dominica Incarnatione post millenarij plenitudinem numeri, annis tredecim, & in subsequenti anno, secundo mense, ac hebdomada tertia, Regni eius decimotertio, & die Dominica, ac sexto Kal. Martij: Henricus Dei gratia Rex Inclytus à Senatoribus duodecim vallatus, quorum sex rasi barba, alij prolixa mystice incedebant, cum baculis, cum dilecta sui met coniuge Chunegunde ad Ecclesiam S. Petri, Papa inspectante venit. Et antequam introduceretur, ab eodem interrogatus, si fidelis vellet Romanæ Patronus esse, & defensor Ecclesiæ, sibi autem suisque successoribus per omnia fidelis; deuota professione respondit. Et tunc ab eodem inunctionem, & Coronam cum consortali sua suscepit: priorem autem Coronam super Altare Principis Apostolorum suspendi præcepit.* Hæc Diethmarus. Lib. 7. in princ.

E

Ex quibus colligimus, quod licet Henricus superiori anno Romam aduenerit, Coronationem tamen in hunc sequentem annum fuisse dilatam. Duodecim porro illi Senatores partim barba rasi, partim ea prolixa incedentes, in duo- DVODECIM SENATORES PARTIM RASI PARTIM BARBATI.

 dena-

denario quidem numero Apostolos, & in eorum doctrina fundatam significant Ecclesiam; reliquus habitus oris, Italæ cum Germana gente consensionem, & velut Regni cum Regno coaliti iura vnius Ecclesiæ, & Imperij symbolo exhibebant. Quod ad duplicem Coronam spectat: Eam oportuit esse, quæ Henrico Germaniæ Regnum capturo imposita erat; quippe Imperij Coronam à Romano Pontifice susceptam Pontifex ipse, ex more fieri curabat: quo fit, vt diuersorum Imperatorum, atque Regum Coronæ penes diuersa Regna manserint, nec qui alijs succedebant, eadem necessario Corona redimirentur. Hungarorum duntaxat, si recte meminimus, est lex vnica: Nemo vt Rex legitimus habeatur, nisi qui prima illa Corona, quæ Stephani Primi Regis caput cinxit, nempe Angeli monitu à Syluestro Papa missa, coronatus. Ea de causa *Sacram* vocant, & incredibili studio, loco & custodibus deputatis conseruant, non aliter quam si salus, & religio Hungariæ ex ea dependeret.

SACRA HUNGARIÆ CORONA.

Hinc factum, vt non semel pro ea à Principibus externis aliò portata, vel ingentem vim auri numerarent, vel acerrimis bellis depugnarent, quoad reciperent. Vbi vero de loco in locum eam deferri opus fuit, dici vix potest, quam ornato Nobilium comitatu, instructaque militum manu, ac plane iusto exercitu deduceretur; non alia sane pompa & ordine, quàm si Regem coronatum comitarent. Atque vtinam eam ab initio diligentiam adhibuissent, in custodienda etiam Cruce illa gemina, Apostolatus Insigni, quam Romanus Pontifex vnà cum Corona transmisit; opinione omnium res Hungarorum meliori loco starent. Scilicet ea amissa, siue temporum iniuria, siue hominum incuria, (quando enim, & quo modo perierit, incertum est) præsagium vniuersis incessit, futurarum calamitatum, quibus Hungaria ab aliquot seculis conflictata est. In Corona, tot bellorum etiam intestinorum fluctibus, siue seruata, siue recuperata, reliquum spei manet: si tamen quot gemmis, & gemmeis pinnis, ipsa coruscat, Hungaria, quoque rursum Deo fauente, tot Regnis, quorum eæ gemmæ signa sunt, potiatur. Huius porro descriptionem Coronæ alibi dabimus, discernentes ornamenta, quæ illi postea accesserunt: neque enim quo primùm tempore Stephanus eam à Romano Pontifice suscepit, tot Regnis imperauit, quot postea varijs occasionibus accesserunt, vt eorum Insignia eidem inderentur; nisi forte diuinando id fecisse, nos quoque diuinemus. Aut ergo simpliciorem eam oportuit esse Coronam, aut gemmas illas nouem, tanti precij, ornamento duntaxat, non Regnorum munere seruijsse initio, dicemus: quamuis deinde totidem Regnis acquisitis, eundem numerum, pro re nata ad mysterium à posteris fuisse tractum, adhibitaque eorundem Regnorum Insignia præclarè allusisse, verosimiliter dici queat. Sed de his hactenus.

CRUX STEPHANO REGI MISSA, DEPERDITA.

Addimus duntaxat, Henricum Imperatorem, posteriorem quoque Coronam à Pontifice susceptam, Odiloni Abbati Cluniacensi dono misisse. Quam is, Damiano teste, quo tempore fames grassabatur, alendis pauperibus, vnà cum alijs ornamentis impendit. *O quot Coronas Henrico in Cælis hæc vna parauit, quæ tot in terris pauperes ab interitu liberauit.* Manebat tum Odilo Romæ in Monte Auentino in Monasterio Sanctorum Bonifacij, & Alexij, ex quo, vt alibi diximus, emersere tanquam ex equo Troiano quamplures Ecclesiæ Heroes, ijdemque tum in alijs Regnis, tum maxime in Hungaria propagando Christi Euangelio præclare nauantes, vt interdum sanguine quoque suo iter in Cælum signarent.

In vita Odilonis Abbatis.

Hoc

A Hoc eodem anno contigit, quod Berno Augiensis narrat, *se præsente Henricum Imperatorem quæsiuiße ex Presbyteris Romanis, cur ipsi post Euangelium* (vt in alijs Ecclesijs moris erat) *Symbolum non canerent: Ipsos vero respondisse, Romanam Ecclesiam non fuisse aliquando vlla hæreseos fæce infectam, sed secundum Sancti Petri doctrinam, in soliditate Catholicæ Fidei permanere inconcussam, & ideo magis necessarium esse, ijs illud Symbolum sæpius decantando frequentare, qui aliquando potuerunt maculari. Interim vero Imperator persuasit Benedicto Pontifici, vt ad publicam Missam illud Romæ quoque decantaretur; tum propter exemplum, tum propter vniformitatem, tum propter auctoritatem primariam cōdemnandi hæreses alibi exortas,* Lib. de Rebus ad Missam spectantibus.
B *vel exorituras.* Hæc Berno. *Placent ista,* (subdit hoc loco Baronius,) *sed nobis multo gratius, si venerandæ antiquitati annorum mille magis delatum fuisset, quam nouitati.* Tom. 11. Verùm nemo negauit multa Ecclesiam Romanam in ritibus aliarum Ecclesiarum probasse, & in suum quoque vsum transcripsisse. Sed neque dici potest à mille annis neglectum Romæ Symboli in Sacro vsum, si cogitemus quæ aliquot ante seculis acta sunt, cùm primum controuerti cœpit, qua occasione, & quo tempore Latini addiderint particulam *Filioque*, à Nicæno Concilio non expressam. Vt hoc propter intermissum fuisse potiùs dixerimus recitandi, aut cantandi Symboli ritum, & Henrico faciente reuocatum, quàm in arce Fidei hoc tem-
C pore primum, & nunquam antea solitum vsurpari.

Ad coronidem huius anni iuuat meminisse pietatis Henrici, qua primordia sui Imperij, digna oblatione Domino consecrauit, dum patrimonia Romanæ Ecclesiæ, à Pipino primùm Rege, deinde à Carolo Magno, & secundùm hunc ab Othonibus præcessoribus suis, optimis Imperatoribus quondam collata, rursum Benedicto Pontifici gratitudinis ergo, & pietatis in Principem Apostolorum confirmauit: *& sub iure, Principatu, ac ditione B. Petri Apostoli, ac Pontificum in sacratissima illius Sede residentium, in fine seculi, manere iussit eatenus, vt neque à se, neque à successoribus suis, per quodlibet argumentum, siue machinatio-* HENRICVS IMPERATOR CONFIRMAT PATRIMONIA ROMANÆ ECCLESIÆ.
D *nem, in quacunque parte potestatem Romani Pontificis voluerit imminui, aut eidem aliquid inde detrahi.* Quæ si quis hodie maxima sui portione tot Regnis, & Prouincijs defecta, atque distracta, consideret, præsentem Ecclesiæ Romanæ fortunam, & spem, curamque amplificandæ fractam, minus inuidiosè sugillabit.

Eodem diplomate inseritur Bambergensis Ecclesiæ, cum annuo censu commendatio, quam his verbis signat Henricus: *Sub tuitione praterea Sancti Petri, & vestra* (Benedicti nimirum Papæ) *vestrorum successorum, prætaxatum Episcopium Bambergensem offerimus, vt sub pensionis nostræ debito equum vnum album pha-* CENSVM CONSTITVIT EIDEM IN ECCLESIA BAMBERGENSI.
E *leratum, ex eiusdem loci Episcopo vos annualiter suscepturos sancimus.* Plura in eodem Diplomate habentur, ad electionem Romani Pontificis spectantia; qui dum subinde more temporum illorum, *Vicarius Petri Apostoli* nominatur, non diminutio potestatis, sed in eodem munere par authoritas, vt alibi ostendimus, significatur.

A

Indict. 13.

IESV CHRISTI ANNVS	BENEDICTI PAP. VIII. ANNVS	HENRICI IMP. 2. BASIL. ET CONST. IMPP. 40. STEPHANI REGIS 16.
1015.	4.	

STephanus Diui Martini Cœnobium in sacro Monte Pannoniæ inuisurus, Emericum octennem secum ducit, haud ignarus quanta puer gratia polleret. B Venientibus longo agmine Monachi obuiam prodiere, ad quos honorandos filium præmittit. Is reuerenter exceptus, & consalutatus, singulos vicissim reueretur, osculando veneratus, non tamen æqualiter: verum huic duo, tria illi, nonnullis quatuor, quinque, vni Mauro septem libat, de meritis cuiusque diuinitus edoctus. Pater à tergo tanquam è specula cuncta considerans miratur. Mox Sacris peractis Emericum percunctatur, cur non paribus singulos Patres osculis impertiuisset. Respondit ille, se pro ratione temporis, quo singuli continenter vixissent, alijs plura, alijs pauciora fixisse; eum autem, quem septies osculatus fuisset, virginem permansisse, atque ex eo septenario numero virginitatis præstantiam intelligendam esse. C

EMERICVS MONACHORVM MERITA DIVINITVS DISCERNIT.

STEPHANI PIA CVRIOSITAS.

Profectus inde Rex cùm huius rei certiorem habere notitiam percuperet, paucis post diebus, duobus duntaxat comitibus adscitis, reuertitur ad Monasterium, Fratrumque vigilias, & preces clam explorat: aduertitque, nocturnis precibus, quas matutinas vocant, absolutis, cùm alij ad suos se lectos reciperent, solos illos mansisse, quibus Emericus plura oscula libauerat, & in angulos sese abdentes, reliquum noctis precando, & Deum laudando traduxisse. Tum hos singulatim, accedens Sanctus Rex comiter salutat, eumque illi rapto silentio, vicissim reuerenter affantur, Regiæ Maiestati deferentes. Ad Maurum vbi venit, nec blanditijs, nec minis ab eo responsum extorquere potuit. D Die postero ad publicum Fratrum conuentum Rex accedens, Mauri virtutem probe cogniturus, multa & coram obijcit, ab homine religioso aliena. Is nullius eorum, quæ audiebat conscius, tacendo respondit, Deum conscientiæ testem mente rogans; in eoque totam spem suam collocans. Intellexit Rex vera esse quæ Emericus dixerat, & causam sui aduentus coram explicans, Maurum omnis sceleris securum, laudibus in Cælum euehit, nec multo post Quinqueecclesiensem Episcopum instituendum curat.

STEPHANVS MAVRVM OB VIRTVTEM EXTOLLIT.

Dec. 2. lib. 1.

Paulo aliter hæc narrat Bonfinius; plures nimirum fuisse, imò plerosque, quibus Emericus septena oscula fixerat. E Vnum tamen fuisse Maurum, qui Regi non responderit, non quidem silentium interpellanti, quippe vrbanitas satis excusare poterat, sed artificiosis quæstionibus, itemque blanditijs, & minis percunctanti, an intemeratæ castitatis compos esset; id ille, humanas laudes, & insidias cauens, fateri noluit: postea tamen de varijs criminibus ex industria postulatus, non omnino tacuit, sed mortalium omnium animos Deo patere fidenter respondit: quo accepto Rex iam satis periculi habens, virum coram omnibus collaudauit.

S. COLOMANNI MEDELICVM TRANSLATIO.

Hoc eodem anno facta est illa S. Colomanni Martyris, ex loco vbi passus est,

Meli-

A Melicum, seu Medelicum, translatio; de qua nuper dictum est. De ea vero vlterius ex Annalibus veteribus de Colomanni Martyrio scriptis, hæc narrat Lazius. *Anno Domini Millesimo vigesimo, Clerici qui sacras deferebat reliquias, hac cernentes* (nempe miracula, de quibus in loco diximus) *cum cætera multitudine, laudibus extulere magnalia Dei, & Sanctum eius Colomannum, cuius per merita signa fiebant talia. Hac iocunditate tandem peruenerunt ad Ciuitatem nomine Medelicham, in qua preciosi thesauri pignora Marchionis iussu fuerant reponenda; vbi cum Octobris nono, Dominicæ Incarnationis millesimo decimoquinto anno, Optimatum Concilio posuerunt in Ecclesia, in honorem Principis Apostolorum dedicata.* Hæc Lazius. In quo tamen prior annorum nota characteribus numeralibus formata, eoque errori obnoxia corrigenda est, & reuocanda ad annum Millesimum duodecimũ. Ita enim fiet, vt recte dicatur triennio post, à loco Martyrij, vbi tot miraculis sanctitas Colomanni coruscauit, facta Medelicum translatio. Scio quosdam tempus Martyrij anno vigesimo supra millesimum signare: sed hi multa inuoluant necesse est. Qua autem occasione hinc aliquando in Hungariam, & inde rursum, huc translatum sit, quod etiam alibi insinuatum, in loco dicetur.

Ad an. 1012.

Lib. 11. de Resp. cap. 7.

B

Hoc etiam tempore corpus Sancti Maximiliani Martyris, quem Celeiæ passum, & hinc à S. Ruperto Laureacum translatum esse, ne qui in patria vitam posuit, suæ Sedi mortuus deesset, in præuio Chronico diximus; Henricus Imperator Pataniam, haud scio quo præsagio deportari curauit, & veluti Imperij limitaneum præsidium constituit; vbi hodieque post Aram, quæ extra Chorum summæ Basilicæ medio loco fere conspicitur, omnium religioni patet, præcipuaque veneratione asseruatur.

C

Ad ann. 284. & 356. Brusch. lib. 1. de Patauin. Max. Rader. in Bau. sancta in Max.

IESV CHRISTI ANNVS 1016.	BENEDICTI PAP. VIII. ANNVS 5.	HENRICI IMP. 3. BASIL. ET CONST. IMPP. 41. STEPHANI REGIS 17.

D Indict. 14.

STEPHANVS SALVTARES LEGES CONDIT.

Stephanus Rex pro ordinãdo Regno salutares hoc anno Procerum suorum vtriusque status interuentu Leges condit. Hæ quinquaginta quinque capitibus continentur, ita digestæ à quibusdam, vt in secundum librum Decretorum, quæ Stephano Regi ascribuntur, conijciantur. In qua re tamen, nec ordo, nec temporis ratio seruata est: nam quæ in primo libro habentur, non Decreta propriè, sed Monita sunt ad Emericum filium instruendum composita seorsim, & posteriùs edita; ipsa vero Decreta falsò à quibusdam notantur anno trigesimoquinto Regni condita, quorum non pauca longe antea vsu viguisse constat; etsi quædam ad politicum regimen spectantia, serius deinde sint addita. Præstat in hac re manuscripti codicis fidem sequi, qui Leges à Stephano sancitas in hunc annum refert: neque enim verisimile est, Stephanum tot annis piè feliciterque regnantem, sub extremum vitæ tempus, curis & ægritudinibus implicatum, voluisse Regnum lege formare, antea vero tanto temporis spatio, sine lege curam traducere.

E

Quod

Quod porro ad hæc Decreta spectat, nonnulla ex ijs, Reges posteri correxerunt, aliqua sustulerunt, pleraque confirmarunt. Ex ijs hoc loco tantum ea, quæ ad Ecclesiasticam disciplinam; & religionem formandam pertinent, integra, sicut (præter vnum) manserunt afferemus; vt quæ Regis Stephani pietas fuerit, cunctis ad exemplum innotescat. Ea sic habent. A

Præfatio ad Decreta.

*al. amplians. *al. adesse. *al. gentiinostra. *al. ducerent. *al. mulctentur.

Regnante Diuina Clemētia, opus regalis dignitatis alimonia Catholicæ Fidei effectum, amplius, ac solidius alterius dignitatis solet operibus esse: & quoniā vnaquaque gens proprijs agitur legibus, idcirco nos quoque Dei nutu nostram gubernādo Monarchiam, antiquos, & modernos imitantes Augustos, decretali meditatione nostra, statuimus genti,* & populo nostro, quemadmodum honestam, & inoffensam ducat* vitam: vt sicut diuinis legibus sunt ditati, similiter etiam secularibus sint addicti: vt quantum boni, in his diuinis amplientur, tantum mali, & rei, in istis* vilitentur. Quæ autem decreuimus in sequentibus subnotauimus.* B

Cap. I. De statu Ecclesiastico, & de Veneratione Domus Dei. C

BONORUM ECCLESIÆ INVASOR EXCOMMVNICETVR.

Quisquis fastu superbia elatus Domum Dei ducit contemptibilem, & possessiones Deo consecratas, atque ad honorem Dei sub Regiæ immunitatis defensione constitutas inhoneste tractaris, vel infringere præsumpserit; quasi inuasor, & violator Domus Dei excommunicetur. Decet enim, vt indignationem ipsius Domini Regis sentiat, cuius beneuolentiæ contemptor, & constitutionis præuaricator extitit; nihilominus tamen Rex suæ confessionis immunitatem ab hominibus ditioni suæ subiectis, illæsam conseruari præcipiat; assensum verò non præbeat improuidè affirmantibus, non debere esse res Dominicas, id est, Domino dominantium traditas. Itaque sub defensione Regis sit, & sicuti suæ propriæ hereditatis, magisque, aduertat. Quia quanto Deus excellentior est homine, tanto præstantior est diuina causa mortalium possessione. Quocirca decipitur quisquis plus in proprijs, quàm in Dominicis rebus gloriatur, quarum defensor, & custos diuinitatis constitutus, diligenti cura, non solum eas seruare, sed etiam multiplicare debet, magisque illa, quæ diximus præstantiora, quam sua defendere oportet, & augmentare. Si quis igitur insanus importunitate, improbitateque sua Regem à recto proposito peruertere tentauerit, nullisque remedijs mitigari posse visus fuerit, licet obsequijs aliquibus, & transitorijs sit necessarius, abscindendus ab eo, proijciendusque est, iuxta illud Euangelium: Si pes, manus, aut oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proijce abs te. D E

Matth. 18.

Cap. II. De potestate Episcoporum super res Ecclesiasticas.

EPISCOPI RES ECCLESIÆ DISPENSENT: ET SECVLARES ILLIS OBEDIANT.

Vt Episcopi habeant potestatem res Ecclesiasticas prouidere, regere, & gubernare, atque dispensare secundum Canonum authoritatem, volumus, vt Laici eorū ministerio obediant

A *obediant Episcopis, ad regendas Ecclesias, viduas, & orphanos defensandum, & vt obedientes sint eis ad eorum Christianitatem seruandam: consentientesque sint Comites, & Iudices Præsulibus suis ad iustitias faciendas, iuxta præcepta legis diuinæ; & nullatenus per aliquorum mendacia, vel falsum testimonium, neque per periurium, aut per præmium lex iusta in aliquo deprauetur.*

Cap. III. Quales debeant esse accusatores, & testes: & quòd Laici Clericos accusare non possint.

B

Testes autem, & accusatores, sine aliqua sint infamia, vxores, & filios habentes, & omnino Christum prædicantes. Testimonium Laici aduersus Clericum nemo recipiat. Nemo etiam quemlibet Clericum in publico, nisi in Ecclesia excommunicare præsumat. ACCVSATORES ET TESTES QVALES.

Cap. IV. De assiduo, & graui labore Sacerdotum.

Scitote fratres cuncti, quòd supra omnes laborant Sacerdotes. Vnusquisque enim SACERDOTES PRO OMNIBVS ALIIS PROSEIPSIS LABORANT.
C *vestrum suum fert laborem proprium, illi verò & suum, & singulorum. Ideo sicut & illi pro omnibus vobis; ita & vos omnes pro eis summopere laborare debetis, in tantum, vt si necessitas fuerit, animas vestras pro eis ponatis.*

Cap. V. De concessione Regali propriarum rerum.

Decreuimus Regali nostra potentia, vt vnusquisque habeat facultatem sua diuidendi, tribuendi vxori, filijs, filiabusque, atque parentibus, siue Ecclesiæ: nec post eius obitum quis hoc destruere audeat.

D

Cap. VI. De obseruatione Dominicæ diei, vt abstineant à laboribus. AL. VII.

Si quis igitur, Presbyter, vel Comes, siue aliqua alia persona fidelis, die Dominica inuenerit quemlibet laborantem, abigatur; si verò eum bobus, tollatur sibi bos, & ciuibus ad manducandum detur. Si autem cum equis, tollatur equus, quem dominus boue redimat, si velit, & idem bos manducetur, vt dictum est. Si quis alijs in- DOMINICVM DIEM NON CELEBRANTIS MVLTA.
E *strumentis, tollantur instrumenta, & vestimenta, quæ si velit, cum cute redimat.*

Cap. VII. Vt eadem die Dominica, omnes concurrant ad Ecclesiam. AL. VIII.

*A Sacerdotibus verò, & Comitibus commendetur omnibus villicis, ita vt ipsorum iussu omnes concurrant die Dominica ad Ecclesiam, maiores, & minores; viri & mulieres; exceptis illis qui ignes custodiant. Si quis vero obstinatus remanebit, ob negligentiam vapulet, & depiletur.** DOMINICIS EVNDEM AD ECCLESIAM.

* al. *radatur.*

Cap. VIII.

AL. IX

Cap. VIII. De obseruatione quatuor temporum.

Si quis quatuor temporum ieiunia cunctis cognita, carnem manducans violauerit, per spacium vnius hebdomadæ inclusus ieiunet.

AL. X.

Cap. IX. De obseruatione sextæ feriæ.

*Si quis in sexta feria, ab omni Christianitate obseruata, carnem manducauerit, per vnam hebdomadam * tenebris inclusus, ieiunet;* B

*Al. Luce, id est

AL. XI.

Cap. X. De his qui sine confessione moriuntur.

CONFITERI NOLENTIUM IN ARTICULO MORTIS POENA.

* al. ministros.

*Si quis tam obstinatus est (quod absit ab omni Christiano), vt nolit confiteri sua facinora, secundum suasum Presbyteri, hic sine omni diuino officio, & eleemosynis iaceat, quemadmodum infidelis. Si autem parentes proximi neglexerint vocare * Presbyteros, & ita subiaceat absque confessione morti, ditetur orationibus, & consoletur eleemosynis: sed parentes luant negligentiam ieiunijs, secundum arbitrium Presbyterorum. Qui vero subitanea periclitantur morte, cum omni Ecclesiastico sepeliantur honore. Nam occulta, & diuina iudicia nobis sunt incognita.* C

AL. XII.

Cap. XI. De obseruanda Christianitate.

PECCANTIS IN FIDEM POENA.

Si quis obseruatione Christianitatis neglecta, & negligentia, stoliditate elatus, quid in tam commiserit, iuxta qualitatem offensionis, ab Episcopo per disciplinam Canonum iudicetur. Si vero rebellitate instinctus renuerit sibi impositum pœnam sufferre, iterum eodem iudicio restringatur, etiam vsque septies. Tandem si per omnia resistens, & abnuens inuenietur, Regali iudicio, scilicet defensori Christianitatis, tradatur. D

AL. XVIII.

Cap. XII. De conuentu ad Ecclesiam, & de his qui murmurant hora Missæ, vel loquuntur.

GARRIENTIUM, ET CONFABULANTIUM IN ECCLESIA POENA.

Si qui ad Ecclesiam venientes ad audiendum diuinum officium, & ibidem hora solennitatis Missarum inter se murmurant, & cæteros inquietant, exponentes fabulas ociosas, & non intendentes in diuinas Lectiones, cum Ecclesiastico nutrimento: Si maiores sunt, increpati cum dedecore expellantur de Ecclesia; si verò minores, & vulgares, in atrio Ecclesiæ pro tanta temeritate coram omnibus ligentur, & corripiantur flagellis. E

31 Hæc duodecim Decreta, ad religionis cultum, Ecclesiasticam immunitatem, dignitatem ac disciplinam spectant. Quintum de concessione Regali propriarum rerum, Andreas Rex confirmarat, sed Ludouicus absoluit, ijs de causis, quas in loco afferimus. Nonum post Andream Regem, Conuentu Episcoporum, & authoritate Romani Pontificis, quibusdam alijs pœnis arctatum fuit, quibus crimen defectionis à Fide post Stephanum è viuis sublatum Hungari iterum conuersi expiarunt, posterisque memoriam, & exemplum expiandi transf-

Al. Duinum.

A transmiserunt. Ex secundo, & vndecimo, satis colligitur, fuisse à Stephano constitutos, qui Christianitati seruandæ peculiariter inuigilarent, non diuerso instituto, quàm quod hodie in officio Sanctæ Inquisitionis seruatur; vt non sit recens inuentum, quod Neoterici quidam calumniantur; sed neque à Stephano Rege primum vsurpatum, vtpote, non paucis ante seculis à Romana Ecclesia, quod alibi ostendimus, sancitum. *Al. Duodecimo.*

Quàm porro hæc Decreta conformia sint sacris Canonibus, satis apparet; quanto præterea zelo, quàm graui, & seuera pietate pro cultu diuino, & Sacrorũ honore in ijs cautum sit, vt cætera taceamus, ex decimooctauo; quod hic vltimum est, constat: cuius obseruantia si passim vigeret, non tot scandala videremus, nec tot malis diuinitus immissis conflictaremur. Merito quidem; qui Domum Dei atque orationis, officinam fabularum, & vanarum, ne dicam illicitarum negociationum facimus, & quod peius, Sacris operante Sacerdote, sine vlla deuotione, & reuerentia assistimus, interdum, & garriendo tempus illud quamtulumcunque, cum contemptu Ecclesiæ religionem præcipientis traducimus. Sed hæc hactenus. Quod ad reliqua eiusdem Decreta attinet, quia maiori ex parte in Sanctionibus Diui Ladislai Regis repetuntur, atque etiam quibusdam additis extenduntur, & roborantur, eadem in loco ad Sanctitatis, & Iuris normam, vbi opus erit, expendemus.

B

C In ijs porro seruandis tanta fuit Hungarorum religio, vt ob venerationem Regis sui, nulla non eius Statuta sancta haberent, tametsi quædam ex ijs illi duntaxat tempori opportuna essent, quo recens conuersi, & needum Euangelio assueti, rigore potiùs quodam flectendi erant, quam blandè emolliendi. Sed enim illis amor, & reuerentia sanctissimi Regis, nihil non leue, ac plane suaue reddebat, exemplo posteris commendando, apud quos Principum sanctitas eatenus semper valuit, vt interdum seuerioribus etiam eorum imperijs cum voluptate parerent. Quemadmodum contra, qui sanctitate minus regerentur, etsi Leges tulissent alioqui Reipublicæ vtiles, non perinde subditos habuere obsequentes: & interdum ijsdem vita functis, Decreta quoque eorum expirarunt.

D

Cæterùm, si quis in Diui Stephani Decretis, seueriora quædam, alia mitiora deprehendat, quàm delicti modus patiatur; retractare secum debet, eam fuisse tempestatis eius, & gentis Hungarorum conditionem, nondum adulta in omnium pectoribus Christi Fide, vt non minus sanctè, quam appositè ad mores, nec fortiter magis, & seuere, quàm sapienter, & suauiter, circa singula Stephanum disposuisse animaduertat. Meminit horum Compilator Decretorum Colomanni Regis à Stephano Noni, in ijs quæ præmittit ad Stephanum Ecclesiæ
E Strigoniensis Quintum Archipræsulem. Vbi inter alia: *Quis ambigat*, inquit, *à sancto patre nostro Stephano, viro quippe Apostolico, Legem populo nostro datam, in quibusdam austeriorem, in quibusdam verò tolerabiliorem; in his quoque intensius vindicantem, atque in alijs remissius indulgentem: nec quenquam tamen absque disciplina verbere dimittentem; cùm predestinationis tempus nullum adhuc verum adduxisset Fidei sponsorem: nec hoc quidem prater diuinæ dispensationis respectum credi fas est. Nam cùm tempore prædicti* Regis vniuersum Regnum eius barbaricis inseruierit cultibus, ac rudis coactusque Christianus contra commonitorem sanctæ Fidei stimulum adhuc recalcitraret, adhuc contra pænitentialia vltricis virgæ verbera remorderet, operæ precium fuit, vt sanctæ disciplinæ coactio, infidelibus quidē ad conuersionem Fidei,* *In præfat. lib. 1.* ** al. patris.*

sed

sed conuersis fieret ad iustitiam pœnitentiæ. At Christianissimus Rex noster Colomannus, columbinæ gratiæ simplicitate, cum omni virtutum discretione præditus, postquam vidit adultam Fidem perfectæ religionis robur accepisse, legalis vinculum catenæ, cogitauit relaxare prudenter, vtpote indignum esse perpendens, si iam spontaneum Fidei militem, legalis pœnæ timor torqueret, quem nec ipsa mors ab agnitæ iam confessione veritatis absterrere potuisset*. Hæc ibi: quæ quantum ad hæc postrema de religione, & constantia Hungarorum, post tempora scilicet Petri, & Belæ Primi Regum, egregie confirmat Innocentius Tertius Pontifex Maximus, qui ducentus plus minus à Colomanni Regis obitu annis Ecclesiæ præfuit, binis, quas de Regni Hungariæ laudibus ad Andream Ducem Belæ Tertii filium dedit, literis in loco expendendis.

*al. abstrahere.

Hoc etiam anno Benedictus Papa Saracenos Ecclesiæ litora inuadentes mirabili Dei ope debellauit. Hi cùm in Longobardiam classe instructa venissent, & iam Lunam Ciuitatem, fugato Pastore, trucidatis incolis, & coniugibus eorum fœdatis diripuissent; Benedictus coactum fidelium militem, fidenter aduersus eos misit: ex alia parte ingenti nauium multitudine reditum eorum præcludens. Quod cùm Rex Saracenus animaduertisset, ipse quidem nauicula paucis comitatus euasit; cæteri vero animosiùs irruentes in fideles, eos fugant, & tres dies & noctes prosternunt; donec gemitu piorum conuersa victoria, tanta hostium edita est strages, vt ne nuncius quidem cladis superesset; interfecti vero numerari nequirent. Regina capta ob audaciam capite plexa est: cuius aureum capitis, & gemmatum ornamentum Pontifici cessit, ex quo partem, mille libris æstimatam, Imperatori misit, reliqua præda inter militem diuisa. Vbique Christo Triumphanti ad aras supplicatum. Rex morte coniugis, & suorum turbatus, Pontifici saccum castaneis refertum misit, tot se militibus æstate imminente bellum integraturum significans. Contra Pontifex marsupium millio plenum remisit, tot loricatos, vel plures, si redeat, obuiam se daturum denuncians. Tradit hæc Diethmarus, huius temporis Scriptor.

Lib. 7.

GVNTHERVS EREMITA.

Hoc eodem anno Guntherus ex seculari nobilitate conuersus, & Eremita, atque Monachus effectus, cùm sæpe alias, cum recenter, ad sanctum Regem Stephanum veniens, Emerici pueri mores admirandos fouebat, & vnà humanissimi Regis liberalitatem exercebat. Ferunt hunc apud Turogos regia stirpe oriundum, Regis etiam Stephani fuisse cognatum. Id fuerit oportet ratione sanguinis Gyselam coniuge, atque adeo S. Henricum Imperatorem contingentis. Qui cùm ex ephœbis, & adolescentia excessisset, vitæque eum solutioris admodum pœniteret, vocatis in consilium cogitationibus, præsentia omnia fastidire cœpit, cælumque toto pectore ardere. Itaque abijt ad Cœnobium, genus vita orsus laboriosum, & à S. Gothardo Altahæ in Boicis Antistite, animatus, ingentes in curriculo virtutis fecit progressus, opes negligens, seipsum abijciens, nec maioribus tantum, sed etiam paribus, & humilioribus parere doctus; magisque corporis afflictationibus exercitus, paulatim in Sanctitatis opinionem venire cœpit.

Id vbi Stephanus Rex fama accepisset, cupidus Guntheri cognati coram spectandi, misit qui humaniter inuitarent ad Pannonias, & Regem visendum. Aiunt ipsum recusasse, tanquam qui in alterius Regis potestate foret, omnibus propinquitatibus defunctum. Verùm iterum ac tertium vocatum, se cum Legatis

A Legatis deinde, in viam, salutatumque à Rege ingenti gaudio perfuso; regioque epulo exceptum, à carnibus tamen omnino abstinuisse; sed iterum, ac sæpius à Rege fatigatum, vt saltem ex pauone apposito gustaret, ne durus in Regem, & hospitem, & cognatum videretur, nihil ille quidem de alite tetigit, sed capite in manus deposito Deum precibus, ac lacrymis adijt, vt sine offensa Regis, saluis suis legibus à mensa surgeret: adeoque impetrauit, vt rediuiua auis è patina, ingenti prodigio auolaret. Vnde Rex, omnisque Aula attoniti, de cætero Guntherum vrgere ad gustandas carnes desierunt. Ipse cum aliquot familiaribus inde in Saltum Narvvaldensem Bohemiæ, bona sui Præsidis venia secessit, ibi- PAVO REDIVIVVS AVOLAT.

B que septem & triginta annos religiosissimè vixit.

Ita isti de Gunthero: & aiunt hoc accidisse antequam Stephanus Christianus esset; in quo quidem turpiter hallucinantur, & facile narrationi suæ fidem abrogant. In primis enim Stephanus Rex semper Christianus fuit, à Geysa iam Christiano genitore editus: & deinde cùm hoc velint accidisse anno Christi millesimo decimoquinto, miror illos non animaduertere Stephanum, hoc tempore non solum Christianum, sed etiam maximè pium Regem fuisse, tot Ecclesijs, & Monasterijs fundatis clarum, sorori Sancti Henrici Regis Germaniæ coniugatum, insuper Emerico sanctissimo filio auctum. Alia

C prætereo.

Illud certum est ex Chartuitio, Guntherum Stephani Regis liberalitate illectum, è Bohemia crebro ad illum venire solitum. Quoties autem sua præsentia eius Aulam illustraret, toties Regem, curam Regni ei demandasse; siue propinquitatis occasione, siue quòd multum sanctitati, & prudentiæ hominis tribueret. Illum verò rebus, quas in Aula inueniebat, in peregrinos, viduas, pupillos, Cœnobia, & Ecclesias, Rege hilariter approbante, erogatis, breui illam exinaniuisse: ad eius etiam nutum inchoasse Regem Monasterium illud, quod *Beel* vocant, & omnibus bonis locupletasse, scribit idem Chartuitius. De In vita Stephani.

D qua re infra in loco. Sunt qui ex eodem Chartuitio Guntherum Ordinis Carmelitarum Monachum fuisse affirment. Et quidem Chartuitius non Monachum solum, sed etiam Eremitam ex seculari nobilitate conuersum, eundemque ex Bohemia crebro venire solitum scribit: Instituti tamen Carmelitarum fuisse nusquam meminit; sed Benedictum vita, & moribus secutum, testatur Author vitæ Anonymus, eiusdem æqualis, apud Henricum Canisium. Idem colligitur ex Arnolpho Comite, vetusto Scriptore, multoque magis ex Hugone Menardo, qui aliorum dicta descripsit. Plura vero quæ restant dicenda, commodiorem tractationem habebunt ad finem Vitæ, quam anno huius seculi Tom. 2. Antiq. lect. 6. Lib. 2. de S. Emmerano. In Mart. obser. ad 8. Octob.

E quadragesimo quinto clausit, biennio ante Martyrium Gerardi, quocum eodem in loco manens in Hungaria vixerat.

IESV CHRISTI ANNVS 1017.	BENEDICTI PAP. VIII. ANNVS 6.	HENRICI IMP 4. BASIL.ET CONST.IMPP.42. STEPHANI REGIS 18.

Indict. 15.

GALLIARVM LABORES.

DVm in Germania, & Saxoniæ partibus, reuersis ad Fidem Slauis, Religio floret: dum in Anglia extincta Tyrannide, sub Canuto Rege Danorum B Sanctitas reuocatur: dum denique in Hungaria, sub Stephano maioribus in dies incrementis cultus Christi radiat; Gallia sub Roberto Rege, Manichæorum hæresi laborat. Inter Aulicos primùm secreto repsit, mox palam ad Clericos deerrauit, denique plures occupauit. Adfuit tamen Regno periclitanti Rex præstantissimus; neque tamen pluribus licet consumptis, ita penitus malum exussit, vt non sub ipsis cineribus latentes quædam scintillæ abderentur, quæ deinde apud Politicos vbique in flammas elicitæ, hodieque seruantur; profectò enim non alia sunt Pseudopoliticorum principia, quàm quæ tunc temporis manarunt ex Manichæorum doctrina, vt tantùm nomen mutasse videantur. Et timendum, ne quod prisca secula viderunt, posteriora quoque experiantur, vt C iam sub Religionis habitu incognitam hæresim latere metuamus. Nam quod tum affectata Manichæorum sanctitas, ne impij detegerentur fecerat, vt in pleroque sanctioris notæ diligentiùs inquireretur, iuxta illud S. Hieronymi ad Eustochium: *Quam viderint pallentem atque tristem, miseram ac Manichæam vocant*; adeo vt ex eiusmodi indicijs Viri sanctissimi infamarentur: quemadmodum anno huius millesimi seculi superiore Romæ contigit, vulgi opinione, in Simeone Armeno Viro sanctissimo, & miraculis claro, errante. Quod inquam tunc vsuueniebat, hodie quoque metuendum, ne non discernantur, qui specie D Catholicæ, & Orthodoxæ doctrinæ merum Atheismum obtrudunt: futurumque sit, vt quemadmodum olim totus Orbis, Hieronymo teste, ex deceptione quorundam pene se Arianum factum miratus est; ita hodie in omnia Religioni aduersa se degenerasse obstupescat.

ROMANÆ VRBIS VENTORVM VI MISERANDA CONCVSSIO.

His etiam diebus in Parasceue, post Crucem adoratam, vsque Sabbatum Sanctum, circa vesperam concussa est Roma à vi ventorum, & pene omnes Romani mortui sunt, tam Christiani, quam Iudæi: & quidam Iudæus Christianis intimauit, quòd in Parasceue in Synagoga Iudæorum Imaginem Christi deluserunt, sicut fecerant Domino parentes eorum. Quod Benedictus Papa E solicite inquirens, & probans, mox Iudæos, qui id egerant decollari iussit, quibus decollatis cessauerunt venti. Hæc totidem verbis habent fragmenta historiæ Aquitanicæ, in quibus plura etiam narrantur de hæresi Manichæorum in Gallijs serpente, & quàm seuerè contra eandem vigilauerit Robertus Rex Christianissimus. De eadem agunt & fragmenta historiæ Francorum: in quibus & prodigium illud in Aquitania secus maritima de pluuia sanguinis memoratur, Scilicet ante solennia S. Ioannis Baptistæ, tribus diebus de Cælo sanguis pluens, si in carnem humanam, aut lapidem incidisset, ablui nequaquam poterat; si vero super lignum, facile emaculabatur. Id prodigij vniuersas Gallias terrefecit,

A adeo, vt Robertus Rex Fulbertum Carnotensem, doctrina & sanctitate præcipuum, scriptis consuleret, quid eo portenderetur. Respondit Fulbertus, per carnem fornicarios, per lapidem impios, per lignum significari eos, qui neutri horum essent: hi porro per angustiam mortis, vel aliter arbitrio seuerissimi Iudicis liberari poterunt à gladio, & pestilentia designata per sanguinem; illi vero nisi resipiscant, æternæ mortis sententiæ subiacebunt. Hæc fere Fulbertus. Quæ porro portentum hoc bella consecuta sint grauissima inter Gulielmum Aquitaniæ Ducem, & Gaufredum Comitem Andegauensem, Francorum Annales memorant.

B Hoc præterea anno Iuditha Poloniæ Regina sanctissima fœmina, coniux Boleslai Regis, & ad propagandam pietatem adiutrix, ex hac vita summo omnium mærore decessit, cùm superis in perpetuum regnatura. Eius diligentiæ, & sanctitati tribuitur, Catholicæ religionis in Polonia conseruatio, quam si potuisset in totum Orbem explicasset: id propter author erat marito, vt cum Stephano Rege Hungarorum pacem, & firmam amicitiam seruaret, Principes recèns conuersos sibi conciliaret, quorum studio, & auxilio facile infideles omnes Romanæ Ecclesiæ subijciendos spectabat, idque enixè à Deo implorabat. IVDITH REGINÆ POLONIÆ OBITVS.

C

IESV CHRISTI ANNVS 1018.	BENEDICTI PAP. VIII. ANNVS 7.	HENRICI IMP. 5. BASILII, ET CONST. 43. STEPHANI REGIS 19.	Indict. 1.

Hic annus Borealibus Christianis funestus fuit, vt idcirco ob frequentia mala, quibus Germania colluctata est, Diethmarus terræmotum, siue contritionem magnam appellandam existimet. In primis Ecclesiæ quamplurimæ exustæ ab Vvaris, & Abotritis à Fide refugis, & ad impietatem relapsis: Expugnata deinde Ciuitas Kiouia primaria Prouinciæ, eiusque Archiepiscopus captus; in qua cuiusmodi stragem ediderint impij, facile est colligere, si cogitemus paulò ante plures quam quadringentas in ea vrbe à nouellis Christianis ædificatas fuisse Ecclesias: vt mirum videri possit adeo breui temporis spatio in eo coaluisse Christianismum, fuisseque tanta pietate præstantem, vt tot Ecclesiæ tam cito fuerint ædificatæ. Quod tum factum præcipue credimus, quando vt supra dictum est, superato metu Christiani, quo ad initium huius seculi venturum Antichristum, & diem extremum proxime futurum sibi persuaserant, rursum ad erigendas toto Orbe Ecclesias passim manus admouerunt. ECCLESIÆ BOREALES AFFLICTÆ. Lib. vlt. in fin. D E

Idem hic annus est, quo Normanni primum in Italiam venientes, hortatu Benedicti Papæ in Apulia contra Græcos sæpe feliciter pugnarunt, & pauci de multis præclaras victorias retulerunt. Vnius duntaxat auspicio tantæ res postmodum gestæ. Nam cùm forte Rodulphus quidam Normannorum audacissimus, vt Glaber narrat, à Richardo Comite profugus Romam venisset, questurus contra eundem apud Romanum Pontificem: hic visa eius eleganti corporis constitutione, & animo bellis apto, cœpit de Græcorum insolentia, quòd Romani Imperij fines inuasissent, verba facere, & quàm sibi displiceret, inter suos NORTMANNI QVA OCCASIONE PRIMVM IN ITALIAM VENERVNT. Lib. 3. cap. 1.

non habere, qui id genus exterarum nationum compesceret. Quibus ille auditis, vltro se obtulit, & facturum se cum paucis, quos secum habebat, voto satis recepit. Ita accepta à Benedicto commendatione, Beneuentum perrexit, ibique à Ciuibus benignè susceptus, mox ordinatis rebus, & acie instructa, cum Græcis congressus, eos iterum atque iterum fudit, fugauit, oppida ab eis possessa, partim vi, partim deditione expugnauit. Id audientes in Nortmannia sui, læti tanto paucorum successu, & à Rudolpho inuitati, annuente etiam Richardo Comite, turmatim in Italiam affluxerunt, ac Rudolpho se coniunxerunt. Hic fuit primus eorum ingressus: & cùm in dies magna virtute præharerentur, tandem consensu Pontificis, exactis Græcis, & Saracenis, ipsi sedes capessere, & merito suo possidere; denique Principatum suum in Calabros, & Siculos extendere cœperunt; vnde pulsis Saracenis, Ecclesiæ beneficiarij diù feliciter regnarunt. De qua re Siculorum Annales, ac præcipue Gulielmus Appuliensis, rerum in Italia, & Regno Neapolitano Nortmannicarum Scriptor, qui illis temporibus vixit, & omnia fere oculis spectata, in quinque libros, metro digessit, & posteris scribendi argumentum suffecit.

PIETAS PRINCIPIS ÆGIPTI. In hæc tempora incidisse quidam putant, quod Ægypti Princeps ea humanitate vsus sit in Christianos, vt ingruentibus in Asiam Turcis, gente crudeli, & effera, adeoque Syriam, & Hierosolymam vastantibus, ipse tamen Templum Dominici Sepulchri, præterea Bethlehemiticum, & montis Sion fanum illæsum conseruarit: tum etiam quartam Vrbis partem Christianis circa eadem Templa inhabitandam concesserit; dum reliquæ tres cum sumptuosissimo Salomonis templo, vt prius Saracenis, ita nunc Turcis cessissent. Eandem humanitatem etiam eius successor fertur exercuisse; ac tum fuit, vt plures Christiani Principes, & amicitiam Caliphæ fouerent, & eorum gratia, quicquid Christianis factum vellent, liberè possent. Verùm hoc longe ante factum oportuit, quàm Dominicum Sepulchrum, quemadmodum superius narrauimus, destructum est: Nec quæ hic à cæteris referuntur, cohærere cum ijs possunt, quæ ad hunc annum alij recensent.

Tom. 3. Annal. Nimirum Ægypti Principem, quod tradit Zonaras in Basilio Porphyrogenita, soluto Romano fœdere, & Hierosolymitanum Templum, in quo Christi Sepulchrum est, & illius loci Monasteria destruxisse. Fuit is Hequem

HEQVEM CALIPHA. Calipha, qui illis, quorum humanitate res Christianorum in Syria, Palæstina vtcunque stabant, malo omine successit. Qui quòd Christiana matre ortus esset, ne suspicio quædam apostasiæ, aut fauoris erga gentem maternam apud suos esset, quippe quæ sæpiùs Christianam originem illi exprobrasset, hanc impietatem excogitauit, vt Christianorum hostis immanissimus factus, eorum præsertim, qui è Scythica gentilitate transiuissent, nouas exactiones & tributa illis imponeret: deinde solennitates eorum aboleret, ac denique Templum Resurrectionis Dominicæ, quod Constantinus Magnus magnis impensis ad mortalium admirationem, primum erexerat, deinde imperante Heraclio, Maximus Hierosolymorum Episcopus reparauerat, planè è fundamentis subrueret, ingenti Christianorum mærore, nequicquam habita ratione Orestis auunculi

TEMPLVM HIEROSOLYMIS A STEPHANO REGE CONDITVM, EVERSVM. sui, qui frater matris erat. Tum, inter plurima Monasteria, & Templa, illud etiam à Stephano Rege fundatum, ruinæ cessit, ac per annos triginta septem iacuit, iterum deinde, quod in loco dicemus, instauratum.

A Ac tum accidit, quod Guillielmus Tyrius narrat his verbis. *Quidam eius ex infidelibus, nostros odio persequens insatiabili, vir perfidus, nequam, & vt aliquid eis ad mortem moliretur, morticinum canis clam proiecit in atrium Templi, in cuius munditia conseruanda eius custodes, & vniuersa Ciuitas omnem impendebant solicitudinem. Mane facto, qui orationis gratia accesserunt ad Templum, reperientes immundum cadauer, & fœtens, pene ad insaniam versi, vniuersam Vrbem repleuerunt clamoribus. Concurrit subito populus vniuersus, & omnes asserunt pro constanti, Christianos hoc fecisse. Quid plura? Decernitur interitus vniuersis, & tam piaculare flagitium morte piandum iudicatur. Fideles porro de sua confidentes innocentia, mortem pro Christo parati erant subire. Dumque adessent spiculatores, eductis* B *gladijs, vt populum interimerent, obtulit se adolescens plenus Spiritu dicens: Periculosum est fratres, si ita perit omnis hæc Ecclesia. Expedit magis, vt vnus moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Concedite mihi, vt mei habeatis annuam in benedictione memoriam, & generi meo honor in perpetuum debitus conseruetur; ego verò authore Domino hanc à vobis stragem depello. Susceperunt igitur gratanter verbum, & quod ille petierat vltro concedunt. Et vt in ramis Palmarum ad perennem eius memoriam contribules eius, obuiam, quæ Domini Nostri Iesu Christi significatiua est, introducant in Ciuitatem, in processione solemni confirmant. Quo facto prædictus adolescens primatibus se offert Ciuitatis, reum se confitetur, & omnes alios adstruit innocentes. Quod audientes Iudices, alijs absolutis, illum gladio exposuerunt. Et ita pro fratribus animam ponens, cum pietate dormitionem accepit, optimam in Domino habens repositam gratiam.* Hactenus Guillielmus Tyrius.

Lib. 1. de Bello sac. cap. 5.

Ioann. 18.

C

INSIGNIS CHRISTIANI VNIVS CARITAS.

Memorabile sane exemplum, quod cum facto Emmerami Episcopi Ratisponensis conferri possit: nisi quòd ille duorum tantum, verum crimen in se transtulit, & mortem, salua tamen innocentiæ fama, oppetijt: hic pro falso crimine vniuersis, qui Hierosolymis habitabant Christianis imputato, dignum æterna memoria vitæ finem pro omnibus excepit, & Christianorum, inter capitales Christi hostes, saluti consuluit; vere Catholico pectore, quod omnes D Pannonum posteri admirentur. Atque vtinam, tam præclari facinoris, testis nomen quoque adolescentis ad nos transisset! dignum sanè sacris dypticis, dignum Martyrologijs, dignum cedro, marmore, omni ære. Verùm illi satis fuit, ingens factum constare posteris, nomine in Cælum transcripto.

Cæterùm in hoc genere fortitudinis morte ipsa contestatæ, non ego simulationem criminis laudo, nec dignam Martyrij causam existimo; sed vitam saluti innocentium, præcipua caritate impensam probo. Quòd cùm imposita falsò calumnia, immani multorum cæde foret expianda, vnus pro omnibus exciperet reatum, non qui vere esset, sed qui peruicaci infidelium opinione in E Christianis hæreret; ex quibus is vnus libenter se inuolui est passus, apud quos depulsioni non erat locus; & perinde fuit negare factum, atque affirmare, cùm vel solum nomen Christianum, odio Religionis, crimen haberetur.

Sic Emmerami facinus cohonestat, non vtique assertio falsi, sed quod à nocentis capite discrimen auersurus, famam errare permisit, quam nemo sapiens in eum impingere posse credidisset, nisi quorum moribus eius sanctitas grauis erat. Ii proinde hac occasione arrepta, necem eidem atrocissimam dolo sunt machinati: quem si postulassent, suam cum nocentis salute innocentiam è religione tutatus fuisset. Itaque odium formidatæ in eo iustitiæ causam Martyrij

 obtulit.

obtulit. Quanquam si vltro occubuit, ne confugientis ad se sine more mactandi salutem proderet, profectò pulcherrimæ caritatis legem adimpleuit, meritoque palmam tulit. A

Verùm hæc, vt dicebamus, longe ante oportuit facta, iuxta ea quæ ex Scriptoribus eorum temporum supra in loco retulimus; quandò deinde rebus vtcunque pacatis, Principum Christianorum pietate, respirare in Palæstina cœpit Religio, ac Stephani Regis in primis, in extruendo Hierosolymitano Cœnobio enituit pietas, & munificentia: quod tamen, si Templum spectes, longe postea, quemadmodum supra insinuauimus, perfectum est.

Hoc anno, qui trigesimus tertius est ætati Stephani Regis, scribunt aliqui, B & in his Petrus Ranzanus, eum *Vrbem Romam petiuiße, vt Principum Apostolorum, aliorumque Martyrum Christi sacras Reliquias viseret, vtque Pontifici Maximo debitam, cum reuerentia exhiberet obedientiam, qua iure illi erat obnoxius.* Cæterùm, nec rei, nec tempori congruit affirmare, quod alioqui non tacuissent rerum Romanarum Scriptores, qui nedum tanti Regis, sed minorum quoque Principum ad Vrbem accessum, aliasque pias peregrinationes, & donaria facta diligenter complexi sunt. Neque enim verisimile est Stephanum, aut occulte, aut nullo comitatu venisse; aut si venisset, Romanã Ecclesiam Principũ Apostolorũ Sedem, suæ magnificentiæ, & liberalitatis pro more expertem relicturum fuisse, C cui pridem Regnum suum transcripserat. Sed neque si fingamus anno huius seculi altero accessisse, quod faciunt ij, qui natum dicunt Stephanum annis abhinc quadraginta nouem, commodè peregrinatum affirmabimus: quando eo ipso tempore plurimum impeditæ Regni curæ, minime Regem abesse patiebantur: siue propter obitum in Italia Othonis Imperatoris, & dubiam incerti successoris expectationem: siue propter ordinandas in Regno Ecclesias, quod tum maxime incumbebat: siue denique ad auertendum proxime imminens à Gyula auunculo bellum, de quo aliàs diximus.

D

IESV CHRISTI ANNVS 1019.	BENEDICTI PAP. VIII. ANNVS 8.	HENRICI IMP. 6. BASILII, ET CONST. IMPP. 44. STEPHANI REGIS 20.

Indict. 2.

STephanus Rex, postquam vt supra vidimus, Regno Leges dedisset, vt Regem etiam idoneum Regno post se relinqueret, Emericum vnicum filium E iam disciplinis grauioribus aptum, Catholicorum virorum doctrinis, quotidianæ lectionis vsum, & vtrasque, tam corporis, quam animæ aures eum voluit adhibere. Et quamuis eidem adiunxisset Religiosos Ordinis S. Benedicti viros, ex quorum præscripto è pietate mentem formaret, etsi Sanctissimum iuuenum illi non tam præirent exemplo, quam imitatione sequerentur: Nihilominus ipse paterni amoris stimulis impulsus, libellum ei de morum institutione hoc anno composuit: in quo fideliter, ac accuratè eum monet, quemadmodum ante omnia retineat Catholicam Fidem: Statum Ecclesiarum, & Cleri confirmet: honorem habeat Præsulum dignitati: Principes & Milites amet:

STEPHANVS EMERICVM FILIVM SANCTIS PRAECEPTIS IMBVIT.

recti

A recti iudicij sit tenax: in cunctis suis actibus studeat patientiæ: hospites benigne suscipiat, benigniùs alat, & foueat: sine consilio nihil agat: Maiores suos, perpetuo exemplo sibi ob oculos ponat: orationi crebro vacet: virtutes omnes, sed præcipue pietatem, & misericordiam indefesse colat. Scilicet sanctissimus Parens similem sibi filium his, & id genus sanctis documentis cùm successu ætatis erudiuisset, eadem in vsum congesta, & sua manu descripta eidem perpetui muneris, & monumenti causa tradidit.

Ea ne pius lector desideraret, adeoque tanti Regis pietatem, quam vtinam omnes Christiani Principes in erudiendis sui sanguinis hæredibus imitentur,
B cum voluptate veneraretur; hoc loco ex verbo, & ordine describenda duximus, vtique pro futura ad recolendam antiquæ deuotionis memoriam, & comparandam cum hodierna Politicorum versutia candidam sanctitatem. Omnino autem totus liber denis capitibus absoluitur, quibus huiusmodi præmittetur argumentum.

LIBELLVS DIVI STEPHANI
C
REGIS PARAENETICVS
AD EMERICVM DVCEM FILIVM SVVM.

Præfatio.

IN NOMINE SANCTÆ TRINITATIS, ET INDIVIDVAE VNITATIS.

D

CVm cuncta Dei nutu condita, suaque euidentissima præordinatione disposita, tam in amplitudine Cæli, quàm in istis aptissimis terrarum climatibus, ratione intelligentiæ funditus sentiam vigere, atque subsistere: cùmque affatim vniuersa huius vitæ vtilitati, dignitatique, gratia Dei concessa, scilicet Regna, Consulatus, Ducatus, Comitatus, Pontificatus, cæterasque dignitates, partim diuinis præceptis atque institutis, partim legalibus, partim iuridicis, partim ciuilibus, ac Nobiliorum, ætateque pronectorum consilijs, suasionibus regi, defendi, diuidi, coadunari videam; & cùm omnes ordines vbique terrarum, cuiuscunque sint dignitatis, non solum satellitibus,*
E *amicis, seruis, præcipere, consiliari, siue consulere, suadere; sed etiam filijs pro certo sciam: Tunc me ne pigeat, fili amabilissime, hac vita comite, tibi documenta, præcepta, consilia, suasiones parare, quibus tuæ vitæ mores, tibique subiectorum exornes, quando summa concedente potentia, post me regnabis. Te autem studiosè adhibita audientia, patris præcepta, iuxta diuinæ sapientiæ suasum, condecet obseruare, dicentis per os Salomonis: Audi fili mi patris tui disciplinam, & ne dimittas legem matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo, & multiplicentur tibi anni vitæ tuæ. Ex hac ergo sententia animaduertere poteris, si ea, quæ paterna pietate tibi præcipio, contempseris (quod absit,) quòd iam amplius amicus Dei, & hominum non eris. Audi verò inobedientium præuaricatorum præcepti, casum & præcipitium. Adam quidem,*

quem

MONET FILIVM AD CAPESSENDA PRÆCEPTA.

* al. iuridictionibus.

Prou. 1. & 4. & 6.

Gen. 2.

quem Dominus conditor, totiusque creaturæ plasmator, ad suam formauit similitudinem, eumque vniuersalis fecit heredem dignitatis, vinculum fregit præceptorum, statimque dignitatum sublimitatem, ac mansionem Paradisi perdidit. Antiquus quoque populus à Deo electus, & dilectus, quia ligamina mandatorum digitis Dei condita, dissecit, idcirco diuersis interijt modis, partem quidem terra deglutiuit, partem quoque exterminator mortificauit, & pars inuicem se interfecit. Filius quoque Salomonis, abijciens pacifica verba patris, ac superbia elatus, minatus est populo percussiones fra-mea, pro mastigijs;* idcirco multa mala passus est in Regno, & ad vltimum deiectus. Hoc tibi ne accidat, obedi fili mihi: puer es, diuitiarum vernula, puluinaris accola, fotus, educatusque in delicijs cunctis, expeditionum, laboris, atque diuersarum gentium incursionis expers; in quibus ego iam fere totam meam contriui ætatem. Iam tempus adest, in quo tibi non semper puluinarium mollities, quæ te hebetem, & delicatum reddant, adhibendæ sunt; quod est dissipatio virtutum, & vitiorum fomentum, atque contemptio mandatorum; sed interdum asperitas tribuenda est, quæ tuam intelligentiam ad ea, quæ præcipio, reddant attentam. His itaque præfatis redeamus ad propositum.*

Num. 21. Deut. 8. Iud. 8. * al. legamina. 3. Reg. 12. *Mastigijs pro flagellis. VERNVLA PRO SERVVLO.

A B

Cap. I. De obseruanda Catholica Fide.

REGEM CATHOLICVM ESSE OPORTET.

Quoniam ad regalis dignitatis ordinem non oportet nisi Fideles, & Catholica Fide imbutos accedere, idcirco Sanctæ Fidei in nostris mandatis primum damus locum. In primis præcipio, consulo, suadeo, fili carissime, si regalem cupis honestare Curiam, vt Fidem Catholicam, & Apostolicam, tali diligentia, & custodia conserues, vt omnibus tibi à Deo subiectis exemplum præbeas, cunctique Ecclesiastici filij merito te verum Christianæ professionis nominent virum, sine qua (pro certo scias) Christianus non diceris, vel Ecclesiæ filius: qui enim falsè credunt, vel Fidem in bonis non implent, & ornant operibus (quia Fides sine opere moritur) nec hic honestè regnant, nec æterno Regno, vel Corona participantur. Si verò statum retines Fidei, habes etiam galeam salutis. His quidem armamentis contra inuisibiles, & visibiles legitimò dimicare poteris inimicos. Nam ait Apostolus: Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit. Fides ergo, de qua loquor, hæc est: vt Patrem Deum omnipotentem, factorem totius facturæ; & vnigenitum eius Filium, Dominum nostrum Iesum de Maria Virgine, Angelo annunciante, natum, & pro totius mundi salute, in Crucis patibulo passum; & Spiritum sanctum, qui per Prophetas, & Apostolos, & Euangelistas locutus est, vnam Deitatem perfectam, indissolubilem, incontaminatam esse firmiter credas, & sine omni ambiguitate teneas. Hæc est Fides Catholica, quam (sicut Athanasius dicit) nisi quis fideliter, firmiterque crediderit, saluus esse non poterit. Si aliquando infra tuam inueniantur potentiam (quod absit) qui hanc* collationem Sanctæ Trinitatis diuidere, vel minuere, siue augere conantur; hos ipsos scias esse hæresiarchæ seruos, & non Sanctæ Ecclesiæ filios. Tales verò nec nutrias, nec defendas, ne te etiam videaris amicus, & fautor. Huiusmodi enim viri sanctæ Fidei filios omnino reddunt morbosos, & istam nouellam Sanctæ Ecclesiæ plebem miserabiliter destruunt, ac etiam dissipabunt. Hoc ne fiat, principaliter cura.*

Iacobi 2. * al. in æterno Regno, vel Corona participãt. 2. ad Timoth. 2. In Symbolo. *al. coniunctionem.

C D E

Cap. II.

A

Cap. II. De continendo Ecclesiastico statu.

In regali quidem palatio post Fidem, Ecclesia secundum tenet locum, à Capite nostro, scilicet Christo, Ecclesia priùs seminata, deinde per eius membra, vtique Apostolos sanctosque Patres trasplantata, & firmiter ædificata, atque per totum orbem diffusa: & quamuis semper nouam habeat prolem, in certis tamen locis, quasi antiqua habetur. Hæc autem fili carissime, in nostra Monarchia, adhuc quasi iuuenis, & nouella prædicatur, atque idcirco cautioribus, euidentioribusque eget custodibus, ne bonum, quod Di- ECCLESIA SECVNDVM A CHRISTO TENET LOCVM.

B *uina clementia per suam immensam clementiam nobis concessit* immeritis, per tuam desidiam, & pigritiam atque negligentiam destruatur, & annihiletur. Nam qui minuit, aut fœdat sanctæ Ecclesiæ dignitatem, ille Christi corpus* mutilare nititur. Ipse enim Dominus dixit Petro, quem custodem, magistrumque eidem posuit sanctæ Ecclesiæ: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Seipsum quidem nominabat Petram; verum non ligneam, vel lapideam super se ædificatam Ecclesiam dixit, sed populum acquisitionis, gentem electam, diuinam, gregem Fide doctum, Baptismate lotum, chrysmate vnctum, sanctam super se ædificatam Ecclesiam dixit, & appellat. Si quis infelix huius sanctæ Ecclesiæ membra, vel paruulos scandalizat,* *al. misericordiam. *mutare. Matth. 16

C *iuxta Euangelij præceptum dignus est, vt mola suspendatur asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris, id est, eijciatur de potestatis dignitate, & maneat extra Ecclesiam iustorum, in illa mundiali miseria, sicut Ethnicus, & Publicanus. Ac per hoc fili mi feruenti studio debes inuigilare in sancta Ecclesia, de die in diem, vt potiùs capiat augmentum, quàm detrimentum patiatur: inde quidem in primis Reges Augusti dicebantur, quia augebant Ecclesiam. Hoc & tu facias, vt tua corona laudabilior, & vita beatior, & prolixior habeatur.* Matth. 18. Marc. 9. AVGVSTI REGES VNDE DICTI.

Cap. III. De impendendo honore Pontificibus.

D

Regium solium ornat ordo Pontificum, ac per hoc in regali dignitate tertium possident locum Pontifices, charissime fili: Seniores illos ita custodias, sicut oculorum pupillas. Si illorum beneuolentiam habes, neminem aduersariorum timebis. Illis quidem te obseruantibus eris securus in omnibus; illorum precatio commendabit te omnipotenti Deo. Illos enim Deus diuini generis constituit custodes, fecitque speculatores animarum, ac totius Ecclesiasticæ dignitatis, ac diuini Sacramenti dispensatores, & datores. Sine enim illis, nec constituuntur Reges, nec principantur; per illorum interuentum delicta delentur hominum. Si illos perfectè amas, teipsum sine dubio sanas, tuumque* REGVM ORNAMENTA EPISCOPI. Hier. 6. Ezech. 3. *al. dispositores.

E *que Regnum honorificè gubernas. In manus enim illorum posita est potestas ligandi nos in peccatis, & à peccatis soluendi. Testamentum vero sempiternum statuit illis Deus, eosque segregauit ab hominibus, & sui nominis, atque sanctitatis fecit participes, & ab* humano die interdixit reprehendendos esse, per Dauid Deificum Regem: Nolite tangere Christos meos, &c. Ille autem tangit Christos Dei, qui contra diuinum, atque Canonum institutum, sacri Ordinis viros falsis criminibus fœdat, atque in publicum protrahit. Quod te omnino, fili mi, agere prohibeo, si vis beatus viuere, & tuum Regnum honestare: quia in his rebus in primis offenditur Deus. Si accidente casu, culpa, reprehensione digna, super aliquem horum, de quibus sermo est, ceciderit (quod absit) corripe eum, ter, quater inter te, & ipsum solum, iuxta præceptum Euangelij. Si tunc* Eccl. 45. *al. ab hominibus. Psal. 104. Matth. 17.

secrete

* al. fibi. *secretè renuerit audire monita, adhibenda* tibi sunt publica, secundum hac: Si te non audierit, dic Ecclesiæ. Nam si tu hunc ordinem seruabis, gloriosam, tuam penitus exaltabis coronam.* A

* al. Baronum.

Cap. IV. De honore Principum, & militum.*

HONOR, ET MVNVS PROCERVM.

Quartus decor regiminis est fidelitas, fortitudo, agilitas, comitas, confidentia Baronum, Comitum, Militum, Nobilium: illi enim sunt Regni propugnaculum, defensores imbecillium, expugnatores aduersariorum, augmentatores Monarchiarum. Illi enim tibi, fili mi, sint patres & fratres. Ex his verò neminem in seruitutem redigas, vel seruum nomines: illi tibi militent non seruiant, eorum omnibus sine ira, & superbia, atque inuidia pacificè, humiliter, mansuete dominare: Memoria retinens semper, quòd omnes homines vnius sunt conditionis, & quòd nil eleuat nisi humilitas, & nihil deijcit nisi superbia, & inuidia. Si eris pacificus, tunc diceris Rex; & Regis filius, atque amaberis à cunctis militibus. Si iracundus, superbus, inuidus, impacificus, ac super Comites, & Principes ceruicem erexeris, sine dubio fortitudo militum, hebetudo erit Regalium dignitatum, & alienis tradent Regnum tuum. Hoc timens, cum regula virtutum dirige vitam Comitum, vt tua dilectione angulati, semper Regali dignitati adhæreant inoffensi, & vt tuum Regnum per omnia sit pacificum. B C

Luc. 14.

Cap. V. De seruanda patientia, & iudicio ministrando.

PATIENTIA REGUM ORNAMENTVM.

Psal. 71. Psal. 98. 1. ad Thessal. 5.

Patientiæ, & iudicij obseruatio quinta regalis Coronæ est ornatio. David Rex atque Propheta dicit: Deus iudicium tuum Regi da. Et idem alibi: Honor Regis iudicium diligit. De patientia Paulus Apostolus loquitur: Patientes estote ad omnes. & Dominus in Euangelio: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Ad hoc tende, fili mi; si vis Regni habere honorem, dilige iudicium; si animam tuam possidere vis, esto patiens. Quotiescunque fili carissime, causa digna iudicari ad te venerit, vel aliquis capitalis sententiæ reus, noli impatienter portare, vel cum iuramento firmare, illum punire; quod instabile, & fragile debet esse, quia stalia vota frangenda sunt: vel per te ipsum dijudicare, ne tua Regalis dignitas vsurpatione inferiorum negotiorum fœdetur: sed potius huiusmodi negotium ad iudices mitte, quibus hoc commissum est, quod ipsi secundum suam hoc discernant legem. Time esse iudex, gaude vero Rex esse & nominari. Reges patientes regnant: impatientes vero tyrannizant. Quando autem aliquid, quod tua conuenit ad indicandum dignitati, tibi venerit, cum patientia & misericordia, siue miserantia, hoc indica, vt tua Corona laudabilis sit; & decora. D E

Cap. VI. De exceptione, & nutrimento hospitum.

EXTERNI REGNIS VTILES.

In hospitalibus, & aduentitijs viris tanta inest vtilitas, vt dignè sexto in Regalis dignitatis loco possit haberi. Vnde in primis Romanum creuit Imperium, Romanique Reges sublimati fuerunt, & gloriosi? nisi, quòd multi nobiles, & sapientes ex diuersis illuc confluebant partibus? Roma verò vsque hodie esset ancilla, nisi Aeneades ipsam fecisset liberam. Sicut enim ex diuersis partibus Prouinciarum veniunt hospites: ita diuersas linguas, & consuetudines, diuersaque documenta, & arma secum ducunt, quæ omnia Regiam ornant, & magnificant Aulam; & perterritant exterorum

A *terorum arrogantiam. Nam vnius linguæ, vniusque mortalis Regnum imbecille, & fragile est. Propterea iubeo, fili mi, vt bona voluntate illos nutrias, & honeste teneas, vt tecum libentiùs degant quàm alicubi habitent. Si enim tu destruere, quod ego ædificaui, aut dissipare, quod congregaui, studueris, sine dubio maximum detrimentum tuum patietur Regnum. Quod ne fiat, tuum quotidie auge Regnum, vt tua Corona ab omnibus augusta habeatur.*

Cap. VII. De magnitudine consilij.

B *In tribunalibus Regum, Consilium sibi septimum vendicat locum: consilio enim constituuntur Reges, gubernantur Regna, defenditur patria, componuntur prælia, sumitur victoria, propelluntur inimici, appellantur amici, Ciuitates construuntur, & Castra aduersariorum destruuntur. Vt verò consilijs inest vtilitas, à stultis, & arrogantibus, ac mediocribus (vt mihi videtur) non valent componi viris, sed à maioribus, & melioribus, sapientioribusque, ac honestissimis senioribus exprimi debent, & poliri. Idcirco, fili mi, cum iuuenibus, & minus sapientibus noli consiliari, aut de illis consililium quærere; sed à senioribus, quibus illud negocium propter ætatem, & sapientiam sit aptum. Nam consilia Regum in præcordijs sapientum debent claudi, non* VBI CONSILIA, SALVS.
C *ventositate stultorum propagari. Si enim gradieris cum sapientibus, sapiens efficieris; si versaris cum stultis, sociaberis illis; fatente Spiritu sancto, per Salomonem: Qui cum sapientibus graditur, sapientum erit amicus, nec stultorum erit similis. Et Dauid psallit: Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cū electo electus eris, & cum peruerso peruerteris. Ad hoc quicquid negocij vnicuique conueniat ætati, in hoc se exerceat: scilicet, iuuenes in armis, Senatores in consilijs: omnino tamen iuuenes non sunt expellendi à consilijs. Quoties verò cum illis consilium inibis, etiamsi sit habile; tamem semper ad Maiores differas, vt omnes actus tuos norma sapientiæ mensures.* Prouerb. 13. Psal. 17.

D

Cap. VIII. De imitatione Maiorum, & obedientia filiorum.

Imitatio Maiorum in Regali dignitate octauum possidet locum. Regale ornamentum scito esse maximum, sequi antecessores Reges, & honestos imitari parentes. Qui enim antecessorum Decreta spernit patrum, diuinas nec procurat leges, peribit. Patres enim idcirco sunt patres, vt nutriant filios, ideoque sunt filij, vt obediant patribus: IMITATIO, ET OBEDIENTIA, REGIA ORNAMENTA.
E *qui patri suo resistit, inimicus Dei consistit. Omnes enim inobedientes, Deo sunt resistentes. Spiritus enim inobedientiæ disperget flores Coronæ. Inobedientia enim totius Regni est pestilentia. Propterea, fili charissime, edicta patris tui semper tibi sint prompta,* vt prosperitas tua vbique Regalibus dirigatur habenis. Mores quidem meos, quos Regali vides conuenire dignitati, sine vinculo totius ambiguitatis sequere. Graue enim tibi est huius climatis tenere Regnum, nisi imitator consuetudinis ante regnantium extiteris Regum. Quis Græcus regeret Latinos Græcis moribus, aut quis Latinus Græcos Latinis regeret moribus? Nullus. Idcirco consuetudines sequere meas, vt inter tuos habearis præcipuus, & inter alienos laudabilis.* *al. promptuaria. VTINAM ID FECISSENT POSTERI.

Cap. IX.

A

Cap. IX. De obseruatione orationis.

ORATIO SALVS REGVM. *al. ablutio. *Obseruatio orationis, maxima acquisitio est Regalis salutis, & ideo nonum & nonaria regia dignitatis canit regula: Continua oratio est peccatorum * ablutio, & remissio. Tu autem, fili mi, quotiescunque ad Templum Dei curris, vt Deum adores,* 3.Reg.3. *cum Salomone filio Regis, & ipse Rex semper dicas: Emitte Domine sapientiam de sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret, vt sciam quid acceptum sit coram te omni tempore. Et iterum: Domine pater, & Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu maligno: extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, & desiderium malignum meum auerte à me Domine: aufer à me concupiscentiam, & animo* B *al. infrenato. *irreuerenti, * & infrunito ne tradas me Domine. Hac itaque oratione antiqui vtebantur Reges. Tu quoque hac eadem vtere, vt Deus cuncta vitia à te auferre dignetur, vt inuictissimus Rex à cunctis nomineris. Ora etiam, vt desidiam, & hebetudinem à te depellat; & supplementum omnium tibi tribuat virtutum, quibus visibiles, & inuisibiles vincas inimicos; vt securus, & expeditus ab omni incursione aduersariorum, cum omnibus tibi subiectis, cursum ætatis tuæ, vita cum pace possis finire.*

Cap. X. De pietate, & misericordia, cæterisque virtutibus. C

VIRTVTES REGVM GEMMA. Nouem Angelorum choris adnumerat chorũ Ecclesiæ militantis, & præsertim ex ea saluandorum. *Modus virtutum ornat Coronam Regum, & in præceptis ponitur decimus. Nam Dominus virtutum ipse est Rex Regum. Sicut ergo sui exercitus cælestis plenitudo, in denis consistit choris: sic tuæ vitæ conuersatio in decem persistat mandatis. Oportet Regem esse pium, misericordem, & cæteris virtutibus imbutum, & ornatum. Rex enim impietate, & crudelitate fædatus, incassum sibi vendicat nomen Regis, quia Tyrannus est dicendus. Ob hoc ego, fili mi amabilissime, dulcedo cordis mei, spes futuræ sobolis, precor, iubeo, vt per omnia, & in omnibus pietate fultus, non solum parentelæ,* D *& cognationi, vel Principibus, siue Ducibus, siue diuitibus, seu vicinis, & incolis sis propitius, verum etiam extraneis, & cunctis ad te venientibus: nam opus pietatis ad summam te ducit beatitudinem. Sis misericors omnibus vim patientibus, semper illud Domini in tuis præcordijs habens exemplum:* Ose. 6. Matth. 12. *Misericordiam volo, & non sacrificium. Patiens esto ad omnes, non tantum potentes, sed etiam potestate carentes. Sis denique fortis, ne te prosperitas nimis eleuet, aut aduersitas deijciat. Sis quoque humilis, vt Deus te altum faciat, hìc, & in futuro. Sis verò modestus, & vltra modum neminem punias, vel damnes. Sis mitis, & nunquam iustitiæ repugnes. Sis honestus, & nunquam alicui spontaneum inferas dedecus. Sis pudicus, &* E *cunctos libidinis fœtores, sicut stimulum mortis euites. Hæc omnia superiùs libata Regalem componunt Coronam, sine quibus valet nullus hìc regnare, nec ad æternum pertingere Regnum.*

Hactenus de documentis Stephani Regis. In quibus cùm in primis admireris diuinam Sanctissimi Regis sapientiam, & incomparabilem pietatem, zelum & charitatem erga Deum, Regnum suum, & vnicum filium, quem sibi Successorem parabat; tum vero non sine lacrymis cogites, hac eum spe frustratum, adeoque paucis post annis præmisisse, quem sibi superesse tot votis, tot lacry-

mis

A mis optabat, ac tanquam certum existimabat victurum secundùm se, & multiplicatis vitæ annis, regnaturum sanctissimè. Nunquid aliquispiam rectè hic obtrectet Stephano: *Vbi est spes tua, pro qua eleemosynas faciebas?* aut rectè à Domino interrogauerit: *Quis peccauit? hic, an parentes eius?* an Regnum Hungariæ, vt *hac* ita euenirent? Sed enim plane inanis est huiuscemodi obtrectatio expectanti vitam, *quam Dominus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.* Inanis plane interrogatio coram eo, qui *cùm iustus sit, iuste omnia disponit, & alienum æstimat à virtute sua condemnare, qui non debet puniri.* Et meminisse semper vtile fuerit: Hominem proponere, Deum autem disponere.

Thob. 2. Ioan. 9. Thob. 2. Sap. 12.

B Hoc anno Benedictus Papa ab Henrico Imperatore rogatus in Germaniam concessit. Id sequenti anno accidisse tradit Sigebertus; sed præstat sequi Hermannum, Lambertum, Marianum Scotum, Abbatem Vrspergensem, & alios, ex quibus & Baronius ad hunc annum signat. Huius verò in Germaniam secundæ profectionis causa non fuit occasio Schismatis, vt non nemo existimauit: Schisma quippe acciderat initio Pontificatus, ac tum ad Henricum adhuc Regem primo eum venisse superiùs ostendimus; sed præcipua causa fuit confirmandi sua præsentia Episcopatus Bambergensis, quem erexerat, eaque occasione dedicandæ Ecclesiæ, quam Henricus Diuo Stephano cōstruxerat. Vrgentissima

Ad hunc annū.

C tamen illa fuit, vt Imperatorem prouocaret ad ferendas aduersus Græcos suppetias, qui pedetentim, omnem ditionem vsque ad Romanos fines sibi vendicauerant, vel certe Principes sibi fidelitate deuinxerant. Nam inter alios Capuanus Princeps clam Basilio Imperatori Constantinopolitano fauebat, clauibus aureis ad eum missis; eo signo se, & Vrbem Capuanam; *immo & totum Principatum*, vt inquit Leo Ostiensis, *eius Imperio tradens.*

Lib. 2. Chron. cap. 39.

Iucundum porro est notatu, quemadmodum in his suis gestis Henricus Imperator, Stephani cognati sui æmulatus sit zelum, pietatem, & religionem. Hic enimuero Diuo Martino, regale extruxit Monasterium, de quo iam diximus:

ÆMVLA HENRICI, ET STEPHANI IN CONDENDIS ECCLESIIS PIETAS.

D ille paulò post Bambergæ S. Georgio Martyri dignum cum Basilica, sua maiestate erexit Cœnobium, innumeris donis locupletatum. Stephanus Albæ Regiæ sumptuosum Deiparæ Virgini Templum ædificauit: Simile Henricus Petro Apostolorum Principi, Bambergæ construxit. Stephanus vicissim Petro Apostolo, & Georgio Martyri sacras Ædes dicauit: Henricus, Stephano Protomartyri, & Sanctis omnibus magnificas Basilicas fundauit. Denique Stephanus Ciuitatem suam, & Regnum Deiparæ donatum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cum omnibus iuribus subiecit; plane & Henricus Bambergam Romano Pontifici, & Ecclesiæ Romanæ tradidit, eandemque, non Ecclesiam solam, vt fragE menta historiæ Aquitaniæ memorant, in honorem Dei Genitricis conseruauit, & parochias omnes in circuitu, vicosque, & omnes adhuc sub Paganismo degentes, spe certa conuersionis futuræ, eidem transcripsit. Agunt de his Leo Ostiensis, & Glaber, aliique. Porro per aliquot annos Bamberga Romanæ Ecclesiæ, vt Dominæ annuum censum, equum videlicet album, cum omnibus ornamentis, & phaleris suis, centumque marchis argenti persoluebat; donec Henricus iunior, Conradi filius, tempore Leonis Noni, Beneuento pro Bamberga dato, censum prædictum redimeret; ita anuente Pontifice, vt tamen equum sibi reseruaret.

Leo lib. 2. c. 97. Glab. in præfat. lib. 5. Hist.

A

IESV CHRISTI ANNVS 1020.	BENEDICTI PAP. VIII. ANNVS 9.	HENRICI IMP. 7. BASILII, ET CONST. IMPP. 45. STEPHANI REGIS 21.

Indict. 3.

STEPHANVS SINGVLIS TRIENNIIS VISITAT MONASTERIA, ET ECCLESIAS.

GYsela Regina Vesprimij cum Rege agebat: illa quidem amore loci capta, ob insignem Basilicam, qua eam Ciuitatem ornarat: hic vero ex instituto; nam singulis pene triennijs obibat Monasteria, & Ecclesias, prouisurus vbi necesse foret. Aderat etiam Emericus vnica spes parentum, iam annum agens tertium supra decimum: in adolescentia, senili virtute præditus, nihil temporis interponebat, quod pietati non commodaret; ac in primis orationis studio feruens, ardebat Deum toto corde. Quo factum, vt aliquando vno tantum famulo conscio, Templum Diui Georgij Martyris, vetustum, à Carolo Magno quondam fundatum, orationis causa peteret, ibique ante aram in preces incumbens, vocatis in consilium pijs animi cogitationibus, diligenter secum disquireret, quodnam Deo posset gratissimum munus offerre, apud animum contestatus, si de voluntate diuina sibi constet, facturum se quantocyus, quod iuberetur. In hanc cogitationem tenero cordis affectu effusus, dum aliquantum moratur, repente lumine immenso tota repletur Ecclesia, voxque cælitus auditur eiusmodi: *Præclara res est Virginitas: itaque mentis, & corporis virgineam integritatem à te exigo: hanc offeras Deo, & in ea constanti animi proposito perseueres*. Audijt Emericus, & sacro quodam horrore, sed suauiter percitus, nec suis præfidens viribus, illico ad Dei gratiam confugit: *Domine Deus*, inquit, *qui inspicis omnia, qui humanam imbecillitatem adiuuas, qui aufers spiritum Principum, & terribilis es apud Reges terræ; perfice in me gratissimam voluntatem tuam, & noxias perniciosasque concupiscentias rore misericordiæ tuæ prorsus extingue. Confirma fragilitatem serui tui, vt in tuo seruitio perpetim perduret: ab omnibus carnis illecebris, & spurca libidine pro tua benignitate eam tuere, præstaque ne vnquam è tua gratia excidat*. Porro diuina consolatione confirmatus, rem hanc apud se tacitam habuit; & famulo quoque conscio, ne cuiquam indicaret, quoad sibi in humanis esse liceret, grauiter interdixit: quo factum, vt plura notitiam hominum effugerint ipso celante; nec postquam excessisset, si hoc vnicum excipias, in lucem venerint.

B

VOX EMERICO CÆLITVS REDDITA.

C

Psal. 75.

D

BOLESLAI POLONIÆ REGIS PIETAS, ET MVNIFICENTIA.

al. Dlugoscius in Hist. Pol.

Hoc eodem anno Poloniæ Ecclesias magnificentia Boleslai Regis locupletatas, & redditibus stabilitas, narrat Ioannes Longinus Canonicus Cracouiensis. Scilicet tot trophæis reportatis, cùm Principatum suum magnificatum esse probe cognouisset, hoc officio Dei gratiam rependere, & vltro promereri ambiebat, exemplo Stephani Regis Hungarorum prouocatus, cuius Regnum id genus pietate, & religione florentissimum euasisse non ignorabat. Illud profectò inter alia laudabile, quòd *Decimarum manipularium, Ecclesijs ac ministris Dei solutionem, ita nullatenus passus sit, aut varietate aliqua diminui, aut in dubium aliquatenus reuocari, vt mandaret, serioque decerneret, illam esse perpetuam, & perennem; varia vltionis diuinæ flagella, filijs, nepotibus, successoribus suis interminans, si per quemplam illorum contigisset illam intercipi, transmutari, vel rescindi*. Hæc fere Longinus.

E

CVR MVLTA CHRISTIANORVM REGNA DEFICIANT.

Probè opinor cognouerat Boleslaus, nō pauca Regna, ob negatū, vel fraudatū à Principibus, Ecclesiarum, & ministrorū censum, paulatim declinasse, ac tandem præ-

A præcipitasse; auersa diuinitus statuta eorum mercede, quorum precibus, & apud Deum intercessionibus Regna fulcirentur; vt dubio procul affirmare ausis, in hodiernum vsque diem, nullum Principatum diu stetisse, in quo Ecclesijs, & ministris earum, debitæ decimæ, dolo, aut fraude, aut vi detractæ sint; ne dicas pleraque, imò omnia Regna, quæ vel ab Orthodoxa religione defecerunt, vel etiam bellis infidelium conflictata, iugum tandem subierunt, ex huiusmodi causis initium ruinæ traxisse. Ita plane, & Poloniæ nobilissimum Regnum pietate fundatum, pietate auctum, pietate pariter conseruatum, & propagatum ad posteros semper inuenimus; nutasse vero, cùm iacta primitus fundamenta B sunt conuulsa.

IESV CHRISTI ANNVS 1031.	BENEDICTI PAP. VIII. ANNVS 10.	HENRICI IMP. 8. BASILII, ET CONST. 46. STEPHANI REGIS 32.

Indict. 4.

C Stephanus in Regni curas animo & viribus intentus, cùm de more, Deo, & B. Virgini Patronæ, se suosque commendasset, (quod quidem sæpe, de die, sed statis horis præterea, ante quam cubitum pergeret, facere consueuerat) quadam nocte adulta de periculo suorum diuinitus monitus, & somno experrectus, quod viderat concitata cura voluebat. Itaque repente accersito veredario, intra diem, & noctem properare iubet Albam Transylnaniæ, omnesque præsertim ruricolas, monere, vt quamprimum ad Vrbes munitas se conferrent: futurum enim, vt gens effera Bessorum ingruens, vastationem illatura, & prædas actura esset. Erant hi Thraciæ Populi, non procul à Ponto, ad Æmum, D siue Hæmium montem habitantes, latrocinijs, & rapinis vitam traducentes; vnde à prædationibus, vulgo tum prædones appellabantur: qui cùm omnium Christianorum hostes essent, quòd hi rapinas prohiberent, tum maxime Hungaris non ita pridem Christiana sacra amplexis, infensi, & infesti erant. Porro vix nuncius à Stephano Rege missus mandata impleuerat, cùm inopini hostes magno numero in foribus Regni adessent, incendijs & rapinis omnia miscentes, saluis duntaxat hominum capitibus, quòd plerique ex ea sancti Regis præmonitione, in tuta loca sese recepissent. Ac tum cognouerunt, non minus eum valere armis, quàm apud Deum sanctitate; creditumque est ab omnibus, Dei-E paræ Virginis monitu, cui se cum Regno pridem deuouerat, periculum maius auertisse.

STEPHANI REGIS VISIO.

BESSI QVI.

HVNGARIS CVR INFESTI.

Hoc anno Germania magnis terræmotibus quassata, multis saluti fuit, qui diuinam ob peccata populorum vltionem interpretati, ieiunijs, eleemosynis, arrepto vitæ arctioris instituto, alijsque operibus pietatis, noxas redemerunt. Durarunt ij per dies aliquot; sed præcipue duodecimo Maij, feria sexta, maximo cunctis terrori fuerunt.

IESV CHRISTI ANNVS 1022.	BENEDICTI PAP. VIII. ANNVS 11.	HENRICI IMP. 9. BASIL. ET CONST. IMPP. 47. STEPHANI REGIS 23.

Indict. 5.

STEPHANVS, ET GYSELA NOVAM BASILICAM MOLIVNTVR.

STephanus Rex cum Gysela coniuge, & Emerico filio, ad Budam veterem venientes, cùm locum amœnum, refertumque incolis animaduertissent, nec tamen esse vllum Templum, in quo Sacra peragerentur; illico magnificè exædificandum, ampleque donandum Cœnobium cum Basilica statuerunt; eamque Principibus Apostolorum Petro, & Paulo nuncupandam. Acciti artifices è Græcia, vt opus memorabile facerent, statuarij, ac plastici vndique magna mercede conducti. Induxerat in animum pius Rex, vt Romanam sanctitatem, Principis Apostolorum memoria in Vaticano sacram, hoc velut compendio exprimeret, religionemque Catholicam, ea Æde & splendore fabricæ, & Reliquiarum copia exornatissima, toti Orbi commendaret. Ac vt magis ferueret opus, cum coniuge pietatis socia, filioque, si superesset, herede, ibidem constiterunt. Non paucis annis laboratum: signa, tabulæ, ac ornamenta omnis generis, & precij parabantur: vltima tamen manus imponenda morabatur expectationem, vt Deo aliter disponente, neuter compos voti euaserit. Tanta quippe moles, vitam Regis ac Reginæ superans, à cœpto destitit; donec tandem circa annum millesimum octuagesimum quintum à Sanctissimo Rege Ladislao, Stephani pronepote perfecta est, vt in loco dicemus. B C

VETVS BVDA.

Est porro Vetus Buda, Ciuitas loco amœno iuxta Danubium sita, in Diœcesi Vesprimiensi, olim Sicambria dicta, & multis rebus clara. Sicambriam nominatam volunt à Germanica legione, quam olim Antonini, & Seueri temporibus ad coërcendos Barbarorum impetus illic collocatam volunt. Id ostendit vetus illa inscriptio, apud Appianum, & Amantium. *Legio Sicambrorum hic præsidio collocata, Ciuitatem ædificauerunt, quam ex suo nomine Sicambriam vocauerunt.* Fuit hic lapis effossus in Veteri Buda, regnante Matthia Rege Hungariæ, dum fundamenta iacerentur ædium Reginæ Beatricis. Eadem etiam *Legio auxiliatrix* dicebatur, quæ Sicambris remotissimis Germaniæ populis constabat. *Syngambros* legit Ptolemæus, Strabo *Sugambros*. Valentinianus Imp. *Francos* dixit, hoc est, feroces; qui olim Troiani, postea etiam vocati sunt *Antenoridæ*. Extant hodieque vetustissima Vrbis vestigia: sed floruisse non solum temporibus Regis Matthiæ, quemadmodum ex modo dictis colligitur (secus enim neque ad extruendas Reginæ ædes, delicias hic quæsiuisset suas) verum etiam longe ante celebrem fuisse, satis indicat erectio Studij Generalis, quod Bonifacius Nonus, Millesimo trecentesimo octuagesimo nono, & primo sui Pontificatus anno, petente Sigismundo Rege, concessit, omnibusque priuilegijs, & immunitatibus ornauit, constituto eiusdem Studij Cancellario Præposito Ecclesiæ S. Petri, ac vt Præpositi eiusdem Ecclesiæ, necnon Canonici, ex Doctoribus assumi possent, sanciuit. De qua re alibi plura. D E

SYNGAMBRI AL. SVGAMBRI ET FRANCI. Lib. 4.

HENRICVS IMP. ROM. IN ITALIAM VENIT.

Hoc item anno Henricus Imperator, Legationibus Nortmannorum, atque ab ipso Benedicto Papa rogatus, in Italiam se contulit, vt Græcos, qui sua potentia Romanæ Ecclesiæ iam formidabiles euaserant, compesceret. In itinere cùm per Alpes descendisset, misit, qui S. Romualdum in Sytriæ mõtibus cũ suis Monachis

Deo

A Deo vacantem accerſerent. Ad quem cùm is acceſſiſſet, aſſurgens Imperator miro cordis affectu in hanc vocem erupit: *O vtinam anima mea eſſet in corpore tuo*. Primo die nullum Romualdus verbum protulit, ſed altero ingreſſus ad eum, pluribus egit de reſtituendo iure Eccleſiarum, de violentia Potentum, de oppreſſione pauperum; poſt omnia vnum, pro diſcipulis ſuis Monaſterium petijt: cui Imperator continuò Monaſterium Amiati tradidit, eiecto eius loci Abbate, qui, vt ſcribit Petrus Damiani, *multis malis erat obnoxius*. *In Romualdo cap. 69.*

Ita precibus ſancti Viri, ad victoriam ſibi viam aperuit, imitatus Theodoſium, qui dimicaturus aduerſus Tyrannos, legationem primum miſit ad Ioannem Anachoretam in Ægypto morantem. Id plerique etiam priſci Hungarorum Reges à Stephano docti in more habuerunt, vt nunquam bellis congrederentur, niſi priùs conſultis viris, quos Deo plenos, & familiares cognoſcebant: & hos quidem, vel ſecum habebant, vel longe poſitos humiliter adibant, conſulebant, ſuamque, & Reipublicæ ſalutem ipſis commendabant. Illud præterea habuit commune cum Stephano Henricus, plane Dux ſanctiſſimus, & numeris omnibus Chriſtianiſſimi Imperatoris abſolutus, nunquam vt prælium iniret, niſi prius facta delictorum expiatione, & milite ſanctiſſima Euchariſtia munito; denique conciliatis Patronis, Laurentio, Georgio, Hadriano, Martyribus, (quibus Stephanus addebat Stephanum Protomartyrem, Martinum Hungariæ patronum) quos præuio Angelo præcedere conſueuiſſe aliquando vidiſſet exercitum: vtique tamen religio ſingularis erat, ſupremam poſt Deum in Deipara Virgine locare fiduciam.

ROMVALDI PRECIBVS GRÆCOS VINCIT HENRICVS.

HENRICI, ET STEPHANI MORES ANTE PRÆLIVM.

B

C

Multis porro captis Vrbibus, & potentia Græcorum humiliata, clarus Henricus, vt Deo gratias ageret, ad Monaſterium Caſſinenſe diuertit. Vbi & religione loci, & ſacro quodam horrore delectatus, cùm tamen dubitaret, an ibidem ſancti Benedicti Corpus verè ſepultum eſſet, an potius aliò translatum; doloribus quibus antea captus erat, acriùs vexari cœpit: nec multo poſt lectulo affixus, & ſemiſopitus, velut in exceſſu vidit B. Benedictum, de cauſa doloris ſciſcitantem. Cui cùm reſpondiſſet, intulit ipſe: *Scio te an hic quieſcam, hactenus dubitare: ſed vt certior reddaris, hoc tibi argumentum erit. Mane ſurgens in egeſtione vrinæ tres vnà emittes lapides grandiuſculos, nec ampliùs hoc dolore torqueberis. Ego qui hæc dico, ſum Frater Benedictus*. Quibus dictis euanuit. Nec mora, vigilans continuo ſurrexit Henricus, & priſtinæ ſanctitati redditus, veritati euentum reſpondere intellexit: Deoque, ac Benedicto gratias agens, publicus eius ſanctitatis præco ſuſis deuotè lacrymis extitit, multis donarijs precioſis Monaſterium exornans; neque ſolum, ſed vbicunque poſtea translationis eius hiſtoriam inuenire potuit, flammis exuſſit, palam omnibus teſtatus non alibi ſacrum eius depoſitum, quàm eodem loco haberi, certe ſibi conſtare: nec non friuolam illam translationis narrationem prorſus eleuauit, qua nonnulli fabulati ſunt vnum eundemque Angelum, & ad ſurripiendum quoſdam eſſe hortatum, & Romanum Pontificem inſtigaſſe ad inſequendum, illoſque viciſſim vt fugerent monuiſſe. Quæ quamuis ita ſe habeant, adhuc tamen non deſunt etiam recentes Scriptores, qui Reliquias, & vt verbis illorum vtar, *ſacrum corpus* S. Patriarchæ apud Floriacum Cœnobium in Diœceſi Aurelianenſi è Caſsino pridem illuc translatum quieſcere, & ſumma veneratione ſeruari affirment.

D

B. BENEDICTVS APPARET HENRICO IMP. ET EVM CVRAT.

E

Andr. Gauſſelus in Martyr. Gall. ad 21. Mart.

BOLESLAVS REX NVTANTEM POLONORVM ECCLESIAM FIRMAT.

A Hoc item anno Polonorum Ecclesia, conspiratione Nobilium decimas soluere renuentium, nutare cœpit; sed Regis Boleslai maximè pij authoritate, & studio firmata est. Captis quippe authoribus, qui spretis Ecclesijs, Sacerdotes quoque e medio tollere decreuerant, ijsque partim verberibus, partim capitali supplicio affectis, incendium in ipso suo ortu extinctum est. Ex horum reliquijs postea nonnulli in Hungariam dilapsi, rebellioni ansam dederunt, ac vt Christi Fidei exitium intentaretur, enixè studuerunt. Ita Crucis sanctæ inimicus diu ferre non potuit florentem Euangelij apud Hungaros statum, quin funestaret. Verùm hæc contigere post obitum Stephani Regis.

B Hoc denique anno, & non vt quidam scribunt, septuagesimo tertio, coactum Salegunstadiense apud Moguntiam Concilium, Canones quosdam edidit ad Ecclesiasticam disciplinam spectantes. In quibus inter alia, cohibita, & restricta est numerosior à quolibet Sacerdote, in die Natiuitatis Domini Missarum celebratio: ne quisquam videlicet ampliùs quàm tres Missas eo die celebrare præsumeret. Nam cùm accepissent totidem Missas in die Nauitatis S. Ioannis Baptistæ ex vsu antiquo multis adhuc in locis piè celebrari, consentaneum putabant, numero in solennijs Natiuitatis Domini excedere. Cæterùm non in die solum Ioannis Baptistæ, sed etiam alijs minus solennibus, plures olim Missas haberi solitas, exploratum est in Historijs Ecclesiasticis. Et quidem S. Vdalricum C Augustanum die quodam Dominico bis celebrasse, tradit Marcus Velserus in eiusdem vita: sed quod ampliùs mireris, Leonem Papam Tertium septies nouies ue, sæpius, nullo discrimine dierũ habito, idem factitasse, fideliter testatur Vvalafridus Strabo, (breuiores eæ fuerint oportet, iuxta ea, quæ tradit Lindanus de Liturgijs) cùm interim Bonifacius Archiepiscopus, & postea Martyr, sanctitate & doctrina præcipuus, non nisi vnam celebrare quot diebus consueuerit; ita vnoquoque in suo sensu sancte abundante. Postea tamen, quod in Ecclesia Romana iam pridem cœperat, relictis tot Missis in die Baptistæ celebrandis, & ea solennitate ad diem Natiuitatis Domini translata, ne reliquis diebus pluralitas in absum vergeret, Alexander Tertius ad vnam reuocauit. D

Cap. 15. *De Reb. Eccl. cap. 21.* *De Liturg. S. Petri.* *Cap. sufficit. De consecrat. dist. 1*

PEREGRINATIO ROMANA HVNGARIS RELIGIOSA.

Erat porro illa tempestate suscepta passim consuetudo ex quadam indiscreta pietate profecta, ac præsertim in Hungaria religiose obtinuerat, vt delicti quantumuis grandis authores, fuga se eximentes ad Limina Apostolorum peregrinarentur, eoque liberos se, nec vlli amplius sententiæ Iuris obnoxios crederent, adeoquè impunè reuerti possent. Seruata diu ante fuit ea apud Germanos quoque religio; tantum reuerentiæ Liminibus Apostolorum deferebat candida maiorum sanctitas. Sed cùm id genus pietatis, in rei publicæ damnum vergeret, Principum, præsertim Ecclesiasticorum, prudentia, atque in primis hoc Concilio E Salegunstadiensi cantum est, ne qui aliquo crimine impetiti liberarentur per dictam peregrinationem, nisi prius in loco delicti Sacerdoti satisfecissent, ac deinde si vellent, cum Episcoporum data in scriptis licentia Romam adire possent: Quæ sanctio ita quoque deinceps apud Hungaros suscepta fuit, vt tamen plerunque authoritate Sacerdotum, præcipue Episcoporum, si delicta publica essent, ea peregrinatione pœnæ etiam capitales redimerentur.

PEREGRINATIONIS ROMANÆ APVD HVNGAROS PRIVILEGIA.

Eodem quoque Concilio prorogatum est sacrorum Ieiuniorum spatium: vt nempe omnes Christiani, quatuordecim diebus ante solennia Diui Ioannis Bapti-

A Baptistæ carnibus abstinerent. Quæ sanctio si alicubi, diu in Hungaria perquam religiosè tenuit, sicut & cætera ibidem pro Ecclesiasticæ disciplina, constituta, quæ apud alios paulatim desuetudine quadam concesserunt.

IESV CHRISTI ANNVS 1023.	BENEDICTI PAP. VIII. ANNVS 12.	HENRICI IMP. 10. BASILII, ET CONST. IMPP. 48. STEPHANI REGIS 24.	Indict. 6.

B

STephanus Rex, & Gysela Regina, religioni, & pietati intenti, de cultu Dei extollendo varia cum Antistibus locorum consilia ineunt; ipsi etiam ciuitates, & oppida obeunt, vbique in rem præsentem vigilantes. Inter alia verò de inquirendis Sanctorum Reliquijs, quibus, & Ecclesias ornarent, & Regnum emunirent, soliciti, miserunt Romam, qui à Benedicto Pontifice eas impetrarent. Gratissimum id accidit Benedicto, sponte etiam id facturo, quòd plures iam aliorum suggestione, selegisset, mittendas ad diuersos Christianos C Principes, pari religione eiusmodi dona flagitantes; in quibus Stephanus non postremo loco, religione sua, & æstimatione, amoreque Pontificis numerabatur. Qui porro hoc eodem tempore Monasterium Casinense plurimis Sanctorum Reliquijs ditauerat, ijsdem fere, & Regem Stephanum, & Hungaricas Ecclesias ornare decreuit. Misitque per Monachos Ordinis Benedicti, ab eodem Rege destinatos, de Ligno, & Vestimentis Domini, de Velo Deiparæ Virginis, de omnium fere Apostolorum Reliquijs, necnon Martyrum, & Confessorum quorundam in Vrbe singularium, Laurentij, Stephani Papæ, Pelagij Papæ, Iuliani, Augustini, Christophori, Æmiliani, Nicandri, Marciani, Alexij, D Anastasiæ, Eugeniæ, Ioannis & Pauli, Quadraginta Martyrum, & aliorum plurimorum. Super omnes tamen, singulari dono, misit eidem Regi particulam Spongiæ sanguine Protomartyris Stephani imbutæ, necnon particulam ossis brachij S. Martini Turonensis, Hungaria oriundi, & Hungariæ singularis Patroni.

STEPHANVS, ET GYSELA PRO RELIQVIIS SANCTORVM ROMAM MITTVNT.

QVAS RELIQVIAS MISIT BENEDICTVS IN HVNGARIAM.

Quæ omnia dici non potest, quàm grata accidère non Stephano solum, & Gyselæ, atque Emerico filio, verùm toti Hungarorum fideli Clero, & Populo: quæ proinde cùm venissent, solenni apparatu, & die decretorio excepta, in varias Ecclesias distributa sunt, retentis pro Deiparæ in Alba Regali Templo E præcipuis muneribus, quæ Regi placuissent. Misisse Stephanum non semel Romam ad Reliquias deferendas, quoad Hungaria ex suo sinu Sanctos funderet, alibi dicemus. Sed & Boleslaum Poloniæ Regem, post S. Adalberti Martyrium, Martyribus abundantem, studuisse hoc genus sacris muneribus Stephano mittendis, apud nonnullos lego: Constantinopolitani tamen Imperatores, suo tempore nominandi, in magna sacrorum copia, vix liberalitate alijs concesserunt. Quin ipse Turcorum Princeps Baiazetes, vt bene de Matthia Primo Potentissimo Rege mereretur, nihil habuit antiquius, quàm si eidem integrum, & incorruptum Diui Ioannis Eleemosynarij sacrum Corpus dono mitteret. Sed nec Matthiæ, totique Regno Hungariæ accidere quicquam potuit gratiùs. Id Budæ

splen-

splendida religione diu cultum: ea capta, per interualla locorum, Posonium translatum, hodieque seruatur integrum, nec minus celebri Catholicorum pietate colitur. Qua de re plura suo ordine dicturi sumus. A

HENRICI IMP. CVM ROBERTO REGE COLLOQVIVM.

Hoc eodem anno Henricus Imperator, ex Italia in Germaniam rediens, cum Roberto Rege Christianissimo in colloquium venit. De his ita Sigebertus: *Henricus Imperator, & Robertus Rex Francorum super Carum fluuium apud Euasium conueniunt, de statu Ecclesiæ Regni, & Imperij tractaturi; & condicto, vt super his confirmandis, etiam Papam Romanum, simul ambo Papiæ opportunè conuenirent. Imperator Regem, & suos multos etiam, qui tantùm ad demirandam Imperatoriam Maiestatem conuenerant, tanta liberalitate donauit, vt opibus Regum* B *Persarum, aut Arabum posset comparari Imperatoris munificentia.* Hæc Sigebertus. Sed habet & alia Glaber. (Lib. 3. cap. 2.) Quod cùm ad Mosam flumen, qui limes est Regni vtriusque, peruenissent, fuerint vtrinque plures, qui alterum alteri obsequio humiliari indecens iudicarent; proinde dicerent expedire ad medium fluminis vtrosque eodem tempore nauibus appellere, & colloqui. Sed enim Imperator huiusmodi Politicorum vanitate contempta, prior ipse mane surgens cum paucis transijt ad Robertum, ipsumque mutuo amplexu, & osculo salutatum honorauit; ipso vicissim humiliter gestiente, & præuenientis officium verecundè magna cum voluptate admirante: vna deinde sacro Missæ officio præsentes, vna pransi lætum diem egerunt. Vicissimque altero die Robertus cum suis flumine transito, officium singulari velut obsequentis animi demissione reddidit, & vnà pransus, adhibita etiam Imperatrice, gratissimi hospitis munus impleuit. C

HVMILITAS HENRICI POLITICORVM CONFVSIO.

Hinc, inquit Baronius, *discent Principes, multoque magis alij inferioris status homines, quàm vanè, quàm superbè disceptent inter se vsque ad internecionem de præcedentia, dum alter alterum supergredi omni conatu laboret.*

Narrat deinde Glaber, quibus muneribus sibi inuicem gratulati sint Henricus, & Robertus, quamue parce ex ijs mutuo quisque sibi desumpserit. Robertus primum, ingentem auri & argenti, & preciosarum gemmarum vim obtulit, deinde centum equos egregiè phaleratos, impositis loricis, & galeis. Contra Imperator, præter id genus, centum quoque libras auri puri donauit. Verùm Henricus ex omnibus à Roberto oblatis, librum duntaxat Euangelij auro, & lapidibus preciosis insertum, ac phylacterium simile continens dentem S. Vincentij Leuitæ & Martyris: Imperatrix verò inaures duntaxat, paris operis & precij suscepit; cætera gratiæ Roberti relicta, qui similiter ex donis Henrici pauca quædam cum gemmatis item inauribus abstulit. D

Quo autem amicitiæ vinculo, quo amoris sensu, in Orbis Christiani salutem conspirantes mutuo sese deuinxerint, dici nō potest. Atque vtinam extarent, quæ inter se pacta firmarint! quàm sancta, quàm syncera, quàm Romanæ Ecclesiæ proficua! esset vnde huius seculi Principes, religionis, & reuerentiæ rarum exemplum petere possent. Enimuero cùm ambo Principes essent maximè pij, pluresque suorum experti fuissent infideles, & rebelles, mutuo egebant auxilio, & consolatione, qua pijs collatis consilijs confortati, vt Romanæ Ecclesiæ authoritatem, & Fidem paribus animis tuerentur, in manum conueniebat. Ad quam pietatem fouendam non parum conferebat religio Stephani: de cuius zelo & sanctitate, cùm omnia sibi promitteret Imperator, eandemque Regi commendaret, E

QVALE STVDIVM IVVANDI ECCLESIAM TRIVM PRINCIPVM POTENTISSIMORVM HENRICI, ROBERTI, STEPHANI.

A daret, mirum in modum vterque recreabatur; præsertim, cùm eos non lateret, quantum fiduciæ Benedictus Pontifex, adeoque tota Romana Ecclesia, & reliquorum pietas Christianorum Principum, in Stephano reposuissent.

IESV CHRISTI ANNVS 1024.	IOANNIS PAP. XX. ANNVS I.	HENRICI IMP. II. BASIL. ET CONST. IMPP. 49. STEPHANI REGIS 25.

Indict. 7.

B

Benedictus Papa, postquam annis duodecim Ecclesiæ præfuisset, ex hac vita migrat, die vigesimaseptima Februarij, feria sexta. Eum ex Purgatorij flammis, precibus Odilonis Abbatis Cluniacensis liberatum, Petrus Damiani tradit. Eidem successit germanus, & ipse Gregorij Comitis Tusculani filius, Ioannes, *largitione pecuniæ*, vt loquitur Glaber, *repente ex laicali ordine neophitus constitutus Præsul*. Qui tamen, cùm reuelatione Episcopo Capreæ facta, intellexisset, fratrem suum dictis flammis cruciari, continuò in se reuersus, Papatui C renunciauit, & Monachum indutus, ex aliena calamitate saluti suæ consuluit. Nó diu tamen postea iterum, sed legitimè, electus, annis decem Ecclesiam rexit. Quomodo autem Benedictus Episcopo etiam Capreæ apparuerit, nam antea Ioanni Portuensi se exhibuerat, cumque vt Odiloni de suis tormentis significaret, rogauit; narrat idem Petrus in epistola ad Nicolaum Secundum Pontificem: Apparuisse nimirum equo nigro insidentem; ad quem cùm Episcopus, *Heus*, inquit, *nonne tu es Papa Benedictus, quem defunctum liquido nouimus?* Respondit ipse: *Infelix ego sum.* & ille: *Quomodo tibi est Pater? Grauibus*, ait, *tormentis afficior: spe tamen, si adiutorium præbeatur, mea recuperatione non priuor. Sed* D *perge quæso ad fratrem meum Ioannem, qui nunc Apostolicam occupat Sedem, eique mea functus legatione denuncia, vt illam potissimum summam, quæ in tali theca reconditur, in pauperes, pro mea salute distribuat; sicque me redimendum esse, quandocunque decreuerit diuina miseratio, agnoscat. Nam cætera, quæ pro me sunt indigentibus tradita, nihil penitus profuerunt, quia de rapinis, & iniustitijs acquisita sunt.* Hæc de Benedicto Papa; egregio documento, quid possint eleemosynæ, & piæ oblationes, seu legata ex iniustè partis; & an tutum sit per fas & nefas cumulatis, vrgente morte, iniustitiam redimere.

BENEDICTI P. OBITVS.

In vita Odilo-nis.

Lib. 4. cap. 1.

BENEDICTVS APPARET IOANNI PORTVENSI.

Ad hunc porro Ioannem circa hunc annum Basilius Imperator Constanti- E nopolitanus cum suis Legationem, & munera præclara misit, vt eius consensu liceret Ecclesiam Constantinopolitanam in suo Orbe, sicut Romanam in vniuerso, Vniuersalem dici, & haberi. Et facilè auro expugnatum fuisset, nisi quod clanculo agebatur, diuinitus innotuisset; eaque de causa plures viri Deo pleni, sed præcipue Vvilletmus S. Benigni Abbas, se opposuissent.

BASILII AD IOANNEM QVALIS LEGATIO.

Hoc eodem anno etiam S. Henricus Imperator præclaris, & immortalibus operibus editis, famaque inclytus, ex mortali, & perituro Regno ad cæleste, & immortale imperium est profectus, die decima tertia Iulij, Dominica, postquam regnasset annos duodenos, imperasset non integros vndecim, vixisset duos supra quinquaginta. *Ad mortem*, porro, *veniens Henricus*, inquit Leo Ostiensis, *Episco-*

S. HENRICI IMP. OBITVS.

Lib. 2. cap. 47.

Episcopis Abbatibusque præsentibus, Chunegundem coniugem suam propinquis tradidisse dicitur, ac dixisse: Recipite quam mihi tradidistis virginem vestram; vt qui mutuo consensu castitatem, Christi amore seruare statuissent. Recte hoc loco Baronius: *Vidit infaustum seculum nunquam hactenus visum in continentia tantorum Imperatorum miraculum: gloriatur iure Germania, vno se edidisse partu Augustum, & Augustam Sanctos Imperatores, inter Sanctos relatos ambos.* Hæc Baronius. Cui facile etiam subiuerit admirari, tot seculis desideratos eorum ex solenni ritu Officij honores; vt suos Romanum Breuiarium non norit tanti exempli Imperatores, tam excellenter de Romana Ecclesia, adeoque de tota sanctitate promeritos: nisi diuina fortasse prouidentia, difficiliora tempora designarit, patrociniis eorum è Cælo implorandis, quorum opem dum in terris versarentur, Romana Sedes perquam vtilem sibi semper experta est. Interim Henrici Secundi Sanctissimi Imperatoris memoria nunquam obliterabitur, quòd Ecclesia Romana meminerit Mathildis illius, præstantissimæ fœminarum, cuius immensa beneficia, semper Apostolicæ Sedi, opportuna iuxta, & pernecessaria fuere. Ea vero quemadmodum nomen Mathildæ Auiæ, mores Magnæ illius eiusdem vocabuli Reginæ, matris Othonis Primi expressit; ita Henrici Secundi maiorum necessitudine consanguinei, pietatem, & liberalitatem, non imitata solum est, verum etiam extendit. A B

Id enimuero hactenus obtinuit Mathildes, vt perinde gloriæ, & famæ loquenti singulari esset ornamento, nec vnquam meminerint Scriptores exaltatæ, religione, & munificentia Principum, Sedis Apostolicæ, quin à Mathilde sibi robur, & illustre sufficiant argumentum. Omnium verò laudationem superauit nuper VRBANVS OCTAVVS Pontifex Maximus, adeoque merita Mathildis, peculiari gratiæ officio ad secula ventura transmisit; quando Mantua transferri iussis eiusdem Reliquijs, honorificentissimo in Vaticanæ Basilicæ loco eas reposuit; addito præclari operis monumento, quod *Virilis animi fœminam, Sedis Apostolicæ Propugnatricem, pietate insignem, liberalitate celeberrimam, æternæ laudis promerito* testaretur. Ita post quinque secula, fama, Vrbani studio veluti subactis calcaribus incitatior, reliquum gloriæ spatium decurrere pergit. Et profecto decuit, in Æde Principis Apostolorum, à Summo Pontifice nouam designari non tam mortuæ Sepulturam, quàm semper in positis beneficijs victuræ Memoriam, quæ dum in viuis ageret, Romanæ Ecclesiæ, & Romanis Pontificibus, religione, potentia, omni ope, & studio semper præsens vixit. C D

Verùm hæc de Mathilde è re nata. Luberet modò sanctissimi Principis gloriosa funera prosequi, *non quæ adulatio humana persoluit*, vt loquitur Baronius, *sed quæ Deus in ostensione miraculorum exhibuit*; nisi alterius esset instituti, quod E
In vita Henrici pro munere suo Adalbero Episcopus Vltraiectensis prosecutus est, edita ab Henrico miracula memoriæ posterorum commendans; quæ ab Ecclesia esse recepta testatur idem Author in Chunegunde, dum ait. *De vita, & miraculis Pij Henrici Imperatoris Christianissimi, & de miserationibus varijs, quas fecit in Domo Domini, de signis quoque, & miraculis, quæ post transitum eius per eum fecit Deus, satis ac dignè scripta, sancta recepit Ecclesia.* Hæc ipse: vt proinde liceat illud Dauidicum pro Henrico loco næniæ percinere: *Scitote quoniam mirificauit Dominus Sanctum suum.* Porro nullum prætermisit studium pietatis optima Imperatrix, quo animam coniugis, non suprema duntaxat persoluendo, sed religiosis continuando
Psal. 4.

tinuando

A tinuando Officijs prosequeretur. Tametsi enim ab obitu Imperatoris omnia pro more varijs turbis, & rumoribus fluctuarent, ipsa tamen animo constans, cari coniugis manes precibus, atque eleemosynis Deo propitio commendabat, idque vt Cœnobij Confugiensis Patres, Sacrorum suffragijs agerent, missa cum muneribus opimis epistola, vnice procurauit.

Vt primum fama defunctum Henricum in Hungaria obnunciauit, non sane mediocriter animum sancti Regis Stephani, & Gyselæ Reginæ conturbauit, altero cognatum & amicum, altera fratrem lugente, Emerico auunculum suspirante, omnibus certe familiaribus, & tota Hungarica Aula sanctissimum Imperatorem deplorantibus. B Parentatum vbique regificè; nec dubitauit Stephanus, ei iam inter Diuos translato, se suaque commendare, cuius vitam in terris sanctissimè actam, toto orbe prædicante, perspectam habebat. Et metuebant non pauci pacem paribus vtrinque studijs, dum is viueret, longe lateque florentem, omniaque apud Hungaros, ex sententia hactenus gesta, si non æquo successor ingenio foret, turbatum iri: quod etiam accidit, vt mox dicemus.

Quod ad successorem Henrici spectat: ab eo per electionem ad Imperium assumpto, scribit inter alios Matthæus Palmerius, primùm institutum fuisse, vt in futurum non per sanguinis successionem duceretur Imperium, sed Proceres C quidam in Germania Principes, vna cum quibusdam Pannoniæ Principibus, potestatem haberent Imperatoris deligendi: quod vsque in præsentem seruatur diem. Qua in re ipse cum quibusdam alijs hallucinatur. Quo autem pacto, & à quo, ius eligendi Imperatoris constitutum sit, & in quos translatum, alibi ostendimus. *In Chron.*

Cæterùm, Henricum successorem sibi in Regnum delegisse Conradum, Leo Ostiensis affirmat; vnde nonnulli, sed falso, existimarunt eiusdem fuisse filium, confundentes hunc Henricum, cum Henrico filio Othonis, genitore Gregorij Quinti. Siffridus Presbyter tradit Ducem fuisse Francorum de stirpe D Clodouei, habuisseque vxorem Gyselam de Vvebialinghen, neptem S. Henrici Imperatoris, quem ideo successorem nominarat. Alij nihilominus, inter quos Glaber, post obitum Henrici, ab Archiepiscopis, alijsque Germaniæ Principibus electum tradunt, non tamen absque contradictione Potentum, quòd relictam Ernesti Sueuorum Ducis Gyselam, ex progenie Caroli Magni oriundam, sibique affinem duxisset vxorem. Quare Pontifices, cæterique Principes, optionem ei fecere, num mallet coniugio incestuoso inhærere, an eo dimisso Coronam Imperij sumere. Ille protinus repudiata coniuge, Principum voto paruit: qui missa ad Romanum Pontificem Legatione, eiusdem assensum exquisierunt, E & illico libentissimè annuentis obtinuerunt; mandantis præterea, vt Conradus suscepto Germaniæ sceptro, quamprimum Romam veniret Italiæ Coronam accepturus. Quomodo autem ista cohæreant cum dictis Siffridi Presbyteri, & an Sanctus Imperator Henricus relicturus fuisset Regnum Conrado, id genus connubio implicito, iudicet prudens lector.

SVCCEDIT CONRADVS. *Lib. 2. cap. 59.* *In Epist. lib. 1.* *In Exordio lib. 4.* *CONRADVS ROMAM INVITATVR.*

IESV

A

Indict. 8.

IESV CHRISTI ANNVS 1025.	IOANNIS PAPAE XX. ANNVS 2.	BASIL. ET CONST. IMP. 50. CONRADI REGIS 1. STEPHANI REGIS 26.

STEPHANVS REX FAVET CONRADO.

Conrado rebus Germaniæ intento, Gulielmus Dux Aquitaniæ Romam iter instituit, tentaturus Italiæ Principum animos, si forte filium suum, quem secum ducebat, Regem Italiæ rogarent, eidemque Imperium concilia- B rent. Verùm cùm animaduertisset repugnantes Longobardos, & eos qui fauebant studebantque Conrado, quos inter hoc tempore Stephanus Rex Hungariæ præcipuus erat, aduersarios se habiturum, quòd in pace, Religionis cultum promotum vellent, ideoque rem tantam haud perfici posse absque ingenti Christianorum strage; vt prudens maluit abstinere, & re infecta domum remeare, quàm tanti mali causam præbere. Dignum sane exemplum, quod si Principes ambitiosi imitarentur, hodie Catholica Religio meliori loco staret, nec tot Christianorum sanguine Orco perlitaretur.

INVENTIO CAPITIS S. IOANNIS BAPTISTÆ.

Hanc Gulielmi Ducis mansuetudinem, Deus non reliquit irremuneratam. C Dum enim reuerteretur, in Basilica eiusdem in tugurio saxeo Cœnobij Angeriacensis inuentum est Caput S. Ioannis Baptistæ; quod ipse ingenti repletus gaudio, publico totius Cleri concursu, & solennibus paratis excepit, vniuersoque fidelium populo per multos dies visendum exhiberi præcepit, annuamque celebritatem fieri decreuit, nulla vt esset natio, quæ tantæ religionis expers esset: neque enim solum ex Aquitania, verùm etiam ex Francia, Burgundia, Hispania, Britannia, Longobardia; imò *ex toto Christiano Orbe, Gentium diuersitas*, vt loquitur author vitæ Roberti appendicis ad Glabrum, *certatim velut amnis, deuote ibi occurrit*. Ac tum, si vnquam antea, festa Ioannis Baptistæ solennitas, D varijs ludis celebrari cœpit, quæ hodieq; passim multiplici ritu obtinet: sed apud Hungaros admirando ignium, & luminum plausu, & circa ignes carminum, cum tripudijs, solennique saltatu, clamosa concinnitudine pene in superstitionem aliquando deerrauit; donec ad moderationem quandam reuocata est.

HVNGARORVM MOS IN CELEBRANDO FESTO S. IOANNIS BAPTISTÆ

BOLESLAI REGIS POLONIÆ OBITVS.

Hoc eodem anno die tertia mensis Aprilis, feria Sabbati, Boleslaus Rex Poloniæ cognomento Chobri, hoc est, vir altæ, & heroicæ virtutis; ex hac vita pie admodum decessit, anno quinquagesimooctauo ætatis suæ; Regni vigesimosexto. Princeps non modò armis, sed religione potens, eximius Christianæ Fidei conseruator, & propagator; cui filius Mieceslaus, parentis virtutibus lon- E ge impar, successit. Ferunt Scriptores rerum Polonicarum, præsertim verò Longinus Canonicus Cracouiensis, prædixisse eum venturam Regni cladem, eiusdemque restitutionem in meliorem statum: quod à tanti viri pietate, & apud Deum gratia non videtur alienum.

In Boleslao.

S. CHVNEGVNDIS AVG. VITAM MONASTICAM AMPLECTITVR.

Hoc anno præterea, mensis Iulij die decima tertia, feria item tertia, ipsa anniuersarij die obitus Henrici Imperatoris, eius coniux sanctissima Virgo Chunegundis Augusta, Monasterio à se erecto, in dedicatione eius Basilicæ, depositis ornamentis Imperatorijs, monasticum suscepit habitum, famulatura eiusdem loci Monialibus, vbi ad obitum vsque annis quindecim perseuerauit. Describit

ista.

A ista Nonnosius Monachus, his verbis: *Conrado sibi succedente in Regno, ipsa curis secularibus, sicut iam diu desiderauerat, exonerata, iam in ipso anniuersario die transitus sancti Henrici Archiepiscopos ad dedicationem Confugiensis Ecclesiæ conuocauit. Vbi inter Missarum solemnia, Imperiali decentissimè omni ornatu culta, ante principale altare Virgo Deo deuota processit, ibique thesaurum incomparabilem, Ligni videlicet Dominici Crucem, paruam quidem in materia, sed maximam in virtute Domini, obtulit. At vbi lectio Euangelij (quod dici consueuit ex præscripto Sacrorum ritu, in dedicatione Ecclesiæ) in qua super arborem ascendens conspicientem se Iesum suscipere, & ab eo benedictionem Zachæus pusillus meruit accipere, lecta fuit; Regalem purpu-* Apud Sur. 3. Martii. Al. Regiensis.

B *ram exuens, tunicam fusciorem, quam ipsa sibi manibus suis operata fuerat, sacerdotali benedictione data, vestem religionis induit, & multis quidem pro se flentibus, pro illa autem gaudentibus, quæ iam seculum damnasset in vestibus, capillis, (qui hucusque in eodem Monasterio pro veneratione seruantur) præcisis, imposito sibi ab Episcopo velo, annulo Fidei subarrhata, gratulabunda concinuit: Posuit signum in faciem meam. Et, Anulo suo subarrhauit me Dominus Iesus Christus. Ita sponso Christo consecrata, dum filiarum suarum se sanctissimo contubernio applicuisset, non vt mater filiabus se præferebat, sed omnibus inseruiens, seruilem personam se ostendebat; ita tamen, vt cùm omnia faceret, ostentationem fugeret singulorum, ne reciperet in præsenti* S. Agnetis de Anno.

C *seculo mercedem suam*. Hactenus author.

Quæ vbi audita sunt in Aula Regis Stephani, mirum quantopere accenderint animos vtriusque coniugis, Regii scilicet, & Reginæ, præcipuè vero Emerici, caduca huius mundi maxime reputantis, & mentem ad æterna transferentis.

In hunc etiam annum incidit, mense Decembris, repentina mors Basilij Imperatoris Constantinopolitani, cùm vixisset annos septuaginta, imperasset quinquaginta. Imperium integrum reliquit fratri suo Constantino. Paulò ante obierat & Patriarcha Constantinopolitanus Eustachius, cui Basilius sub- BASILII IMP. OBITVS.

D rogauerat Alexium Monasterij Præfectum, cuius consilio in administranda Republica plurimum vtebatur.

IESV CHRISTI ANNVS 1026.	IOANNIS PAPAE XX. ANNVS 3.	CONST. SOLIVS IMP. 1. CONRADI REGIS 2. STEPHANI REGIS 27.	Indict. 9.

E

STephanus Rex, retractata apud animum suum morte duorum Imperatorum, Henrici cognati sui vnice dilecti, & Basilij amici, necnon Boleslai Regis Poloniæ pari amicitia, & studio Religionis deuincti, sibi quoque mori cognatum esse non dubitans, in futura animum intendit. Quare saluti publicæ de successore consulturus, Emericum digno coniugio deuinciendum censet, ratus neminem Regno commodiorem futurum, si diu viueret; sin minus, saltem sanctissimam ex eo prolem sperari posse, & regendis Hungaris idoneam. Et mirum quàm solicitè, sicut in cæteris, filium vnicè commendare Deo, ac Deiparæ Virgini consueuerat, ita vt longior, ei vita esset, Re- STEPHANVS EMERICVM SVCCESSOREM DESIGNAT.

gni, & Religionis causa, ad omnes aras anxiè flagitabat. Non multo post excellentem forma corporis, & morum venustate Virginem, stirpe Regia ortam, ei despondet; recusante in primis haud parum Emerico, qui mentem Deo sacram illibato corpore seruandam constituisset: sed victus tanti reuerentia genitoris, enixè id à filio sui amantissimo postulantis, tandem assensit, tacitè secum pactus, quàm castum cum virginitate coniugium, diuina aspirante gratia acturus esset. A

EMERICVS INVITVS MATRIMONIVM CONTRAHIT.

Cuius hæc Regia virgo nata, quodue illi nomen fuerit, Scriptores vix tradunt. Apud Ioannem Tomcum lego fuisse filiam Crescimiri Regis Dalmatiæ. *Id*, inquit ille, *Dalmatiæ monimenta testantur*. Alijs facilior est coniectura, materna cognatione ortam, optimorum parentum consilio in vota venisse: quippe Stephanus tanta felicitate Gyselæ coniunctus, antiquius nihil habuerit oportet, quàm vt eandem ex eodem germine in filium deriuaret, Henrici auunculi, & Gyselæ matris, nisi potius Chunegundis relictæ, exempla mox editurum. Cæterùm, si Regiæ virginis nomen in occulto est, admiranda sanè vita toto Orbe radiat, quæ sanctissimo sponso nupta, cum virgine virgo permansit incorrupta. Iam enim & ipsa sanctitate iuuenis sponsi permota, Virginitatis amore, & proposito, voluptati omni renunciarat. Præclarum verò erat in regio adolescente, qui huius mundi bonis, & illecebris posset circumfluere, non modò se à vitæ huius voluptatibus seruare immunem; sed etiam sponsam tam illustrem ad earum contemptum, atque etiam ad virtutum studium, & vitæ consectandam sanctitatem adduxisse. Malebat enim pius adolescens, virtutum illam, quàm liberorum fœcunditate pollere. Nec poterat sanctum hoc propositum parentem latere, siue cogitantem, quàm pie se antea excusasset; siue spectantem quàm religiosè vnà cum sponsa in omnem intenderet virtutem; atque crebro etiam obseruantem, quemadmodum corpus suum maceraret ieiunijs, vigilijs, alijsque afflictionibus, ne lasciuiret, sponsamque non alio quàm sororis loco haberet. Quæ omnia sancto Regi cùm perspecta essent, tacitus secum Dei consilium expendebat, eiusdemque voluntati deuotè commendabat. B C D

Lib. de Reg. Illyr. sanctitatis fœcunditate. In vita S. Emerici.

EMERICVS CVM SPONSA VIRGINE VIRGINITATEM SERVAT.

Quod attinet ad Conradum Regem, hoc anno in Italiam venit, vxorem secum ducens; *quam*, vt Glaber ait, *illicito ceperat matrimonio*. In descensu Alpium occurrit ei magno apparatu Ioannes Pontifex: Pascha Vercellis celebrauit, deinde regio habitu perlustrans Longobardiam, moratus est iter, ob insolentiam Papiensium, qui palatium Regis operoso sumptu in sua Ciuitate constructum, solo æquarant; ne cùm illuc pergerent Germaniæ Reges, vel Imperatores, haberent quò diuerterent. Erat quippe palatium dictum instar munitionis, Henrico Imperatori, *aduersus irruentes*, vt inquit Glaber, *furore percitos Papienses*. Sed luere peruicaciam: quando capta à Conrado prius Iporegia, mox reliquis ciuitatibus, & ipsi tandem, vel inuiti, & humiliati colla subdiderunt. E

CONRADVS IN ITALIAM VENIT. Lib. 4. in princ.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS 1027.	IOANNIS PAPAE XX. ANNVS 4.	CONRADI IMP. 1. CONSTANT. SOLIVS IMP. 2. STEPHANI REGIS 28.	Indict. 10.

TAndem Conradus Romam lætus peruenit, pridie Cœnæ Domini, & ipſo ſancto Reſurectionis die, quin vigeſimam ſextam Martij inciderat, Coronam Imperij à Ioanne Pontifice multa cum gloria ſuſcepit; incedens, vt ſcribit Otho Friſingenſis, inter duos, Anglorum, nempe Canutum, & Reginæ Gyſelæ auunculum Rodolphum Burgundiæ Reges. Poſt coronationem ſuggeſſere Epiſcopi, vt authoritate Romani Pontificis iuxta promiſſa Reginam repudiaret: ſed abnuiſſe eum tradit Glaber, quòd diceret *ſe Imperatorem factum, nullo modo debere vxore viduari*. Par eſt credere, diſpenſaſſe cum eo ſummum Pontificem, cùm appareat ex ea ſuſceptos filios habitos eſſe legitimos, & primogenitum ſubſtitutum Regni heredem; cui etiam eodem tempore nuptui traditam fuiſſe Chunegundem filiam Enuti, ſeu Canuti Regis Daniæ, & Angliæ, Vrſpergenſis affirmat. Proxima porrò Dominica, quæ fuit in Albis, Roma digreſſus Conradus, in pace redijt in Germaniam, ita lento itinere, vt paucis ante S. Ioannis Baptiſtæ natiuitatem diebus Herbipolim veniret.

CONRADVS CORONATVR IMPERATOR. B Lib. 6. cap. 19. Lib. 4. in proem. C

Paulo poſt & Canutus Rex Angliæ Roma diſcedens, per Papiam iter fecit, vbi Brachium S. Auguſtini Doctoris centum talentis argenti, & talento auri comparatum Conuentriam miſit. Teſtatur id Guilielmus Malmesburienſis. Ex quo factum, vt plures crediderint Corpus S. Auguſtini apud Anglos eſſe; non diſcernentes inter Eccleſiæ Doctorem, & illum quem Gregorius Papa in Angliam direxit. Quanquam commune eſt Martyrologiorum Scriptoribus, vt partē corporis pro integro accipiant, & inde non intelligentibus error oboriatur. Quæ autem cauſa fuerit Papienſibus tanti pignoris vendendi, alibi dicemus.

BRACHIVM S. AVGVSTINI DELATVM IN ANGLIAM. De geſt. Reg. Angl. lib. 2. cap. 11. D

Hoc eodem anno ponunt aliqui obitum S. Romualdi Abbatis, de Hungaria optime meriti: de cuius tamen tempore quid ſentiendum ſit, iuxta ſupputationem exactam alibi oſtendimus.

IESV CHRISTI ANNVS 1028.	IOANNIS PAPAE XX. ANNVS 5.	CONRADI IMP. 2. CONST. SOLIVS IMP. 3. STEPHANI REGIS 29.	Indict. 11.

E

FLoruere hoc tempore duo Reges eiuſdem nominis Olaui, alter Noruegiæ, alter Suediæ; vterque Chriſti Fidei propagandæ ſtudens, Idololatriam impugnabat, & idola deſtruebat. Primus præterea contra Magos diabolicos, qui in Noruegia publico exercitio plures etiam exteras nationes alliciebant, perſecutionem decreuit, aut ſublaturus eos, aut Chriſto aſſerturus. Qua de cauſa plures doctrina præſtantes Chriſtianos, nec paucos in his Epiſcopos miſit, qui eos redarguerent, & conuincerent, vt non luerent, niſi contumaces. Alter verò, cùm pertinaciæ ſuorum magno animo reſiſteret, hoc tandem à ſe impe-

DVO REGES OLAVI EGREGII.

trari passus est, vt nemo ad Idola deferenda cogeretur, cuilibet tamen sponte ad Christum transire volenti nullus intercedere auderet; Regi liberum esset in aliqua parte Regni, quam elegisset, Christianitatem colere, & Templa erigere. A

Hoc pacto inito, mirum quanta in dies accessione in Suedia creuit Ecclesia Christi, cùm illico Olauus in Occidentali Gothia Ecclesiam Deo, sedemque fundasset Episcopalem. Olauus porro Rex Noruegiæ, dum maleficis extirpandis acriùs instat, & in his Nobiliorum etiam vxores plurimas è medio tollit; coniuratione Principum ipse primùm è Regno pulsus, iterumque auxilio Regis Ruzlorum, & Sueonum restitutus, cùm nihil remitteret, sublatis fere omnibus B

OLAVUS REX NORVEGIÆ MARTYR.

Magis, à paucis relictis, in reliquorum vltionem obtruncatus est. Sunt qui velint cum Canuti Regis Daniæ dolo, quocum perpetuum erat ei bellum pro libertate, illo pro Imperio pugnante, latenter fuisse occisum. Corpus eius Thrundemis tumulatum pluribus miraculis claruit, Deo sancti Regis merita concurrenti populo manifestante. Passus est die vigesimanona Iulij, feria prima, qui dies omnibus Septentrionalis Oceani populis Nortmannorum, Sueonum, Gothorum, Semborum, atque Slauorum æterno cultu memorabilis factus est. Scribit huius sancti Regis res gestas, Adamus Chronographus, pluresque secundum ipsum rerum Septentrionalium Scriptores. C

Lib. 7. cap. 41. 42 &c.

DÆMONVM SCHOLÆ.

Quod ad publicum in Noruegia maleficiorum exercitium spectat, non solùm illa tempestate Paganorum, sed postea etiam in Catholicis seculis, quamuis latenter, viguisse Dæmonis Scholam eiusce modi legimus, non sine frequentia Septentrionalium, qui filios suos tanquam virtutis addiscendæ causa eò ablegare soliti essent; Ita dementantre eos Dæmone, qui non cessat aduersam religioni Christi hoc genere nequitiæ instituere disciplinam; postea tamen euerso per hæresim Christi regno, maleficorum institutum inualuisse eatenus, vt non iam vna in vrbe, aut vrbis loco, sed passim per domos, & familias frequentissimis magistris, viguerit, an vigeat, ab ijs qui illic versati sunt fide dignis viris accepimus. D

Verùm primis etiam illis temporibus non cessauit Dæmon, quò ab Aquilone malum omne panderet, & inde in omnia Regna mitteret, qui Religionem Christianam præstigijs infestarent, ac quos possent ab ea retraherent. Ex is fuere, & tempore Stephani Regis non pauci, qui occultè Diabolo studerent: eo vero defuncto palam ita præualerent, vt sopitis quorum erat vigilare, tota fere Hungaria rursum, quod in loco dicemus, ad Paganismum reciderit. At quamuis Stephano viuente latenter serperet horum venenum, neque tamen non deprehensum est in rudi populo deceptioni magis obnoxio, E

LEGES S. STEPHANI CONTRA MALEFICOS.

ad quos sanandos, & reliquos terrendos Rex sanctus tulit leges, quæ in Decretis habentur, *De strigis, maleficis, veneficis, & sortilegis coërcendis*.

Hoc demum anno, die nona Nouembris, feria sexta, moritur in Oriente

Curopalates.

Constantinus Imperator frater Basilij; eique succedit Romanus eidem sanguine iunctus.

A

IESV CHRISTI ANNVS 1029.	IOANNIS PAP. XX. ANNVS 6.	CONRADI IMP. 3. ROMANI IMP. 1. STEPHANI REGIS 30.

Indict. 12.

STephanus Rex, nunquam à pietate feriatus, hoc anno in Comitatu Simigiensi, & Dioecesi Vesprimiensi, fundat Abbatiam Monachis Ordinis San- STEPHANVS FVNDAT ABBATIAM SANCTI MAVRI
B cti Benedicti nuncupatam S. Mauritio; vulgo in Bakon. Fecit id singulari in eum Ordinem propensione: sed præterea peculiaris fuit religiò, qua S. Mauritium sibi optabat propitium, non solum quia delectaretur eius, & sociorum, præclarè gestis, & passim crebrescentibus miraculis, quæ in illum diem Christi Fidem illustrabant, & præcipue vbique feruore fideles ad pietatem colendam incitabant; verùm etiam quòd accepisset eius Sancti meritis, vt olim Carolum Magnum, ita parentum suorum memoria, Othonem Magnum eiusdem auspicijs Hungaros adhuc infideles ingenti prælio vicisse, eaque de causa Magdeburgi sumptuosam Mauritio Ædem dedicasse, & Sedem Episcopalē instituisse.
C Augebant religionem, plurima per Orbem Christianum Templa Mauritij nomine audire, eiusdemque, & sociorum Reliquijs sacratiori quodam cultu splendere: quæ inter Diui Benedicti Ordo Monasterijs, & Basilicis non vno in loco Mauritio sacris præclarè eminebat: vt meritò, quo erga id instituti ferebatur studio, in suo quoque Regno Mauritij Ædem æmula cum reliquis magnificentia voluerit assurgere. Fuisse in hac Ecclesia non paucas Martyrum Thebææ Legionis Reliquias, adeoque ipsius Mauritij insignem partem, Manuscripta tradunt: vt verisimile sit, inter ea sacrorum fragmenta, quæ alibi diximus Benedictum Papam Stephano misisse, Mauritij quoque, & sociorum Reliquias
D fuisse numeratas. Nec dubitatum fuit, singulari quodam præsidio fuisse Mauritium Stephano, ad propulsandum, quod sequenti anno à Conrado Imperatore imminebat bellum; vt diuina quadam præsensione eiusdem cultum, & patrocinium legisse videri possit.

PLVRIMA TEMPLA MAVRITIO SACRA.

Nec minori eiusdem Diui Mauritij, atque etiam Martini religione flagrabat in Gallijs Rex Robertus, quorum Altaria in Basilica S. Aniani, quam Aurelijs regia planè munificentia, & splendore fundarat, inter præcipua esse iussit. De quibus permulta Helgaldus syncerus Historicus. *In Roberto.*

Hoc etiam anno contigit celebris illa, de S. Martialis Apostolatu contro-
E uersia; Lemouicensibus eum in Litanijs Confessorum primum, Francis vero, & alijs inter Apostolos, seu Discipulos septuagintaduos recensentibus. Tenuit altercatio non vnum annum, nec vno Concilio definita: tandem Ioannis Papæ Apostolatui fauentis oraculo sopita est. Res non magni momenti, si causam spectes; sed si religionem, insignis argumenti, quàm laudabili studio promouendis Sanctorum honoribus incumbendum sit.

IESV CHRISTI ANNVS 1030.	IOANNIS PAPAE XX. ANNVS 7.	CONRADI IMP. 4. ROMANI IMP. 3. STEPHANI REGIS 31.

Indict. 13.

CONRADVS STEPHANO BELLVM MOVET.

CONRADUS Imperator pacata Italia, sed pacis tranquillitate cum Stephano Rege turbata, totius Germaniæ viribus, & copijs contractis, Pannoniæ infesta signa inferre decernit. Causas alij alias prætendunt: illa potissima est, B quod antequam Conradus in Italiam abijsset, Italiæ Principes libertatis amore, aduentum eius armis inhibere sint conati, in eam rem Slauorum, & Hungarorum auxilia potissimum implorantes; præ quorum tamen cunctatione, & Imperatoris viribus, ipsi diffidentes, mutato consilio ad officium rediere. Deliberarat Stephanus Romano Pontifici opem ferre: non vt causam rebellium Principum foueret, sed vt Ecclesiam Romanam, cui se suumque Regnum deuouerat, si quæ turbationes ingruissent, à cuiusuis potentia, & vi tueretur. Hæc mouerant animum Conradi, vt omnes, qui auxilia promisissent, sed Hungaros præsertim haud superatu faciles bello peteret. C

In vita Stephani.

STEPHANVS SE D. VIRGINI COMMENDAT

Qua de re Stephanus certior factus, *Episcoporum, & Principum coacto conuentu*, inquit Chartuitius, *in patriæ defensionem, totius Hungariæ exercitum euocauit. At prius tamen secum perpendens, se nihil posse sine Christi adiutorio, manibus, & corde sursum erectis, Dominæ suæ perpetuæ Virgini, & Dei Genitrici suas iniurias commendans, in eiusmodi prorupit voces: Si placet tibi Domina mundi, tuæ partem hæreditatis ab inimicis deuastari, & nouellam Christianismi plantationem dissipari; ne quæso sinas illud imputari diffidentiæ meæ, sed potius dispositioni voluntatis tuæ. Si quid commeruit culpa pastoris, ipsus luat: oues quæso insontes ne patiaris affligi. His dictis tanquam accepta consolatione ab ea, fidenter mouet in hostes. Altera die* D *nuncius venit ad singulos quosque Duces exercitus Germanorum, ab Imperatore literas adferens, quibus iubebantur pedem retro referre.* Hæc Chartuitius.

CONRADI EXERCITVS CASTRA DIVINITVS SOLVIT

Rem non tam commemoratione, quàm admiratione dignissimam narrant alij. *Insequenti nocte ante lucem, Conradus soluta castra comperit, videt domum quemque festinare. Rei nouitate percitus causam disquirit: omnes vno ore referunt, Tesserarij voce missione donatos. Accitis Tesserarijs, neminem inuenit, qui missionis edictum circumtulerit. Mox Conrado Stephani sanctitas explorata succurrit; cuius gratia celestem nuntium sub Tesserarij specie, castra soluisse reputauit, ne sancti Regis populus oppugnaretur, ne qua inter seniores, iunioresque Christianos seditio defectioue* E *suboriretur. Approbauit Diuinæ missionis edictum Imperator, instauratâque pace in Germaniam se recepit, cum grauissima asseueratione pollicitus, se Pannonijs, quos sub diuina tutela esse intelligebat, perpetuo manus abstenturum.* Hæc post Chartuitium inter alios etiam Bonfinius.

Dec. 2. lib. 1.

Idem pergit: *Rex è vestigio, cum Diuinæ Genitricis Patrocinium laboranti sibi, suæque Hungariæ adfuisse conspexit, humi prostratus, clementissimo Numini gratias egit, & per cunctas Aras Pannoniæ Patronæ Sacra fieri passim edixit; ex eoque tempore explorata diuinæ clementiæ gratia, longe ardentiùs in Dei charitate permansit, & in omnia pietatis studia intendit.* Hæc Bonfinius.

Circa

A Circa hoc tempus etiam accidit, quod Diui Regis sanctitatem eximiè commendat. Cùm enim Regni sui politicam gubernationem religiosa sollicitudine ita instituisset, vt interdiu dicendo iuri, colloquijs & consultationibus operam daret, nocte verò Deo soli vacaret, in vigilias, preces, lacrymas, & rerum diuinarum contemplationem incumbens, ac totis medullis Deum iustum iudicem, discutiendis quotidie deliberationibus, ac ferendis sententijs adesse orans; forte quadam nocte cum Regio suo comitatu descendit in locum campestrem, ibique circa Ecclesiam quandam fixis tentorijs, in cordis sui cubiculum se recepit; & flexis genibus, solo labiorum motu, ad sempiternæ misericordiæ fores B gemitibus, & lacrymis pulsabat, pro publica, & priuata salute supplex. Tum verò cùm diutiùs precibus inhæreret, in Dei contemplationem vsque adeo abreptus est, vt humo subtractus, in aëre penderet, corpore euectam mentem sequente; & ne tabernaculum impediret, ipsum quoque Angelis subleuantibus, vnà tractum diu pependit, donec vir Dei ad se reuersus, spiritum à precibus relaxauit. Obseruauit hoc quidam magnæ vir simplicitatis, & innocentiæ, tum forte simili operi intentus: idque cùm sancto Regi diuinitus innotuisset, mox eum ad se accersitum blandis primum verbis quidnam vidisset interrogat; deinde verò fatentem, serio monuit, ne quippiam de hac re se viuente euulC garet. Ex eo tempore tanta cœlestium suauitate delibutus Stephanus, quò Deo plenius frueretur, de abdicando Regno cogitare cœpit. Quod ne continuo faceret, altera cura stabiliendæ Religionis, & pacis vniuersorum morabatur, quò tranquillum Regnum relinqueret, minusque grauem filius vnice charus molem sibi impositam sentisceret.

ADMIRANDVS SANCTI REGIS RAPTVS.

Hoc eodem anno, fama Regiæ sanctitatis latè diffusa, vt è remotissimis oris multi ad diuinum Virum propè contuendum confluerent, atque à iudicijs oris eius pendere amarent. Accidit etiam è Bessis, & Bulgaris, quos aliquot antè annis graui bello fregerat, sexaginta circiter viros non ignobiles eius fama acD census, ad Regem adorandum in Pannoniam venire. Ducebant verò currus non paucos, quibus magnam auri argentique copiam, cæterasque fortunas imposuerant, quibus & Regem honorare, & sibi perpetua apud eundem seruitia parare proposuerant. Verùm cùm Pannoniæ fines accessissent, eos Tribuni cuiusdam scelerati simi famuli, auri cupiditate tracti, ex insidijs adorti, partim trucidant, partim male acceptos fugant, & onusta plaustra diripiunt. Qui superfuere, ad Regem tandem peruenientes, referunt illatas sibi cædes, latrocinia, causamque suæ peregrinationis ordine exponunt. Sensit Rex iniuriam; & miseros consolatus, confestim mittit, qui Tribunum cum vniuersa familia, quamE primum adesse iubeat; quod nisi continuo fecerit, perduellionis reum edicit. Adest ille opinione celeriùs, & coram famulorum agmen explicat: hos illico facinoris conscios è vultu noscit. Tum in eos acriter inuectus, Cur, inquit, *contempta lege diuina, præter ius & fas omne, etiam humanum, diri grassatores hospitum sanguine manus infecistis? Cur in genus hominum, quæ veræ sapientiæ cupiditate, patriam suam, & gentem reliquerunt, tam impiè sæuijstis? Cur viros innocentissimos morte mulctastis? Proinde sicut in illos à vobis actum est, ita & me authore diuina iustitia vobiscum aget.* Dixit, & extemplo capitis damnatos, tradidit; ad omnes Regni aditus singula eorum paria, (quando multi fuerunt) crucibus affigi iubens, vt liberum peregrinis iter in Pannoniam hospitalem, tumque

BESSI, ET BVLGARI SANCTI REGIS FAMA EXCITI.

SINGVLARIS IVSTITIA FVIT GRASSATORES.

tumque ad se venientibus asylum significaret. Et reuera, quoad vixit, ne minimum quippiam latrocinij deinceps in Hungaria patratum, fama est: ita enim iustitiæ zelo, & hoc seueritatis exemplo, facinorosorum audaciam coërcuit, vt nemo peregrinis manum inijcere sit ausus. Eos verò, qui læsi & spoliati fuerant, non solum indemnes, verum etiam cumulatissimè donatos, voti compotes fecit. A

Iterum verò Rex religiosissimus, resumpta cogitatione Regni abdicandi, serio deliberare, & demandatis Emerico Regni curis, hominum frequentiæ sese eximere constituit; quò diuinarum rerum meditationi vacans, torrentem illum voluptatis nupero rapto degustatum, largiùs haurire citra interpellationem posset. Cætera, dum talia secum indefesse voluit, & iam congregando Senatui proferre constanter satagit, diuino consilio aliter decretum est. B

Ranzan. in Epit. Ind. 2.

S. EMERICI OBITVS.

Repentè enim sanctissimus iuuenis Emericus aduersa valetudine correptus, & intra paucos dies humanis rebus exemptus, ad percipiendam Virginum aureolam euocatus est, in gaudijs Beatorum secuturus Agnum quocunque ierit. Incidit eius obitus apud Albam Regalem in quartum diem Nouembris, feria quarta, anno vigesimotertio ætatis, postquam cum virgine coniuge virgo illibatæ mentis, & corporis non integros septem (alijs quinque) annos exegisset. Bonfinius anno sequenti eius obitum notat; Martinus Polonus anno millesimo secundo: Chromerus trigesimosexto. Sed præstat Chartuitium sequi, rationibus temporum magis congruentem, qui Emericum Dominicæ Incarnationis anno millesimo tricesimo, vitam hanc corruptibilem cum sempiterna commutasse scribit. Reticent Scriptores, quo genere ægritudinis sit extinctus: neque enim humani quippiam in hac dissolutione actum cum eo esse credendum est: sed quia placita erat Deo anima illius, propter hoc consummatum in breui properauit educere illum de medio iniquitatum. C

Dec. 2. lib. 1. Ad ann. 1002.

Aiunt, tenui duntaxat languore vegetum alioqui corpus tentari cœptum, sed qui paulatim omnia Medicorum consilia, & opem eluserit; adeoque septimo die, vocatuam Beatorum secuturæ noctis expertem inchoaret, vitæ mortali exemerit. Morienti adstabant parentes, & virgo coniux mæstissimi, & quos in vita Religiosos amabat, piè satagentes. Ad hos omnes conuersus veniam erratorum, & abituro sibi benedictionem precatur. Ac in primis suauissimos parentes blandè hortari, ne sui desiderium grauiùs ferrent, cui à teneris annis in optatis fuit, sanctè mori prius, quam mundi in maligno positi dubias vicissitudines experiri. Id si Deo ratum est, haud è re esse in aduersum niti, ac potius Diuinam Clementiam, votis ad cœlestem voluntatem non exactis, irritari. Dudum ante se perpendisse, quàm ipsis foret iucundum, si sui generis successorem, & seros aliquando nepotes in spem Regni florentes vidissent; longe tamen vtilius esse mortalem prosapiam in Cœlitum genus transcribere. Non defuturam Deiparæ Virginis protectionem, quæ Regno suo recens fundato de optimis Regibus prouideat, & in quamcunque tandem partem futura inclinent, moriendum semel omnibus esse; longèque melius breui curriculo vitæ, & arctato dominatu, ad immensum æternæ gloriæ Regnum quàmcitissime emigrare. Proinde parentes optimi ne tristarentur. D E

EXTREMA EMERICI VERBA.

Hinc oculos ad coniugem conuertens, tenerrima dilectione eam parentibus commendat, & Henrici auunculi exemplo Virginem consignat; vtque fixa

A sui memoria se quoque euocandam, & diuina misericordia ad parem coronam sibi in cœlo reddendam iungendamque assiduè cogitaret, aduertit. Denique circumstantes Religiosos, animæ suæ curatores, suppliciter affatus, vt de cætero verba de æternis edant, & migraturo iam iam è corporis ergastulo spiritui precibus fauorabiles sint, orat. Ita sensibus integris, viribus paulatim satiscentibus, placidissime requieuit, & instar floris specie, & fragrantia, nondum decocto matutino rore vernantis, meridiani æstus expers, properato occasu elanguit.

Quo autem animo parentes optimi, coniuxque castissima hunc casum tulerint, non est facile dictu: certe vniuersum Regnum Hungariæ, vt de alijs
B taceam, ingemuisse nemo dubitare potest. *Cum*, inquit Chartuitius, *pro sanctitatis suæ meritis, summe ab omnibus diligeretur, omnium extitit luctus ingens, in primis verò Principum; inter quos pater tanto accepto orbitatis vulnere, grauiter suspirabat, & pietatis affectu ductus, dolebat se omni posteritatis spe destitutum. Attamen sciens scriptum esse: Non est sapientia, non est consilium, non est prudentia contra Dominum; & illud in Canonibus: Neminem propter obitum charorum, nimium debere contristari; posito animi mærore totum se contulit ad largam Dei benedictionem promerendam.* Hæc Chartuitius. Et ferebat mater aliquantum intemperantiùs, S. STEPHANI LVCTVS EX OBITV FILII.
C grauiterque angebatur, quòd afflicto ob speratum successorem Regi, hanc ex se spem genitam seruare non licuisset.

Verùm hìc mirare lector occulta Dei iudicia. Ecquis enim consiliarius eius fuit? quì factum, vt tam sanctus Rex, tot precibus, tot lacrymis fusis, tanta pietate in omnem occasionem Deo placendi se exerens, impetrare tamen non potuit, quod sine intermissione causa religionis, & publicæ vtilitatis orabat; vitam nempe filio diuturnam, quem sibi successorem, & Regno religionique recens plantatæ defensorem superstitem, totis animi votis optabat; eaque de causa ad omnes aras supplicatum volebat. Et qui paulò ante imminente à MIRABILIA DEI IVDICIA.
D Conrado Imperatore vastitate, Regno salutem obtinuit, is modò damnum ineluctabile amisso vnico filio sensit; atque vtinam seruandam semper, tam caro emptam, si ita est, Regni salutem. Num id factum culpa Regis optimi? aut Regni? aut etiam iuuenis Emerici tanta sanctitate commendati? Nequaquam opinor. Verùm, vt patientia sanctissimi parentis, tot afflictionibus periclitata, longe digniorem mereretur coronam, & caducis spretis, continuò ad Regnum æternum anhelaret: atque etiam, vt exercendi Hungariæ populi discerent, quantum interesset inter sanctos Reges, & Tyrannos. Nisi longe verisimilius sit, Emerici preces, contra vota patris valuisse, quòd virginitatis ser-
E uandæ, & carnis illecebras, & Regni in prole gloriam, contempsisset; eximio sane argumento, sanctitatem regnis præferendam, nec iacturam boni temporalis æstimandam, vt sanctum propositum infringatur. Quid enim tibi prodest, si totum mundum lucreris, ne dicam quod minus est, si coram hominibus laudabiliter regnes; animæ vero tuæ detrimentum facias, paucioribus eam, aliena gratia, cumules meritis?

Quæ omnia dubio procul in animum demittens Rex Stephanus, posito, vt dicebamus, mærore, totum se contulit ad largam Dei benedictionem. Et consolabatur eum non mediocriter, quòd sanctitate Emerici passim collaudata, quem successorem in terris habere nō potuit, certum apud Deum intercessorem, patro-

patronum, & defensorem Regni, suumque aduocatum esse non dubitaret. Hoc A
ingenti animi voluptate susceptum confirmabat & illud, quòd eadem ipsa hora,
S. EMERICI SPIRITVS AB ANGELIS DEPORTATVS. qua decesit Emericus, cuidam *Græcorum Episcopo*, vt inquit Chartuitius, *sanctæ*
conuersationis viro, diuinitus reuelatum sit, eius animam Angelicis manibus deportari.
Dec. 2. lib. 1. Hunc Episcopum Bonfinius Eusebium Metropolitam Cæsariensem fuisse scribit.
Alius sit hic oportet recentior: nam Eusebius, qui vulgo Cæsariensis, prope-
modum septenis antea seculis vixit, neque sanctitate nomen promeruit, Arij
S. EMERICI SANCTITAS VVLGATVR. labe infectus. Tum etiam virgo Coniux Emerici integram sponsi sanctissimi
Viri castitatem palam confessa est; & conscius ille comes quod Vesprimij in Æde
D. Georgij acciderat, ad manifestandam Emerici sanctitatem euulgauit. B

Dignas portò tanto filio exequias pij parentes procurarunt, in Albensi illa
Basilica Diuæ Virgini dicata, sacello, & Regij operis sepulchro designato. Quod
dum pararetur per triginta dies, sanctissimi Iuuenis corpus incorruptum, cun-
ctorum patebat deuotioni pijs osculis, & contactu venerantium, nullo in con-
fertissima vel pauperum turba arceri iusso, ne sua quispiam religione fraudare-
tur; sed etiam mæsti cum sponsa coniuge parentes quot diebus aduisentes, & vo-
tis effusis solatia vel ipso sacri cadaueris aspectu captabant, in mortui specie ne-
scio quid augustius conspicati, quod cæteri quoque omnes mirabantur. Iam
vero trigesimo ab obitu die, cùm sacrum funus condendum esset, *tot ac tantis*, C
Apud Sur. Bonfin. Dec. 2. lib. 1. inquit Author vitæ, *miraculis Deus illustrauit Sanctum suum, vt cunctis in Vrbe*
Regia non mæroris ille, sed gaudij dies videretur; nempe frequentissimo omnium
ordinum plausu exequijs in solenne lætitiæ festum commutatis, haud aliter
quàm si certum sibi, totique Regno apud Deum præsidium, translato Emerico
constituissent, nec solum tanta lætitia publice in Templorum celebrata est con-
cionibus, & festis choris; verum etiam pijs domi excepta conuiuijs, paratis qui
tantam spem, Emerici sanctitate collaudata, conceptis elogijs occinerent. Vnde
potissimum ductam esse consuetudinem apud Hungaros, (etsi apud alios anti-
quiorem) si quis cogitet, fortasse non errabit, in exequijs Nobilium conuiuium D
instruendi, & inter epulas de laudibus defuncti perorandi.

GERARDVS MONACHVS IN HVNGARIAM VENIT. Sub finem huius anni, accidit etiam Regi Stephano illud in mærore solatij,
vt Gerardus Monachus, sanctitate vitæ illustris, ex Italia in Hungariam veniret.
Hic natione Venetus ex antiqua familia Sagredorum, abdicato opimo Sancti
Marci Canonicatu, Monachum induit in Monasterio S. Georgij Martyris, sub
beato Ioanne Mauroceno, primo eius Monasterij Abbate. Venit is in Hunga-
riam, non à Benedicto Papa Nono missus, vt quidam putant, quippe qui aliquot
post annis Pontificatum adijt; sed deuotionis gratia Hierosolymam petiturus,
facta à suo Abbate potestate cum aliquot socijs, ac præsertim Mauro Monacho, E
hoc anno per Hungariam iter fecit. Hic in Guntherum, de quo supra diximus,
& professione, & fama sibi notum, incidit; & fortasse occasione etiam quæsita
ipsum inuenit, ab eodemque Regi de optima nota commendatus, vlteriùs ire
non est permissus, sed exempli, & prædicationis causa detentus. Quare in Mo-
nasterio Beel agri Budensis, quod ad nutum Guntheri Stephanus ædificarat, &
prouentibus dotarat, se abdens, septem annorum spatio contemplationi rerum
diuinarum vacauit; non solus, vt quidam scribunt, & soli Mauro cognitus, sed
cum alijs Monachis, quibus id Monasterium repletum erat, Gunthero præsertim,
cùm adesse liceret, eis moderante.

A Non est hoc loco prætermittendum, quàm perperam nonnulli confundant hunc Gerardum cum Gerardo, primo Hospitalis Hierosolymorum Ordinis S.Ioannis Rectore. Aiunt ex grauissima infirmitate liberatum, accepti beneficij gratia profectum Hierosolymam, & locis sanctis peragratis, Carmeli Montis Eremum petiuisse, illicque Carmelitarum Institutum professum, ac sacris initiatum, Monialium eiusdem Ordinis, prope Vrbis Hierosolymorum portam aliquandiu curam egisse. Verùm inualescente Barbarorum dominatu in Christi fideles, ac præcipue in Sacerdotes sæuiente, illis relictis, altius quid animo voluere cœpisse, vnde isthic Religioni Christianæ prodesse posset. Id vnum ieB iunijs, orationibus, lacrymis assidue deprecatum, quò tam pio voto euentus responderet; nec multo post inspirante Deo, Equitum Hospitalis S.Ioannis, in peregrinorum subsidium Ordinem instituisse. Nihilominus continuatis Saracenorum peruastationibus, magis magisque animo discruciatum, bona cum Superiorum venia è Palæstina soluisse, ac tandem Italiæ appulsum, Romam ad Benedictum Octauum venisse; quem cùm Georgij cuiusdam factione detrusum Germaniam meditari cognouisset, comitem eidem se addidisse, eo animo, vt Henricum Secundum Imperatorem ad defendendam Romanam Ecclesiam excitaret. Hic in notitiam Imperatoriæ familiæ fama sanctitatis infusum, quia C Germaniæ loca non pœnitendo fructu excolenda, opportuna videbantur, relicto Pontifice mansisse. Cùmque admiranda religione specimen toti Germaniæ exhibuisset, quatuor Carmelitarum Monasterijs Deiparæ Virgini apud Bohemos dicatis, mox etiam ad Hungaros Mauro socio, & quibusdam alijs comitatum penetrasse, adeoque ad Regis ad Stephani gratiam, quam is vltro tanto viro obtulit, adhibitum, ea gessisse, quæ Scriptores in vita eiusdem tradunt.

Hæc & plura isti de Gerardo, quæ & nos consequenter attingemus. Sed quàm sibi cohæreant, ex paulò ante dictis manifestum euadit. Enimuero Gerardus Patricius Venetus ex familia Sagredorum, Episcopus, Martyr, & HungaD rorum Apostolus nominatus, & qui *primus patriam*, vt loquitur Martyrologium Romanum, *nobili Martyrio illustrauit*; hic inquam Gerardus, non Carmelitarum, sed D.Benedicti Institutum professus est, non Hierosolymis, sed Venetijs, ad S.Georgium Maioris, sub Beato Mauroceno, primo, vt diximus, eiusdem Monasterij Abbate. Sed neque Hierosolymis vnquam, ne dicam Romæ, fuisse verosimilius est: quandoquidem Hierosolymam iturus, dum per Hungariam iter faceret, à Rege Stephano detentus, reliquum vitæ hic transegit. Id adeo certum est apud cordatos, & graues Scriptores, vt dubitare, nedum contrarium asserere, proteruum videri possit.

Ad 24. Septemb.

E Verùm enim demus, Hierosolymis aliquando fuisse Gerardum, quod etiam tradit Paulinus Klodauski in Epitome de sui Ordinis Origine, quem superioribus annis Ioannes Vanouiczi, eiusdē Instituti Romæ vulgauit; & vnde primùm Paulinam eremum in Hungariam inuexisse ponit, postquam nimirum sacra loca Hierosolymorum inuisens, genus vitæ successorum S.Pauli Thebæi mirum in modum probasset; ac deinde in Hungariam transferens in seipso expressisset, non paucis discipulis breui auctus. Et quidem Gerardum *Monachum de Rosatio natione Venecensem, primum in Beel vitam duxisse eremiticam*, affirmat etiam Ioannes Thuroczius; neque tamen Hierosolymis, sed duntaxat *in Pannoniam venisse* scribit. *Monachum* verò *de Rosatio* appellat, quòd fortasse vltimum inde profectus

Cap. 1. §. 9.

In 2. par. Chron cap. 40.

sectus sit. Est autem is locus in ditione Veneta non longe Foro-Iulij. Nec quicquam vetat Venetijs digressum, hic aliquandiu cœlo, & loco amœno, & contemplationi apto diuersatum esse. Hinc tamen nihil ad Institutum Carmelitarum accedit: quandoquidem primi Gerardum sibi vendicant Benedictini, secundo loco Paulini Eremitæ, quibus normam viuendi acceptam rite tradidit. A

Quod autem spectat ad Hierosolymitanum Gerardum, seu Hospitalariorum Ordinis S. Ioannis primum Rectorem, tantum abest, vt in rem præsentem veniat, vt longe cogatur abesse. Fuit quippe Gallus, non Venetus, aut aliàs Italus: quin fortasse Italiam, certe Germaniam, & Hungariam nunquam vidit. Denique mortuus est, anno salutis Millesimo centesimo decimooctauo, adeoque septuaginta plus minus à Martyrio Gerardi Episcopi. Sed neque alter Gerardus, idemque Ordinis item S. Ioannis Hierosolymitani, magnæ sanctitatis, & miraculis clarus, quem vulgo Beatum Gerardum vocant, quicquam commune habet cum Instituto Carmelitarum, multoque minus cũ nostro Gerardo. Fuit hic enimuero non familiæ Sagredorum, sed Mercati, vnde hodieque audit; non Venetus, sed quinto ab Vrbe Florentiæ lapide Villæmagnæ, (vt habet Bosius) in lucem editus. Primum inter Seruientes, quos vocant Fratres Militiæ S. Ioannis adscriptus; deinde siue austerioris, siue quietioris vitæ desiderio, in Fratribus S. Francisci Tertij Ordinis accensus, coniunctissima nihilominus religione studebat Ordini Equestri S. Ioannis; ac tandem vitæ sanctitate cebris, & vt aiebam, miraculis clarus in Domino quieuit, Anno Redemptionis supra Millesimum centesimum quadragesimoprimo, à Martyrio Gerardi Veneti nonagesimoquarto. B C

In hist. Ord. Hierosol. tom. 1.

Scripsit de his luculentissime Iacobus Bosius, eiusdem Ordinis S. Ioannis Procurator, tribus voluminibus, secundò etiã ab se illustratis, & editis, quicquid ad res gestas suorum pertinere visum est diligentissime persecutus; nec tamen vnquam Gerardi vllius meminit, qui Ordinis Carmelitarum censeri posit. De Gerardo autem Episcopo, & Martyre, Hungarorum Apostolo, ne quidem cogitauit: Vt alius sit oportet Gerardus, quo illustris Ordo Carmelitarum, innumeris alioqui fœtus Martyrum, & Confessorum cuneis, gloriari debeat; nec errore Scriptorum alienum partum sibi præoptet, qui alijs etiam suppeditare queat. D

Indict. 14.	IESV CHRISTI ANNVS 1031.	IOANNIS PAP. XX. ANNVS 8.	CONRADI IMP. 5. ROMANI IMP. 3. STEPHANI REGIS 32.	E

STEPHANVS IN CHRISTIANOS HIEROSOLYMITANOS PIVS ET LIBERALIS.

Stephanus Rex, & Gysela Regina, ab obitu Emerici multo magis pietatis operibus intenti, cùm intellexissent factam iterum Hierosolymis potestatem Christianis Templa reficiendi, omnem curam adhibuerunt, ne suis partibus deessent; neque solum quod ante aliquot annos Templum Hierosolymis fundarat Stephanus, ornarent, sed quacunque possent ope Christianos, illic ad Sepulchrum Christi assiduis orationibus, & vigilijs Dei misericordiam afflictis rebus implorantes, adiuuarent.

Eadem

A Eadem occasione vsus Romanus Orientis Imperator, vt Curopalates tradit, cœpit eodem loco in Vrbe Hierosolymorum reædificare Templum, quod Saraceni demoliti fuerant. *Cùm*, inquit, *Azizius Aegyptius furore correptus, multa detrimenta Christianis intulisset, euertissetque Templum Domini Nostri Iesu Christi Hierosolymis, deinde ipse quoque vitam turpissimè finisset; ipsius filius è Romana quadam captiua natus, concessit ijs, qui vellent Templum readificare. Quòd Imperator studiosè construere festinabat: sed mors qua illum occupauit, ne id perficeret prohibuit; at successor eius Michael ad exitum perduxit*. Ita Curopalata. Et simile quid euenit Stephano Regi in extruendo Principis Apostolorum Templo, de quo supe-
B riùs diximus: optimi enim Regis magnificentissimum conatum, mors intempesta, quæ omnibus rebus humanis intercedit, abrupit. Interim tamen Romani pietatem solatus est Deus, quòd hoc anno totus in erigendis, & exornandis Ecclesijs, antiquam Dei Genitricis Imaginem, quæ erat in Blachernis, occulcatam tempore Constantini Copronymi Iconomachi, reperit, & summa religione ad pristinum cultum reuocauit.

ROMANI IMPERATORIS PARCVM STEPHANO REGI STVDIVM.

Pluribus autem priora illa persequitur Tyrensis Archiepiscopus. *Adfuit tandem Diuina clementia, & afflictorum miserta, consolationem intulit non modicam rebus desperatis. Prædicto enim Principe nequam* (Hequem Calipha) *rebus huma-*
C *nis exempto, cessauit ex parte quassatio, filio eius Daber Regnum obtinente. Hic siquidem ad petitionem Domini Romani Imperatoris Constantinopolitani (qui cognominatus est Heliopolitanus, cum quo etiam fœdus, quod pater eius violauerat, resarciens, contraxerat amicitiam) prædictam Ecclesiam reædificandi fidelibus concessit potestatem. Qua concessa cognoscens plebs fidelium, quæ Hierosolymis habitabat, quòd ad tanti operis restaurationem eorum vires non sufficerent, missis nuncijs ad prædicti Romani successorem, Dominum Constantinum Monomachum, qui tunc agebat in sceptris, precibus porrectis humiliter significant, in quanto mœrore, & in quanta desolatione post Ecclesiam dirutam populus consedisset: orant affectuosissimè, vt ad reædificationem Ecclesiæ, Imperialis*
D *munificentiæ liberalem porrigerat manum. Procurarat autem eorum legationem quidam Ioannes cognomento Carianitis, Constantinopolitanus natione, nobilis quidem secundum carnem, sed moribus multò nobilior. Hic postposita seculi dignitate, Christum secutus, religionis assumpto habitu, Hierosolymis pauper pro Christo habitabat. Missus ergo debita instantia, solicitudine non pigra apud eundem Dominum Imperatorem fideliter elaborans obtinuit, vt ad opus prædicti ædificij de proprio fisco, idem Deo amabilis Augustus, sumptus necessarias, & sufficientes ministrari præciperet. Impetrata ergo prò voto fidelis populi postulatione lætus Hierosolymam reuersus est. Vbi nunciato itineris successu, & precum porrectarum exauditione, vniuersum clerum, & populum, quasi*
E *de ægritudine graui conualescentes recreauit. Præerat autem tunc eidem Ecclesiæ vir venerabilis Nicephorus Patriarcha*. Hactenus Tyrensis. Quo autem anno completa fuit ædificatio dictæ Ecclesiæ, dicetur infra ad annum millesimum quadragesimumoctauum:

Lib. 1. de bello sac. cap. 6.

CONSTANTINVS MONOMACHVS PIETATEM DEFVNCTI POST ROMANI SVPPLET.

Hoc etiam anno inter reliquas in Ecclesia Hæreses, vna satis ridicula pullulare cœperat. Episcopus quidam in Gallia, allatas è Cœlo epistolas prædicabat, quæ pacem, & aurea secula erant facturæ in terra; argumentum earum esse, vt arma omnes commutarent in instrumenta ad operas necessaria: ablata bona nullus repeteret; iniurias quaslibet, quilibet ferret; jeiunarent omnes pueri, & senio defecti, certis quibusdam diebus: Sabbato à pinguedine abstinerent om-

HÆRESIS RIDICVLA.

nes; hæc seruanda omnibus hominibus præcipiendum. Huic homini credebant multi, qui eadem Episcopis omnibus, atque etiam Romano Pontifici per literas significauit. Contra, pugnabant multi, potissimum vero Gerardus Cameracensis, affirmans natura ita se res humanas habere (nec aliter Rempublicam vllam consistere posse) vt sint Iudices, Magistratus, milites, & agricolæ; horum nullos sine alterius adiumento perdurare posse. Scripsit idem Gerardus plura aduersus dictam hæresim; quæ tandem Pontifice Romano faciente, extincta est. Tradunt hæc Sigebertus, Henricus Mutius, & alij. A

Sig. ad hunc annû. Mut. lib. hist. Germ.

B

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAPAE XX. ANNVS	CONRADI IMP. 6. ROMANI IMP. 4. STEPHANI REGIS 33.
1032.	9.	

Indict. 15.

CONTROVERSIA DE APOSTOLATV S. MARTIALIS DEFINITA.

Hoc anno definita est controuersia de S. Martiale Christi discipulo, qui primus in Aquitania Euangelium prædicauit, essetne in sacris precibus in ea Prouincia nominandus Apostolus, sicut in Lemouicensi Ecclesia ab eo erecta hactenus factum esse constaret. Et contradicentibus nonnullis, qui tantùm Confessorem dici volebant, consultus Ioannes Papa testificatus est Apostolatus eius gloriam, & redarguens omnes, qui contradicerent; missa etiam de eodem Collecta, quæ vt habetur in Actis Concilij Lemouicensis, continetur his verbis: *Omnipotens sempiterne Deus, qui Beatum Martialem Apostolum, Ecclesiæ tuæ sanctæ præesse voluisti: quæsumus, nobis eiusdem suffragantibus meritis, pietatis tuæ gratiam largiaris.* C

Placuit hæc ex occasione enotare, vt constaret quàm recte In Collecta pro memoria Diui Stephani Regis adhiberi solita, nominari queat non solum Ecclesiæ propagator in terris, verum & Rex Apostolicus; quo nomine iam pridem ex singulari merito eundem appellarat Syluester, qui Regiam Coronam diuinitus destinatam, vt dictum est, eidem misit. D

SANCII REGIS CASTELLÆ FACTVM.

In hunc fere annum incidit quòd Sancius maior, Rex Nauarræ, & Castellæ; suis ruinis, & prope sepultam, restituit Ciuitatem Palentinam, hac oblata diuinitus occasione. Nam cùm in venatione aprum insectaretur, hic fatigatus inter obuios parietes, qui supererant memoriæ S. Antonini Martyris, se recepit, apud relictam ibi sacram Aram consistens, tutum Asylum Angelorum custodia vallari consuetum. Sed cùm Rex vltro fatiscentem venabulo appeteret, eleuatum ad feriendum brachium, mox torpedine captum est; & Sancium illicita tentare admonuit; quod ille agnoscens, reatum fassus, Martyremque deprecatus, pristinum vsum sensit diuinitus reuocatum; didicitque suo damno, quanta debeatur locis sacris, vel si corruisse, & deserta esse videantur, immunitas. Hac proinde religione perculsus ille, non solum Diui Martyris restituit Ecclesiam, sed etiam Ciuitatem ædificijs, & mœnibus instauratam nobiliorem fecit. E

Plura legimus occasione venationum diuinitus facta, siue ad conuersionem Fidelium, qualis fuit Eustachij, Huberti, Ladislai Regis Hungarorum, & aliorum: nec desunt, qui gentis eiusdem accessionem, quod in Apparatu monuimus, ex venatione sumpsisse initium velint: siue ad peculiarium locorum vene-

A rationem, cuiusmodi sunt Principi Angelorum dicata in monte Gargano Apuliæ Basilica, & in Gallijs ex spelunca Ægidij conformata Ecclesia, nec pauca alia profanis exempta vsibus. Plura tamen, occasione item venationis, scimus euenisse mala: sed & Principes sine more huic exercitio deditos misere sublatos; eorumque culpa, quòd cætera negligentiùs curarent, & Regna cum Populis excisa, peculiari libello ostendimus.

IESV CHRISTI ANNVS	IOANNIS PAP. XX. ANNVS	CONRADI IMP. 7. ROMANI IMP. 5. STEPHANI REGIS 34.
1033.	10.	

B Contigit hoc anno Solis Eclipsis miranda, ipsa die Natali Apostolorum Petri, & Pauli, die vigesimanona Iunij, feria sexta, luna vigesimaoctaua, ab hora eiusdem diei sexta vsque in octauam. Anno trigesimo primo accidisse notat Sigebertus: sed credendum Hermanno, & Glabro, qui eam vidit, & syncerè memoriæ tradidit: aitque fuisse *nimium terribilem. Nam Sol ipse factus est* C *saphiri coloris, gerens in superiori parte speciem Lunæ à sua reilluminatione quarta, Intuitus hominum in alterutrum, velut mortuorum pallor conspiciebatur: res vero quæcunque sub aëre crocei coloris cernebantur.* Hæc Glaber. Contigisse verò dictam Eclipsim hoc anno, constans est assertio ex demostratione Astronomicarum tabularum. Qui verò eam signant anno millesimo, numerant annos à Passione Christi, ætatis trigesimotertio: quod etiam fecit Glaber.

ECLIPSIS SOLIS. Lib.4.c.8.& 9.

Qui hæc curiosiùs considerant, huc reuocant anno sequenti exorta locustarum agmina, & per triennium omnia passim depascentia: frequentes præterea terræmotus, & hiatus: pessundatas Vrbes: Barbarorum incursiones: sicci- D tates & grandines: famem denique & pestem, aliaque id genus mala. Verùm Glaber his missis, vbi dictam Eclipsim expendit: *Tunc,* inquit, *corda humani generis stupor, ac pauor tenuit immensus, quoniam illud intuentes intelligebant portendere, quiddam fore superuentura cladis, humano generi triste. Nam eodem die, Natali videlicet Apostolorum, in Ecclesia B. Petri, quidam de Principibus conspirarunt in Papam Romanum, cupientes illum interimere: sed minime valentes, à Sede tamen propria expulerunt.* Loquitur de Ioanne Papa. Qui post, hoc eodem anno, mense Nouembris in Octaua omnium Sanctorum, feria quinta excessit, postquam Ecclesiæ præfuisset annos nouem, menses octo, dies aliquot.

VARIÆ INTERPRETATIONES DICTÆ ECLIPSIS. IOANNIS PAPÆ OBITVS.

E Eidem vero non legitime subrogatus, sed continuò hoc eodem anno intrusus est, tyrannide Alberici Comitis Tusculani, eius filius puer decennis, malis vtique artibus: scilicet, ne morte duorum germanorum Pontificum, Benedicti, & Ioannis, Pontificatus Domi suæ diu retentus amitteretur, puerum per fas & nefas, in Cathedram Angelis reuerendam euexit, eique nomen Benedicti imposuit. Quid non patitur Ecclesia, si Principes se immisceant in iura non sua? Quid etiam non mali pariunt praua aliorum exempla? Nam quod in primaria Galliarum, nempe Rhemensi Ecclesia, præsumptum fuerat, vt puerulus duodennis eligeretur Archiepiscopus, dato ei ad functiones Episcopales coadiutore Episcopo, Albericus in Apostolica Cathedra, execranda sibi persuasit ambitione

BENEDICTVS INTRVSVS.

licere; vt merito ingemisceret Orbis Catholicus, tam grande passus in electione A
adeo illegitima scandalum.

Et quid putamus cogitasse tum recens ad Fidem conuersas nationes, Hungaram, Polonam, magna ex parte Ruthenam? quid reliquos omnes Catholicos, & optimos Principes, dum per vigintiquinque annorum spatia, morbo pestifero, nempe Simoniaca labe, miserrimè laborantem cernerent Romanam Sedem, vnàque tam fœdo schismate conflictantem? Quanquam, quod omnes

MIRA DEIPARA ROM. ECCLES. PROVIDENTIA.

merito mirentur, nec nisi peculiari diuinæ prouidentiæ consilio adscribant, tanta hoc tempore nihilominus vigebat religio in toto Catholico Orbe erga Romanam Ecclesiam, vt non tam attenderent, qui in Cathedra Petri sederent, quàm B

SANCTI PRINCIPES MAC A-TATE FLORENT.

cuius vice in ea fungerentur. Id ego magna ex parte sanctissimorum Principum, qui eo tempore florebant, atque adeo non postremo loco, Sancti Stephani Regis meritis, si tribuam non errauero; vt non iniuria notarit Bellarminus, his

In Chron.

temporibus, quibus Pontifices Romani à Veterum pietate degenerauerant, Principes seculi sanctitate floruisse: Imperatorem videlicet Henricum cum Vxore Chunegunda: Romanum Imperatorem Græcum: Chnutum seu Canutum Regem Daniæ, & Angliæ: Stephanum Regem Hungariæ, cum filio sancto Emerico: Robertum sanctum Regem Francorum, & alios. Quin etiam obseruatum, à condita Ecclesia fuisse quidem Pontifices cum Orbis Christiani Principibus sanctissimos; interdum tamen alternasse vices, & alteros alteris C
exemplo morum fuisse potiores; vt videri posset duo Luminaria Magna mutuò supplere officium, & Minus aliquando luxisse serenius Maiore deliquium passo: nunquam tamen cum Fide inconcussa, obscurata Petri Cathedra.

Qualis porro fuerit Benedictus iste, quem alij Iuniorem vocant, & quàm turpi vitæ deditus, qui scire cupit, legat Baronium ad hunc annum, & Scriptores ab eodem laudatos: sed præsertim Petrum Damianum in Epistola ad Henricum Archiepiscopum Rauennatem, quæ apud Constantinum Caietanum Ab-

Tom. 1 lib. 3.

batem est quarta inter Epistolas ad Archiepiscopos scriptas. Non immerito tamen cum eodem Baronio iuxta paulò ante dicta, miramur: tantam nihilominus D
toto Orbe Catholico erga Romanam Ecclesiam viguisse obseruantiam, vt quemcunque audirent throno insidere Petri, colere eum, & venerari non detrectarent; eum scilicet, cuius vicem gerere crederetur, in primis attendentes.

ROBERTI REGIS GALLIARVM OBITVS.

Hoc eodem anno Robertus Rex Francorum, verè Christianissimus, in plerisque, sed præsertim in pace, & religione colenda similis Stephano, quem vnicè obseruabat, moritur vigesima die mensis Iulij, in Sabbato, vigesimasecunda post Eclipsin Solis, vt hæc Roberto quoque obnunciasse credi possit. Eius res præclare gestas, quod ad pietatem spectat, & vitam Cœlo dignam, quam vtinam omnes cæteri Reges admirentur, & imitentur; describit exactè Helgaldus Mo- E
nachus Floriacensis, cuncta videns, & velut manu contrectans. Obijt autem in Mileduno Castro, illucescete aurora diei, cùm paulò ante salutis Viaticum pie sumpsisset, ætatis suæ anno sexagesimo, magno sui desiderio toti Ecclesiæ relicto. Parisios deportatus, ad Sancti Dionysij iuxta patrem suum conditus est. Eius morte accepta Stephanus pio mærore compunctus, & amico parentauit, & suæ conditionis memor animum ad æterna composuit.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS 1034.	BENEDICTI PAP. IX. ANNVS 1.	CONRADI IMP. 8. MICHAELIS IMP. 1. STEPHANI REGIS 35.

Indict. 2.

STephanus Rex, malis Ecclesiam Romanam, & Catholicum Orbem vexantibus, nec minus domesticis curis animum affligentibus, quòd præsertim, quem Regni heredem post se relinqueret, non facile deliberare poterat, eoque nondum obductum ex mærore amissi Emerici vulnus, hac recordatione magis recrudescebat; in morbum incidit, ex quo postea nunquam integrè conualuit. Quin vero molestia in dies increscente, nec pedibus quidem insistere potuit; ita exercente eum ad coronam Diuina prouidentia. Qua de causa cùm aliquanto remissiùs Regnum gerere videretur, non defuere, qui eius pertæsi, aliquid noui molirentur. STEPHANVS REX IN MORBVM INCIDIT.

B

Ex his Proceres quatuor, adeoque Palatini, etiamnum profana cordis perfidia laborantes, nefarium inter se cōsilium tollendi è medio Regis ineunt, rati morte regia, Hungaros ad pristinam immunitatem, exusta ex animis religione Christi, facile redituros. Ex composito ex his vnus, imminente vespera, antequam lucernæ adhiberentur, dum suspenso gradu vbi ille decumberet in tenebris percontaretur, fortè nudus ensis sub chlamyde absconditus, quo Regem iugulaturus erat, Deo permittente excidit; nec minorem tinnitu sonitum edidit, quàm qui Regi, nisi is diuinitus præsciisset, certam suspicionem ingerere posset. Vt ergo auribus accepit, quid id esset, per astantem admissionalem inquiri iussit. Ille deprehensum se animaduertens, illico correptus ingenti pœnitentia, & ingenua confessione rem totam aperit; & supplex ad regios pedes multis cum lacrymis tanti parricidij veniam precatur. Quid aliud expectare poterat à Rege clementissimo, quàm vt lacrymis supplicantis emollitus, & amore Dei victus, propenso animo condonaret, concessaque impunitate, maximè reum absolueret? Cæterùm in reliquos coniuratos, eiusdem mandato subinde quæsitum est, & in compertos sententia capitalis prolata. CONSPIRATIO QVORVNDAM IN STEPHANVM REGEM DETECTA.

C

D

STEPHANVS CONDONAT PARRICIDÆ.

Hoc eodem anno videtur signandus obitus Anastasij Colocensis Præsulis sanctissimi, quo Stephanus Rex grauissimis Regni curis adhibito, velut manu dextera vtebatur. Is Coronam auream Stephano sacrando, à Pontifice Romano retulerat: is Sebastiano Primo Strigoniensi Archiepiscopo oculis ad tempus capto, & suæ & illius Ecclesiæ ex munere sapientissime prouidit: is Regijs consilijs quamcunque in partem è re publica moderandis, summa semper cum prudentia adfuit: neque tamen interea quicquam è religiosa sanctitate, quod rarum est in ijs, qui Principum Aulas frequentant, remisit. Atque hoc in parte tribuendum est meritis sancti Regis, qui à pueritia sua Sanctorū conuersationi assuetus, nihil præter suorum Episcoporum consilia gessit, ratus, quicquid Sacerdotes Dei, quibus animarum cura commissa est, deliberassent, id Dei quoque singulari nutu disponi. Hinc apud Reges Hungariæ, initio ducto à Stephano, Præsules primo semper loco in consilijs habiti, nec quicquam decretum, nisi ipsis sanctè placuisset. Habebat ea res ingentem speciem boni, quòd plerique ex Monastica ANASTASII COLOCENSIS OBITVS.

E

PRÆSVLES IN CONSILIIS REGIS ADHIBITI.

 disci-

disciplina assumpti, vel certe sanctorum virorum doctrina, & exemplis imbuti, A
non nisi sanctam ad rem publicam tractandā mentem adferebant, eamque non ex priuatis commodis, sed ex publica religionis vtilitate gerebant, Regnum Dei semper præponentes, & hinc in temporalia bona intendentes. Quod vtinam hodieque esset: Ecclesiastici Principum Aulas non sine fructu frequentarent.

ANASTASII LAVDES. MORTVVM SVSCITAT.

Porro, quod spectat ad Anastasium, fuit is Vir eius sanctitatis, quam miracula diuinitus edita contestantur: inter quæ singulare fuit discipuli mortui, ad vitam reuocatio, quam ipse precibus impetrarat. Notat id Dubrauius, & ex eodem Surius ad duodecimum Nouembris: Menardus in Martyrologio ad eundem B
diem. Plura eius gesta admiranda desiderantur. Ex hoc tamen facilis est coniectura, eum fuisse virum, cuius sanctitas, & Ecclesiæ magno ornamento, & Regno, summo esset emolumento. Obijt plenus meritis, & annis, septuagenario non minor, postquam in Hungariam venisset anno trigesimosecundo, Ecclesiæ autem suæ administratæ trigesimo; in quibus tres illi, quibus Strigoniensem curabat, numerantur: vnde à plerisque vulgo Strigoniensis Archiepiscopus appellatur. Nec dubium, eius morte non parum accessisse mæroris Stephano ad veteres dolores, pluraque in Regno fuisse turbata; sed præsertim ijs, qui regium parricidium intentarant, hoc viro desiderato, audaciam obrepsisse. C

Hist. Bohem. lib. 6. Sur. tom. 6.

RVSSORVM ECCLESIA FLORET. * huc Dlugoschus.

Hoc eodem anno propagatum à Duce Russorum Iorasdixlao Ecclesiæ Russicæ cultum, testatur Ioannes Longinus * Canonicus Cracouiensis, in Annalibus Polonorum; pluraque Monasteria non solum virorum, verum etiam fœminarum fundata, sed inter Ecclesias, illam Sanctæ Sophiæ sumptuosè excitasse, tabulisque turri deauratis tecta magnifice dotasse. Cōtra, Polonicus Ecclesiæ status non

MICEZLAI REGIS OBITV RES POLONIÆ TVRBATÆ.

parū labefactatus est, cùm defuncto hoc anno Micezslao Rege, sub quo Bohemi, Morani, Ruteni, & Gisalbini populi, insuper Lubecenses, & Magnopolitani, alijque à parente sub iugum missi, à Polonorum dominio defecere. Ad postremum vero, scissis inter se Principum studijs in eligendo Rege, septennio durauit D
Interregnum incredibili Ecclesiarum iactura; Regina interim expulsa, eiusque legitimo Regni successore; qui in Germaniam sunt profecti. Casimirus verò Regni legitimus heres, sapientiori consilio nuncium remittens seculo, Cluniacensium Monachorum arripuit Institutum, ea tempestate disciplina florentissimum; mutatoque nomine Casimiri in Carolum, vitam monasticam solemni ritu professus est.

CASIMIRVS REGNI POLONIÆ HÆRES, MVNDO RENVNCIAT.

ROMANI IMPERATORIS OBITVS.

Hoc etiā anno Romanus Imperator Orientis, Zoë Augustæ coniugis adulteræ opera, veneno paulatim consumptus, & antequam moreretur, à Michaele Paphlagone, qui ab adultera subrogatus est, misere strangulatus interijt; ipsoque E
magno Parasceues die, in illustri à se recèns cōdito Monasterio sepultus est. Quæ autem diuinitus vindicta consecuta sit tam impium, ac nefarium facinus pluribus describit Curopalates. Zonaras tamen, Vxoris quidem cum Michaele Paphlagone consuescentis insidijs necatum, non tamen strangulatum, sed potius malo veneficijs conciliato fabulam peractam tradit. Quippe alienus mentis cùm forte in balneum Regiæ descendisset, à submissis clanculo nefarijs, caput diu in aquam depressus, ac deinde semianimis in lectum reclinatus, aliquandiu sine voce iacuit; deinde vero reiecta per os, veneficij tetra materia, spiritum efflauit.

Tom. 3. In Rom. Argyrop.

Displi-

A Displicuisse Deo talem in Imperium ingressum, Michaelis ipsa exordia, quemadmodum narrant Cedrenus, & Zonaras, apertè satis docuerunt. Nam & suopte exemplo terrebatur, & atroci morbo, quo nuper ob negatam sacramento cum Imperatrice consuetudinem correptus fuit, magis ac magis in dies conflictabatur; plerisque hanc vindictam offensi periurio Numinis interpretantibus, qua non secus atque olim Saul exagitabatur. Scilicet, *Malus etiam genius*, inquit Cedrenus, *inuasit Imperatorem, nec ante vitæ finem missum fecit.* Qui specioso nomine velare volebant, insaniam mentis appellabant. Sane neque humanum neque diuinum auxilium miserabilibus eum cruciatibus, atque torturis eripuit.

In Compend. Tom. 3. In Michaele Paphlagone.

B Idem enumerat ostenta diuinitus facta; & inter alia Stellam hora noctis tertia Paschæ octauam insequentis, traiectu suo, & fulgore, omnium aliarum stellarum luminibus, ita offecisse, multi vt Solem oriri opinarentur. Item examina locustarum, quæ per Hellesponti arenam in littore dispersa perierant, sponte sua reuixisse, & late circum infestantia, cùm Thraciam vniuersam integro triennio populata fuissent, demum apud Pergamum interijsse. Quod antequam fieret, cuidam de Ministris Episcopi per insomnium fuisse repræsentatum: vt qui videret Eunuchum albo effulgente amictum, trinos apponere saccos; eosque cùm iuberetur ordine aperire, è primo vim serpentum, viperarum & scorpionum:
C ex altero rubetas, aspides, basiliscos, cerastas, & alias id genus venenatas bestias: denique ex tertio cantharidos, culices, vespas, aliaque aculeata animalia erupisse, Quibus visis cùm is territus obmutuisset, Eunuchum adiecisse: *Hæc vobis euenient ob violata Dei mandata, & impium facinus in Imperatorem Romanum eiusque coniugem perpetratum.* Denique narrat, hoc eodem anno per quadraginta dies terra concussa permultos Hierosolymis interijsse, Templorum, ac ædium ruinis oppressos; & mense Septembri igneam columnam, vertice ad Meridiem inclinante, versus Ortum apparuisse.

DEI VINDICTA PROPTER ROMANVM IMP. INTERFECTVM.

D

IESV CHRISTI ANNVS	BENEDICTI PAP. IX. ANNVS	CONRADI IMP. 2. MICHAELIS IMP. 2. STEPHANI REGIS 36.
1035.	2.	

Indict. 3.

HÆresis Berengarij Turonensis, Archidiaconi Andegauensis, contra veritatem Corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ, defuncto Roberto Rege, qui eam ita damnarat, vt ne audiri quidem eo viuente permissa sit,
E hoc anno ab eodem Berengario, annitente Brunone Andegauensi Episcopo, liberius, & absque obice promulgari cœpit; & paulò post Germaniam peruasit, penetratura etiam ad Hungaros, & alias recentiùs conuersas nationes, nisi piorum Principum religio obstitisset: quos inter Henricus Francorum Rex, Roberti parentis, vt Regni, ita pietatis heres, ad profligandum hunc errorem, toto pectore insurrexit; nec aliquid antiquius habuit, quàm vt quantocius obrueretur, adlaborantibus pijs Episcopis, sed præsertim Durando Leodiensi, qui Brunonem, & Berengarium doctè confutauit: Sed enim latuere coërciti ad tempus erroris Patroni, donec extra Gallias occulti serperent, & plurima Regna inficerent, necquicquam damnante postea Leone Nono, tùm Romæ, tùm Vercel-

BERENGARII HÆRESIS RESVSCITATA.

lis

lis doctrinam peruersam: de qua re in loco dicturi sumus, narraturi etiam, quo A
pacto in Hungariam, & quibus authoribus irrepserit, quantoque Antistitum zelo repressa sit.

Indict. 4.

IESV CHRISTI ANNVS 1036.	BENEDICTI PAP. IX. ANNVS 3.	CONRADI IMP. 10. MICHAELIS 3. STEPHANI REGIS 37.

B

POLONORVM ECCLESIA IACTATA.

Hoc anno Polonorum Ecclesia iactata est, deprædantibus Prouinciam Bohemis, atque Ruthenis, & cuncta sacra & profana miscentibus. Nam Brzetislaus Bohemiæ Dux, destitutam Rege Prouinciam, & bello ciuili dilaceratam inuadens, nihil sacri intactum voluit, quin ausu nefario contingeret, tolleret; instigante ad id Seuero Pragensi Episcopo, cuius etiam suasu, corporibus Sanctorum Gnesnensem Ecclesiam spoliauit: inter quæ fuere corpora Sanctorum quinque Martyrum, Matthæi, Benedicti, Ioannis, Isaac, & Christiani, qui omnes aliquando sub Anastasio Abbate, postea Colocensi in Hungaria Archiepiscopo, monasticam ducebant vitam: postea vero, vt diximus, in Polonia Martyrium passi, & miraculis clari, Gneznam à Boleslao Rege translati sunt, & magna in veneratione habiti. Horum igitur inter alias Reliquiæ præsenti Bohemorum irruptione, vnà cum Corpore S. Gaudentij Pragam ab ijsdem sunt abductæ. Neque solum, sed vt tradit Ioannes Longinus, abstulerunt *præterea Imaginem Crucifixi, ex auro puro trecentarum pondo librarum, cum Imagine Christi pendentis in Cruce triplicis ponderis; tres insuper Tabulas primarij altaris, ex auro purissimo gemmis ornatas, & in Ecclesia Cathedrali reposuerunt*. Hæc tantum insigniora recenset author, mittens alia inumera diuersi generis Ecclesiæ ornamenta. C

GERARDVS INSTITVITVR EPISCOPVS CHIANADIENSIS.

Hoc eodem anno S. Stephanus Rex Gerardum Monachum ab eremo reuocans, & Pontificali infula decorans, Chianadiensem Episcopum instituit, & vt populo prædicaret destinauit. Inuitus dignitatem suscepit: sed quia ita expediret, æmulatus charismata meliora, fecit quod Spiritu sancto dictante faciendum erat. Memor autem se populi pastorem constitutum, incredibile dictu, quanta diligentia, & religione munus suum obibat. Tantam autem superna pietas ei contulit gratiam, vt ab omnibus loci incolis vnice dilectus instar patris coleretur, adeoque vt alter Abraham Patriarcha, multorum Pater diceretur. D

Quod ad res Orientales spectat, ne Edessa ab Arabibus obsessa expugnaretur, Constantinus frater Michaelis Imperatoris opem tulit. Iterum vero non multo post dolo tentatam, mendici Armenij fides liberauit, doli authoribus interfectis. Quingenti adducebantur Cameli, binis vtrinque cistellis, totidemque armatis inclusis onerati. Horum Duces vrbem ingressi, tanquam si munera Imperatori ferrent, benigne excepti, & conuiuio adhibiti sunt: iamque agebatur de Camelis introducendis, cum forte Armenius mendicus Arabicæ linguæ gnarus, inter Camelos oberrans, audiuit vocem è cista, vbi nam loci essent percunctantem: & extemplo insidias odoratus, Prætori clam aperuit. Qui continuo cum suis egressus, retectis istis, armatos omnes primum interfici, deinde Duces E

adhuc

A adhuc in vrbe conuiuantes obtruncari iussit, vno relicto, qui naso & auribus amputatis cladis nuncius esset. Hæc inter Amere Principe Ægyptiorum mortuo, relicta eius Christiana vnà cum filio de pace cum Imperatore transigenda deliberat, magnoque Religionis bono triginta annorum inducias paciscitur.

IESV CHRISTI ANNVS 1037.	BENEDICTI PAP. IX. ANNVS 4.	CONRADI IMP. 11. MICHAELIS IMP. 4. STEPHANI REGIS 38.	Indict. 5.

B

Conradum Imperatorem in Italiam venientem, & iam Cremonæ subsistentem, Benedictus Papa adiuit; quo consentiente, Episcopi Placentinus, Cremonensis, Vercellensis ab Imperatore insimulati, capti sunt, & in exilium missi. Mediolanensis Archiepiscopus infidelitatis accusatus, & apprehensus, fuga euasit, totisque viribus Imperatori rebellare contendit. Mediolano obsesso, & territorio circum vastato, rebelles & coniurati perdomiti Leges acceperunt. Non placuit Deo in Episcopos, quantumuis commeritos, & an- CONRADVS IMP. IN ITALIAM VENIT.
C nuente Romano Pontifice, decretum supplicium. Nam vt Sigebertus, sed non suo loco, & alij tradunt: *Die Pentecostes cùm Imperator in parua Ecclesia secus vrbem coronaretur ad Missam, tam grauia illico sæuierunt tonitrua & fulgura, vt quidam mente, alij vita excederent. Bruno verò Episcopus, qui Sacris operabatur, & Secretarius Imperatoris cum tribus alijs, testati sunt, se inter Missarum solemnia vidisse Sanctum Ambrosium Imperatori, indignando comminantem; nec multo post Imperatorem Italia decessisse.* Hæc ferè Sigebertus, sed male ad sequentem annum. Sig. ad an. 1034 S. AMBROSIVS APPARENS MINATVR CONRADO.

Quod audis Imperatorem Mediolani coronatum, tradunt aliqui ex hoc
D tempore illam Gregorij Quinti, Othonisque Primi sanctionem olim promulgatam primùm obseruatam: Vt quicunque Cæsar in Germania declaratus, Italiam aditurus erat, à Romano Pontifice Augustali Corona donandus, duas priùs in itinere, Maguntiæ* alteram ex palea (si quæ Bonfinio fides) alteram Mediolani ex ferro à Metropolita consequi iuberetur. Hanc alij non Mediolani, sed Modoëtiæ suscipi consueuisse scribunt; nisi forte primam potius Modoëtiæ, quæ quibusdam, & Moguntia, & melius Moguntiacum dicitur, impositam credi queat. * Al. Modoëtiæ. Bonfin. lib. 1. Dec. 2.

Quod ad res Hungaricas spectat, Gerardus plures Ecclesias cùm per aliquot
E annos crescenti Fidelium numero iam ædificasset, Stephano Rege non solum annuente, verum etiam summa animi voluptate approbante, & stimulante, hoc anno principalem Ecclesiam in honorem Sancti Gregorij Martyris Chianadij ad litus Morisij fluminis exstruxit, atque inde Morissenam Sedem appellauit: quã Stephanus Rex dotalitijs muneribus nobiliter ditauit. In ea Ecclesia ad honorẽ beatissimæ Dei Genitricis Mariæ, *Venerabilem* (inquit Author Vitæ) *erexit aram, ante quam thuribulum argenteũ collocauit, eiusque ministerio duos prouectæ ætatis viros adhibuit, quorũ officium erat, iugiter illic vigilare, atque operam dare, nè vlla vnquã hora thymiama vaporans deesset. Singulis quoque Sabbatis, cum nouẽ Lectionibus, vt in die Assumptionis eiusdem Sanctissimæ Dei Genitricis, magnisque laudans præconijs,* GERARDVS PLVRES ECCLESIAS ADIFICAT. THYMIAMA PERPETVVM ANTE ARAM DEIPARÆ.

coniis, deuotionis suæ officium illic explebat. Cæteris autem diebus, matutinis, & vespertinis precibus absolutis, bis cum processione eò venire solebat: quæ consuetudo hodieque perseuerat. Hæc fere Author historiæ S. Gerhardi: qui aut non longè ab illis temporibus vixit, aut certe, cùm nondum Turcica immanitas occupatis Hungariæ locis, religionem deformauit. A

Tom. 3. in Michaele Paphlagone. Hoc etiam anno duobus fratribus, qui Siciliæ imperabant, inter se dissidentibus, cùm eorum alter Michaelis opem implorasset, *Gregorius Maniaces Patritius*, inquit Zonaras, *auxilio missus est, Longobardiæ Prætor designatus. Antequam venisset, illi inter se reconciliati, & Maniacen aditu prohibere conati, auxilia Carthagine euocarunt. Verùm pugna commissa, Maniaces victor magna Carthaginensium cæde edita, tredecim Vrbes vastauit.* B

IESV CHRISTI ANNVS 1038.	BENEDICTI PAP. IX. ANNVS 5.	CONRADI IMP. 12. MICHAELIS IMP. 5. STEPHANI REGIS 39.

Indict. 6.

Maniaces victoria, de qua paulò ante diximus, bene vsus, cùm Apulos, & Calabros consciuisset, Nortmannos quoque, gratia Guaimari Principis Salernitani in auxilium euocauit; & paulatim progressus, vniuersam pene Siciliam subegit. Ac tum accidit, quod scribit Leo Ostiensis, *Vt Syracusana ciuitate capta, Mausoleum Sanctæ Luciæ à sene quodam eidem Duci proditum sit, eiusque corpus inde sublatum, & in theca argentea positum, Constantinopolim cum omni honore, & reuerentia transmissum.* Qua autem occasione hinc demum Venetias migrarit, alibi cum illustri tantæ Virginis, & Martyris laude narramus. C

Lib. 2. cap. 68.

Porro nihil ex tam præclaro facinore gratiæ retulit Maniaces. Nam cùm Carthaginenses suarum copiarum interitu cognito, maiore apparatu Siciliam repeterent, in eos ducturus, Stephano Patricio Imperatoris affini, Classis Præfecto, maritimam Oram diligenter obseruandam, ne qua Carthaginensis Dux victus effugeret, demandauit. Deinde prælio commisso, deletis prope ad internecionem Afris, Princeps conscenso celoce, clasiarijs deceptis elapsus est. Id ægerrime ferens Maniaces, superbiùs obtrectanti Stephano præter conuicia, verbera intulit. Qua is accepta contumelia, apud Imperatorem, quasi Maniaces victoria insolescens defectionem moliretur, calumnias struit. Ea de causa vinctus Constantinopolim ductus, & custodiæ mancipatus, de cætero humilis vixit, authoritate omni in Stephanum translata: qui tamen socordia, & imperitia sua, non multo post Insulam totam præter Messanam, egregia suorum virtute defensam, sibi eripi passus est. D E

EXTREMA STEPHANI REGIS INFIRMITAS. Tandem verò hoc ipso anno, post diuturnam infirmitatem inopina febre correptus Rex sanctissimus Stephanus, migrationis tempus adesse sensit. Quare Episcopos, & Proceres omnes acciri iubens, ad eos primum de successore eligendo, deinde de Fide conseruanda retulit. Hæc ita narrat Chartuitius. *Dignus tandem, qui centuplex cælestis Regni brauium consequeretur, febri correptus est: sentiensque adesse migrationis tempus, accersitis Episcopis, & Primoribus Palatij Christiano nomine gloriantibus; primùm tractauit cum ijs de substituendo sibi Rege.*

Deinde

A *Deinde paternè monuit eos, seruare Catholicam Fidem, quam accepissent, amare iu-*
stitiam, fraternæ charitati studere, humilitati operam dare; ante omnia verò nouellæ
Christianismi plantationi curam, & solicitudinem adhibere. His dictis manus, &
oculos in Cælum erigens: Regina Cæli, inquit, mundi inclyta reparatrix, tuo patroci-
nio sanctam Ecclesiam cum Clero, & Episcopis, Regnumque cum Primatibus, & Populis,
tuis precibus commendo; quibus ego nunc vltimum vale dicens, animam quoque meam
tuis manibus committo. Instabat tunc præcipua solennitas, celebris Angelis, & homi-
nibus, Assumptionis Beatissimæ Mariæ dies: in cuius gaudijs vt sui corporis fieret disso-
lutio, precibus à Domino contendit, lacrymis, & gemitibus impetrauit, sperans cumu-
B *latioris misericordiæ se spem habiturum. Aderat ergo felix ille dies, eius obitu mox feli-*
citatis aliquam accessionem habiturus: circumstabant cum Clero Episcopi, cum ministris
Principes, & Comites. Rex in medio iacens sacram petijt vnctionem, sanctamque
animam, Corporis, & Sanguinis Christi accreatam viatico, in manus perpetuæ Virgi-
nis, & sanctorum Angelorum, æternæ quietis beatitudine inferendam tradidit.

ECCLESIAM CLERVM, EPISCOPOS, REGNVM, PRIMATES, ET OMNEM POPVLVM, DENIQVE ANIMAM SVAM DEIPARÆ COMMENDAT.

PLACIDE OBDORMIT.

Hæc Chartuitius: nisi quòd addat migrasse anno Dominicæ Incarnationis
millesimo tricesimo quarto: quod etiam eum secutus asserit Bonfinius. Sed
præstat sequi nobiliores Chronographos, qui his temporibus vixere, qui &
mala post obitum Stephani consecuta, singulis certisque annis consignarunt.
C Nec dubium, quin recens audita certioraque tradiderint, ijs, qui longe post
scripserunt. Hoc itaque anno millesimo tricesimo octauo signant eius obitum
Hermannus Contractus, Marianus Scotus, quos sequuntur Abrahamus, Botskaius, *In Chron. Regum Hungar.*
Baronius ad hunc annum, licet in notis ad Martyrologium secutus sit Chartuitium;
sed & Leo Ostiensis ad hæc posteriora tempora potius quam anteriora reducit
eius obitum, dum de oblatione ab eo missa ad Monasterium Cassinense, *aurea*
nimirum Cruce valde pulchra, sancto Benedicto donata, loquitur, vnaque affir-
mat *Sanctum Regem multis precibus flagitasse Abbatem, vt aliquos Monachos ad in-*
stituendum in illis partibus Monasterium mitteret. Cuius votis Abbas obtemperans,
D *duos de senioribus misit.* Non deerant Stephano plures iam Benedicti Ordinis
Religiosi, vt ex hactenus dictis constat; verùm is peculiari erga Sanctũ Patriarchã
religione, optabat ex eo loco mitti sibi sanctitatis viros, vbi primum Be-
nedictus ipse sanctitatis fundamenta iecit, & suis demum Reliquijs illic depositis
sanctiorem effecit disciplinæ cultum. Mitto hìc illos, qui contra omnem tem-
porum rationem, eius mortem ad millesimum & quadragesimum septimum
annum protulerunt.

Obijt ergo Regum sanctissimus Stephanus Budæ, hoc anno Dominicæ In-
carnationis millesimo trigesimooctauo, ætatis suæ circiter quinquagesimotertio,
E postremæ conuersionis Hungariæ quadragesimonono, Regni trigesimooctauo
exacto, & trigesimonono inchoato, die 15. Augusti, *feria tertia*: quo die olim
coronatus Regium nomen æterno Regno præludens susceperat. Nam quòd in
Martyrologio Romano, dies signetur vigesimus, non obitum, sed corporis
translationem indicat eo die factam, quinto ac quadragesimo post anno, vt
dicemus.

De pio sancti Regis transitu libet etiam ex vetusto, & pene corroso manu-
scripto addere. Ipsi circumstantes adhortante ad seruandam illibate Fidem
Catholicam, & millies obeundam potius mortem, quouis atrocissimo genere
supplicij intentatam, quàm ea minimum temerata, religioni crimen inferre,

lacry-

lacrymatos omnes, & inter singultus impedita verba reddidisse, peracerbam sibi vitam, tam pij Regis, & Patris desiderio deinceps futuram causantes. Quos ipse animo in Deum confidenti semperque erecto consolari, bene ipsis, & Regno, sub certissima Deiparæ protectione, precari. Mox vero imminente exitu, perceptoque magno pietatis sensu ad luctam supremo Sacramento, quicquid virtutis superarat, in cœlestium meditationem aliquantisper consciscere. Nec multo post sereno vultu Emerici filij, & Henrici cognati memor, ad beatum illorum occursum velut anhelare, ac tandem oculis, vt potuit in cœlum erectis, spiritu ad æternam gloriam laxato quiescere. O felices Reges, quos talis exitus manet! A

Tom 12. ad an. 1131. Affirmat non nemo recentiorum ex Baronio, scilicet, *Stephanum Regem Hungarici Regni pientissimum è vita migraturum, in pœnitentiæ signum monasticum induisse habitum. Quem*, inquit, *ob eximiam in Deiparam Virginem deuotionem, & insignem erga D. Gerardum beneuolentiam, sacri nostri Instituti* (nempe Carmelitani) B

Author. Menol. Carmel. in Gerardo. *fuisse non dubitamus*. Sic iste: Sed vt nuper in Gerardo, quemadmodum vidimus, ita hic quoque ad pauca respiciendo. Nam, vt quamplura mittam Baronius non de Stephano sancto, & Primo Hungarorum Rege locutus est, sed de Stephano Secundo in Regum serie Decimo, qui nonaginta amplius annis post vixit, Belamque Secundum successorem reliquit. Deinde Stephano Regi multum intercessisse cum Religiosis Ordinis Benedicti Patriarchæ, vel etiam Pauli Eremitæ, res ipsa loquitur: vt si quid in extremis voti monastici concepisset, alterutrius horum habitum fuisse assumpturum verosimilius videatur. Sed hæc hactenus. C

Cæterùm, vt primum transitus sancti Regis est vulgatus, *Extitit illico mox*, vt scribit Chartuitius, *planctus Sanctorum haud vulgaris, Angelis lætantibus: sed planctus ille postea mutatus est in gaudium perenne, tam præsentium, quam futurorum populorum. Ad exequias eius ex omnibus Pannoniæ plagis concursum est: corpus*

EXEQVIAE S. STEPHANI QVALES. *ad Vrbem Regiam*, (puta Albam) *perductum: sed cùm Ecclesia Beatissima Virginis ab eo constructa, nec dum consecrata esset, communicato inter se consilio, priùs Episcopi statuunt sanctificandam Basilicam, postea in ea corpus humandum. Absoluta igitur Dedicationis solennitate, sacrum corpus in media Aede sarcophago è candido marmore confecto impositum est; vbi compluribus annis ad eius merita Dominus permultis male habentibus, febribus vexatis, afflictionem, & miseriam suam fatentibus, innumera* D

ANGELICI CANTVS AD SEPVLCHRVM S. REGIS. *præstitit beneficia. Sæpe quoque illic noctibus Angelicæ melodiæ auditæ sunt à multis, sæpe odoris suauissimi fragrantia per Templum sese diffudit.* Hæc Chartuitius.

Dec. 2. lib. 1. Eadem fere habet Bonfinius: nisi quòd addat, ex vniuersa Pannonia, Dacia, atque etiam ex finitimis Populis multos conuenisse, *vt singulari pompa funus efferretur, & corpus succollantibus Pontificibus, supremisque Magistratibus, Albam delatum: cùm nondum Diuæ Genitricis Basilica ritè sacrata fuisset, Metropolitam cum Pontificibus, & Collegijs Sacerdotum priùs eam ex more dicasse: mox in medio Templi marmoreo sepulchro conditum, riteque inter Diuos relatum*. Hæc fere Bonfinius. Quo loco occurrit primum, in eadem Ecclesia, octo ab hinc annis depositum fuisse Emericum, seorsim tamen Sacello sacrato, quando tota nondum esset dicando apta. Deinde in medio Templi locatum Regium Mausoleum, quod fere post illatas intra Vrbes præter Maiorum instituta sepulturas, honoribus Principum datum est, ad seruandam in Magnorum monumentis ignaræ cuiquam E

parcere

A parcere mortis memoriam; vnàque rerum præclare gestarum versantem ob oculos imaginem. Denique rite inter Diuos relatum Stephanum, sed ea authoritate, quæ Romani Pontificis de suprema solemnitate interpellaret sanctionem; quæ demum Ladislao sancto, qui Octauus à Stephano fuit, regnante accessit. Neque enim impræsentiarum alia ratione religioni immensi Populi, cum euentu vota nuncupantis responderi potuisset, nisi vel nondum condito funere, extemporaneis, qua par erat, honoribus, Pontifices cultum initiassent. Id adeo ratum fuisse Romano Pontifici, illud postea missum Diploma ostendit, quo omnium corpora, qui primi in Hungaria Christianæ
B Fidei fundamenta iecerunt, ne debito honore fraudarentur, in gloriæ speciem solemniter eleuari iussa sunt; vt eo ritu pro temporum more inter Diuos adscripti censeantur.

Fuit Stephanus Rex sane omnium seculorum memoria dignus, diuinitus ad tantam sanctitatem electus; quod ipsum parenti suo à Deo somnium immissum demonstrauit. Ex vtero secum traxit misericordiam, & benignitatem in egenos; idque singularis gratiæ donum præcipue ipsi à Deo concessum ab omnibus prædicatur. Quippe ad pauperes recreandos quotidianas expensas sine intermissione fieri iubebat, pedes eorum manibus ipse suis abluere
C solitus, ijsdem, sed nocturnis horis, & clam, alacritate summa eleemosynas in sinum condebat largissimas. Nullum vnquam hospitem aut peregrinum à se tristem dimisit: quin peculiares semper loculos à latere ferens, obuijs quibusque mendicis stipem liberaliter depromebat. In Cœnobia, Ecclesiarum ministros, Monachos, & Clericos, dici non potest quantum elargitus est. Præcipuo affectu prosequebatur Ordinem S. Benedicti; cuius Religiosos non semel ex Italia, alijsque locis euocauit, & Ecclesijs regendis præfecit. Plura eis Monasteria, & Abbatias fundauit: quarum præcipuæ fuere S. Martini in Monte sacro, quam fundauit initio Regni anno Christi millesimo secundo:
D Alteram S. Mauritij in Simigiensi Comitatu, Diœcesis Vesprimiensis, circa annum millesimum trigesimum, post defunctum vita Emericum filium. Tertiam S. Georgij, eius ope, & suasu erexit S. Gerardus primus Episcopus Chianadiensis, Diœcesis Colociensis. Quartam S. Hadriani Martyris in Diœcesi Vesprimiensi. Quintam, Præposituram Clericorum extra Ordinem, Albæ Regalis, S. Mariæ Virgini dicatam erexit, ac dotauit in eadem Diœcesi.

STEPHANI VIRTVTES RARAE.

Sed neque solùm in Regno suo, viduis, orphanis, & Christi pauperibus prospexit, verum etiam exterarum Prouinciarum Monasterijs regiæ munificentiæ dona innumera per nuncios suos crebro misit. Quorum in parte me-
E minit Leo Ostiensis sæpe laudatus.

In Chron. Cas. fin.

Quam porro in iuuentute susceperat morum grauitatem, ad extremum vsque diem vitæ præ se tulit, vix vt vnquam ridere sit visus; semperque ita sese compararit, quasi Tribunali Christi adstaret, eius præsentiam interioribus oculis sereno vultu contemplatus, Iustitiæ tenacissimus, Religionis obseruantissimus, minimos quoque Clericos honorabat: cum Sanctis assiduo conuersatus, eorum consilia exquirebat, & monita seruabat. Romanum Pontificem summa reuerentia, & obseruantia colebat, vt ne nominaret quidem, nisi eximio *Vicarij Christi* titulo, & honore. Quotannis Basilicas, & Cœnobia, quæ fundarat, reuisere solitus, ad aras primum omnes, pias preces fun-

REVERENTIA ERGA SVMMVM PONTIFICEM.

debat, & sacra fieri iubebat; deinde singulatim Templa lustrans, si quid vitij imminentisque ruinæ tectis, & parietibus offendisset, continuò reficiebat. Emericum quoque filium vnà secum sacras Ædes obeuntem, ac toties ante aras regio habitu se exuentem, vt altaria humilis veneraretur, carus genitor, lætis oculis intuebatur. Iam verò cùm diuinis interesset, dici non potest, qua totius corporis, & multo magis animi compositione, quaue sui demissione, totus in Deum absorptus videretur, lacrymis interea vbertim manantibus, nihil vt præterea circa se agi sentiret. Eius certe modestia omnes circum Proceres ad religionem, & admirationem prouocabat, nec erat qui Regem imitari non desideraret: Gysela tamen coniux pari studio per omnia certare præcipue videbatur. Vno verbo, Christum in ore, Christum in corde, Christum in cunctis suis actibus circumferebat; sanctissimæ verò eius Virgini Matri, ita se se deuouerat, nunquam vt eam nominaret, quin teneritudine animi totus, aut spiritu infremeret, aut in lacrymas solueretur. Eam PATRONAM HVNGARIÆ, & DOMINAM dixit, eidemque se, Regnum, & Populum suum mancipio tradidit, & quicquid vbique iuris obueniret, eidem sacrum esse constituit. Nec monetam solum Deiparæ imagine signatam, sed & ædes, & Templa, & omnia regalia instrumenta perpicta voluit. Quin etiam singulos Episcopatus, quos fundauit, Deiparæ Virginis mysterijs initiauit: sed duos ex his præcipua dignitate eminentes, Sirigoniensem, & Colocensem, ita insigniuit, vt alter honori Virginis Assumptæ, alter Annunciatæ religioni responderet, ea vocabulorum in pari cultu differentia, qua *Magnæ* seu Beatæ, *Paruæ* item *Dominæ* nuncupatione, alterum ab altero discerneret. In quo genere non dignitatem mysterij, quod in Virginis vtero salutis principium dedit, sed quod eiusdem in gloriam ingressum mortalitate posita designauit, censuit explicandam, adeoque votis exulum ad æternam patriam anhelantium clementer aspirare præoptauit. Ijsdem verò appellationibus menses quoque Martium, & Augustum, primus ipse discreuit: quam Religionem posteri suscipientes, reliquas quoque lunationes vel à nominibus Sanctorum, vel ab Ecclesiæ cæremonijs per easdem seruari solitis nobilitarunt.

EXIMIA DEVOTIO ERGA DIVINA.

INGENS RELIGIO ERGA DEIPARAM.

Porro qui Stephani Regis pietatem, & religionem exacte nosse cupit, legat duos libellos, ac præsertim primum, quibus Emericum filium instruit: offendet dubio procul antiquam eam probitatem virtuti cognatam, qua sanctius vix aliquid desiderari queat. Illud mittendum non est, in tam diuersis Regni crescentis curis, in quo ob Religionem Christi recèns introductam, varia & contraria studia, & turbationes deesse non poterant, constantem semper gessisse mentem, & Deo penitus coniunctam, vt nulla fortuna deijci pateretur, nullis aduersis concuti; etsi ob mortem Emerici immaturam, anxie fortasse nimis ageret, quòd spem heredis recisam tam inopine vidisset, non sua culpa, sed singulari Dei dispositione, quòd vel peccata Populi talem Regem non mererentur, vel certe Emerici sanctitas, Regnis caducis superior, æternum exigeret. Sed neque pius Rex angebatur affectu potius humano ob filium amissum, seu quia ex stirpe sua regiam optaret propagationem; quod fere ceteri Principes, minus æterna perpendentes, consueuerunt; sed quia timeret in Populo nondum firmato, Religionis mutationem, & dæmonis, malorum-

sup. ad an. 1019

A lorumque hominum artibus, ad impia sacra nefariam conuersionem; Hæc illum angebant: atque ideo sub extremum spiritus iam iam exeuntis halitũ, vnicè Regnum, & Religionem Deiparæ Virgini commendabat. Cuius quidem cultus si apud fluctuantes animos constans permansisset, nec vnquam prima Hungarorum Orthodoxa Religio Hæresibus afflata fuisset, hodieque Hungaria cum florentissimo Ecclesiarum statu, inter Regna caput extolleret. Sed ad Stephanum reuertamur, vt semel concludamus.

Extremum vitæ diem, inquit Chartuitius, *semper ob oculos mentis habebat, & magno cordis desiderio ad illam Ciuium supernorum frequentiam anhelabat, quendam* B *Angelicæ conuersationis habitum præ se ferens. Denique cunctis ornatus virtutibus in sanctitate, & iustitia coram Deo omnibus diebus vitæ suæ vixit, vt in eo iam quadam futuræ vitæ species elucere videretur.* Quam gloriam beata eius anima tandem adepta, vt pro nobis Deum exoret, & mihi præsertim peccatori, qui hæc scribo, gratiam impetret, Deus faxit propitius.

Quod spectat ad successionem, narrat Bonfinius ex Annalibus Hungaricis, cùm paulo ante mortem Stephanus solicitus esset, ne quis à suo sanguine alienus succederet, Budam Egruthi cuiusdam filium iussisse Nitriam properare, vt Vazulem patruelis sui filium propter ætatis lasciuiam isthic in vinculis de- C tentum, extemplo adduceret, Regem Hungariæ declarandum. Id cùm Regina Gysela intellexisset, cum Buda egisse, quò Regis consilium interciperet; eoque Sebum filium Budæ Nitriam præmisisse, qui mandato Regio Vazuli oculos efloderet, & infuso aures plumbo oppleret, atque illinc in Bohemiam continuò profugeret; Id fecisse Reginam, vt Petrum Stephani ex sorore, Guilielmi natum, Germanici sanguinis in Regnum admitteret. Hunc aliqui Venetum vocant à patre Venetijs vitam agente. Post peractum à Sebo facinus venisse & Budam ad Vazulem, & immaniter, ita vt erat, tractatum adduxisse ad Regem: quem ita deformatum cùm Rex aspexisset, in profusissimas il- D lico lacrymas solutus pene elanguit: proinde adaucta ægritudine, confirmatoque dolore, in effœta iam ætate, nec de facinorosis authoribus pœnas exigere, neque vitam diutius prorogare valuit. Sed mox Calui Ladislai patrui quondam sui filios (Caluum Ladislaum errore vocat Bonfinius: Caluus enim & Ladislaus duo fratres, & tertius Vazul filij Michaelis, fratris Geyzæ patris Diui Stephani Regis fuere,) hos, inquam acciri iubens, Andream nimirum, Belam & Leuentam, eos monuit, dicto citius in Bohemiam Poloniamque se proriperent, insidias Reginæ vitaturi.

Dec. 2. lib. 1. FIGMENTA DE SVCCESSORE INSTITVENDO.

Hæc & id genus alia Bonfinius ex dictis Annalibus: quæ tamen mera esse E figmenta, sine ratione & ingenio composita, res ipsa demonstrat. Quis enim credat, Gyselam sanctissimam feminam, ac Diuo Rege ac fratre Imperatore non indignam, tantam potuisse in animum admittere impietatem, viuente præsertim Rege, quo cum sanctissimè semper vixerat, & communi pietatis voto, quod de Regno constituendum erat, nullo ex se hærede relicto, semper Deo ac Deiparæ Virgini commendabat? Quis etiam sibi persuadeat, Regem sanctissimum cum morbo assiduè conflictatum, & qui post obitum Emerici, pacato omnia animo in manus Dei ac Deiparæ deposuerat, tam anxie sub articulo mortis, caduca, & sanguinis affectum spectasse, vt de non eligendo alieno perturbatè cogitaret, præsertim qui conuocatis Regni Episcopis ac

REFELLVNTVR DICTA FIGMENTA.

Proceribus, omnem post Deum curam remittebat de optimo Rege rogando, & Catholica Fide seruanda? Mitto, vel inde fabulam hanc se se prodere, quòd Regem dum decumberet, in effœta iam ætate constitutum fuisse dicat: cuius contrarium superiùs ostendimus; omnino quippe quinquagesimum tertium non excessit: idque palam Picturæ in Vrbe vetustæ testantur. A

Quare merito alij Scriptores, præterquam Hungarorum Annales, quod innuit Bonfinius, admirantur talia confingi potuisse de Gysela, quam omnes reliqui sanctissimam mulierem, & dicto Rege, & fratre Imperatore non indignam affirment. *Vt proinde, si vtrorumque scripta tueri velimus*, inquit, *duas vxores Stephanum duxisse cogamur affirmare, & vtrique Gysela fuisse nomen: Vnam eamque sanctissimam, Henrici sororem: alteram verò Gulielmi filiam, qui sancti Sigismundi frater fuit, & è Burgundiorum Ducum familia prodijt: Atque diuersis vtramque moribus fuisse affirmabimus. Nam & Conradus Imperator Gyselam quandam Caroli Magni genere natam vxorem nactus est, quæ & Rudolphum Burgundiæ Regem habuit, & ante quam Conrado Imperatori nuberet, Ernesti Sueuiæ Ducis, & Alberti fratris, qui Austria dominabatur, fuit vxor; ex quo Ernestum Hermannumque filium suscepit.* Hæc Bonfinius. Sed non opus huiuseemodi figmento. Inprimis enim S. Sigismundus, eiusque frater, & huius filia, multis ante Stephanum seculis vixerunt: deinde verò Gyselam Ernesti relictam, dispensatione Pontificis à Conrado retentam fuisse, & ex ea legitimam prolem suscepisse constat ex dictis supra ad annum vigesimum septimum supra millesimum: sed neque potuisse eam nubere Stephano, viuente adhuc Conrado, & illi aliquot annis superstite, certius est quàm vt quispiam nisi mente captus secus imaginari queat. Cætera quæ huc spectant, in annum sequentem conijcimus.

Lib. 1. Dec. 2. — B — C

Indict. 7.	IESV CHRISTI ANNVS 1039.	BENEDICTI PAP. IX. ANNVS 6.	CONRADI IMP. 13. MICHAELIS IMP. 6. PETRI REGIS 1.	D

PETRVS D. STEPHANO SVCCEDIT IN REGNVM.

QVod igitur res est, non alia Gyselæ Reginæ arte, si quid ipsa contulit, quàm meritis sanctitatis eius, & vitæ cum Diuo Rege integerrimè actæ, huc respexerunt, Episcopi, & Proceres Regni, vt cùm alius dignior non suppeteret, e Regio sanguine cognato Regem rogarent. Quippe ea tempestate, damnata Numidarum, & Maurorum, quæ postea redijt, consuetudine, non leuis ducebatur huiusmodi necessitudo, ad Regna legibus optimis, sed maximè sanctitate pacis stabilienda. Quare Petrum Stephani sororis natū, Gulielmi filium, Germanici sanguinis, communibus suffragijs legunt, & vt quam primum ad capessendum Regnum approperet, absentem per destinatos viros monent. Quis porro Germanorum Principum fuerit Gulielmus, cui Sarola Regis Stephani soror nupta Petrum ediderit, nondum facile ex stemmatibus conijcio. Aliquando subijt, Comitem fuisse Pictauiensem, cuius filiam Agnetem Henricus Tertius Conradi Secundi Imperatoris, ex Gysela nobilissimæ stirpis Carolorum matrona natus, coniugem habuit; magno argumento, E

Otho Frising. lib. 6. cap. 32.

mento,

A mento, cur is deinde Petro Hungariæ Regno deiecto, diadema restituerit: ad id maxime hortante Gysela matre, olim Alberto superioris Pannoniæ Marchioni nupta, eoque rerum Hungaricarum experiente; cuius nomen, cum Gyselæ Reginæ Hungariæ vocabulo commissum, Scriptores plerosque in errores haud ferendos misit.

PETRVS CORONATVR.

Paucis ergo mensibus elapsis Petrus præclaro nobilium comitatu in Hungariam venit, & regio more exceptus, cærimonijs à Diuo Stephano repetitis inauguratur; non omnium fausta acclamatione, quòd in ipso ingressu, nescio quid turgidum vultu, & moribus præferret, in ingratum Regem ac potius B Tyrannum breui erupturus. Nam qui auunculi vestigijs inhæsurus credebatur, in ipso limine deflexit, & Regnum quasi iure non sorte accepisset, corruptis legibus aut insuper habiris, temere grauare cœpit. Monitus ab vtriusque ordinis Proceribus, contempsit. Quin etiam Gyselæ Reginæ, cuius potissimum authoritati, & consilijs Regnum debebat, minus obseruans, paucorum quos secum ex Germania adduxerat obsecundantium, temeritati nixus omnia iura miscebat. Quem porro exitum res propediem habitura erat cùm Gysela cautè præsensisset, pridem antea meditatam seculi abdicationem maturauit.

GYSELA REGINA MONASTERIVM PETIT.

C Hoc igitur anno cùm penitius in animum demisisset, sibi non marito tantùm, sed diu ante carissima etiam prole orbatæ, nihil relictum in humanis, quod magnopere concupiscere, multa vero, quæ ex inclinatione Regni metuere, posset; desiderium omne ac votum ad æterna transtulit. Proinde omnibus valedicens non sine mœrore ac luctu vniuersorum, qui tot annis optimæ Reginæ mores experti fuerant, Patauiam profecta est; ibique in sanctæ Crucis Monasterio à S. Henrico germano suo, & Chunegunde cognata fundato, mundum omnem seculi deposuit: & regulari assumpto habitu, cùm aliquandiu par sororibus vixisset, postea etiam præfuit, & exemplo Brigittæ germanæ, D nec non Chunegundis cognatæ, vitam eximia cum sanctitate memorandam traduxit. Ferunt ad nonagesimum quintum huius seculi annum prouixisse, adeòque denis supra centum annis periodum vitæ conclusisse. Quo spatio tantas non in Hungaria solum, sed in omni Europa, vsque ad tempora Gregorij Septimi Pontificis, & Henrici Quarti Imperatoris mutationes vidit, quantas sequentia secula non sunt experta.

Brusch. lib. 2. Pasau. n. 12.

CONRADI IMP. OBITVS.

Hoc eodem anno Conradus Imperator, nonis Iunij, ipsa Pentecostes die tertia, apud Traiectum Frisiæ Vrbem inopina morte decessit, & Spiræ in insigni, quam viuens extruxerat Basilica, sepulturæ traditus est. Exitum repenE tinum, vltione diuina contigisse, quidam ex Sigeberto, alijsque conijciunt; quòd Italiam petiturus ad motus sedandos, in Mediolanenses grauiùs animaduerterit, adeòque coniectis in vincula quibusdam Episcopis, Mediolanensis Antistitis fugam fœdo suburbiorum incendio pensarit. Hinc adfuisse paulo post, visum e Cælo sanctum Ambrosium, & Imperatori Missarum solennijs intento seuere comminatum ferunt; eodemque momento fulguribus, & tonitruis horrendùm detonantibus, nonnullos mente, plures vita excessisse. Sic isti nulla verisimilitudine: quando prodigia eiusmodi ipso Pentecostes die coronationi Imperatoris destinato accidisse cùm narrent, lapsu non ferendo, biduo post Traiecti in Germania defunctum velint. Esset aliqua species dictis,

Lib. 5. cap. 1.

si quod Glaber ponit, biennio post Conradus vixisset: errare tamen eum veriores aliorum calculi conuincunt. A

Ostien. lib. 2. cap. 66. Chron. Cist. ad hunc annū. Hul. Mutius lib. 14.

Res est: cùm post multas victorias, & populos Imperio subditos, amicitiâ præterea cum Hungaris stabilita, magnam apud omnes gentes existimationē Conradus sibi peperisset, solaque nominis authoritate plurimum in rebus mortalium posse crederetur, Imperio composito profectum eum fuisse Romam, quòd audiuisset Pontificem vexari iniquitate quorundam, & malitia, & Græcos, Nortmannosque de Regno Apuliæ contendere. His ergo ab armis discedere iussis, & pacatis, Romanas quoque res ordinauit, & Summum Pontificem sola authoritate, & minis ab iniurijs vindicauit. Omnibus igitur ex voto succedentibus, vbi regiones, & vrbes Italiæ otiosus, & animi gratia visitasset, per longas tandem maris Adriatici ambages redijt in Germaniam. Hìc cùm tuta omnia inuenisset, Augusti seculum sibi fingens, reliquum vitæ Religionis cultu, & honestis oblectationibus transigendum proponit. Felix, si memor insidiantis lethi, à quo nondum fessa ætate, in ipsis amœni otij principijs interceptus est. B

CONRADO SVCCEDIT HENRICVS FILIVS.

Conrado succedit in Regnum Germaniæ Henricus filius, à patre viuente designatus; non id quidem contra sanctionem Gregorij Quinti Pontificis, Otthone Tertio Imperatore postulante receptam, sed si Principibus Electoribus placuisset: exemplo ad se ab Henrico sanctissimo transmisso, qui secundùm Otthonem primus suffragijs celebratis regnauerat. Consensere Principes haud violato Iure, apud quos, & Conradi amor, & dignitas Henrici filij, voto etiam & plausu populi accedente, omnia potuere. Quo loco non importunum fuerit commenti quorundam de hoc Henrico meminisse; legitur id apud Godefridum Viterbiensem, Vincentium Beluacensem, Iacobum de Voragine, Antoninum Præsulem, aliosque. C

FABVLA DE HENRICI ORTV, ET REGNO.

Aiunt Henricum non filium, sed generum Conradi mira Prouidentiæ dispositione extitisse. Nam cùm Leopoldus Comes de Cala, idemque pater Henrici, ob violatum fœdus, Conradi Regis iram declinaturus, in Herciniæ syluæ latebras cum Vxore prægnante se abdidisset; forte qua nocte hæc infantem editura erat, venandi gratia superueniens Imperator, eodemque tugurio exceptus, vocem ad se delapsam tertiò audiuit. *O Imperator, infans qui hoc loco, & momento nascitur, gener & heres tuus erit.* Ea res visa Conrado ominosa, ne euentum sortiretur, submisit qui infantem e medio tollerent. Sed hi miserti, sublatum aut matri restituere, aut non longe deposuere; in signum vero simulatæ cædis patratæ, Imperatori cor lepusculi exectum offerunt. Non multo post transeunte illac Duce quodam Conrado familiari, sublatum infantem, & nobili ephebia educatum, deinde etiam ab eodem filij loco fuisse adoptatum. Cuius indolem cùm sæpe tacitus Imperator obseruasset, subijt eum esse, cuius necem ex inuisa prædictione olim præcepisset. Quare inter suos domesticos gratulante Duce adscriptum, captata aliquando occasione ad Reginam ablegat, datis literis, quibus confestim occidendum mandat. Accidit autem vt festinato itinere ad Presbyterum diuerteret, & sopore correptus pendulas e collo literas fortuito curiosis viri oculis obijceret; hic resignatas cùm inspexisset, sortem innocentis miseratus, clam alias supposuit, aut certe priores in hæc verba emendauit. *Visis hisce o Regina, adolescenti latori continuò filiam* D E

A *liam nostram despondeto: caue ne latum vnguem ab hoc mandato excesseris.* Ita factum, vt Henricus suæ insciens fortunæ, primùm gener deinde hæres Conradi euaserit.

Hæc series totius fabulæ, multis præter omnem fingendi artem, erroribus impeditæ; cuius appendix est, Henricum iam Regnum adeptum in rei memoriam insigne Hirsaugiense Monasterium fundasse, & largis prouentibus dotauisse. Ita isti, ignorantes & Hirsaugiense Cœnobium, multis ante Henricum annis, & ipsum Henricum Conradi ex Gysela Pictauiensi, cuius alibi meminimus, legitime natum extitisse. Scripsere porro contra hanc fabulam
B inter alios Otho Frisingensis Episcopus, Ioannes Nauclerus Canonicus Tubingensis; Ioannes item Trithemius Abbas, & huius discipulus Paulus Citizensis Chronici author, alijque non inferioris notæ.

IESV CHRISTI ANNVS 1040.	BENEDICTI PAP. IX. ANNVS 7.	MICHAELIS IMP. 7. HENRICI III. REGIS 1. Indict. 8. PETRI REGIS 2.

C

POst Gyselæ Reginæ discessum, res Hungarica declinare cœpit, Petro Rege nihil ex consensu, & consilio, sed pro libidine omnia agente. Enimuero is ignorans se non tam iure suo, quàm aliena intercessione regnare, oblitus etiam generis, sine lege ex more suo cuncta gerebat; & cùm à Diui auunculi vestigijs longe abiret, ne regiæ quidem maiestatis dignam cum decore speciem referebat. Ita factum, vt paulatim ex Rege in insolentem Tyrannum euaderet. A principio nobilissimum quemque ludibrio habere, & præ suæ nationis viris cæteros infra notam dignitatis ducere; illos magnifice-
D re, & ambientibus vsquequaque blandiri, hos non solum aspernari, sed numero seruorum discernere; ex illis præterea magistratus creare, sibi custodiam legere, hos muneribus & honoribus exuere, & tanquam certo perfidiæ argumento, arcibus & præsidijs submouere. Accedebant publicæ libidines, nec illustrium quidem Matronarum tuta pudicitia: cuius exempli infamia flagrantes Palatini satellites, ac præsertim Prætoriani milites, mulierum omnium promiscue, sed maxime virginum, honori passim & impune illudebant. RES HVNGARIÆ SVB PETRO AFFLICTA.

Tali Rege ac rerum statu, nutabat etiam Religio, sacrorum & sanctitatis cultu paulatim neglecto: quid enim vigilantia Pastorum possit, vbi praua
E exempla cum authoritate Principum incedunt? Vigebant adhuc Antistites Stephani Regis prudentia lecti, sed sua sanctitate commendati; quorum pars maior cùm ab Aula Regis pro sua quisque Prouincia abesset, Regijs studijs moderari non commode poterant, pars dubio rerum euentu, & expectatione consilia suspendebat. Quæ, ne insigni Reipublicæ malo serò percurando protraherentur, itum est tandem in sententiam de Rege salutariter admonendo, & nisi paruisset, tum de altiori curatione adhibenda.

Primi officium fecere Antistites, & in his præcipua sanctitatis fama Gerardus Chianadiensis; cuius authoritas cùm omnia apud Stephanum Regem potuisset, hìc quoque non frustra futura credebatur. Successere deinde ex com- PETRVS REX MONETVR INSOLENTIÆ.

posito

posito Procerum optimi. Omnium vna oratio fuit, deprecandi mali causa, quo legum perturbatio, morumque insolentia Regis exemplo fulta, susque deque ageret omnia, vt neque Religioni suus tenor suaque obseruatio ampliùs redderetur. Proinde in leges intenderet, petulantes submoueret, Theutones suos in officio contineret, ne immodeste agere, ne vim pudicis mulieribus inferre pergerent; alioqui timendum, ne mutata scena tragicum hæc improbitas sortiatur exitum, nulla vel sera pœnitentia emendandum. Ignominiam esse Regi non ferendam, res Hungarorum hactenus Religione assurrexisse, & sanctitate Geysæ, Stephani, Emerici, imo & Henrici Imperatoris, eiusdemque sororis Gyselæ stetisse; easdem verò nunc vnius Petri degenerantis capite in discrimen vocari, magna & sui generis, & sacrorum manium iniuria. Nunquam enim sancti illi Germanorum Principes Stephani Regis necessarij, nisi summam in se contumeliam accepturi, ex sanguine suo Regem Hungaris obtulissent, si quem suis, præcessorumque vestigijs inhærentem, magnam ad Regnum sanctitate gerendum accessionem facturum non cogitassent. B

PETRI REGIS CONTVMACIA. Audijt ille, sed contra tumide contumax, nisi monitis abstinerent, insolenti leuitate peiora interminari, facturum se vt consilij e Scythico ingenio profecti, ingenitæque improbitatis haud sero pœniteret. Sibi suos Germanos præ Hungaris Barbaris esse, qui vel hoc nominis idcirco ferant, quasi Hungaros perpetuo angore agi oporteat; se proinde non defuturum officio, quo ipsis vocabulo suo paria referat, facturumque in tempore, vt muneribus omnibus honoribusque militiæ domique cassi, Germanos dominos ferre assuescant, vniuersamque Pannoniam in Prouinciam redactam agnoscant. Ita ille nimis intemperanter, sed quo fructu sequens annus dabit; dissimulantibus interea, quorum partes erant curare, ne quid fulcimenti rebus cadentibus deesset. C

CHVNEGVNDIS AVGVSTÆ OBITVS. Hoc anno sancta Chunegundis Augusta, sancti Imperatoris Henrici coniux Virgo, ab obitu coniugij inter sanctimoniales professa, vbi annos quindecim in obseruantia disciplinæ monasticæ laudabiliter transegisset, die tertia Martij *feria secunda*, ex hac vita migrauit ad æternam, præmium acceptura triumphati seruata in coniugio virginitate mundi, laureolam, & procalcato terreni Principatus diademate, immarcescibilem Regni cælestis coronam; de cuius gestis, vt etiam sancti Henrici virginei mariti præclaris facinoribus, quia peculiarem librum edimus, ne hic multis agamus, libenter calamo supersedemus, supremum duntaxat vitæ coronamentum, quod huc spectat, propositori. Id vero huiusmodi est: Cùm proxime moritura, Angustalia ornamenta ad pompam funeris parari conspexisset, præsenti iuxta, & in æterna intento animo: *Amictus iste*, inquit, *non est meus, auferte hinc: ornatus hic alienus est, istis terreno sponso, & his* (monasticum obtendens habitum) *cælesti sum copulata. Nuda de vtero matris meæ egressa sum, nuda reuertar illuc: his misera carnis vilem materiam inuoluite, & corpus meum iuxta tumulum fratris mei ac Domini Henrici Imperatoris, quem me vocantem video, in proprio locello reponite.* Quibus dictis Creatori spiritum commendans sancto fine quieuit, ætatis anno circiter sexagesimo. Cuius sanctitatem pluribus miraculis diuinitus contestatam, Innocentius Tertius publicis quoque ad aras honoribus consecrauit, non multis post annis, quàm Eugenius Tertius Henrico etiam parem cultum decreuisset, vt suo loco memoramus. D E

Meritò

A Meritò humano ſenſu grauis hæc accidit Hungaris migratio beatæ Chunegundis, ſiue recordatione ſanctæ illius neceſſitudinis, quæ cum Stephano Rege, Henricum Imperatorem, Gyſelam ſororem, adeoque Chunegunden ipſam Henrici coniugem pari vinculo colligauit; ſiue repræſentatione tot meritorum, quibus ipſa cum Henrico, in Religione Hungarorum formanda, ſtabilienda, Stephano Regi adlaborauit, adeoque vniuerſorum animos gratæ ſui memoriæ fecit obnoxios; nullo ex præſenti rerum ſtatu obiecto impedimento, quo Petrus Rex auitæ virtutis exors, magnam in omnes actiones ſuas vitamque omnem contulit diſcrepantiam: ex cuius tamen leuitate, & inſolentia HVNGARI LVGENT CHVNEGVNDEM.

B non tantum negotij extitit, vt immortalia Henrici, & Chunegundis in Hungariam beneficia querelæ minimum haberent. Neque enim poterant obliuiſci honoris, quo Henricus Romani Pontificis aſſenſu, Hungariam ſuo Regno parem fecit; vt quemadmodum in Rege legendo Pannoniæ Princeps Septemuirale ius haberet: ita in Sacrorum tractatione, ſi quid maioris momenti ſe obtuliſſet, primus Antiſtitum Hungarorum in munere verſaretur. Eius rei præclarum exemplum ad poſteros tranſmiſſum eſt, quando fundatum ab Henrico Babenbergenſem Epiſcopatum, Ioannes Decimusoctauus Romanus Pontifex, habita in Baſilica Vaticana Synodo, prior ipſe confirmauit, deinde etiam Dithm. lib. 6. Antiq. Cod. vita Hen. apud Iac. Gretſer.

C Henrico vt ſuorum Epiſcoporum authoritate idem roboraretur, reſcripſit. Ac tum inter trigintaſex Antiſtites Francofordi congregatos Anaſtaſius primus Strigonienſis Archiepiſcopus, cum paribus digna prærogatiua conſedit, parique conſenſu priuilegium Sedis Apoſtolicæ & ipſe probauit. Placuit hæc non intempeſtiuè de Anaſtaſio addere, quod in loco ad annum huius ſeculi ſextum fortè prætermiſſum, ad tanti Antiſtitis, primique Hungarorum Archiepiſcopi ſpectat; immo & præcipuam Hungaricæ Eccleſiæ commendationem, quòd in ipſo Religionis initio ritè conſtituta, viros habuerit non minus ſanctitate, quàm authoritate conſpicuos. ANASTASIVS STRIGON. SVBSCRIBIT SYNODO FRANCOFORD.

D

IESV CHRISTI ANNVS	BENEDICTI PAP. IX. ANNVS	MICHAELIS IMP. 8.	
1041.	8.	HENRICI III. REG. 2.	Indict. 9.
		PETRI REGIS 3.	

Tandem Hungari, tyrannidis & inſolentiæ Petri pertæſi, de eo deijciendo deliberant, quando ſpe omni de emendatione præciſa, & contumaciſſi- PETRVS REGNO DEIICITVR.

E ma iactatione irritatis animis, in apertam omnia rebellionem ſpectare videbantur, niſi ritè, & ordine aduerſum irent. Ac in primis quidem, clandeſtinis coitionibus, Præfecti Legatique legionum, nec non Tribuni cum exercitu ad vnum omnes in Petrum conſpirant; ſed ne tumultuaria de Rege nouo legendo ſententia, cruore ciuium fuſo ſcriberetur, ad optimates deinde, ipſoſque Pontifices, & Sacerdotum collegia referunt. Quibus non inuitis de idoneo primùm Rege affectatè diſquirunt, eoque deſignato de Petro exigendo decernunt.

Quo inter omnes occurrit, ab Hungaris Aba, à nonnullis Albonius dictus, & ſanguine & indole par Regno; qui ducta quondam altera ſorore Diui Regis, QVO PETRO SVBROGATVR

tam

tam fausta affinitate præ cæteris emerserat. Hunc abdicato Petro, in castra A
deductum, & à militibus vmbone sublatum faustis acclamationibus Regem
creant. Qui vt se Regem salutatum consensu omnium perspexit, continuò
aciem in Petrum, hostem Regni pronunciatum eduxit: nec segnis ille, ne
quid sequius experiretur, discrimini se quantocyus exemit, & concito itinere
in Bauariam euasit. Id vbi cognitum est, dici vix potest, quàm dirum subiere
supplicium familiares, & amici, quiue regiæ tyrannidis, & cupiditatis, adeoque
malorum omnium authores habebantur, nullum vt crudelitatis genus superfuisse
credo possit.

Ouo igitur Regno potitus, habita concione, se non ambitione largitioneue B
aliqua, sed consensu regium diadema sumpsisse explicat; & si quid pro re
& tempore nouatum sit, consilium antecapiendum fuisse docet, ne quid deterius
Petri temeritas intemperantiaque attulisset. Mox omnes bene de se
sperare iubens, omnia Petri edicta, leges & decreta rescindit, antiquatque; ipse
noua promulgat, & ad bene viuendum subditos hortatur. Felix, si alieno
periculo sibi cauisset.

Lõginus in hist. Chromer. lib. 4. de Reb. Polon. Duglossus.

CASIMIRVS, ET RIXA MATER POLONIA EXCEDVNT.

Diuersa sorte rebus Polonorum inclinantibus hoc quoque anno, ipsi Benedicti
Pontificis beneficio Regem rogant Casimirum Cluniaci professum Monachum.
Nam cùm Mieciflaus Rex diem obijsset vnico superstite filio Casimiro, C
necdum Regno maturo, penes Rixam Reginam pueri matrem, regia
potestas erat. Qua dum eam abuti causarentur Proceres, quòd præ Theutonibus
despicatui haberentur, vt nuper contra Petrum Regem suum fecerant
Hungari, gliscerentque in dies factiones, & omnia dissidijs ac seditionibus
laborarent; illa ne irritatis in tanta licentia Polonorum animis, discrimini se
obijceret, consilium fugæ cum filio, atque Theutonibus suis clam iniji; & Regno
excedens, ab Imperatore Conrado Magdeburgum, & Bronsuicum dono
accepit. Sunt qui scribant, puerum Casimirum in Hungariam priùs fuisse
missum ad Stephanum Regem propinquum; quo tamen paulo post defuncto, D
& turbatis sub Petro rebus, cùm omnia ad nouitates spectarent, eiusdem suasu,
comitatu instructum ad matrem in Saxoniam abiuisse. Hinc voluntate
matris Lutetiam profectus, vt ingenium honestis disciplinis excoleret, aliquot
annos impendit. Inde visa obiter Italia, & Romualdi sanctissimi Eremitæ,
quod diu concupiuerat, aspectu & colloquio recreatus, Cluniaci demum in
Ordinis sancti Benedicti sodalitatem se dedit, monasticam vitam professus.

Reginæ, & Regij filij discessu Polonia tota concussa, quid consilij caperet
ignorabat: dum enim vnus non esset, cuius nutu regeretur, plurium dissensione
in extrema omnia præcipitabat. Hinc mutuæ cædes, latrocinia publica, op- E
pidorum vastitates, incendia, & vt quisque inter potentiores valebat, collecta
perditorum manu grassabatur, nec semel collatis signis magna innocentum
strage edita, fora & campi sanguine redundabant. Non virginum, &
matronarum pudicitia à tot malis immunis euasit; non Ministri sacrorum,
non Templa, atque Aræ inuiolatæ, quando Proceres Episcopos, aliosque locupletes
patresfamilias cum liberis suis, nullæ latebræ tutos seruabant; ita in
tanta licentia rustici quoque, & agrestes, à laboribus, & agricultura feriati,
in Nobilitatis impetu ferebantur excidium; vt in pristinam barbariem, atque
impietatem prope relapsura Polonia videretur, nisi in tam miserabili rerum

facie,

A facie, non pauci externi Principes inimicitia an ambitione inhiantes, ipsa discordia non parum retraxissent.

Nam cùm his tempestatibus per aliquot annos iactati, & fatigati Poloni, extremum florentis dudum Regni naufragium metuerent, nonnihil de intestinis dissidijs remittunt; & positis priuatis offensis, vt quisque consilio, & authoritate pollebat, de Republica cogitationem suscipiunt, & comitia Gnesnæ indicunt. Hìc diu disceptatum. Conueniebat, Regnum, nisi rursus ad vnius Principatum rediret, saluum esse non posse: verùm qui dignitati par foret, non inueniebatur: exteri Principes aut hostes, aut distracti, aut certe inferio-
B res iudicati, & verebantur in his tyrannidem, vt contra in suis, nisi regij sanguinis esset, contemptum. Vnus tandem occurrit Casimirus, sed matris causa insensus, fortasse etiam, vt rebantur, patris Miecislai ignauiæ obnoxius. CASIMIRVS QVÆRITVR AD REGNVM. Vtique tamen, quia Boleslai Magni, de tota Polonia singulariter meriti, nepos erat, huius virtute, cuiuscunque tandem indolis foret, commendabatur; vicitque ea sententia vt ibi vbi esset quæreretur, placatus reduceretur.

Itum prius in Hungariam: hìc certitudine capta, missi deinde primores viri delecti ad Rixam Reginam in Saxoniam. Quæ deprecantibus illis, iniuriarum tenax cùm aliquandiu gratiam negasset, suamque cum filio eiectionem,
C & exilij pudorem aspernanti similis exprobrasset, tandem pertinaciter, & submisse miserabili Regni statu explicato contendentibus, animum expugnari passa est; sed obiecit rem factu fore difficilem, quando filius Casimirus, iam pridem abiecta spe Regni intractabilis, in Gallijs apud Cluniacum, Monachū induisset: pergerent nihilominus facturi si quid possent, etiam hortatu matris. Quibus acceptis, profecti illi magnis itineribus Cluniacum perueniunt; & agnito Casimiro, cui iam Carolo nomen erat, inopinum referentes nuncium, CASIMIRVS MONACHVS CAROLVS DICTVS. orant vt misertus patriæ tot malis conflictatæ Regnum sibi debitum capessat, nec, veteris iniuriæ memor, supplicum lacrymas subditorum aspernetur; sat
D iam noxæ datum; si quid superest, adesse sordidatos, & eum vnicum Patronum implorare.

Respondet ille modeste obortis lacrymis, fortunam suam non suorum consilijs, sed arcano Dei iudicio rectam; hactenus hoc stetisse loco; miserari se casum patriæ, quam maiores florentissimam reliquissent; verùm à se non esse, vel si maxime velit, opem ferre; tametsi non nesciat, inferioris esse pietatis, & meriti, quàm priuatum, & conclusum innocentiæ suæ studere, publica administrantem multorum saluti consulere: cæterùm datam semel Deo fidem, atque ijs, quorum se potestati vltro subiecisset, fallere non posse. Mæsti hoc
E responso, & propemodum spe deiecti, ad Abbatem Monasterij, qui tunc Odilo sanctissimus erat, confugiunt; coramque perorata sui aduentus causa, demisse flagitant vt nisi perire tot populos de Religione optime meritos velit, Casimirum iure suo absolutum Regno restituat, hoc beneficium in totius Orbis sinu Poloniæ non ingratæ positurus. Audijt Odilo, totusque animo colliquescens, dolere se ait, tam necessariæ causæ obsequi non posse, quando sui iuris non esset eum Religione liberare, qui & Monachus, & Diaconus, professione, & sacramento teneretur; esse tamen sub manu consilium: Romam ad Summum Pontificem pergerent, penes quem solum potestas esset quæcunque vota, & sacramenta maioris boni gratia relaxandi; facturum se quoque

suis

suis literis, & intercessione causam apud ipsum fauorabilem; qua cognita, spondere ausit, communem Orbis Christiani Parentem, & Arbitrum, tanto Reipublicæ Religionisque commodo non defuturum. A

Lætiores hoc responso non defugerunt & hanc itineris molestiam deuorare. Romam e Gallijs profecti, & ad Benedictum Nonum Pontificem admissi, causa vrgentioribus, quàm hactenus vsquam argumentis explicata, nullum non lapidem mouerunt, quo Pontificis voluntatem in sua vota flecterent, exaggerato beneficio, quo totius Regni salus e nutu eius penderet, peritura, nisi mature occurreret. Mouerant ipso statim initio Benedictum facies miserandæ Legatorum, vilis & obsoletus habitus, vultus supplices, demissa supercilia, & verborum humilitas. B

Sed rem nullo hactenus exemplo tentatam, ad Patrum Senatum reijcit. Quo non semel habito, periclitata extreme omnia, si quo modo, absque Casimiro Poloniæ rebus consultum esset. Verùm præoccupatis Legatorum afflicta querela, Patrum viribus, & animis, cùm nihil præsentius occurrisset, tandem, vt sacris monasticis solutus, ad Regnum, & sobolis creandæ gratia, ad votum nuptiarum libere transiret, Benedictus Pontifex indulsit, gratiam tribus hisce pactis signans: Quæ nos verbis Longini, cæteris candidioris, describemus.

CASIMIRVS EX MONACHO REX POLONIÆ.

Vt Polonorum regiones, & Regnum, in signum præstiti per Apostolicam Sedem, acceptique in magno necessitatis suæ articulo beneficij, Beato Petro, & successoribus Romanis Pontificibus, de quolibet capite nobilium (capitibus circumscriptis) vsualem nummum annis singulis soluere; cæsariem capitis, & comam Barbaro more non nutrire; sed auribus instar Religiosorum Latinarum nationum tonsuratum caput gestare: Et in præcipuis Christi, & Virginis Matris eius festiuitatibus panno lineo albo in stolæ modum dependente, ceruicem exornare perpetuo sit astrictum: Vt his tribus insignibus ex Monacho, & ex Diacono, Apostolica concessione, & benignitate, cùm aliter concretum periculum dispelli non posset, Polonus sibi Regem creatum, & redditum cognoscens, tam in Deum, quàm in Religionem Christi sit gratior, atque deuotior. C D

Lib. 4. de reb. Polon. *Polonis* Piena, dzsvvie, tego Pietra.

Hucusque Longinus. Circa primum variat Chromerus, dum Nobiles, siue Equites, & sacris addictos eximit, & obolum illum vnum, qui idcirco *sancti Petri nummus* dictus sit, ad alendam in huius Æde perpetuam lucernam, constitutum velit; tametsi addat ex Duglosso, regnante apud Polonos Vladislao Loctico, ad hanc rationem redactam esse pensionem illam, quæ priùs tribus obolis, & cribro auenæ de singulis familijs æstimabatur.

Ita conditionibus acceptis Legati voti sui compotes, curriculo Cluniacum repetunt, & porrectis mandatis Pontificis Casimirum educunt; & prius quam in Poloniam, ipso volente ad Rixam matrem in Saxoniam diuertunt, & gratulati, cum filio, si luberet, regio honore commansuram inuitant. Ipsa modeste deprecante, ad Henricum deinde Imperatorem pergunt, orantque diadema propinquo Regi reddi, quod Rixa e Polonia secum asportatum dono an fide Conrado patri tradiderat; ac præterea petunt Casimirum Regem socium, & amicum Romani Imperij contra Bohemos præcipue, tuendum, & defendendum suscipiat; Bohemum ab inferendo Polonis bello cohibeat, & ad restituenda, quæ indebite abstulit, cogat; immortalem Polonis hoc beneficio gratiam appositurus. Annuit benigne Henricus, nec postulata concessit modò, sed redditam Coronam muneribus auxit; & rem Bohemicam in se recipiens, sexcento- E

A centorum equitum comitatum Casimiro deducendo adiunxit. Ita plenus spei, & honorum, Imperatore salutato discessit. In ipsis Regni sui finibus, totam fere Poloniam officij gratia sibi obuiam effusam vidit,& lacrymis gaudio mixtis acclamantem, præteritarumque iniuriarum veniam deprecantem, madentibus & ipse vbertim oculis excipit, vltroque verbis solatus amicis, spe meliore implet. Demum inter densissimas vndique affluentium, & exultantium cateruas, lentis & impeditis itineribus Gnesnam deductus,septimo postquam excesserat anno, Regnum adijt, & per annos octodecim integerrime rexit; quo toto fere interuallo, cùm eo dante occasionem,varia fuerit Hungaricarum B rerum vicissitudo, non importune hæc de eo instituta est narratio.

Quod ad res Orientales spectat; hic idem annus extremus fuit Michaeli Imperatori, hoc felicior, quòd admissi in Romanum Imperatorem facinoris pœnitentiæ clarus, fortasse non admodum nocente Michaele, vbi potior in crimine fuit fraus, & machinatio Ioannis fratris eiusdem. Successit Michael Calephates, quem is antea in filium adoptarat. MICHAELIS IMP. OBITVS. *Curopal. Zonar.*

C IESV CHRISTI ANNVS 1042.	BENEDICTI PAP. IX. ANNVS 9.	MICHAEL.CALEPH.IMP. 1. HENRICI REGIS 3. OVONIS REG. HVNG. 1. *Indict.* 10.

OVo Rex ipsa Regni primordia multorum sanguine fœde cruentauit, nomenque inuisum bonis omnibus, insolenter circumtulit. Nam quòd nonnulli deiectionem Petri Regis initio improbassent, quidam verò etiam ex optimatibus, consilijs quibusdam intempestiuis intercessissent, omnes nullo discrimine seruili supplicio in sudes, & palum actos affecit. Id plerisque eò D visum est atrocius, & sacrilegio proximum, quòd violata Hungarorum religione, in ipsis hebdomadæ sacratioris diebus tantam crudelitatem exercuisset. Quibus peractis continuò ad Moresinam sedem perrexit, hic festa Paschalia celebraturus, & manu Gerardi Episcopi, diadema sibi impositurus; authoritate scilicet ac sanctitate tanti viri sceleri gratiam, vt rebatur, additurus. Locus erat, quo propter amnem eiusdem nominis, amænum sibi domicilium, Deoque magnificum Templum posuerat Gerardus, longe ab Aula, & tumultu, cælestibus, regendoque suo gregi vacans; vnde & à quibusdam frequenter Moresinus Antistes audit. OVO REX HVNGAROS DIRA SERVITVTE PREMIT.

E Ipso porro Dominicæ Resurrectioni sacro die, magno Episcoporum,& Procerum comitatu, Templum ingressus Ouo, misit ex honoratissimis, qui Gerardum cæremonijs sacris functurum accerserent: idemque fecere Episcopi, id in loco suo sui muneris esse affirmantes, (necdum quippe Regiæ coronationi certa sedes erat constituta, quæ postmodum Alba Regalis fuit) negauit ille libera contumacia à religione, & magnitudine animi inducta, licere sibi non Regem,sed vsurpatorem Regni diademate ornare,maxime ab immani iuxta,& infami innocentum cæde recens patrata, manus adhuc cruore pollutum: quin nec adesse velle cæremonijs infaustis, ne quoquo modo assensum præbuisse iniquitati videretur. Id cùm iterum tentantibus, iterum respondisset, illi qua-

cunque potestatis, & rerum interpretatione officio funguntur, & Ouoni coronam imponunt. A

M.S. codex apud Sur. 24. Sept.

GERARDVS EPISCOPVS OVONI VITÆ, ET REGNI AMISSIONEM PRÆDICIT.

Tum verò plenus Spiritu sancto Gerardus, circumposita sibi candida stola vmbonem ascendit, & omnium attonitorum ora in se conuertens, hæc intrepide in Regem vibrauit. *Obseruatio sanctæ Quadragesimæ peccatoribus pro venia, iustis pro præmio instituta est. Quam tu Rex cùm cædibus pollueris, mihique nomen patris eripueris, per te dulcissimis filijs orbato, nullam hodie veniam mereris. Et quia pro Christo meo hodie mori paratus sum, quæ tibi sunt euentura pronunciabo: Anno tertio Regni tui gladius vltionis excitabitur in te, qui tibi Regnum improba fraude per vim acquisitum auferet, & cum illo pariter vitam.* Hæc Gerardus per interpretem, cùm nec ipse Hungaricè, nec Ouo Rex Latinè calleret. Quæ cùm interpres paribus, & demensis verbis efferre pararet, nutu impediuere amici Regis, iram & indignationem veriti, qua Gerardus præter opinionem male haberet. Sed enim Gerardus Dei fidentior, vrget & vltro compellit, *Deum*, inquiens, *time, Regem honora, patris tui verba edicito*. Ita ille non sine timore, quæ iussus erat, edidit, stupentibus cunctis, qui Dei causa infra metum esse non didicissent. Hæsit Rex ipse, & quid reponeret turbato repente animo non habuit; timorem silentio pressum plerique coniecere, quòd Gerardus interitum obnunciasset, eumque certus futuri, breui spatio definisset. Neque hoc solùm eo tempore præstitit Gerardus, sed præsagitione menti iniecta, ac diuinitus inclusa, ad circumfusam multitudinem conuersus, prædixit Hungariam immani seditione mox discessionem facturam, sibique pro Religione conflictata mortem oppetendam. Quæ omnia, vt in loco dicemus, euentus probauit, magno Gerardi sanctitatis argumento, sed feliciori sorte, si qui audierunt deprecari studuissent. B C

ITEM HVNGARIÆ SCISSVRAM, ET SIBI MARTYRIVM.

HENRICVS GERMANIÆ REX IN OVONEM DVCIT EXERCITVM, VT PETRVM IN REGNVM HVNGARIÆ RESTITVAT.

Dum hæc geruntur, rumor improuisus incessit, Henricum Germaniæ Regem magnis copijs aduentare, vt Petro Regnum restituat. Perculsus Ouo, neque tamen incautus, antequam is Hungariæ fines attingat, Legatos mittit, quæsituros quid Cæsar vellet; negotium pro Petro frustra suscipi; ab illo stetisse, quo minus regnaret; sibi iam rite Regnum adepto, integrum non esse vt cuiquam cernat; proinde pacem præ bello, si Cæsar optet, se habere. Ad hæc paucis Henricus, reddit, Petri iniurias, suas esse; nullo iure deiectum, velle se restiturum; si pacate admittant, Hungaros amicorum, & sociorum numero, vt priùs habiturum; sin minus, gladio, & authoritate decreturum. Sed dum vltro citroque commeant Legati, Gothofredi Ducis Lotharingiæ res nouas in Germania molientis conatus intercedit: hic enim defuncto patre Gozilone, seu Cothelone, dum ei Ducatus Mosellanus negatur, altero repudiato, Cæsari rebellat, & varia fortuna modò odium, modò gratiam conciliat. Verùm hæc successu temporis acta: modò Henricus, vt primis motibus obuiam eat, ab expeditione Hungarica reuocatur. D E

Sigebert. in Chr.

OVO GERMANIAM VASTAT

Hac occasione fretus Ouo, comparato exercitu, ex vtraque Danubij ripa, Austriam, & Bauariam vno bello inuadit, omnia late diripit, vastat, cæde implet; denique ingenti hominum pecorumque præda abacta, Hungariam repetit. Et cùm nondum satius cœpisset, altero paulo post exercitu similem in Carinthia stragem edit. Quibus Coloniæ acceptis Henricus, conuentu Principum ex tempore habito, magnas copias, quibus ipse præesset, contrahi mandat,

A dat, ineunte autumno rursus in Hungariam ducendas, sopito interim Lotharingi motu, & per filium obsidem integrata Cæsaris gratia. Nec segniùs Ouo, Legatis iterum ad ipsos Germaniæ Principes missis simulationem offert: velle se cum Henrico pacem: si quid noxæ detur, præstaturum, restitutis etiam captiuis, & si quid damni superesset, dum à Petro reducendo desisteret; ea causa, vel morte agenda, nihil vnquam sibi grauius futurum. Negant Germaniæ Principes, negat ipse Henricus: id e re, & authoritate esse, nec habendam vllam impensarum, aut commodi ex hoste capiendi rationem, vbi de iure gentium, & sacrosancta Regum maiestate asserenda agitur; neque tamen hoc
B solo, sed multis alijs, vt de quauis necessitudine taceatur, clientelæ nominibus debere Petro, ne causa excidat sua. Certus erat Ouo nihil se obtenturum, sed tracta dolo mora, loca interim, quibus fidebat, munire, socios quærere, delectum habere militum, inter amicos discernere: neque enim nesciebat pluribus suorum se inuisum esse, qui ad omnes intenti Germanorum motus, facilè suo foro vsuri essent.

DE PACE AGIT

Neque tamen in tanta rerum perturbatione, maiori qui animi obstinatione, nullam Religionis curam habere visus est Ouo, siue reuera bene de sanctitate sentiret, siue quod multis videbatur, tempori seruiret; vix enim in vno
C eodemque pectore pietati cum tanta sæuitia constare posse iudicabant; tametsi non pauci seueritatem potius ex antiqua morum disciplina, quàm toruitatem naturæ interpretabantur, exeunte animi tenore in eum rigorem, qui in supplicijs nec remitteret, nec à vero discederet. Itaque hoc eodem anno fundatum ab eo volunt, & exædificatum celebre illud, Diuæ Virginis, atque Emmerammi prope Saar Cœnobiũ, quòd deinde quosdam ex ijs Monachis Benedictini Ordinis excepit, qui à Diuo Stephano Rege ex Italia, adeoque ex Monte Cassino euocati, seriùs tandem, & iam defuncto eo peruenerunt, & monasticam disciplinam, sicut in alijs, in hoc quoque claustro florentem reddide-
D runt. D. Virgini, atque Emerico dicatum nonnulli tradiderunt: verùm Emerici, sanctissimi licet, religio, hoc tempore nondum eo loco fuit, vt Romana authoritate, adeoque iuxta sacros Canones, tam publicus ei cultus haberetur, qui non paucos post annos deinde à Gregorio Septimo Pontifice, non autem à Benedicto Nono huius temporis, vt quidam scribunt, decretus est; tametsi priuatus quidam honos, & tantùm Episcoporum consensu explicatus, quoad Romano Oraculo definiretur, ante Benedictum Nonum Emerico ac Stephano Patri perinde habitus fuerit. Vnde si quæ interea Emerici honoribus, aut Templa dicata sunt, aut etiam oppida locata, Emmerammi potiùs, quàm E-
E merici, aut Henrici titulum ferunt; à quo etiam deriuatum Emerici nomen, sed Hungarorum idiomate contractum, ac suo modo deformatum, qui Hungaricè nouit, non inuerisimiliter coniecerit; quamquam alio loco, aliorumque sensu ex Henrici auunculi vocabulo ductum an corruptum congrue notauerimus.

COENOBIVM DIVÆ VIRGINIS, ATQVE EMMERAMMI CONSTAVIT.

Luc. Castell. tract. de Glor. Sanct.

Porrò tanta rerum in Hungaria perturbatio Romanum Pontificem haud latuit, siue id Gerardus Episcopus ex officio, alijque Procerum meliores, & maiorum metu malorum notificarint, siue Petrus Rex asserendi iuris sui causa Romanam Sedem appellarit, cuius beneficio Hungari in Stephano Regnum initiassent, ne bello prius quàm legum, & potestatis ratione cum authoritate

BENEDICTVS PONTIFEX LEGATVM IN HVNGARIAM MITTIT.

transfigeretur. Nec dubium, id mentis etiam pro more fuisse Henrico Regi, eiusque consilio quæsitum Ius Romanum, ne quid præter Religionem susciperetur. Admissa igitur Benedictus Pontifex adeo speciosa, & necessaria querela, suarum partium esse duxit sanctè, & prouidenter constituere, ne quid in tanta Hungariæ deformatione, res Christiana detrimento faceret; eamque ob causam opportunum magno negotio virum Apostolici titulo Nuncij delegat, qui in Hungariam profectus, authoritate cognoscat, & de iure cum potestate cernat. A

Curopal. Zonar. Res Orientales nihil delectabilius habuerunt, quando hoc eodem anno, deiectus Imperio Michael Calaphates, oculisque priuatus, Constantino Monomacho, seu Gladiatori, Zoës Imperatricis ab exilio reuocatæ beneficio, locum dedit. B

Indict. 11.

IESV CHRISTI ANNVS	BENEDICTI PAP. IX. ANNVS	CONSTANT. MON. IMP. 1. HENRICI REGIS 4. OVONIS REGIS HVNG. 2.
1043.	10.	

C

OVO LEGATIONEM MITTIT AD HENRICVM. PRæsente iam Nuncio Apostolico, Rex Ouo, ne nihil sanctitati deferre videretur, varietate iudiciorum, & nouis argumentis obliquo animo rem distinet: Legatos tamen adornat, qui Henrico Regi, cuius copias ingentes iam Hungariæ imminere, custodes limitum nunciabant, æquas conditiones proponant: futurum se semper Germanorum socium, & amicum: Henrici partes contra quoscunque hostes manu, & opibus secuturum: damna superiori anno ab Hungaris illata, siue captiuorum liberatione, qui superessent, siue pignoribus capiendis, cumulate sarciturum. Si de Petro restituendo negotium vertatur, nolle se quicquam iuris aut honoris eidem decedere; posse illum, aut secundas habere, si amet; aut suo ex humanis decessu, Regno cùm longe minor natu sit, superesse. Nondum se copijs præmissis coniunxerat Henricus: sed cum Legione Prætoriana, dierum & itinerum interuallo sequebatur. Vigesimo supra Bauariam lapide Legatos audit, & verba dantibus, paria reddit; nihil se de componendo bello nisi in Bauaria acturum, pensitatis illic damnis, & quorum interest, repræsentatione æstimatis: Cetera non sibi displicere, dum Petrus regnet: secundas non decere eum, qui primas iure habuit; illas optare se Ouoni, decessu non ex humanis, sed de Regno, nisi perinde sit, vt hinc omine capto, periclitetur, ætati an dignitati iura, & arma suffragentur: optandum illi, si sapiat, nullo iustitiæ præsidio munito, in secundis tertijsue, & hinc gratiam integrare. D

HENRICI RESPONSVM LEGATIS OVONIS. E

Interim in Hungaria variæ animorum inclinationes, nec studia partium magis, quàm religio apud bonos valebat. Hi iustitiam à Petro stare, perspecta non quidem aperta sententia, sed quadam Legati Apostolici propensione iudicabant: ceteri clanculùm odientes, & mordentes Ouonem haud dissentiebant, erupturi etiam in seditionem, vel certe ad castra Henrici transituri, si propiùs accessisset. Nec defuit occasio: Vt primum auditum est, Cæsareas phalanges ad Iaurinum explicatas, desertis locis turmatim plurimi se adiun-

A xere, Ouonem traducere. Quod is vbi accepisset, furore & amentia præceps horrendum in modum sæuire in necessarios transfugarum, pari bonorum, & capitum proscriptione; & quos armis non poterat potentiores, dolo circumuenit, minima etiam deerrante suspicione obnoxios: proinde simulatione Senatus habendi accitos, vna die quinquaginta primæ nobilitatis viros, militibus trucidandos, nulla vel curandorum animorum habita ratione, crudeliter obiecit. Id adeo visum omnibus atrox facinus, vt obliterata insolentiæ Petri memoria, ad vnum omnes conspirarent, & elatis tumultuarie signis, Ouonem ad cædem deposcerent. Sed cùm nullo certo Duce coirent, à militibus Ouo- OVO SAEVIT IN HVNGAROS.
B nis tantum non abtriti, fuga & transitione ad Henricum, saluti consulunt.

Nuncius Apostolicus tanta rei atrocitate motus, cùm ab incepto nullis aut sanioribus consilijs, aut precibus, aut minis auocare Ouonem valeret, quin barbara contumacia non tam causæ, quàm suo ingenio, contempta Religione præsidentem ac ferocientem, publica Ecclesiæ sententia percellit, vnàque omnes, qui iniustæ Petri exactioni operam dedissent, promulgato anathemate inuoluit. Ille execrantem ludo habens, nec armis, & campo, sed Templo, & Sacris abstentum se scurriliter iocatus, quasi hoc vno stimulo incitatus, Henrico ad Iaurinum non minori multitudine occurrit, eductaque acie antequam ANATHEMATE CONTEMPTO CVM HENRICO PVGNAT ET VINCITVR
C prælium ineat, transfugas, ac vt exprobrabat, proditores Hungaros deposcit, de victoria certus, si horum sanguine perlitasset. Nec detrectant isti; vltro primi se obijciunt, collatisque signis, & obstinatissimis pectoribus, totis demum vtrinque agminibus concurritur. Diu victoria Marte ancipiti stetit, quoad tenuis quædam in aere nebula, quæ initio pugnæ apparuit, in repentinam erumpens tempestatem, væsanum adeo exciuit ventum, vt turbine pulureo in oculos Hungarorum intorto, omnem cernendi vsum illis adimeret. Prodigium vniuersi exclamant, & execrationis Pontificiæ noxam; momentoque perculsi Hungari, qui prima acie pugnabant, conculcatis Ouonis signis trans-
D eunt, reliqui aut terga vertunt, aut sensim cedunt. Ouo traiecto Danubio, ad Tibisci amnis vicum, vbi infandas nobilium cædes olim patrarat, se abdit, hìc teste conscientia, accusante innocentum sanguine, mansurus ad vindictam diuinitus destinatam. Ita victoria Henrico parta viginti sex millibus capitum stetit, Cæsare tria duntàxat millia suorum desiderante. Hungarorum Annales, ex Germanis innumeram multitudinem sagittis confectam, ex Hungaris numerum paulo minorem tradunt, quòd reliqui pars terga vertentes salutem sibi fuga compararint, pars in medio prælio, memores offensæ Ouonis ad Henricum defecerint. Cadauerum inhumatorum fœtor aliquot men- Mutius lib. 14. Hist. Germ. Bonfin. lib. 2. Dec. 2.
E sibus iter illac intercepit; vnde ex vtraque lingua nomen sibi locus inuenit.

Cæsar in castra reuersus, deposito paludamento, sumptoque cilicio, nudis pedibus humi procumbens, ac profusis coram vniuerso exercitu lacrymis, ante sacrosanctum, & salutare Crucis signum Diuinæ benignitati gratiam, & gloriam retulit: nec segniores Legiones, eadem religione, sui Imperatoris exemplo, in genua prouolutæ, Dei laudibus, & sacris hymnis beneficium testatæ sunt. Mox vniuersa Hungaria missis Legatis ad pedes confluit, supplex implorat veniam, pacemque poscit. Quibus Henricus modeste, & perbenigne acceptis, summam æquitatem beneuolentiamque ostendit; vicissimque Petrum, cuius causa tam ingens bellum susceptum est, commendat. Post HENRICI GRATA PIETAS POST ADEPTAM VICTORIAM. HVNGARI AB HENRICO PACEM PETVNT.

hæc Albam comitante exercitu deductus, effuso obuiam Clero, & Populo, faustis acclamationibus excipitur. Postridie instaurata in Æde Dei Genitricis solemnitate, Petrum Regno restituendum introducit. Aderat Nuncius Apostolicus, & conscenso pro authoritate loco eminentiori, sacris indutus, Antistites primum, qui Ouoni Coronam imposuissent, deinde Proceres, qui authores fuissent, denique Regnum vniuersum execratione, & interdicto publica cæremonia soluit, magna vniuersorum, atque in primis Henrici gratulatione, qui Apostolico, vt eo officio fungeretur, princeps & author fuit. A

PETRVS REGNO HVNGARIAE RESTITVITVR.

Hac expiatione peracta, allato in medium diademate, sceptro, ceterisque insignibus, Petrus induitur, neque vlla alia sacra cæremonia adhibita, vt qui iam semel rite coronatus fuisset, Rex iterum acclamatur, & ad Diui Regis Stephani sepulchrum sacramento omnium ordinum in manus dicto, reconciliatio integra læto die celebratur. Factum id in primis edicto, & hortatu Henrici, sed religione quadam habito respectu sacri Regij tumuli, & vt & Petrus cogitaret inhærendum sibi vestigijs eius, cui proxime successisset, si sancte regnare, & mori optaret: & reliqui omnes recordarentur, eadem se fide, qua olim Stephano, Petro quoque teneri, nisi in sacros illius cineres plusquam impiè iniurij esse mallent. Ita Henricus post abolitas omnes, quæ inter Petrum Regem, & Hungaros Proceres erant simultates, postque præscriptas ipsi Petro viuendi gubernandique leges, compositis ex sententia rebus in Germaniam, *Pacatoris Hungariæ* titulo auctus rediit. B C

Lib. 3. Annal. In Constant. Monom.

GEORGII MANIACIS RES GESTAE ADVERSVS SARACENOS.

Leo Ostien. lib. 2 cap. 68.

Quod ad Imperium Orientale spectat, hoc anno Georgius Maniaces, vir, vt inquit Zonaras, & animo fortissimus, & manu promptissimus, & ducendi exercitus peritissimus, fortuna aduersante, cum imbelli Duce confligens cadit. Hic ante quinquennium ad debellandos Saracenos in Siciliam missus, feliciter prostrato eorum exercitu, tredecim primùm Ciuitates cœpit, mox vniuersam Insulam, sub potestatem redegit. Tum occupatis etiam Syracusis, nihil antiquius duxit, quàm vt sanctæ Luciæ Virginis, & Martyris sacrum corpus e Mausoleo sublatum, & in argentea theca reconditum, omni honore, & reuerentia Constantinopolim transmitteret: dignius id ei spolium visum, quàm si omnes Saracenorum opes reuexisset. Hic idem ex Sicilia reuocatus, & machinatione Romani Seleri, qui adamatæ ab Imperatore mulieris frater erat, reus maiestatis constitutus, absentia sua perdendæ iterum Siciliæ occasio fuit. D

Zonar. an. to. 3. In Const. Monom.

SICILIA TOTA, MESSANA EXCEPTA, A SARACENIS OCCVPATVR.

Ea enim cognita Saraceni ex Africa traijcientes, totam Insulam, Messana sola relicta, rursum occupant. Messana demum obsidione cincta, sed virtute Catacali Combusti Præfecti Imperatoris, & suorum ciuium egregie propugnata, toti demum Siciliæ salutem attulit. E

SARACENI A MESSANENSIBVS TOTA SICILIA EXPVLSI.

Rem gestam narrat Curopalata, & ex eo Cedrenus. Saraceni ob victorias elati, & negligentiores redditi, Messanenses ad insigne facinus tentandum prouocarunt. Catacalus occasione vtens, sacrosanctum Missæ officium celebrari primùm iubet, deinde milites omnes sacra Eucharistia percepta muniri: mox in hostes imparatos, imò ebrios, & crapula grauatos erumpens, ipse primus omnium ad tabernaculum Apocaphar Principis penetrat, facilemque captu præ ebrietate sternit. Tum confusi Saraceni, nec virtutis duntaxat immemores, sed etiam vestigijs minime consistentes, aut sponte cadunt, aut mutuis cædibus implicantur, ea strage, vt & planities, & proximæ conualles,

A les, & flumina cadaueribus complerentur; captaque sint castra auro, argento, & margaritis, pretiosisque lapillis ea copia referta, vt inter milites medimnis diuiderentur. Ita omnis Sicilia, quæ breui tempore à Maniace subacta fuerat, breui quoque, negligentia, & vitio Ducum, rursum in potestatem Saracenorum peruenerat, solius Messanæ demum virtute recuperata stetit. Incidit ea victoria in diem vigesimumoctauum Maij, *feriam quartam* à Pentecoste.

Sed Mamiaces nondum Constantinopolim appulsus, vbi à fidis amicis periculi monetur, indignatione ex meritis ab Imperatore ceu contemptis con- GEORGII MANIACIS MORS.
B cepta, aleam iacit, regnumque affectat, multis ad eum confluentibus, vt iam exercitu comparato, ac nauibus imposito, in continentem Italiæ obuersam traijceret. Qua re perturbatus Imperator, per literas omni metu hominem liberat, pollicitationibus additis, si ab armis discessisset. Sed cùm ille semel arrepti tenax persisteret, Imperator bellum decernit, præposito spadone perspectæ à cubiculis fidei, rei tamen bellicæ ignaro, ne quis alius idem cum Maniace auderet. Huic cum exercitu aduenienti, Maniaces festinatò aduersum tendit, vt inopinum opprimat. Sed enim nutu Prouidentiæ rebus hominum moderantis, conuersa repente fortuna, dum etiam obequitans phalan-
C ges inclamat, lethale vulnus, incertum vnde, accipit, ac multi sanguinis profluuio caligine oculis oborta, habenisque manu elapsis, humi mortuus deuoluitur, eoque spectaculo suis perterritis ac dissipatis, imbelli hosti victoriam cedit. Caput miseri amputatum, Dux spado ad Imperatorem præmisit, qui id e sublimi theatro suspendens, reduci cum exercitu, vt re bene gesta triumphum decernit, ipse in vestibulo Ædis Seruatoris in Chalce forum spectante, medius inter Imperatrices, magna maiestate residens, semiuiro nunquam talia mereri docto, ac ne suspicanti vnquam, applausit. Ac Maniacis hic fuit exitus. Quem placuit paulo pluribus memorare, ad elidendas fabulas illas
D plane ridiculas, quæ de huius morte, & translatione sacrorum pignorum Luciæ, atque Agathæ, magno in historijs errore leguntur apud Equilinum, & alios. *Lib. 2. Catal. cap. 99.*

IESV CHRISTI ANNVS 1044.	BENEDICTI PAP. IX. 11. GREGORII PAP. VI. 1.	CONSTANT. MON. IMP. 2. HENRICI REGIS 5. PETRI RESTITVTI 1.	*Indict. 12.*

E PEtrus Regno restitutus emendatæ indolis magnam vniuersis spem fecit; siue id reuerentia Henrici Regis, à quo præcepta bene se gerendi acceperat; siue firmandæ post reconciliationem gratiæ causa, quam Hungariæ Proceres addere, vicissimque mereri obliterata veteri offensa gestiebant; siue demum simulata, metu Ouonis, in omnes benignitate. Nam cùm intellexisset, hunc e prælio dilapsum in latebris vitam agere, in omnes occasiones intentum, ne si quid more suo attentaret insolentius, cicatrices animorum vix obductæ recrudescerent, factaque ad Ouonem defectione, noua in caput noxium cuderetur faba. Magnum quippe illicium erat, vel nulla virtute spectata, gentilitia necessitudo.

Quic-

PETRUS REX QUINQUE-ECCLESIENSEM URBEM, ET ECCLESIAM ORNAT.

Quicquid horum sit, ille apposito ad ornandam Religionem animo, nuperæ victoriæ, & cum pace rursus integrati Regni monumentum positurus, Quinque-Ecclesiensem Ciuitatem, noua Basilica ad maiestatem extulit, Sacerdotibus auxit, ampliori dote honorauit. Hanc Ecclesiam, vnaque Vrbem susceptit ornandam, siue id populi frequentioris cura postularet, siue captus amœnitate loci, regium hìc domicilium constitutum vellet. Est enimuero ea Ciuitas in Baraniensi Conuentu, seu Comitatu, vt vocant, solo & cælo felici condita, planicie placidis, & piscosis amnibus irrigua, collibus subinde lene accliuis sparsa, qui vbique fertili vite consiti, atque etiam sponte ornati, non minus oblectant, quàm laudatissimo potu, longe etiam ad exteros exportato beant. Paulo hinc longius aprici se se extollunt montes, & fere planitiem ipsam corona cingunt, exclusoque rigidiori Euro, Fauonium gratè aspirantem admittunt, adeoque id commoditatis incoliseius regionis fere præstant, vt nec calescere, vel apricatione meliùs, vel igni, aut vicissim vmbris aquisue refrigerari queant salubriùs. Verùm quod reliqua commoda longe superat, finitimorum Regnorum Bosnæ, Croatiæ, & quæ his adiacent, regionum, facit commercium: neque enim in meditullio Hungariæ sita, sed his propior, omnium participat opes; vnde semper habita Peuce Ciuitas opulentissima, sic dicta olim, quòd à Peucinorum reliquijs ædificata, deinde illato Euangelio, à quinque Basilicis in ea extructis, Quinque-Ecclesiarum nomen obtinnit; non longe tamen relicto vico, quod hodieque Peuce vocabulum gerit, non adeo obtritum, quin nostra quoque ætate apud bonos authores, perinde Peucienses, ac Quinque-Ecclesienses loci Antistites audiunt.

QUINQUE-ECCLESIENSIS URBIS DESCRIPTIO.

al. Peucbiensis.

Qui hanc Vrbem geographicè describunt, apud Drauum fluuium medio ferme campo inter Budam Regiam, à qua in Austrum ad octo millia passuum Hungarica recedit, & Sirmium locant: Inter Mursam item, & Sighetum propugnaculum firmissimum, duobus circiter millibus, à Metropoli Colocensi in Meridiem, & Notolibycum plus minus tribus; ab Alba Regali nouem, denique Tauruno in Occasum æstiuum, decem prope millibus passuum distare volunt. Omnes celebrem fuisse Vrbem prædicant, antequam in potestatem Turcarum venisset, perinde nimirum sanctitate religionis, & frequentia populorum, censuque diuitem, hodie splendoris antiqui vestigia quædam, religionis memoriam duntaxat refert. Amantiam quoque dictam olim quibusdam persuasum est, ab eaque dictos Amantinos, quos Tiberius deuicit, quos sane Ptolemæus inter Pannonios collocat. Sed nos ea duntaxat recensemus, quæ à condita isthic Religione, rerum aliquod specimen habent.

Rufus. Volater. lib. 8. Geog. de Insul. Illyr. & de Macod. Phil. Ferr. in Topolog.

In his verò plerique errant, qui Sacerdotium Quinque-Ecclesiense, siue Episcopatum, à Petro Rege fundatum, & longe magis, quo Ciuitatem ipsam ab eodem conditam affirmant. Enimuero Diui Stephani Regis pietatem ea laus concernit, cum reliquis initio Sacerdotijs, hoc quoque Virginis Visitantis honori sacrum constituisse, dignoque censu ornatum Strigoniensi Archiepiscopo subiecisse, primumque eidem Antistitem Rombertum, alijs Bompertum, suum à sacris ministrum dedisse. Vicissim ad Petrum Regem spectat non solum noua Basilica, & Sacerdotibus auxisse Ciuitatem, verum etiam aggere, & fossis, & muro circumdatæ pomœrium protulisse; vt ideirco quibusdam visus sit à primo fundamento iacto condidisse, & Petro Apostolorum

Volater. lib. 2. In Pannon.

Prin-

A Principi dicasse, procliui lapsu, nam & Basilicam, & mœnia, religione nominis quod ferebat, nisi etiam æternæ monumento famæ, quam captabat, votis & sacrificijs solemnibus nuncupauit. Et seruassent vtique ventura secula cum nomine memoriam, si ipse rebus secundis modum seruasset; sed neglecto salutari consilio fortunam aduersis implicuit, ac tandem cum vita Regnum exuit, antiquatis cum suo, & Vrbis nomine legibus, quas rogasset, vt relicta constructæ Basilicæ Principis Apostolorū nuncupatione, Ciuitati Quinque-Ecclesiarum vocabulum adhæreret, adeoque socia Diuæ Virginis, Ioannis Baptistæ, Stephani Protomartyris, & Georgij Martyris Templa, cum Principis Apostolorum Basilica nomen augustum Vrbi tribuerent. Quod nonnulli deinde Græcè ita deformarunt, vt Ciuitatem Pente-Ecclesiastæ Sedem appellarent; quo vocabulo legimus inter alios vsum Diuum Ladislaum Regem in diplomate pro huius Ecclesiæ Iuribus edito, quod in loco non sine laude Stephani Episcopi, contra Desiderium Colocensem coram Rege, & Primate asserentis afferemus. Ex quo etiam liquidum euadet, in illa quoque perturbatæ Religionis vicissitudine, quæ Petri Regnum secuta est, relictum in Sanctis semen fuisse; vnde sicut in ceteris, in hac quoque Ecclesia fortes non minus, ac zelantes sacrorum Iurium vindices existerent. Quos inter Maurus ille, C qui plurimorum Martyrum res gestas, vtinam ab iniuria temporum tutas, conscripsit, doctrina, & sanctitate in cælitibus numeratus, effloruit. Verum ad Petrum redeamus.

Ille hoc sanctitatis initio cogitationem ad maiora, vt videbatur, Regni cōmoda transmissurus, conuentu Antistitum, & Procerum habito diligenter dispexit, quid vtrique parti ad Religionis Regnique incrementum pro munere conueniret; cauendum deinde edixit, ne quid occulta forte Ouonis factione funestum repente emergeret; Hic collaudata in primis Gerardi Chianadiensis fortitudine, quòd eidem tanta pridem virtute restitisset, probata etiam reliD quorum constantia, qui à iustitia generosè secissent. Sed facile erat, siue ab Ouone, siue ab Ouonis fortuna cauere, si quemadmodum cœperat diuersa sectari, perrexisset; atque vtinam sicut huius metu paulo post liberatus est, ita vitijs non fuisset implicatus.

Nam quod spectat ad primum, hoc eodem anno diu quæsitus, & tandem inuentus infelix Ouo, non tam studio Petri Regis, quàm odio partium, quas nimia crudelitate offenderat, peiora, si vixisset, metuentium, occisus est, & in proxima Æde Vici Scebenensis, vbi latebat, (Scrobem veterem appellant) sine pompa funeris, nè defletus quidem, rudi tumulo conditus est. Sunt qui OVO OCCIDITVR.
E à conscijs auro proditum affirment: Vtcunque fuerit, mortem si debitam, certe Rege minime dignam oppetijt. Illud falsum, Petri Regis iussu, publico supplicio capitis obtruncatione fuisse; auribus duntaxat secundis accepit quod optabat, sperare vix audebat; & ipse supremos quidem honores cæso negauit, quo minus alij persoluerent, non vetuit. Eos, fortuna conuersa, & Petro e medio sublato, alij regificè postea impenderunt, translato ad Cœnobium prope Saar cadauere, quod ipse olim religiosè cogitans exædificauerat, haud ignarus futurum isthic aliquando sui occasus monimentum. Dum exhumaretur, multis miraculi instar fuit, non solum post annos sudarium cum paludamento incorruptum, sed & vulnera, obducta cicatrice in integro corpore,

pore, curata; vt hinc varij de causa morientis sermones, suspensos haberent A animos audentium, qui de præsentibus futura æstimarent.

Hoc tandem euentu probatum, vera prædixisse Gerardum Chianadiensem, anno Regni tertio auferendum ab Ouone Principatum improba fraude per vim acquisitum, nec non vltore gladio vitam hauriendam. Quare vniuersi ad venerandum Dei virum conuersi, & Spiritum sanctum in eo loquentem admirati, quicquid efferret, prodigium interpretati, futuram post quinquennium, quam inde prædixerat ingentem rerum mutationem, timidi deprecabantur.

Et videbatur nonnihil præludere paulo post hoc eodem anno secuta migratio plurium vtriusque Ordinis Procerum, quibus salus Regni Hungariæ B nitebatur. In his fuit admirandus ille, cuius sæpe meminimus, Anastasius Colocensis demum Archiepiscopus, antequam ad Stephanum Regem veniret, Breunouiensis in Bohemia Cœnobij Abbas à sancto Adalberto Martyre constitutus, tantæ vir sanctitatis, vt mortuum discipulum ad vitam reuocarit; in maximis deinde muneribus versatus, & pro Hungaria summis laboribus defunctus, præcipua semper apud sanctum Regem fide fuit, eaque apud omnes opinione, vt religionem Hungarorum, salutemque Regni, eius maxime zelo, & prudentia stare sibi persuaderent, eoque desiderato magnam C rerum decessionem futuram, nemo non timeret. Migrauit prope nonagenarius, sed viridi adhuc senecta; vt subtrahere se potius imminenti Religionis stragi, ne eam intueretur, voluisse, quàm diutius viuere non potuisse videretur. Migrauit porro morte iustorum, perceptis omnibus Sacramentis, coram Ecclesiæ suæ Canonicis, suique Ordinis fratribus conuocatis, alijsque honoratissimis spectatum affluentibus; quos omnes ad pietatem, ad inconcussam in Christi Fide constantiam, constantemque in Religione Catholica erga Romanum Pontificem verum Christi Vicarium cultû cohortatus, confirmauit etiam ne quid scandali ex moto nuper in Romana Ecclesia schismate, D in animum demitterent; id non semel euenisse permissu Dei singulari, vt probarentur electi: Et ne fideles fallerentur, prædictum à Christo iam olim Petro suo Vicario futuro, expetiuisse eum Satanam, vt cribraret sicut triticum, sed non defecturam fidem eius, pro quo ipse Patrem orasset; proinde certo scirent, excussis iam in area Ecclesiæ aristis, & difflatis paleis, apparuisse inter grana, quem filius Dei Vicarium sibi legisset; (Gregorium Sextum intelligebat) hunc & ipsi legitimum Pastorem agnoscerent, aliorum iudicia æternæ prouidentiæ permittentes; & ne quid Religio Catholica, extra quam nemini salutis via patet, in Hungaria detrimenti faceret, diligenter prouidentes. E His & id genus pluribus in rem præsentem peroratis, cùm omnibus bene precatus fuisset, inter omnium lacrymas pie obdormiuit die Nouembris duodecimo, *feria secunda*, postridie Martini Sabariensis, quem totius Hungariæ suumque Tutelarem vnicè coluerat. Funus honorifice vt decebat elatum, omniumque ordinum concursu in sua Ecclesia depositum, post paucos annos, vt in loco dicemus, meritis, & virtutibus commendantibus, publicæ ad aras religioni locum fecit.

Opportunam hanc fuisse Anastasij in extremis orationem, res ipsa probauit; quando breue licet id temporis in Ecclesia Romana conflatum schisma fuerit,

ANASTASII COLOCENSIS ARCHIEPISCOPI LAVDES.

Dubrau. lib. 6. Hist. Bohem.
Hugo Menard. lib. 2. Obser. ad 12. Nou.
Sur. tom. 6. ad 12. Nou.

EIVS EXTREMA ORATIO.

A fuerit, si legitimi Pontificis successionem spectemus, adhuc tamen manebant semina quædam perturbationum, quas inuidia noui Pontificis in multorum animis alebat, eoque magis, quòd argumenta populi obloquentis, ipsi etiam Cardinales, etsi consensu elegissent, mutatis votis probarent. Quod quia ad rem spectat, nec ab omnibus constanter, & fideliter narratur, ea plerunque amplectentibus quæ carpant, non quæ laudent, iuuat ab ouo, sed syncera, & candida breuitate repetere. SCHISMA SVB GREGORIO SEXTO.

Vigebant hoc seculo maxime, duæ potentissimæ in Vrbe factiones, altera Tusculanorum Comitum, qui Benedictum intruserant; altera Pholemæi Romani Ciuis Consulis, filij Gregorij, qui olim aduersus Otthonem Tertium rebellarat, & parentis itidem Ptolemæi, qui Henrici Quarti filiam postea duxerat. Huius potentia freti Romani, contemptis Tusculanis, Benedictum quoque Sede Pontificia ob mores indignum deijciunt, & Ioannem Sabinensem Episcopum accepta pecunia subrogatum, Siluestrum Tertium dicunt. Tusculani Proceres contumeliam in se accipientes, maiori vi Siluestrum post tres menses pellunt, iterumque Benedictum restituunt, qui nihilo magis quàm olim homo frugi, à Bartholomæo Abbate Cryptæ Ferratæ viro sanctissimo, de abdicando se Pontificatu, quem ignominia, & probro gerebat, admonitus; Herm. ad hunc annum. Pet. Diac. Chr. Cass. lib. 4. c. 63. Leo Ostien. lib. 2 cap 80. Ottho Frising. lib. 8. cap. 32. Andr. Dandul. in Chron.

B

C cedit tunc quidem, & Ioanni Archipresbytero Romano Papatum non gratis tradens, ipse cupiditatibus suis liberiùs vacaturus, in paternam se recipit domum. Verùm acriori stimulo subeunte pœnitens facti, ipsis qui incitabant iuuantibus, tertiò Sedem repetit, & maioris in Ecclesia perturbationis causam præbet. Eodem quidem tempore tribus Apostolicum thronum occupantibus, adeoque distractis in Vrbe Cleri, & Populi studijs, pernicies in vniuersum Orbem Christianorum effundenda parabatur: Nec sine confusione interim, atque ad maioris miseriæ cumulum diuisis cum censu Patriarchijs, Benedicto in Palatio Lateranensi, ad Liberianam Basilicam Siluestro, denique

D Ioanne in Vaticano ius an nefas dicentibus.

Quis porro tanto malo remedium pro re, & tempore opportunum pararit, Ottho Frisingensis in Vrbe sua ætate versatus, quemadmodum Romanis tradentibus accepit, his verbis narrat: *Hunc miserrimum statum Ecclesiæ religiosus quidam presbyter Gratianus nomine videns, zeloque pietatis Matri suæ compatiendo, animaduertens, præfatos viros adijt, eisque à Sede sancta cedere pecunia persuasit, Benedicto redditibus Angliæ, quia maioris videbatur esse authoritatis, relictis. Ob ea ciues præfatum Presbyterum tanquam Ecclesiæ liberatorem in Summum Pontificem elegerunt, eumque mutato nomine Gregorium Sextum vocauerunt.* Hæc

E Ottho. Duo sane maxima beneficia Reipublicæ Christianæ præstitit Gregorius, & quòd Romanam Ecclesiam à fœdo schismate, & quòd Italiam, adeoque ipsam Vrbem à Sicarijs vindicarit; in vtroque tamen calumniam passus ab æmulis non legitimi Pontificis, sed Vsurpatoris nomen tulit. Nam quia obstinata illa capita nonnisi pecunia ex redditibus Ecclesiæ pacta Pontificatu abire consensit, hoc isti Sedis emptionem, non necessariam vexationis redemptionem interpretati, probro verterunt. Iterum verò grassantes in Vrbe, adeoque in ipsis Templis, & ad aras Sicarios, qui super ipsa Corpora Sanctorum Apostolorum, & Martyrum, supra ipsa sacra altaria strictis ensibus oblationes accedentium vix dum appositas, ex manibus ipsis rapiebant, cùm nec prece, Gugl. Malmesbur. de gest. Anglor. lib. 2. c. 13.

nec

nec promissis, nec minis, & censuris Ecclesiasticis contineri possent, gladijs A militum coërcuisse: hoc obtrectatores criminati, sanguinarium Pontificem, & manus pollutas habentem haud rite Claues Ecclesiæ tractare calumniabantur. Et quamuis non deessent sapientissimi Vindices, qui à Gregorio legitimo Pontifice starent, *scientes*, vt Glaber eius temporis Scriptor loquitur, *cum consensu totius Romani populi, atque ex præcepto Imperatoris eiectum esse à Sede Benedictum, & loco eius subrogatum esse virum religiosissimum, ac sanctitate perspicuũ Gregorium natione Romanum; cuius videlicet bona fama, quicquid prior fœdauerat, in melius reformauit:* Præualuit tamen inuidia Magnatum, quorundam vtriusque ordinis factione perglifcens, atque eatenus Orbem Christianum diuersa opinantium studijs impleuit, vt tandem, quod inferius dicemus, & Imperatorem aduersus eum in Italiam prouocarit, & vt Sede cederet effecerit. B

Lib. 5. in fine.

Quo tempore, qui rerum vbique fuerit status, quæ in tantis momentis inclinationes, quando sanctitate, & iustitia tenorem suum in Vrbe non seruante, non vno loco Religio quoque ad mutationem spectare videretur. Id præsertim apud Hungaros opinione quadam tenebatur, siue ex prædictione Gerardi Chianadiensis; siue recentiori ex moribus Petri Regis coniectura; siue denique insita animis ex quacunque causa, & occasione ad res nouandas propensione: vt non frustra fuerit Anastasium Episcopum sanctissimum in extremis, fortitudinis, & constantiæ suos monuisse, & hos, si saperent, meminisse. C

Indict. 13.

IESV CHRISTI ANNVS 1045.	GREGORII PAP. VI. ANNVS 2.	CONSTANT. MON. IMP. 3. HENRICI REGIS 6. PETRI RESTITVTI 2.

HENRICVS IMPERATOR HVNGARIAM REVISIT.

Ovone sublato, Petrus securior, ex sententia Regno vacabat. Et cùm fama de Romanis motibus crebresceret, ad eosque sedandos Henricum Regem Italiam cogitare certis nuntijs accepisset; antequam proficisceretur, vt Hungariam reuiseret, amice rogauit. Non abnuit Henricus, id e re vtriusque futurum ratus, spectata maxime Hungarorum dignitate, si coram Cæsare in medium consulerent. Itaque paucis post dierum hebdomadis, propiùs ad limites accedenti, regie instructis Optimatum, Magistratuumque ordinibus, obuiam prodit, diademate cum aurata hasta prælatis; hoc ritu testatus, ab eo se Regnum recepisse: quod plerique deinde oblique tulerunt, Germanis palam dictitantibus, Henricum in suum Regnum venisse; præscriptisque olim Petro in Regno restituto gubernandi legibus, hunc non magis Regem, quàm Imperatoris Præfectum dici posse. Verùm, impræsentiarum dissimulatis sententijs, lætitia ob Regis hospitis, & amici aduentum instaurata, dies candidi ducebantur. Agitata & consilia Regno perutilia, in quibus nihil Henricus prætermisit, vnde Hungaris placeret; plerisque deinde mitiùs interpretantibus, oblatum ipsi à Petro diadema, honoris non iuris ambitu, & vsitata Principibus gratia, quoties mutuo se aduisentes Vrbium Claues, & Signa, vicissim offerunt. Neque tamen deerant, qui liberiùs mussarent, digniori loco radiaturam Hungariæ Coronam, si caput Henrici redimiret. D E

Mut. Germ. hist. lib. 13.

Hono-

A Honora vsus authoritate Henricus Cæsar, Petri Regis, & Procerum rogatu, lectos ex nobilibus vtriusque nationis viros, in Equestrem Crucigerorum; itemque Auratorum ordinem alternè accenset, hac cognata dignitatum, & prærogatiuarum commutatione, gentem vtramque mutuo deuinciens. Factum id solemni ritu in Æde Virginis Deiparæ, magno in speciem vniuersorum applausu, ea communicatione pacem, & familiarum fortunarumque necessitudinem augurantium. Ordinem Auratorum, ab insignibus, quæ deaurata Calcaria sunt, dictum, Carolo Magno ferunt acceptum: Crucigerorum hoc generis, quod Hungarorum est, à Diuo Stephano Rege, Henrici Imperatoris cognati suasu fuit institutum, ad contestandam Religionis susceptæ memoriam, vnàque Crucis à Romano Pontifice in symbolum perpetuæ legationis missæ beneficium, quæ id propter in Regum Regnique stemma imprimis, deinde in huius etiam Ordinis, eximij decoris insigne transijt. Primum à Diuo Rege in hunc Ordinem cooptatum ferunt Emericum filium, sanctissimum iuuenem, eoque signo, pallio pone læuam, aureis intexto, aureoque item ex collo pendente picturæ antiquiores produnt: Ceterorum nomina non occurrunt. Repetitam à Petro Rege cæremoniam hic ex fidis manuscriptis obseruamus: nonnemo coniecturis allusit. Alij ab Andrea Petri successore in monumentum religionis vindicatæ, quam perfidiæ fœdandam obiecerat, quodammodo reintegratum; sed à Diuo Ladislao restitutæ eiusdem Religionis vnico Protectore splendidissime instauratum. Quo regnante, & secundùm eius ætatem, plura deinde oppida, & Templa à Cruce nuncupata, partim Religionis, & cum ea triumphantis Crucis exaltationem, partim prædia aliaque loca Crucigerorum censui attributa, hodieque testantur; idque ambigua ferè Hungaris, possessorum an locorum denominatio satis ostendit.

IBI MVLTOS EX NOBILIBVS GERMANIS, ET HVNGARIS EQVITES FACIT

B

CRVCIGERORVM EQVIT. ORDO IN HVNGARIA INSTITVTVS.

Elias Berg. in Raps.

C

Quamdiu Henricus Cæsar hic moratus est, quot diebus sacras Diuorum Stephani, & Emerici Reliquias deuote adiuit, pluribusque donis preciosis munificè ornauit; concepta etiam sententia, vbi res Romanas composuisset, de publico per Orbem Christianum, vtrique sacro honore procurando. Frequens cum Proceribus vtriusque Ordinis, Petrum Regem Regnumque commendabat. In primis vero Gerardi Chianadiensis colloquio delectatus, sanctitatem hominis venerabatur, laudata fortitudine, qua Petri causam contra Ouonem asseruisset, vtque eidem consilio adesset benignè orabat, eo etiam respectu, quòd cùm Italo sanguine Venetijs ortus esset, propensione quadam Petrum complectebatur Venetijs aliquandiu nutritum, plurimaque similitudine morum captum. Ob quam fortasse causam post Germanos suæ nationis, longe fauorabilior Italis subinde quàm Hungaris Petrus videbatur, multis priuilegijs eos prosecutus: Nam etsi initio Regni Stephani, Religionis causa plures ex Italia huc commeassent, paulatim tamen mercaturæ etiam faciendæ gratia vltro commanebant, & domicilijs fixis in familiam transibant. His ergo modis omnibus fauens, sibi tutum præsidium, Regno parabat emolumentum.

HENRICI CÆSARIS PIVS CVLTVS ERGA STEPHANI, ET EMERICI RELIQVIAS.

D

E

Inter hæc, nuntius ex Germania adest, & Cæsarem reuocat consensu Principum, qui in Italiam profecturi, eius nutum præstolabantur, crebris Italorum ex Vrbe præsertim aduentantium precibus fatigati: Et Henricus quidem nihil admodum cunctatus, Petro Rege, Proceribusque salutatis, nec muneribus minus Cæsare dignis auctus, quàm nobilissimorum, ipsiusque Regis comitatu

HENRICVS HVNGARIA DISCEDIT.

tatu ad fines Regni deductus, Hungariâ excessit; Germaniæ tamen rebus intentus, profectionem in Italiam in sequentem annum distulit; quòd interim secundis auribus audiret, Gregorium Sextum, etsi improbandum sibi Pontificem, ita rebus moderari, vt quæ tot annorum spatijs coaluissent mala, iamque in consuetudinem abijssent, ipsius dexteritate paulatim corrigerentur, breui de medio tollenda. A

Et certe inter alia, quæ initio Pontificatus gessit Gregorius, non solum fuit Romanam Vrbem, & Ecclesiam, extincto schismate, oppressisque Tyrannis, in sanctam libertatem asserere, verùm etiam attenuato censu laborantem subleuare. Ea gratia misso ad Casimirum Poloniæ Regem Nuntio, vt quæ Benedicto Pontifici, Polonorum Legati Regem flagitantes recepissent, ipse qui Apostolicæ Sedis consensu Rex datus esset, præstare non differret; quando iam Deo propitio profligatis hostibus Regni, compos & securus regnaret, fructu dispensationis Apostolicæ in posterum quoque beandus. Casimirus porro memor promissi, non solum paruit libenter, verum etiam ingentes Pontifici gratias egit. Nec mora, indictis Regni Comitijs, vno omnium voto decernitur, standum pollicitis semel Apostolicæ Sedi, Christique Vicario, respectu Principis Apostolorum receptis, pacto in capita singula, singulo denario: censitæque illico duæ Prouinciæ, Gnesnensis, & Cracouiensis, cum suis diœcesibus, & territorijs, nulla vt Ciuitas, Oppidum, vicusque ab imperato liber esset. *Ab hoc tempore,* inquit Longinus, qui & Duglossus, *Regnum Poloniæ factum est Romanæ Ecclesiæ, immo Vicario IESV CHRISTI Summo Pontifici feudale, & tributarium; nec vnquam tributi prædicti solutionem passum est quacunque occasione, aut pacto intermitti, aut rescindi:* Sola duntaxat Camienecensi diœcesi Apostolico priuilegio exempta, quòd huius Episcopus Apostolicum Legatum ex diuturna captiuitate in libertatem asseruisset. B C

REGNVM POLONIÆ, ECCLESIÆ ROMANÆ FIT TRIBVTARIVM.

Et videbatur initio difficilis hæc seruitus Polonis, donec perceptis, quæ inde obueniebant commodis, non hominis, sed Dei beneficio impositam faterentur. Quamuis enim Regnum in plures Ducatus, & Prouincias scissum à diuersis occuparetur, vbique tamen permansit ea iuris Polonici tessera, quam occupatores sui vario ingenio conati sunt confringere, nec potuerunt. Vt hoc propter optarit Longinus reliquas etiam Prouincias, in corpus Regni Poloniæ coalitas, Russenam videlicet, Lithuanam, atque Prusshenam, eodem censu teneri, futuræ ætati limites, & iura Polonici Regni testaturo. D

GVNTHERI EREMITÆ OBITVS.

Hoc eodem anno Guntherus ille sanctissimus Eremita, & Diui Stephani Regis cognatus, ex humanis ad cælestia migrauit, paratam à Deo iustitiæ coronam percepturus. De eo in loco nonnulla diximus, hic reliqua pro coronide vitæ reddimus. Reuersus à cognato Rege, saltum Naruualdem, siue Rhimnacensem Bohemiæ, quò pridem bona sui præsidis Abbatis Breunouiensis venia secesserat, repetit, arduo instituto finem vitæ, quoad Deo placeret moraturus. Hìc si primus ingressus, cum egressu componatur, triginta septem, alijs triginta annos, latenter egit, in Oratorio, quod Ioanni Baptistæ dicarat: si vltimus, pauciores, meritis perinde plenos. Imminente supremo die diuinitùs detectus est. Forte enim Bredislao Bohemiæ Principe venationibus intento, ceruus refugiens in latebras sanctum virum offendit, & prope quasi tutus conuerso ad insequentem ore substitit. Bredislausponè subiens, E

Ad ann. 1016.

Arnolph. lib. 2. de S. Emmer. Hug. Men. lib. 1 Obser. ad 9. Oct. Henric. Canis. tom. 2. ant. lect.

& mi-

A & miratus, vocem e Cælo audijt: *Sacrum esse locum, qui isthic thesaurum occultaret*. Protinus accedens, Guntherum, & fama, & sancta quadam necessitudine notum, vt qui eum de sacro fonte pridem suscepisset, conspicit, veneratur, alloquitur, officium defert. Tum Guntherus Principem tenerè amplexus, id sibi post diuturnam, & religiosam sermocinationem, supremum præstari rogat, quod morituro conuenit; diemque crastinum, adeoque horam diei tertiam designat; vtque defuncti corpusculum Breunouiam, vbi prima suæ vocationis rudimenta posuerat, deferri mandet, humiliter commendat.

Bredislaus nihil cunctatus, ad Regiam redit, & monito Seuero Antistite, cum B eodem prima luce Gunthero adest: hic Seuerus sacris operatus, cælestem Agnũ in viaticum porrigit, quo ille, ceterisque ad extremam luctam rite sumptis, postquam adstantes paucis allocutus fuisset, impertita benedictione, inter eorum lacrymas, & vota, hora vt prædixerat tertia migrauit, die nona Octobris, *feria quarta*. Funus decenti pompa ipso Rege cum Antistite ducente, plurimoque Clero procuratum, atque in Monasterio Breunouiensi, quemadmodũ optarat, viginti ab Vrbe Pragensi stadijs remoto depositum, suaui odore iugiter manauit, pluribusque miraculis illustratum sanctitatem ostendit, cælestibus deinde religionibus consecratam. De illo vulgatum illud, quod de sancto Be- C nedicto, quem post Deum vita, & moribus sequebatur: *Scienter fuisse nescium, & sapienter indoctum*: cùm alioqui, & sacras literas fratribus enarrantibus apprimè didicisset, & insignis Præco verbi Dei euasisset; magna insuper in paucis di cretione spirituum diuinitus præditus; vt qui inter alia Tamonem Eremitam, cui dæmon sub specie Angeli lucis frequens apparebat, deceptum cognouit, & tentatione coërcita periculo exemit.

Inter hæc per totam Hungariam vulgatum iam erat, Cæsarem sequenti anno in Italiam profecturum: qua occasione vsi quidam Proceres, quibus Petri regimen nunquam arridebat, ad res nouandas spectabant. Ex ijs præcipua D authoritate opibusque præstabant Visca, Bua & Buza, de Regno, & Diui Stephani Regis reliquijs bene se merituros rati, si extorres Regij generis Andreã, Belam, & Leuentam reducerent, & pulso iterum Petro, aut penitus extincto, in Regnum subrogarent. Sed de his paulò altiùs repetenda historia. PROCERES QVIDAM HVNGARIÆ RES NOVAS IN REGNO MOLIVNTVR.

Dictum est alibi, sed improbata quorundam sententia, Regij sanguinis adolescentes, Stephani proxime morituri iussu, Reginæ insidijs subtractos, in Poloniam euasisse, meliora tempora expectaturos. Recessere isti quidem, non illo tempore, nec Reginæ dolis, quam feminarum sanctissimam ostendimus; neque adeo Stephani monitu; sed Petri deinde Regis, aut certe Ouonis ty- E rannide serius expediti. Cùm enim Regna pares ægre ferant, & suspecti Regibus semper sint, qui Iure, & sanguine vel tacentes commendantur, e re fuit vitato periculo, fortunam aliàs opperiri. Itaque Bohemia imprimis adita, cùm minus commodam experti fuissent, in Poloniam se receperunt, vbi à Miecislao Rege dignè habiti, indolem & operam probarunt suam. Fortè inter Polonos, & Pomeranos adhuc paganos, quòd hi vectigalia detrectarent, bellum vertebatur: cùm vtrinque iam acies constitissent, vt copijs parceretur, visum est duello decernere. Primus ipse prouocat Dux Pomeranorum, proceræ vir staturæ, & cuius vastitatem vix alius æquet. Cunctantibus Polonis, Bela generosus, & armis spectabilis, iuuenis erectis omnium animis se offert, & primo ANDREAS, BELA, ET LEVENTA IN POLONIAM, HVNGARIA RELICTA SE RECIPIVNT. BELA DVCEM POMERANIÆ IN BELLO OCCIDIT.

Thuroc. Chron. Hun. cap. 38. Chrom. lib. 4. Hist. in Mieci. congressu hostem sternit, & vita priuat. Alij non duello, sed prima pugnantem acie, manu tamen Belæ cecidisse tradunt. Vtcunque sit, victoria, virtute Belæ stetit: cui præmium fuit Mieciſlai filia nupta, ipsaque Pomerania, quam subiugarat, dos constituta. A

POMERANIAM DOTIS TITVLO RECIPIT.

Hos coniuges Christianis ortos, eiusdem fuisse Religionis constat, proinde & Pomeranis aliquid lucis attulisse vero est simile; tametsi vno post seculo, sanctissimo viro Otthone Bambergensi, munus Apostoli asciscente, vniuersi cum Vrbibus, & Proceribus, Christi sacra admiserint: durauitque susceptum semel Euangelium apud eos, cùm in Henrici Quarti ditione diu post varijs casibus fluctuaret, vsque ad tempora Henrici Leonis Saxoniæ Ducis. Ab hoc ergo loco plerique ducunt initium commemorandi Principatus in Pomerania, & omni circum regione, quam Christi fides aperuit; primusque Princeps religiosissimus numeratur VVerslaus, à Diuo Otthone sacris vndis expiatus, qui filijs Bugislao, & Casimiro relictis, non multo post finem viuendi piè fecit. His deinde Fridericus Primus, quasi Principatum suum non satis illustri nomine pro magnitudine ditionis tenerent honestatum, Ducalem titulum in obsidione Vrbis Lubecæ coram VValdemaro Daniæ Rege affine contulit. Quo fit, vt vix compertum sit, an & quos heredes secundùm Geysam, & Ladislaum ex Mieciſlai filia susceptos Bela Princeps Hungarus Pomeraniæ dederit, quousque item seriem ex istis propagarit. Nam etsi postmodum ab Andrea Rege vocatus Rex in Hungariam cum coniuge, & liberis reuersus traditur; omnino tamen prole ex se data destituisse Pomeraniam, dotis titulo acceptam, quibusdam haud probatur; adeoque prope verum habetur, reliquorum etiam genus in eum refundi; eiusdemque progeniem, non Pomeraniam modò, sed plures longe prope Prouincias, & Regna complexam; vt ea gratia Daniæ Rex VValdemarus, Friderici Imperatoris filio nuptui filiam traditurus, Regis Hungarorum arctissima sibi necessitudine deuincti ope fretus, dignam se dotem confecturum affirmarit; tametsi Fridericus non pecuniam, sed affinitatem se optare testaretur.

Crantz. lib. 3. Vvand. cap. 28. Lib. 6. cap. 14. Lib. 7. cap. 17.

B

POMERANIA EX PRINCIPATV IN DVCATVM ERIGITVR.

C

Perger. lib. 1. success.

Crantz. lib. 6. Vvand. cap. 17.

D

Verùm vt à diuerticulo redeamus, Bela Principe Pomeraniæ constituto, ne Andreas, & Leuenta, aut fratris fortunam sibi inuisam, aut Mieciſlai gratiā vlteriùs precariam haberent, relicto fratre, missionem impetrant, alibi gradum sibi ad regios honores facturi. Alij tradunt, mortuo Mieciſlao, & Interregno secuto, cùm non eo, quo priùs loco essent, indignatos recessisse. Ad Regem Lodomiriæ primùm abiere, sed minime suscepti sunt; hinc ad Cumanos profecti, & pro exploratoribus habiti, nisi Hungarus quispiam ex captiuis agnitos detexisset, capitis discrimen adituri erant. Tum illi sortem exulum regia vultus, & totius corporis forma commendatam miserati, liberos dimittunt. Denique ad Roxanos hodie Russos, seu Ruthenos, deerrantes, benigniori fortuna sunt vsi. Hìc proinde placuit opperiri, donec per missos clam fidos innotescerent Hungarorum quibusdam Proceribus, in quibus præcipui tres illi erant, quorum supra meminimus; qui etiam submissis liberaliter pecunijs tolerabilem regijs iuuenibus apud Bohemos, & Polonos facere fortunam consueuerant. Nihil his potuit accidere iucundius, quippe pendentibus animis, quòd à relicta Polonia, nihil certi de ijs accepissent. Itaque bono animo eos esse iubent, & ad omnem nutum arrectos, donec maturentur consilia, propediem E

BELA, ET LEVENTA APVD RVSSOS MORANTVR.

A diem explicanda: interim & honestum vitæ subsidium mittunt. Cetera in sequentes annos, quibus gesta sunt, conijcimus.

IESV CHRISTI ANNVS 1046.	GREGORII PAP. IX. ANNVS 3.	CONSTANT. MON. IMP. 4. HENRICI REGIS 7. PETRI RESTITVTI 3.	Indict. 14.

B INitio huius anni Proceres Hungarorum nominati, clam agitant, & non paucos, quibus Petri Regis nomen inuisum erat, in partes alliciunt. Hi collatis capitibus, præsentia rerum momenta retractantes, Diuum Stephanum Regem suspirant, & si quæ alicubi sacri generis reliquiæ supersunt, in Regno reponendas censent. Mox de abdicando Petro, cogendisque in rem dispositis copijs serio deliberant, tum maxime vtendum foro rati, cùm Henricum Cæsarem ex Germania in Italiam excessisse intellexissent. Honestus imprimis prætextus videbatur, Petrum diu nulla hactenus ex coniuge sorore Alberti Ducis Austriæ, susceptа prole, magnos olim Regno daturum conflictus: vel si C tandem suscipiat, Hungariam Cæsaris beneficio fore æstimandam, cui semel Petrus eam consensu multorum etiam Hungarorum, cum deaurata lancea in Prouinciam tradidisset. Accedebat manifesta causa, quòd Petrus iam Regni, vt sibi videbatur, ad nutum facti securus, & perinde sui oblitus, antiquo repetito tenore, Hungaros insuper habebat, Germanisque, & Italis, ad munera, & honores vsus, adeoque ex horum consilijs pendens, illos negligebat, imò contemnebat. Denique augebant offensionem mores insensi, & tyrannidi similior impotens dominatus, quem non nemo, nondum penitus eiurata veteri infidelitate, religioni cognatam culpabat; vt hoc propter Scythicam præ- D eligeret impietatem. Scilicet tantum habent virium exempla Principum, vt sub magnæ professionis nomine viuentes, ipsi potissimum ad peccandum in Religione positos sibi subditos alliciant, nec cognoscere sinant, legem bonam muneris esse Christi, vitam non bonam, criminis sui, eoque in illis Christum pati opprobrium, Religionem sanctam maledictum.

PROCERVM QVORVNDAM HVNGARORVM IN PETRVM REGEM CONSPIRATIO ET EIVS CAVSA.

Thuroz. lib. 1. cap. 38.

Saluian. lib. 4. de Gubern.

His & id genus in medium allatis, conspirant; & vt facilis est persuasio criminis, plures in societatem occulte trahunt: plerisque visum copias apud Roxolanos parandas, eumque in finem diribitorem clam mittendum; quibus Regij iuuenes instructi propere in Hungariam ducant, & Petrum inopinum E obruant, vel domi coniuratorum deinde impressione tollendum. Sed hoc consilium, vt non potest multorum auribus illatum celari verbum, paulo post euentus atrocior mutauit.

Interim Henricus Cæsar præmissis in Italiam metatoribus, ipse celebrata Aquisgrani Pentecoste sequitur, ac tandem bonis auibus Alpes traijcit. Papiam ingressus, habita Synodo multa agit, bona quidem mente, sed præter munus suum: ac inter alia Vvidgerum Rauennæ Præsulem biennio iam fungentem, nec sacris Episcopalibus inauguratum, dignitate priuat. Sed huius nomen acerba Cleri, & Populi tractatio magis grauauit. Hinc digressus Placentiam, Gregorium Sextum Pontificem ad se venientem honorificè suscepit,

HENRICVS CÆSAR IN ITALIAM PER VENIT.

Hermann. ad an. 1046.

pluraque ex eo de Italia, & rebus vrbanis sciscitatus, dicentem libenter audijt. A
Non latuit Gregorium præcipua aduentus Henrici causa, & quæstiuncularum

GREGORII VI. PONTIF. AD HENRICVM SERMO.

finis; idcirco prudenter antecapto consilio sermonem iniecit: *Venisti o Cæsar de legitimo Pontifice cogniturus; quam tibi potestatem non ius, sed abusus, & temporum iniquitas fecit. Accusant me, quibus nulla cum Religione concordia; quòd iniustos Apostolicæ Sedis occupatores deiecerim; quòd Italiam, & Vrbem Sicarijs oppressis vendicauerim; quòd Templis, & Aris cultum, & Religionem asseruerim. Si quid in his culpa est, libenter præstabo: Pontificatum non ambitione mea, sed honore Christi æstimaui: ne totus Ecclesiæ sanguis hauriretur, rediuiuam incidi sum passus; dignitatem rite, & consensu, non contentione, prece, aut precio consecutus. Si quam* B *hinc tempestatem metuunt, qui Te aduocarunt, faciam vt iactari desinant, authoritatem vltro cessurus: sed ijs in rem præsentem vocatis, quorum sententia stetit, vt fluctuanti Ecclesiæ, ne mergeretur, ad clauum positus opem ferrem.*

HENRICI AD GREGORIVM RESPONSIO.

Audijt Henricus, magnique pectoris Virum admiratus, *Non se tam sua, quàm Romanæ Vrbis Religione permotum venisse ait: affuturum causæ non cognitorem, sed testem, in loco, quem ipse cum authoritate designasset. Quod sua refert, ex neglecto regio suffragio nolle se habere offensam; peracto iudicio, vel tum suffragaturum, sedato sua sententia populo Romano, rebusque ordinatis: Sperare se non diuturnam nec difficilem fore contentionem, vbi idem Iuris disceptator esset, qui pacem conflictato honori praoptaret.* C Nec mora, Synodus indicitur à Gregorio, Sutrij, non Romæ

SVTRINA CIVITAS DESCRIBITVR.

celebranda, ne Roma tanti Pontificis exemplum condisceret. Sutrium Ciuitas Etruriæ antiqua, via Cassia inter Nepitam, & Forum Cassij occurrens, topho scabro imposita, Roma viginti quatuor millibus passuum in Corum distat; hoc, si vllo alio, celeberrimo Romani Pontificis facinore, locus clarissimus. Hic igitur laudatissimus Pontificum Gregorius Sextus, in Concilio cui ipse præfuit, post vendicatam, & conseruatam Ecclesiam, quasi nihil ampliùs superesset, aut necessarium factu, aut dignum gloria, sibi ipsi magno

GREGORIVS SEXTVS PONTIFICATV SPONTE SE ABDICAT IN SYNODO SVTRINA.

Leo lib. 2. cap. 8. Herm. ad ann. 1046. Cap. vn. de sacra Vnct. Gloss. ibid.

animo missione imperata, & summo Pontificatu, quem virtute, & meritis D legitime obtinuerat, libens se abdicauit: vel, vt Leo Ostiensis ait, *sponte cessit*; non verò vt Hermannus, eum, (*Gratianum Papam* vocat) Henricus *conuictum baculo pastorali priuauit*. Quo loquendi modo seipsum erroris damnat, quando Romanus Pontifex nec baculi, nec virgæ, neque etiam chirothecarum vsum habet, *tum propter historiam, tum propter mysticam rationem*, ab Innocentio Tertio recensitas.

Lib. 2. myst. Missa cap 41. Steph. Durant. de Rit. Eccl. l. 2. cap. 9. nu. 29. & 40.

Cessit igitur Gregorius Sextus integra causa, securus potestatis, & quo illa ætate digniorem Romana Ecclesia non vidit: cessit tamen, ne libera alioqui contumacia, & iuris sui tenacitate publicam Ecclesiæ Orbisque Christiani salutem, impotentiæ Tyrannorum obijceret; exemplum posteris relinquens ab E vno hactenus Cælestino Quinto expressum, quàm sanctum religiosumque sit, priuatis commodis, & honoribus, publicum bonum anteferre, non secus ac vitam pro salute omnium seruanda ponere; vt contra, scelestum ac detestabile, vnius indigni causam raro æquam eatenus tueri, vt plurimorum capita in certum discrimen vocentur. Quo nomine in æternum audiet Gregorius sanctissimus Pontifex, cuius gloriæ à tot clarissimis Scriptoribus defensæ nullam hactenus labem afferre potuit quorundam obscurorum malignitas, nec lumini tenebras offundere. Instar omnium est Gregorius Septimus, vt ex tali di-

scipu-

A ſcipulo magiſtrum exiſtimes, qui adhuc Cardinalis, illius veſtigijs vbique inſiſtens, imò & in Germaniam abductum ſecutus, ex eius pectore, & ſanctitatem, & rigorem in Eccleſiæ iure aſſerendo contra potentiſsimos quoſque conſtantiſsimum hauſit; eaque de cauſa, poſt annos ſenos circiter ac viginti, ad Pontificatum aſſumptus, Gregorium Septimum ſe nuncupauit, quo Gregorij Sexti nomen e ſerie expunctum, ab iniuria vindicaret. *Otto Friſing. lib. 8. cap. 32.*

Id æmulis quoque adeo viſum eſt religioſum, vt non alia de cauſa Henricum Cæſarem huic abdicationi ſtuduiſſe velint, quàm vt initio à Summo Pontifice facto, cuius nomen vel leui ſuſpicione criminis tactum, magno Eccleſiæ B erat offendiculo, ceteros per omnem Germaniam Simoniaca prauitate plane imbutos, nulla excuſatione admiſſa, faciliùs extirparet: Scilicet hunc prætextum faciunt maiori fraudi an errori, quo, ne licentiam violentè intrudendi Populus Romanus vſurparet, improuidi homines Romani Pontificis electionem Cæſareo ſuffragio ſubmitterent, huius metu, & reuerentia rati ceſſaturas, quæ ſæpius iterabantur, ſacrilegas occupationes. Qui peruicacißimus error ita ab hoc Henrico Cæſare tranſijt in heredes, vt nomen hæreſis Henricianæ obtinuerit; aduerſus quam Romanis Pontificibus conſequentibus, per annos octoginta circiter indefeſſo labore certandum fuit, Henricis potentia, minis, alijſque C verſutis artibus rem agentibus; iſtis vero ſacrarum legum, & Eccleſiæ armis conſtantiſsimè repugnantibus. HENRICIANA HÆRESIS.

Gregorio decedenti, Suidgerus, ſiue Sindigerus, quod humile vocabulum *Peccatoris* eſt, Bambergenſis Epiſcopus, nimium reluctans ſubrogatur, & Clemens Secundus dicitur. Id factum Sutrij inſinuat Hermannus, ceteri rectiùs Romæ; omnes tamen omnium non ſolùm Romanorum, Populi nempe atque Cleri, verum etiam exterorum conſenſu ceßiſſe affirmant. Leonem Oſtienſem audiamus. *Hoc facto Imperator exultans Romam cum omnibus ipſius Concilij Epiſcopis venit, & in Eccleſia Beati Petri Apoſtoli congregato Clero, Populoque Ro-* D *mano, quid Sutri geſtum eſſet exponit. Dehinc de ordinando Pontifice Romanæ Eccleſiæ tractare communiter cœpit. Facta itaque diſcuſſione diligenti, cùm nullus (proh dolor) inueniretur dignus, qui tantæ Eccleſiæ præeſſet, electione tamen omnium Bambergenſis Epiſcopus de gente Saxonum Papa Romanus eligitur, eique Clemens nomen imponitur.* Hæc Leo. Incidit ea conſecratio in ipſum diem Natalis Domini, *feria quinta* celebrati. Eodem verò die Clemens Secundus *Henricum Regem*, inquit Hermannus, *& coniugem eius Agnetem Imperiali benedictione ſublimauit: peractiſque Miſſarum ſolennijs, ipſe Dominus Papa, & Imperator cum Imperatrice, ita vt erat coronatus, ad Lateranenſe Palatium cum ingenti gloria proficiſcuntur, cunctis* E *Ciuibus Romanis mirantibus, honoremque ſingulis, quibuſque pro facultate obiter impendentibus.* SVBROGATVR GREGORIO SEXTO CLEMENS SECVNDVS. *Lib. 2. cap. 80.*

Hæc dum in Vrbe geruntur, mira rerum mutatio Hungariam inuoluit. Gliſcente enim coniuratorum numero, dum iſti modo palam, modo clam, & ſeceſſu capitum agunt, à curioſis obſeruatoribus, & fingere peritis, apud Petrum Regem deferuntur. Horum principes Buda, & Deueczerus, non magis conſilio, quàm adulatione valentes, ita hominem accendunt, vt væſano furore percitum nihil prouide cogitare ſinant. Extemplo ſæuitum in coniurationis authores, eorumque cognatos, & affines, dira in omnes quæſtione decreta, vt plurimi ante capitalem ſententiam in medijs cruciatibus deficerent. Mox PETRVS REX SÆVIT IN HVNGAROS.

in

in vniuersam Hungariam supplicia exportata, nec mitiùs cum vllo actum; quàm si criminis duntaxat postularetur, aut intolerabili mulcta grauaretur, vt A

ANDREAS, ET LEVENTA IN HVNGARIAM A PROCERIBVS REVOCANTVR.

plerique mori mallent, quàm miserrime viuere. Optimates vtriusque ordinis rem adeo inuisam infamemque cernentes, Concilium frequens Cianadini Regis certandi causa ex tempore indicunt: omnium consensu reuocandi è Roxanis Andreas, & Leuenta decernuntur; missique Oratores, qui Reges salutent, & sacramentum dicant.

Hi insperato nuncio vix fidentes, propiùs tamen ad Hungariæ fines, vt experiantur, accedunt, ac tandem in Castrum ab Ouone conditum, cui nomen Nouo, cum paucis se abdunt, rei progressum obseruaturi. Sed diu latere non B potuerunt; momento quippe dissipata fama, ingentem multitudinem tumultuariò exciuit, nullo Optimatibus, ac præsertim Episcopis, ordine agendi relicto. Ex his plerique pertæsi Christianæ Religionis, & cum superstitione Scythicam adhuc feritatem pectore condentes, Regnum iuuenibus spondent, vicissimque poscunt, liceat sibi, Christianis sacris eiuratis, Scythico ritu viuere, Sacerdotes Christianos, aut cædere, aut Regno exigere: quod si impetrarint, facturos se præterea, vt interfecto Petro Rege, securi belli cum Henrico Cæsare, regnent, quando huic nihil admodum curæ fuerit illo sublato. Quid non

FIDEM CHRISTIANAM PROSCRIBVNT, REGNANDI GRATIA.

facile persuadet improba regnandi cupiditas? Assentiuntur, vix hæsitantes, nullo ignominiæ, generis, Religionis sacrosanctæ, Christi abiecti, habito respectu. Succurrit duntaxat ex Scythico-Barbara quorundam doctrina: *Dissimulandum, vt imperes: posse verbis pacisci, mentem seruando iniuratam; adepto Regno posse, & Religionem, si lubeat, resarciri; interim vt adipiscaris, non magni referre, quicquid eueniat aduersi, vertantur licet Templa, Aræ, sacra omnia, ius fasque: vel præter intentum annexa hęc mala bellis, nimis religiosus sit, qui præstet.* Hæc fere ex Atheorum placitis. C

VATHA PRIMVS EX HVNGARIS CHRISTIANAM FIDEM EIVRAT.

Primus omnium ex Hungaris Vatha quidam Belo oppido oriundus, & mortalium proiectissimus, se Cacodæmonibus publicè deuouet: caput Scythico more radit, cincinnos pagano ritu demittit. Hunc plures secuti, amplius audent, & nomen Christianum conclamant. Missi passim æneatores, qui An- D

EDICTVM CONTRA FIDEM CHRISTIANAM IN HVNGARIA.

dreæ, & Leuentæ Regum edicto populis accinant: *Hungarus quicunque es, antiquas Maiorum cęremonias resumito, Scythicos Deos colito, Christianos peregrinosque ritus exigito, aduersus Christianos arma expedito, Petrum tyrannum interficito, Theutonem, & Latinum perinde cædito, noua Templa, & aras amolitor, Pontifices, & Sacerdotes vbique trucidato. Qui contra hoc edictum dixerit feceritue, capitalis esto, ac hostis Hungaricæ Gentis, haud aliter, quàm si Martis Herculisue aras, ac focos temerasset.* Nec mora: ad ferale signum, incondite omnes, quibus vires aderant, E ad arma concurrere, execratoque Christi nomine, in obuios quosque Chri-

HVNGARI IN CHRISTIANOS SÆVIVNT.

stianos, qui tesseram non ederent, ruere, sine discrimine trucidare. Cadebant passim Christiani omnes, sed in primis Sacerdotes, & sacris siue religionibus, siue ministerijs addicti: mox in Basilicas, & Templa omnia ferro ignique sæuitum, spolia sacra direpta, Theutonici cum Italis ad necem vbique postulati: denique Petri Regis nomen inclamatum.

Hic vbi Andream, & Leuentam adesse, quod nondum acceperat, intellexit, eorumque consensu actum de Religione Christiana, cæsos Sacerdotes, euersa Templa, & qui à Fide stetissent, Præfectosque regios trucidatos; repente percul-

A perculsus, ac tantum in re desperata, dissimulato metu, cum suis Danubium traijcit, vt Albam contendat, regiamque Vrbem caput Gentis seruet. Verùm ea iam præoccupata, cùm turres, & mœnia hostilibus signis, armis, & milite insessa animaduertisset, pedem refert, & si qua via possit Hungaria in Austriam euadere, tentat; sed irrito conatu: vbique enim obseptos validis præsidijs Regni exitus offendit; & cùm nonnihil cunctatur ad Molonìensem agrũ, superueniunt qui sub specie pacis in Hungariam reuocant, inuitumque retrahunt, mox in pagum Zamurem diuertentem dispositis insidijs, vt capiant, circumueniunt. Forte in obuiam domum parua aulicorum manu cùm se recepisset, triduò acerrime dimicans, vix tandem amissis ad vnum suis omnibus, in B potestatem vnà cum coniuge venit, & continuò luminibus priuatus, Albamque abductus, paucis post diebus dolore vulnerum, animique mœrore, & angustia extinctus est, tertio restitutionis anno, & in Quinque-Ecclesiensi Basilica, quam ipse fundarat, Principibusque Apostolorum dicarat, sine pompa, & coniugis suæ duntaxat luctu, & lacrymis comitatus, sepultus est. Hanc initio varijs iniurijs affectam, postrema hæc afflictio, commiseratione quorundam leuauit, vt citra vim, & opprobrium, viris honestis, qui in patriam reducerent, traderetur. Ac talis fuit exitus Petri Regis, magnorum causæ ma- C lorum, fortunatissimi Regum, sua si bona nouisset. PETRI REGIS INTERITVS.

IESV CHRISTI ANNVS 1047.	CLEMENTIS PAP.II. ANNVS I.	HENRICI III. IMP. I. CONSTANT.MON.IMP.5. ANDREÆ REG.HVNG.I. Indict. 15.

D Petro Rege sic, vt diximus, oppresso, tota Hungaria ad Andream, & Leuentam se conuertit. Iisdem & Episcopi superstites obuiam se parant, honorifice excepturi nouos Reges, & deprecaturi, si possint, vt reliquiæ Christianorum, & Religionis saluæ fiant. Id odorati desertores Fidei, Vatham omnium scelerum, & impietatis ducem, cuius superiori anno meminimus, monent. Erat huic filius Ioannes, vulgo Ianus, paterni instituti pertinacissimus assecla, sed scelere etiam superior, qui deinde schola superstitionis publice instaurata, omnis generis incanratores, ariolos, aruspices, sagas denique, & veneficas perniciosissimas, sub certis Dæmonis signis adhibuit, famamque longe late ingentem, inter Paganos verò etiam venerationem comparauit, satagente E præsertim nefaria quadam, & omnibus dæmonum artibus supra omnes instructissima femina, cui nomen Varasole, quam & ipse Ianus vnice obseruabat, & dæmonis authoritate, nefando cætui præfecerat. Quæ demum restituta Religione, quemadmodum in loco dicemus, dirissimo supplicio vitam ipsa sibi extorsit, & ad Orcum detracta est. Scilicet profligata in Hungaria Christi Religio, ne forte vnquam assurgeret, huiusmodi militiæ sacramenta Dæmon parauerat. VATHA APOSTATARVM HVNGARORVM ANTESIGNANVS.

Vatha igitur filio, ceterisque nefariorum collectitijs auctus, viam, qua Episcopi ituri erant, longe adhuc prope limites existentibus Regibus, obsidet, & submissis exploratoribus per momenta venientes obseruat. Erant hi Beztertus,

Buldus,

Buldus, & Beneiha, Nitriensis, Agriensis, Vesprimiensis Antistites, Zonucho A
Principe Albano comitati: Erat & Gerardus Chianadiensis, Præsulum corona; qui vt in loco memorauimus, quinquennio ante futuram hanc cum excidio Religionis seditionem, suaque, & multorum clarissimorum morte pensandam diuino spiritu prædixerat. Idem modò instante vltimo actu, & suprema scena, in qua ipse velut in Fidei theatro nobilissimam sibi impositam Martyrij personam peracturus, ceterosque præiturus erat, monuit socios, parati vt essent ad coronas percipiendas, adeoque mortem naturæ debitam pulcherrima hac occasione pro asserenda IESV CHRISTI gloria, ipsi non ingloriè oppeterent. B

GERARDVS EPISCOPVS HORTATVR CONFESSORES AD MARTYRIVM. Pergunt vnà ad Albam Regalem, continuatoque sermone Deum toto pectore spirant. Vergente ad occasum Sole ad Ecclesiam S. Sabinæ Martyris hospitio excepti dum cænant: *Fratres,* inquit Gerardus, *& amici, cras ad cænam Agni Dei vocamur. Itaque absque detrectatione properemus pro Christo mori.* Altera verò illucescente die, iterum ad fortiter obeundum martyrium socios cohortatus, refert ea nocte vidisse se IESVM CHRISTVM ad Diuæ Genitricis aram, sacri Corporis sui Eucharistiam, Sanguinisque calicem sibi ceterisque, Benetha excepto, propinantem. Quod ipsi lætis precationibus inuicem gratulati, in Benetham varium omen coniecerunt. Mox ad eandem aram sacris operaturus socios, & comites ad expianda, si quæ sunt, mutua exomologesi delicta, lacrymisque peccatorum veniam à Deo imploraudam, certa beatitudinis obtinendæ spe hortatur, & confirmat, eosque forti animo pro Christo mori paratos, mensa cælesti reficit, ac tandem lætus ad Martyrium pergit. C

MIRABILIS VISIO.

MARTYRIVM SVBIT. Vbi ad Danubium traiecturus peruenit, ex improuiso obijcit se cum scelerata manu Vatha dæmonibus deuotus, & retortis equorum collis, curru quo sancti Patres vehebantur, sistere iusso, vt lapidibus obruant inclamat. Illi horrenda vociferatione densatis iactibus, cùm lædere Deo protegente, & saxis in aëre suspensis non valerent, (obiecerat nimirum Vir sanctus) postquam se D præsignasset salutare signum Crucis; multo magis irritati, & efferatiores, agmine facto irruunt, curruque deturbatum, in montem (cui nomen apud Longinum *Keremfeld*) rectius fortasse *Kelemfolde*, fluuio imminentem, raptant, subiectumque e prærupto in subiecta saxa præcipitant. Ille palpitante licet pectore totus confractus, à casu tamen, qua potuit, erectus, atque instar Protomartyris Stephani, singularis & ipse martyr Pannoniæ, *Positis genibus dum voce magna clamat: Domine ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt, quid faciunt; lancea in pectore percussus obdormit in Domino.* Hic fuit exitus, quem ipse prædixerat, Viri sanctissimi, qui cùm in agro Budensi vitam aliquandiu duxisset solitariam, & pro spectata vitæ sanctitate à Diuo Stephano Rege ad Chianadiensem Pontificatum euectus fuisset, magnis pro Christo laboribus exanthlatis, viam Cælo affectauit, ac tandem sanguine signatam suo gloria immortali confecit: Vir in parua corporis statura Pauli instar Apostoli, ingentis animi, & in viribus asperitate vitæ magis, quàm senio effœtis, viuacissimi adeo spiritus, vt nihil illo fortius in munere, quo versabatur, plerisque admirantibus videretur. Dixisses Paulo Apostolo plenum, cuius etiam mores, & vitam, sed præcipue doctrinam Timotheo præscriptam, ad viuum conatus sit exprimere. E

Æquilin. lib. 3. Cat. cap. 145.

Cod. M.S. apud Sur.

Eum

A Eum Hungari Pannoniæ Protomartyrem, & vocant, & venerantur, spectato nimirum eum dignitate, & sanctitate Viri, illustri, in tempore, genere Martyrij: quamquam & pridem antea, & nuper adeo innumeri, quorum nomina soli Deo cognita liber Vitæ recenset, præclaris certaminibus occumbentes, necessariam Christi testationem ediderunt. Quorum sanguine irrigatus ager Ecclesiæ Hungaricæ, vberem in consequentibus Martyribus Cælo segetem tulit. Et sane Romanum Martyrologium, vbi nomen *Episcopi, & Martyris, singulari Hungarorum Apostoli* prærogatiuo interstinguit, primum duntaxat Gerardum, nobili martyrio, patriam (hoc est Venetias) illustrasse B notat: Protomartyrem haud appellat. Scilicet inter reliqua Hungaricæ Religionis ornamenta, Adalbertum, qui eiusdem Martyrologij authoritati, *Hungaris Euangelium prædicauit,* Henrici Primi Imperatoris, *qui sanctum Stephanum Regem, cum vniuerso fere eius Regno ad Fidem Christi suscipiendam* (iuxta aliàs dicta) *perduxit:* Denique ipsius *sancti Stephani Regis, qui diuinis virtutibus exornatus primus Hungaros ad Fidem*(eandem) *conuertit:* Inter hæc inquā ornamenta, Gerardus instar raræ suo precio gemmæ, Hungarorum Apostolus explendescit.

AB HVNGARIS PANNONIÆ PROTOMARTYR VOCATVR.

Ad 24. Sept.

Ad 23. April.

Ad 14. Iulii.

Ad 10. Aug.

Quibus autem meritis hanc ipse nuncupationem sibi compararit, ex parte in loco memorauimus, reliqua nunc ex fide dignis etiam manuscriptis, tantæ C gloriæ coronidem, hic addimus. Post septennem eremi in silentio cultum, diuinitus ad insulam Ecclesiæ Chianadiensis euocatus, ne lucerna à Spiritu sancto accensa in abscondito lateret, sed supra candelabrum posita, omnibus luceret, mirum dictu, quanta diligentia, religione, & reliquis Episcopis exemplo, munere suo fungeretur: nec Ciuitatibus solùm, sed vicis, pagis, & castellis instituto Christi euangelizans, ne in speciosis Vrbibus, quod solet, vanitate captata, fructus speratus haud responderet: Neque enim inter Hungariæ Ciuitates minimum illicij habebat Chianadium, & situ & cæli salubritate, & Populi frequentia spectabile, vt pote in regione Transdanubiana ad Lippam D amnem iuxta Segedinum in Tibiscum influentem, adeoque in Transyluaniæ confinio positum. Antiquitus *Morosena Iazygum* dicta. Hic rerum satagebat Gerardus, & quod homo Italus verbo suo non poterat, idoneorum opera e concione faciebat, vt omnium ore loqueretur; quamquam omnibus gratus, & acceptus, vultu ipso & nutu efficacissime decorabat. Et quamuis oppida, & villas frequens obiret, neque tamen eremum vsquequaque deseruit, sed iuxta Vrbes, ad quas verba facturus accedebat, cellulas in abditis syluarum condebat, secessuque nocturno hic soli Deo vacans, & lacrymis, & multis corporis afflictionibus sese mactabat. Itinera non eques, sed cisio rudi faciebat, E ea sola commoditate, qua Scripturam sacram ad manus habens continuo lectitaret, & lucubrationes suas repeteret; plures quippe libros spiritu diuino dictatos eum composuisse memorant Scriptores, quos tamen iniuria temporum posteris inuidit. In his numerantur Homiliæ, & præclari Semones per anni circulum, nec pauca Deiparæ Virginis prærogatiuas enarrantia opuscula; quæ sicut admirandam erga eandem deuotionem, & religionem, ita non minus, ac in ceteris reconditam eruditionem, doctrinam, & humana maiorem sapientiam præ se ferunt. Victus eius non tenuis modò, sed plane rusticus, & infra omne condimentum fuit: vestitus perinde asper, & vt plurimum cilicinus, & si quando mollior, ex setis caprinis confectus.

GERARDI MERITA, ET VIRTVTES.

Ad ann. 1036. 1037.

Luc. 11.

Al. *Vltra Tibis. cum Fluuium ad Marisum amnem.*

Equil. lib. 3. Cat. cap. 145.

Erga

Erga ministeria Ecclesiastica maior beato viro cura, quàm reliquæ administrationis fuit; & quam nobiles Viri mensis suis nimium studiose adhibebant, hanc ille sacris Altaribus optabat esse impensam. Vno id exemplo, specie quidem minimo, sed deuotione, & fide maximo lubet ostendere. Æstiuo tempore in Templo iuxtà singulas aras, singula vasa ahena, glacie & niue referta, iubebat collocari, in quæ demissæ lagunculæ vinum seruabant niuatum, ad Dominici Sanguinis consecrationem, nec ad vllum præterea vsum, destinatū. Id vini ex optimo genere eiuscemodi fuit, quale nec regia mensa propinabat. Aiebat quippe, *Christi mensam Regiæ esse præferendam*: & identidem singulari quodam animi sui sensu, prouerbio vertebat; *Quod per fidem intus accipitur, id extrinsecus suaue inueniri*. A B

EIVS PIETAS ERGA DEIPARAM. Qua Religione Dei Genitricem Virginem coluerit, facile dictu non est; nunquam huius nomen apud ipsum, nisi sacrosanctum audijt: si quis sine reuerentia perperam appellasset, impunè non ferebat; vt contra, qui deuote, & fide syncera in loco, & tempore memorasset, muneratum, filiorum numero habebat, nulla ei, quantum à se erat, gratia negata. Ipso authore Stephanus Rex sanctus pleraque circa eiusdem Dei Genitricem venerationem sanciuit, & religiose seruari iussit, ne alio nomine, quam Dominæ, vel certe hac appellatione ad reliquas addita nuncuparetur, quotiesque id accideret, genibus submissis, & vultu in terram prono adoraretur. Quo deinde factum, vt Diui Regis edicto Pannonia vniuersa, iure, mancipio ac familia S. Mariæ censeretur, & vocaretur. *O prædicandam*, inquit Scriptor vitæ Gerardi, *virorum prudentiam, qui in hanc maris stellam intendendo vitæ suæ cursum dirigebant*. Sed licet vicissim exclamare: O deplorandum miserorum statum, qui à ductu huius cynosuræ deflectentes, in tenebricosos errores inciderunt, & deserta maiorum suorum sacrosancta Religione tot hæresibus implicati, iusto Dei iudicio libertatem cum immani seruitute permutarunt. C

Huc spectat illa piæ, & liberæ seruitutis præscripta norma, qua omnes B. Mariæ seruos esse, & dici optabat, peculiari quodam ritu adscribendos: Horum insignia erant, Imago Deiparæ cæruleo panno intexta, eo schemate, quo & nummi aurei eodem Gerardo suasore signati referunt, e circulo tenuis metalli, cui collum insertum, cum hac epigraphe dependens: AVE MARIA GRATIA PLENA: & hoc quidem interiùs, si oculis patere nollent; exteriùs verò corona eiusdem Virginis precaria, vnde vnde pendula, aut etiam brachio manibusue implicata. Hinc peruulgatus ille error, Gerardum Ordinis Seruorum B. MARIÆ Virginis institutorem Venetijs fuisse, quem Philippus Ferrarius, ex Francisco Maurolyco Messanensi, refert; sed reuera quaterni codices Maurolyci, quos inspeximus, diuersis editi annis, locis, & typis, id ne quidem innuunt. Ex sermonibus S. Antonij Paduani deriuasse idem, alijque existimant; etsi quidam codices, non Ordinis Seruorum, sed Carmelitarum fundatorem exhibeant, procliui similis argumenti lapsu, quòd vtraque Religio peculiari cultu, Deiparam Patronam habet. Ceterùm, vt Carmelitarum longe antiquius est Institutum, ita Fratrum Ordinis Seruorum recentius, quàm vt Gerardum authorem agnoscere queat. Beato Philippo Florentino id asserit Martyrologiū Romanum, quòd etsi jam ab alijs septem gentilibus fundatum, huius tamen sanctitate illustre, notumque Orbi Christiano sit factum; vt hoc propter Sil- D E

FALSO ASSERITVR GERARDVS INSTITVTOR ORDINIS SERVORVM B. VIRGINIS. Ad diē 23. Feb. In Cat. Sanct. Ital. Maur. in Martyrol. Ad diem 23. Aug.

uester

A uester Maurolycus, non tam authorem, quàm qui nobile nomen meruerit, auctorem appellarit. Quamquam non nemo addubitans, satis sibi fecisse visus est, si affirmaret, Gerardum apud Venetos hanc Seruorum Religionem multo ante, quàm apud Florentinos Philippum, aut septem illos candidatos inchoasse. Verum enim præstat dicere, Hungaris hoc genus seruitutis ea nota, quam memorauimus, distinctum non Religionis institutione, sed professione deuotionis fuisse susceptum, quo Gerardi consilio, perinde censerentur, nupti, & cælibes nullo discrimine sexus, & ætatis, quicunque Dei Genitricem Virginem pia mente colere statuissent. *Lib. 4. Ocean.*

B Ceterùm, quod ad Ordines votis, & claustris formatos spectat, primis omnium in Occidente Cistercienses, Religionem suam Diuæ Virginis honori dicatam affirmant: cuius rei attestationi plurimæ sanè prærogatiuæ suffragantur, quæ passim in Ordinis historijs, & chronicis leguntur; ac imprimis illa quotannis ad diem quintum Augusti solemniter celebrata: *Descensio Beatissimæ Virginis in Cistertium, & miraculosa mutatio habitus de nigro in album:* de qua multis agunt Ioannes Generalis Cistertii, Angelus Manrique, Chrysostomus Henriquez, & alij Cistercienses doctrina, & Religione præcipui. Contigit ea Descensio Dominicæ Incarnationis anno supra millesimum centesimo primo,
C *feria secunda*, quæ cum die Augusti quinto, adeoque cum Dedicatione B. Virginis ad niues concurrit, mysterio quodam, atri coloris in niueum candorem commutati, tempore Alberici Abbatis secundi Cistertij, qui cum præcessore suo Roberto, & Stephano deinde successore, sacrum hunc Ordinem inchoauit, & sub Deiparæ Virginis titulo, & patrocinio constituit. Scilicet vno paulo minus seculo, postquam Rex Stephanus, Hungariæ Regnum, Coronamque regiam eidem Dei Genitrici in Protectricem, & Patronam optatæ, consecrauit; vt hinc exemplum sumpsisse videri possint viri illi sanctissimi, qui suum Institutum tantæ Patronæ ac Dominæ nuncupatione fundarent. In quo
D cùm omnes liberam hanc seruitutem constanter, plurimi verò peculiaribus quibusdam modis sanctè profiteantur, tum verò singularis est illa, & similis ei, quam à Gerardo Hungaros accepisse dicimus, professio, & sui mancipatio; Bernardi Catalani Ordinis Cisterciensis de Calatraua magnæ perfectionis viri, quam ipse sua manu, & nomine confecit, posterisque ad imitandum legendam reliquit, eo sane fructu, quem si tota vita abunde, in extremis tamen fauorabilis impetratione Dominæ, cælestis dominij pro seruitute asserti adeptione percepit. Sed de his hactenus.

CISTERTIENSIS ORDO ANPRIMVS IN OCCIDENTE B. VIRGINI DICATVS.

In Chron. Abb. Cister & in lib. Priuil. in fine. Lib. 2. Laurea Euang. disc. 1. In Fascic lib. 1. dist. 2. cap. 2.

Chrysost. Henriq. in Menol. Cisterc. ad 2. Nouemb.

Præter ea porro, quæ alibi ad ornandum Deiparæ Virginis cultum instituisse Gerardum memorauimus, non postremum venerationis perinde, & te-
E neræ cuiusdam dilectionis locum vendicat: quoties se reus aliquis plectendus obtulisset, ac per nomen Matris Christi pœnam deprecaretur, virum Dei, totum in lacrymas colliquescentem, non solùm condonare, sed & noxam, quasi ipse reus esset, præstare solitum. Et addebat lacrymans, audito nomine, *Matris misericordiæ*, inhumanum esse infelicitatis alienæ miseratione non moueri; quanto magis si ea causa rogamur, non miserescere vt parcamus; ne fortasse nostræ quoque calamitatis miseratio non subeat, apud quos offendimus. Atque vt huiusmodi obtestatione vterentur, qui in reatu erant, clam frequenter à sancti Viri familiaribus edocebantur. Hoc genere misericordiæ pen-

pensabat, quod aliquando, tametsi leui in animum obrepente ira admiserat. A
Fortè enim negligentia aurigæ sui, aut verbo lacessitus, hominem flagellis cædendum vinciri iussit. Paruere ministri; sed clementiæ eius, & facilitatis gnari, iuxta viam, qua sanctus Pater transiturus erat, cruore perlitum, quasi vulnera verberum & vibices manarent, ad stipitem alligauere. Quo spectaculo, cùm eò peruenisset, repente perculsus vir Dei, e vehiculo desilijt, & ad reuincti pedes propere accidens, eos complecti, osculari, eodemque officio erga brachia, manus, vincula, stipitem ipsum perfungi, in lacrymas effusum, infimis precibus veniam obsecrari, & vt consequeretur munera polliceri. Vidisses hominem columbinæ simplicitatis in puerum illum abijsse, quem B
Dominus in medio constituum, si salui esse amarent, imitandum proposuit.

GERARDI CHARITAS. Misericordiæ assuetus, reliquarum virtutum copias ducebat, facileque ad earum principem, quæ Charitas est, accessit, tanta Deum dilectione complexus, vt eius causa nihil non proximo præstaret. Pauperes omnes fouebat ille quidem, sed languidis, & corpore affectis præcipua miseratione compatiebatur, quos præsertim species mali, & contagio oculis horridiores obijciebat. Vno id, ex plurimis exemplo libet memorare. Offendit fortè leprosum, horrore, & fœtore grauem, ideo tectis omnium exclusum; hunc ille media è platea, clam arbitris intempesta nocte humeris sublatum, in cubile suum intulit, C
adeoque in lectulo, quo cubare solebat, deposuit; nec integumentis solum, rigentem fouit, sed comportatis lignis accenso luculento igne exhilarauit; denique adhibitis, quæ ad manus erant medicamentis leniuit, esurientem pauit. Quamquam & hoc illi de more erat, vt hyemis tempore, anteuersa seruorum opera, ipse clam in proximam syluam, arrepta securi pergeret, fasciculosque lignorum cæsorum, humeris inde suis referret; siue id faceret suorum subleuandorum, siue quod verisimilius est, corpusculi castigandi gratia.

Tantis instructus virtutum præsidijs, quid mirum si expeditam sibi viam emuniuit ad Martyrij coronam? quam deinde gloriose adeo est adeptus, vt D
meritò nobili genere Martyrij primus illustrasse patriam prædicetur; cui etiam quarto post seculo corpus restituit suum, vt recepto quod crediderat pignore, fortuna tam sacra auctior esset. Sed de hac re in loco; dehinc quæ reliqua ad Gerardum spectant persequamur. Incidit hoc Martyrium in diem Septembris vigesimum quartum, (*hebdomadæ quintum*) quem Romana Ecclesia numerat; etsi nonnulli ad octauum Octobris, alij ad vigesimum tertium Februarij, qui translationis est in patriam, errando referant. Altero à Martyrio die, Pesthum delatus in Ecclesia Dei Genitricis honorifice, quantum in ea rerum perturbatione licuit, depositus est, quoad Chianadium miraculo deferretur, E
seruato ritu, & funere, habitu Pontificis ceterisque insignijs, ornato. Quæ quidem defuncti honoribus accesserunt, non autem, vt quidam tradunt, ijs incinctus processit ad agonem; qui enim id fecerit iter sat longum, vehiculo agens, nulla necessaria sacrorum id generis cæremonia, nisi fortasse vbi Regibus excipiendis prope adfuisset? Illud Annalium fide peruulgatum est, quo loco lancea confossus cecidit, capitis illisi cruore saxum inspersum nulla vnquā Danubij exundantis quantumuis forti alluuio potuisse elui, & durasse hunc conflictum annis propemodum septem, donec sacris Reliquijs Pestho Chianadium translatis, in sacrum lapidem Altari imponendum memoriæ causa deformare-

SAXVM GERARDI CRVORE ASPERSVM ELVI NVNQVAM POTVIT.

A maretur. Et mansere semper imbutæ velut natura, supra naturam, sanguine lapideæ venæ, quacunque parte incideretur saxum, tanti miraculi narrans attestationem. Quin & Sacellum, ad crepidinem prærupti, quæ deiectum excepit, Gerardo nuncupatum, æternam rei seruat famam, eandemque commendat Sabinæ martyris Ædes, quæ vltimò cœnantem vidit, alteraque luce comites sacro Altaris epulo reficientem. Hanc aliqui Sabinæ Virgini, & Martyri dicatam facili errore putauere; constat verò, nomen Romanæ illius Sabinæ ferre, quæ genere, & matrimonio nobilissima, vt pote Valentini Viri clarissimi vxor, fide tamen IESV CHRISTI nobilitatem mundi præter-
B gressa, ob contemptam Deorum superstitionem, fortissimo pectore, sub Adriano Imperatore capitis sententiam tulit. Cuius memoriæ Constantinus Magnus bina post secula nobilem illam, quæ hodieque Romæ in Monte Auentino visitur, erexit Basilicam, deinde verò diuersi Pontifices non vno titulo secere illustriorem. Hic conditæ sanctæ Martyris Reliquiæ, exportatis subinde in varias Christiani Orbis regiones particulis, non vnam sanctificarunt Ecclesiam. Ex his non minima Diuo Stephano Regi obtigit inter alias, à Siluestro Secundo, deinde etiam à Benedicto VIII. missas, quas præsertim Adalbertus, Anastasius, alijque sacrorum Ordinum viri detulerunt; vt hinc eam Rex Diuus conceperit religionem, qua plures per omnem Hungariam honoribus Sanctorum, Gerardo quoque operam nauante, fundarit Ædes; quas inter, Sabinæ
C martyris, de qua diximus, haud postrema fuit.

Quid verò, sublato à tanti sceleris ministris Gerardo, cum eiusdem socijs, & comitibus actum sit, non difficile est conijcere, iuxta dictum illud Saluatoris: *Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis*. Eodem quippe furore, & pene momento dereptus Buldus Antistes, impia sacrilegorum manu, lapidibus primùm, mox gladijs appetitus, contestato IESV Filij Dei viui nomine, fortiter occubuit. Beztritus verò, & Benetha transmisso amne, vbi Pestho
D applicuissent, ille quidem corpore multis vulneribus ab impijs Sicarijs confecto, sed animo inuulnerato postera die integerrima constantia, vita excessit; hic verò intercessione an vi Procerum quorundam ereptus, euasit; nisi etiam metu imbellis martyrio sponte cessit; adeoque Gerardi ex visione prædictionem euentus ipse de Benetha interpretatus est, qui in suprema aliorum cœna diuini calicis expers mansit. Zonuchus Princeps dum Istrum equo traijcere tentaret, medijsque in fluctibus periclitanti Murthmur regius miles, quem ille e sacro fonte susceperat, cymba occurreret; impia turba horrenda vociferatione inclamare ne manum porrigeret: imo iurata pertinacia mortem interminari,
E nisi ipse Zonucho Scythicæ sectæ desertori eam inferret. Ita iste perfidè inuitus, quem patris loco habere debuerat, eadem dextera, quam iuuando præpararat, impiata obtruncauit. Neque hic modum posuit immanis Barbaries, sed progressu efferatior, eo ipso die ingentem Christianorum stragem edidit; nec tam satiata, aut defessa, quàm ministerio Regum excipiendorum auocata, cæde supersedit. De his scribit author vitæ Gerardi: *Eodem die maxima Christianorum strages facta est: duo enim Episcopi, & multi viri religiosi interempti sunt, quorum nomina sola Dei scientia collegit*. Et Longinus Cracouiensis: *Alij ex laicis, saxis obruti, aut vulneribus sauciati, felici cruore pro nomine IESV CHRISTI abluti sunt*.

[Margin: SOCII GERARDI MARTYRIUM SUBEUNT. — Matth. 26. — MULTIQUE ALII CHRISTIFIDELES. — Cod. M. S. — Ad ann. 1048.]

Nimirum impetrata semel defectione, (quid non mali parit Principum aduersus Religionem dissimulatio, vel incauta indulgentia?) diabolico furore percitis, & sensu rationis amotis Sathanæ ministris, conuenit, antequam dæmonibus sacrificia immolarent, vtque thura Dijs Gentilium libarent, in Fideles quosque ad internecionem vsque grassari, in Ecclesias irrumpere, ijsdem spoliatis, & incensis, Clericos, & Monachos diris supplicijs necare, nec minori crudelitate, in regios quosque Ministros, Magistratus, locorum diuersorum Præfectos sæuire; atque demum in reliquos omnes, perinde gentiles suos, atque externos, qui Christiano nomine censerentur, immanitate effusa, Religionem lacerare. Et fecissent pacto cum dæmonibus inito satis, nisi Deus causæ suæ in tempore adfuisset, quando persecutione tali paucos adhuc dies obtinente, Christi nomen in Hungaria intercidisset. Sed enim sanguis Martyrum hactenus effusus, semini ad nouam Christianorum segetem eliciendam par erat. A B

HENRICVS IMP. IN GERMANIAM REDIT.

Hæc dum in Hungaria geruntur, Henricus Imperator in Italia accepto de Petri Regis indigno casu, illætabili nuncio, de reditu cogitat, & compositis Campaniæ Samnitumque rebus, exercitum in Germaniam præmittit; Beneuentanos ciues tum ob suam, tum ob patris iniuriam vindictæ memor, Clementis Pontificis censura exagitat. Eosdem ad rebellionem spectantes, & præsertim quòd socrui suæ de Monte Gargano Beneuentum reuersæ conuicium obtulissent, veniam desperantes, subdere se non præsumerent, dissimulat; atque interim omnem Beneuentanam regionem Nortmannis sua authoritate confirmat, nullaque interposita mora iter in patriam ingreditur. Ne porro, quod Petro in Hungariæ Regnum opera sua asserto, idem in Vrbe Clementi Pontifici eueniret, eundem secum in Germaniam duxit, probe conijciens hominem Germanum, Gregorio deposito subrogatum, Romanis inuisum esse. Eadem de causa Gregorium quoque asciuit, ne ipso remanente, Romæ aliquid innouaretur: cui se itineris socium, & solatium addidit discipulus Hildebrandus, Sedis Apostolicæ Subdiaconus, deinde verò dignissimus eadem Sede Pontifex Gregorius Septimus appellatus. Maioris operæ precium facturus erat Henricus, si & Benedictum Nonum ante omnes depositum, Italiæ subtraxisset, ne quid in Vrbe, ceteris absentibus, turbarum mouere potuisset. C D

Leo Ost. lib. 2. cap. 81.

BENEVENTANAM REGIONEM NORTMANNIS CONFIRMAT. DVCIT SECVM CLEMENTEM II. ET GREGORIVM VI.

Do lib. 3. c. 12.

CLEMENS II. OBIT.

Plat. in Clem. 2
Herm. ad hunc annum.
Leo loc. cit.

Vix in Germaniam pedem intulerat Clemens Papa, cùm & senio, & curis, & itineris agitatione, aut etiam veneno propinato, vt quidam scribunt, confectus, paulo post, incertum quo loco, vltra montes e vita improuiso migrauit, nono die Octobris, *feria sexta*, nono item mense ab assumpto Romano Pontificatu; delatusque Bambergam, suam antea Sedem, decenti funere conditus est. Quo audito Romæ Benedictus Nonus, iterum pulsus, Romanam Ecclesiam tertiò inuasit, tenuitque menses octo; donec ab Imperatore missus ex Germania Damasus Brixinorum Episcopus eidem successit. Sed hæc ad annum sequentem spectant. E

ANDREAS CORONATVR REX HVNGARIÆ.

Tandem sub finem huius anni, ingressi cum vniuerso exercitu Regij candidati Andreas, & Leuenta, magno omnium Ordinum plausu, & apparatu excipiuntur, paucisque post diebus Albam contendunt, vbi Andreas natu maior ex more Pontificum, Principumque consensu, & authoritate, Regni Insignia susci-

A ſuſcipit; minori quàm par erat ſacrorum virorum pompa, quòd cum Gerardo cæſis reliquis, tres duntaxat Antiſtites ægrè ſupereſſent, qui Regi diadema imponerent.

IESV CHRISTI ANNVS	DAMASI PAP. II. ANNVS	HENRICI III. IMP. 2. CONSTANT. MON. IMP. 6. ANDREÆ REG. HVNG. 2.
1048.	1.	Indict. 1.

B

HEnrico in Germaniam reuerſo prima cura fuit, magno exercitu comparato, in Hungariam ducere, nec non Petri iniuriam, & Hungarorum perfidiam vlciſci eo animo, vt vel vniuerſam Hungariam Imperio vectigalem faciat, vel certe conſcitas omnes vires ſuas vltro ludat. Qua re intellecta Andreas Rex, conſilia pacis antecapienda ratus, Legatos mittit diuerſis literis inſtructos ad Imperatorem vnà, & Pontificem, quem in Germaniam veniſſe intellexerat. Ac imprimis quidem apud Henricum Regni à ſe ſuſcepti cauſam explicat, nulla Petri iniuria, ſed maioris mali vitandi gratia, quòd ſciret C Petrum vniuerſis exoſum, diutiùs haud potuiſſe tolerari, neque aliàs manere in Hungaria incolumem, niſi aut vitam, aut Regnum depoſuiſſet; proinde ſibi vel inuito accedendum fuiſſe ad Coronam, tametſi rebus ſic ſtantibus, vel iure ſanguinis, ſi Petrus quocunque modo defeciſſet, patuiſſe viam, ad ſceptrum capeſſendum. Deinde verò apud Pontificem, permiſſæ idololatriæ culpam in temporum iniuriam deriuat; diſſimulandum ſibi fuiſſe cauſatus, niſi Regnum exciſum voluiſſet, cuius ſalutem ne vita quidem ſua impenſa morari facile erat: ſeruaſſe nihilominus animo Religionem, de cuius reſtitutione, ſedatis Regni tumultibus, certo ſecum præcepiſſet, ſumpto etiam de capitibus ſupD plicio, quorum defectione res ſacra detrimentum feciſſet.

LEGATIO ANDREÆ REGIS AD IMPERATOREM, ET PONTIFICEM, EXCVSATIONIS PLENA.

Hæc ſumma Legationis erat; quam tamen Pontifex, vt ad ſuperiorem annum dictum eſt, morte præuentus non excepit. Imperator verò eadem de cauſa bellum auditis Legatis diſtulit, indignationem tamen non remiſit; nec vindicijs ſecundùm libertatem datis eos dimiſit: interim verò ne quid turbarum defectu Pontificis Roma pareret, operam omnem dedit: Vix quippe audita morte Clementis, Benedictus ille, bis iam antea deiectus, tertiùm Apoſtolicam Sedem inuaſit, ſuſque deque acturus omnia, niſi quamprimum obuiam itum eſſet. Henricus igitur nulla interpoſita mora Popponem EpiſcoE pum Brixinenſem (alij Aquileienſem putant) magni nominis, Romam Pontificem conſecrandum mittit; cuius inopino aduentu territus Benedictus, conatum remittit, clanculo graſſaturus ſi poſſit. Romani occaſione vtendum rati, Popponem ſuffragijs non diſcrepantibus electum, conſecrant, & eiuſdem voto Damaſum Secundum appellant. Fuit is dies, vt quidam tradunt, Iulij menſis decimus ſeptimus, *Dominicus*, à quo nonniſi dies viginti duos in Pontificatu numerans e vita exceſſit Prænеſte, die nona Auguſti, *feria tertia*. Funus in Vrbem relatum, & ad S. Laurentij extra muros conditum eſt. Veneno ſublatum opera Benedicti Sedis inuaſoris, ex Bennone quidam ferunt: Leo Oſtienſis, & Hermannus, de genere mortis ſilent: Benno veneno quidem ex-

BENEDICTVS IX. TERTIO APOSTOLICAM SEDEM INVADIT.

DAMASVS II. PONTIFEX CREATVR, ET PAVLO POST MORITVR.

Hieron. Vecch, in Cat. Pont.

Leo lib. 2. c. 82. Herm. ad hunc annum.

tinctum, aliorum verbo tradit; Benedicti, aut cuiusquam alterius consilio manuue factum non meminit. Vero simile ex eo videri potest, quòd Benedictus, non expectato Cleri Henricique consensu, vix rumulato Damaso, arte & factione sua, tertiùm inuasit, tenuitque Sedem menses aliquot, maiore quàm antea scandalo, & Ecclesiæ Romanæ perturbatione, donec Henricus Imperator Brunonem Tullensium Episcopum, vt ad annum sequentem dicemus, consecrandum mitteret. A

Hist. de vita Hildebr.

BENNONIS MENDACIA DE BENEDICTO IX. REFELLVNTVR.

Iuuat hoc loco memorare, quòd Benno plerunque vocatus mendax, affirmat, Benedictum, quem ipse Theophylactum appellat, ab Hildebrando discipulo suo, de omnibus quæ in palatio Imperatoris gerebantur, certiorem factum, quasi eiusmodi relationibus instructus, & animatus, quid consilij in Pontificatu obtinendo, Romanisque coercendis capiendum foret, ad manum haberet. Fingendi causam dedit exulceratus in Hildebrandum animus; occasionem vero huius apud Imperatorem mora (vt ipse putat) ab obitu Gregorij Sexti, quem in Germaniam comitatus fuerat. Sed enim constat ex Othone Frisingensi, Hildebrandum mortuo Gregorio Cluniacum secessisse, ibique Prioris officio functum, cum Leone tandem illac Romam ad Pontificatum transeunte profectum esse; tantumque abest vt cum Benedicto lusserit, vt Leoni quoque, non ab Imperatore, sed à Romano Clero capiendum esse legitimum Pontificatum persuaserit. B C

Stumph. lib. 1. de vita Hen. IV.

Nec maiori veri specie, quàm impudentia commentus est paulo ante, Benedictum, quò Henricum Imperio deturbaret, misisse Coronam Romani Imperij Petro Hungarorum Regi; quem tamen Godefridus Lotharingiæ Dux ab Henrico auctoratus, primo conflictu, bello ceperit, omnesque vicinas nationes ne quid amplius auderent, deterruerit. Quod commentum excipientes alij Bennonis asseclæ, addiderunt eam Coronam fuisse hoc versu inscriptam, PETRA DEDIT ROMAM PETRO, TIBI PAPA CORONAM. Similius vero erat, si Ouonem, aut Andream Regem à Benedicto in spem Imperij solicitatos contra Henricum finxisset; de Petro id vel cogitasse, summæ insaniæ est, quando Historiæ ignorantia vix queat excusare. Quibus enim præsidijs in Henricum ausus fuisset insurgere Petrus, quando Hungaria exutus, ad vnicam eius opem confugit? aut qui Henricus aut viuum Regno restituisset Petrum, Ouone pulso, aut nunc mortui vindictam Andrea deijciendo procuraret, si non tam ex officio, quàm ex tanto delicto sibi obnoxium habuisset? D

ANDREAS REX RELIGIONEM RESTITVIT IN HVNGARIA PVBLICO EDICTO.

Inter hæc dum Imperator in Germania, Benedictus in Vrbe moliuntur, ille pro seruanda, hic pro turbanda Ecclesia, suis in Hungaria partibus non deest Andreas; ac imprimis reuocato in animum Deo, de Religione restituenda, & de infidelitate, quæ repullulauerat, penitus extirpanda serio deliberat. Mox coacto saniorum consilio, quos impietas non afflauerat, longa concione, quod sibi sanctum videretur coram euoluit: tempori se seruiuisse, pectore nunquam religione exarmato, ita contestatur, vt simulatæ impietatis noxam se nunquam æquiùs præstaturum existimet, quando si publico edicto caueret, ne cuiquam nisi Christianum in Hungaria esse liceret; eos verò, qui vel suo exemplo, vel seditiosorum metu defecissent, nihil sibi fraudi fore, si ad pristina sacra redirent, promulgaret. Proinde libere quid sibi mentis esset edicerent, E

A rem, & euentum rei, Deo fauente suo periculo esse velle, hortatur. Fit omnium plausus, & consensu certatur, nondum adulta infidelitate de Religionis Christianæ ruinis vel sanguine sarciendis.

Quare extemplo Andreas Rex, & præconis voce, & affixis per compita Vrbis, adeoque per vniuersum Regnum tabellis, huiusmodi edictum promulgat. *Quicunque Hungarus, Hungariæue incola, peregrinusue frequentans, deposito pagano ritu, cæremonijsque Scythicis abrogatis, quas Rex, quia vsus ita postularat, paulo ante permiserat, ad veram IESV CHRISTI Fidem e vestigio non redierit, ac sacram legem à Diuo Rege Stephano traditam non receperit, capitalis esto.* B *Vicus, Oppidum & Ciuitas quæque, demolita Templa, Basilicasque reficito: Pontifices, Collegiaque Sacerdotum, pristino more obseruato, & pareto: Prophanas cæremonias, falsosque Deos exigito, eorum simulachra demolitor. Si quis magnis verisque numinibus, ac Sacerdotibus maledixerit; feceritue aduersus, Dei hominumque hostis esto. Si quis sacra legerit, lecta continuò restituito. Quicunque sacro, vel quouis alio humano sanguine manus fædarit, commissa piacula expiato. Hungarus demum quisque cædibus, latrocinijs, ac cetera denique vi, & iniuria abstineto. Sanctionem hanc quicunque contempserit, aduersusue iuerit, capitis ac rerum omnium reus esto.* Quo edicto præter opinionem vulgato, incredibilis animorum mutatio repente C secuta est, exultantibus Christianorum reliquijs, & trepidantibus impijs sicarijs, quorum capita, quòd nulla, vt videbatur, impunitate oblata, ad supplicium se deposci vererentur, ad tumultum spectabant.

Nec defuit impietati nouum apud Leuentam patrocinium, qui siue altiùs inusta animo paganica superstitione, siue inuidia fraternæ gloriæ, si Religionē labefactare perrexisset, Regnum Andrea deiecto sibi paratum cogitatione præceperat. Et fecisset voto satis, nisi sacrilega cœpta, mors improuisa obrupisset. Eam diuinitus accidisse vulgo creditum est; quando in summis conatibus vegetus, ac sanus, repente suborta viscerum conuulsione, mox etiam se- D cuta neruorum dissolutione, viribus omnibus destitutus concidit; denique lingua, oculis, & mente captus, intra biduum, incertum an Deo reconciliatus, extinctus est. Sepulturam accepit in vlteriore Danubij ripa, in villa, cui Toxis proauus nomen dedit, ibidemque Scythico ritu, vt traditur, funeratus est. Qui ritus cùm varius fuerit, atque olim in Scythia non diuturna minus, quàm Barbara pompa in subiectis ditionibus celebratus, ab egressu tamen in Pannoniam obsolescere cœpit, vt neque in Attila, neque in consequentibus Principibus aliter seruatus sit, quàm vt exenteratum cadauer; & grandiori sarcophago clausum, iniecta etiam vestium, & rerum pretiosarum, auri argenti- E que supellectile copiosa conderetur. Nec iam vt olim pegmate in agris ad spectandum extracto, quod equi phalerati cadaueribus, aut fictis, aut qui ex charis de more cæsi fuissent infelli circumdabant, ad spectandum proponeretur; verùm exequijs peractis humo altius effossa, & tantùm addito funerali integumento, eadem rursus certatim aggesta tumularetur. Ac vt cetera quidem desueuerint, hodieque tamen manet vsus, funerum pretiosis quibus in vita induebantur vestibus, sepeliendorum, additis etiam digitorum, & colli gemmeis ornamentis, quæ subinde cæcas auaritia mentes ad immane spoliandi scelus impulerunt. In quo genere non vnum memorat exemplum in sitis Vartorum narrationibus Michael Doësius, & interdum iucundas lectu, sed no-

LEVENTÆ MORS.

SCYTHARVM RITVS IN FVNERIBVS.

tatu religiosas mortuorum cum viuis concertationes, & horum vindictas admiratione plenas. A

Sublato Leuenta ceteri fere mores gesserunt; pauci, quos immaniora in Christos Domini facinora commissa deterrebant, desperata prius, quàm tentata venia, Regno excesserunt. Inter quos Vatha societatis Orcinæ pactor, & omnis impietatis architectus, cum suis ad Bulgaros euasit, non sero vitam indignam infami exitu positurus. Ita repurgato Regno noua Rex Andreas Comitia indicit, quibus frequenti ordinum Senatu, imprimis de pace cum finitimis colenda, & præcipue de conciliando Henrico Imperatore, multis actú est, interposita etiam Romani Pontificis authoritate, vbi Romani motus quieuissent: deinde restaurandorum Templorum, & vendicandarum sacrarum possessionum cura demandata: vtque eorum, qui nuper Religionis causa cecidissent, Reliquiæ diligenter conquisitæ, sepulchris honorificis conderentur, descriptis quoad fieri potest eorum nominibus immortalitati consecrandis, piè cautum. Denique Regno futura successione stabiliendo, legitimo Regis coniugio prouisum; hactenus enim vxoris expers erat; ac vt quamprimum operam daret, de legenda digna thori socia, extempore deliberatum. Placuit ipsi ante alias ducere Agmundam Ruthenorum Ducis filiam, ea maxime gratia, quòd ante Regnum adeptum exilij fortuna varie iactatus, apud hosce duntaxat, optatum hospitij beneficium accepisset. B C

VATHA AD BVLGAROS CONFVGIT.

COMITIA REGNI HVNGARIÆ SVB ANDREA REGE.

Quod ad Orientis res spectat, hoc anno Turcæ, qui ad Caucasiorum montium Septentrionale latus sedes habuere, nec inde nisi ad stipendia inuitati pedem efferre consueuere, à Persarum Rege Mahometo contra Indos, & Babylonios euocati, postquam huic Duce Tangrolipiæ Mucaleto victoriam peperissent, nec missione impetrata domum redire permitterentur, ad alios belli vsus seruandi, in ipsum arma conuertentes felici successu Perside potiti sunt. Ex quo euentu redditi audaciores, Romanum quoque Imperium infestare, ac tandem profusione an auaritia, & rapacitate Monomachi, sub potestatem magna ex parte redegere. Nam cùm is benignus, & liberalis dici vellet, neque tamen artem, & modum adhibuit, sed publicam pecuniam ita dilargiebatur, vt neque quibus, neque quantum, quantoue tribuendum esset obseruaret: quo factum vt fisco, & ærario exhaustis, ad inopiam redactus ab illicitis quæstibus minime temperaret. Sed cùm Prouinciæ quædam eò essent immunes à vectigalibus, vt locorum angustias tuerentur, suoque discrimine Barbaris aditu Romanarum ditionum prohiberent; abolitis custodijs tributa ijsdem imperauit; vnde Barbaris sine vllo negotio patuerunt. *Illud certe quidem*, inquit Zonaras, *si quis recte consideret, ei acceptum ferri potest, quòd Oriens Marte Barbarico est subactus*. Id verò hoc anno cœptum, quadringentis post circiter annis completum est; vt dici queat, annis quadraginta plus minus decies in se ductis proximum fuisse generationi huic; & dixisse, Semper hi errant corde in schismata volubili: Ipsi vero non cognouerunt vias eius, communionem cum Romana Ecclesia; quibus iurauit in ira sua, si requiem habebunt cum perdito Imperio. Quo loco dolenter subit, cum Constantino Magno Orientis assurrexisse Imperium, cum Constantino Monomacho labefactari cœpisse, cum Constantino Palæologo penitus fuisse excisum, & genti stultæ, & irritanti permissum. D E

TVRCÆ PERSIDEM OCCVPANT.
Curopalat. Zonar. lib. 3. Ann in Const. Monom.

ORIENTALE IMPERIVM INVADVNT.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS 1049.	LEONIS PAP. IX. ANNVS 1.	HENRICI III. IMP. 3. CONSTANT. MON. IMP. 7. ANDREÆ REG. HVNG. 3. Indict. 2.

MOrtuo Damaso, & Benedicto toties deiecto, hac iterum occasione ad Pontificatum grassante: *Ne tale monstrum*, inquit Lambertus, *iterum* *Ad hunc annũ.*
B *subire sancta Ecclesia cogeretur, missa est à Romanis Legatio ad Imperatorem, qua petierunt Pontificem ab eo dari*. Quia enimuero tyrannide quorundam in Vrbe nimio plus premebatur Ecclesia, dum aduersis factionibus, alij alios deijcerent, ijdemque Sedem Apostolicam inuadentes malis artibus vsurparunt; visum est ijs, quorum intererat Imperatoris opem implorare, vt ne quispiam eligeretur, nisi quem ipse nominasset, aut misisset. Quæ necessitas quantum deinde in Orbem Christianum per multos annos inuexit mali, consequentes ætates docuerunt. *Exhinc enim*, ait Ottho Frisingensis, *Romana Ecclesia in* *Lib. 6. cap. 32.* *electione canonica Pontificum in tantum infirmata inuenitur, quòd iste*, (loquitur de Clemente Secundo) *quatuorque sequentes* (puta Damasus Secundus, Leo Nonus, Victor Secundus, Stephanus Decimus) *ab Imperatore ibi positi in Ca-*
C *talogo inueniantur*. Quæ res ab initio semper Hildebrando Cardinali improba visa, deinde sub Leone Nono ex parte emendata, denique ab eodem Summo Pontifice, qui Gregorius Septimus dictus, post Alexandrum Secundum, iterum damnata est. Vt ea de causa paulo ante idem Ottho dixerit: *Sicut in Lucano habes, Victrix causa Dijs placuit, sed victa Catoni: ita Hildebrando, qui semper in Ecclesiastico rigore constantissimus fuit, causa ista, in qua sententia Principis, & Episcoporum præualuit, semper displicuit*.

D Missa igitur à Cardinalibus Legatione, vt quem vtilem fore putaret Imperator, Romam ad consecrandum mitteret, delectus est Bruno Tullensium Episcopus, de quo hæc Ottho Frisingensis. *Hic ex nobili Francorum prosapia oriundus, auctoritate regalis excellentiæ ad Sedem Beati Petri destinatus fuerat. Cùmque assumpta purpura Pontificali, per Gallias iter ageret, contigit eum Cluniacum venire, vbi forte tunc præfatus Hildebrandus, Prioratus, vt dicitur, obedientiam administrabat. Is Leonem adiens æmulatione Dei plenus, constanter eum de incepto redarguit, illicitum esse inquiens, per manum laicam Summum Pontificem ad gubernationem totius Ecclesiæ violenter introire. Verùm si suis se credere velit consilijs,* *SVCCEDIT DAMASO II. LEO NONVS. Lib. 6. cap. 33.*
E *vtrumque, & quòd Maiestas Imperialis in ipso non exacerbetur, quòdque libertas Ecclesiastica in electione Canonica renouetur, se pollicetur effecturum. Inclinatus ille ad monitum eius, purpuram deponit, peregrinique habitum assumens, ducens secum Hildebrandum iter carpit. Igitur ad Vrbem vsque venientes, consilio Hildebrandi à Clero, & Populo Bruno in Summum Pontificem eligitur; sicque vtcunque Romana Ecclesia ad faciendam electionem informatur*. Hæc Ottho. Idibus autem Februarijs fuisse Romæ consecratum, habent veteres Indices Vaticani; Acta Synodalia Rhemensis Concilij, *Festum Obuiationis*, hoc est, secundum Februarij notant. Et quidem initio Quadragesimæ, vt ex Hermanno, & Leone Ostiensi, *Herm. ad hunc annum. Leo lib. 2. c. 8.* quando vix paucis diebus interiectis, orationis gratia Montem Garganum petijt,

rijt, indeque reuersus Dominicam Palmarum apud Cassinenses Monachos, A ac demum Pascha in Vrbe celebrauit.

ANDREAS REX HVNGARIÆ LEGATIONEM MITTIT AD LEONEM PONTIFICEM.

Sigeber. ad ann. 1048.

Vulgata per Orbem electione Leonis, qui tamen titulo priori nolens se abdicare, voluit dici dum vixit Tullensis etiam Episcopus, variæ ad Vrbem venere Legationes, quibus ipse excipiendis sanctissimè studuit, vbique pro munere suo, & vigilantia, si possit, opem laturus. In his mature adfuere missi ab Andrea Rege, qui de restituta in Hungaria Religione nunciantes, & Hungariam ex voto pridem Regis Stephani Apostolicæ Sedi sacram commendarent, & conciliato Henrico Imperatore, à belli conatu Apostolica authoritate eundem auerterent. Omnem obtulit operam Leo Pontifex, venturus etiam in B rem præsentem, si liceat; interim verò apud Henricum agit. Subijt Beati Viri animum, venienti sibi ad Vrbem ad Pontificatum capiendum, auditas fuisse voces Angelorum cantantium: *Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis*. Vnde factum, vt à suscepta consecratione sine mora, ad promerenda apud Deum Archangeli Defensoris Ecclesiæ, aliorumque pacis Angelorum suffragia, ad Diui Michaelis in Monte, vt diximus, Gargano peregrinatione eius temporis celeberrimo accurrerit. Deinde verò omnes Pontificatus neruos huc intendit, vt pace, & concordia inter Principes Christianos seruata, Orientali item Ecclesia cum Romana conciliata, vtriusque Imperij vires, ad C pellendos Italia Nortmannos, qui Romanam Ecclesiam vexabant, coniungeret, & tranquillitate parta Religionem vbique florentissimam redderet.

HENRICVS IMP. IN HVNGAROS MOVET.

PISONIVM OPPIDVM PANNONIÆ VNDE DICTVM.

Ad hanc pacis tractationem apprime facere videbatur integrata inter Henricum Imperatorem, & Andream Regem, si successisset, gratia; cui tamen plures vtrinque intercedebant humanis rationibus diuina metientes, aut his etiam illas præhabentes. Neque tantùm profuit apud Henricum commendatio Regis Andreæ, quòd Regno potitus, edictum suum de Paganismo abrogasset, capitalique pœna iterum Christianæ Religionis cultum sanxisset; quin ad vlciscendam Petri Regis mortem, accitis etiam Bohemorum, & Polonorum D auxilijs, contra Andream duceret. Qua de re certior factus Andreas, vires & ipse suas consciscit, & Regni limitibus præsidia imponit. Vbi autem certis exploraroribus accepisset Henricum ingentem in Danubio classem moliri, ratus quod futurum erat, Pisonium nobile ad ripam Danubij oppidum munit, sic dictum à Pisone Pannoniæ quondam Romana authoritate Præside, qui pro opportunitate cæli, suaque dignitate, nobilitatis Romanæ vestigia hoc loco fixerat, nomenque suum æternitati famæ commendarat.

Tac. Hist. lib. 3. & 13. Oros. lib. 6. c. 20.

Lazius com. lib. 12. cap. 6. Plin. lib. 3. cap. 24.

Lib. 7. cap. 33.

Pisonem aliqui eum fuisse putant, cuius opera Drusum, & Augustum Cæsares Pannoniam subegisse, authores sunt inter alios Cornelius Tacitus, & Oro- E sius; qui postea etiam exul missus à Nerone in suam Pannoniam: à Galba vero cooptatus est in Imperium, cùm antea Dux coloniæ ibidem fuisset, legionisque septimæ Legatus. Alij non à Pisone, sed à lacu Peiso, cuius in finibus Norici Pannoniæque Plinius mentionem facit. Superest adhuc is lacus, tametsi quatuor fere milliariorum spatio, quem ab insigniore villa adiacente, incolæ *Neusydlersee* appellant. Olim non Pisonium, sed *Bauzonum* dictum testatur Ottho Frisingensis. Germani *Bresburgum* vocant à Bregetionis veteris, vt putatur, translatis ruinis, quarum congerie, & aceruo Hungari potissimum aduersus Germaniam propugnaculum successu temporis condidere.

Memi-

A Meminere Bregetionis, Ptolemæus, Ammianus, alijque. Fuit sane celeberrimum Pannoniæ municipium, Præsidis primùm sede, qui Pannoniæ primæ imperitabat, & decimæ quartæ legionis statiuis; deinde Constantini Magni auspicio, postquam veteres Pannonij Christum agnouissent, Episcopali quoque Cathedra insigne factum, cuius Episcopus putatur fuisse Vrsus, qui septimæ Synodo interfuit. Auentinus *Vratislaburgum* à Morauis isthic rerum arbitris existimat; quam vocem Germani, postquam à Diuo Stephano Rege, inter municipia pro dote Gyselæ coniugi assignatum est, in *Presburgum* detorserunt. Hic igitur primos impetus Henrici Imperatoris excepturus Andreas, B & ipse se accingit, & quicquid siue ad obsidionem ferendam, siue ad decernendum prælio, & Marte aperto spectat, diligenter procurat.

Ptolem. lib. 2. Gregor. cap. 15. Amm. lib. 17. & 18.

Dum hæc in Occidente geruntur, in Oriente res Religionis assurgunt, Cogene Duce Pazinacarum ad Christum conuerso. Hoc nomine tredecim gentes à Græcis appellantur, quæ à Boristhene fluuio, vsque ad Pannoniæ campos loca incolunt, in tentorijs vitam agentes. Ex his, tribus populis Cogenes præerat, vniuersis autem Pazinacis Tyrachus imperabat, vir nobilis ille quidem, sed ignauus: contra Cogenes, vt obscurus genere, ita ingenio strenuus, & acer, & ob multa egregia in bellis edita facinora, populis charus: Id- C circo Tyracho inuisus, & clam ad necem designatus. Quo ille animaduerso, duabus e tredecim tribubus sibi conciliatis, traiecto Istro in Romanorum fines concessit, Monomacho nuncians, non inutilem se ei daturum operam, si admittatur. Iussus venire in conspectum Imperatoris, benigneque exceptus, mox etiam Religionis amore tactus, salutari baptismate initiatur, & Patritius appellatur. Idem & reliqui comites fecere, misso Euthymio Monacho, qui eos Christiana sacra doceret. Ijdem vero ad Istrum statiua optantes, flumine traiecto non cessarunt cædibus, & rapinis Tyrachios infestare. Quod Tyrachus indigne ferens, nisi transfugas coerceat, bellum Constantino minatur: cui D Imperator respondit, se neque dedititios proditurum, neque quo minus suam iniuriam vlciscatur prohibiturum. Proinde ille hiberno tempore concretum glacie flumen transmittit, & obuia quæque vastat; fortè verò cùm vini, & mulsi copiam inuenissent, auide se se ingurgitantes, coeliaci fiunt. Quo cognito Cogenes, Romanis copijs sibi sub dio missis author fit hostes inuadendi. Nec mora Barbari morbo æstuantes, armis animisque abiectis, supplices se dedunt, plurimisque à Cogene partim cæsis, partim in seruitutem venditis, reliqua multitudo Romanis vsui futura, in Bulgariam tum magna ex parte ex nuperis cladibus desertam, migrare iussa est. Tyrachus verò, & Proceres eius cen- E tum quadraginta viri, ad Imperatorem perducti, & ipsi omnes Christiani effecti, varijsque dignitatibus ornati sunt.

PAZINACÆ POPVLI IN ORIENTE AD FIDEM CONVERTVNTVR. *Curopal. Zonar. tom. 3. in Monom.*

Hic belli Pazinacarum fuit exitus, felici clade, ex qua religio Christi creuit, vt victi minus quàm victores fuerint, qui sic eruditi Christum agnouerunt. Referebat porro ad has gentes in officio Religionis continendas, pacatam esse finitimam Bulgaris Hungariam, vt hac iter esset mittendis ab Apostolica Sede viris, qui synceram erga Romanum Pontificem obedientiam docerent, reciso toties damnato scandalo, quod Orientalium schismata fouebant, hoc præcipue tempore Michaele Carulario Constantinopolitano Patriarcha nimia insolentia se se super Romanam Sedem efferente.

A

Indict. 3.	IESV CHRISTI ANNVS 1050.	LEONIS PAP. IX. ANNVS 2.	HENRICI III. IMP. 4. CONSTANT. MON. IMP. 8. ANDREÆ REG. HVNG. 4.

HENRICVS IMP. PISONIVM OBSIDET.

HEnricus Imperator præmissis in Hungariam terra copijs, ineunte vere, soluto glacie Danubio, secundo flumine ingentem classem ducit, & adita Pannonia, Pisonium vndique obsidet; admotisque machinis, & erectis turribus cominus eminus expugnationem deditionemue vrget. Oppidani facta sæpius eruptione, conflictu corporum, ictu, & coniectione telorum, non minimam stragem obsidentibus intulerunt, vicissimque acceperunt. Durauit obsidio duos menses, & interim pro commeatu, & auxilijs Andream Regem Oppidani clam missis tabellarijs significant. Qui ne res supra modum arctarentur, ad sanctitatem conuersus, Diuo Arriano Aurelianensium quondam Antistiti Templum vouet, iuxtaque Deo dicatis viris Cœnobium, qui diuinas laudes perpetuo persoluant, si expugnationem Pisonij deprecetur, salutemque afferat obsessis. Acceperat nimirum à Maioribus suis, Attilam in Gallijs flamma ferroque cuncta vastantem, ne Vrbem populumque Aurelianensem excinderet, Arriani adhuc in humanis agentis virtute effectum, adeoque trementibus iam ab impetu arietum muris, proximeque ruituris, & desperatis pene rebus adfuisse Aëtium, Theodoricum Regem Gothorum, & Thorismundum huius natum; quos cum ingenti exercitu venturos, populo afflicto prædixerat, nec solum deditioni exemisse Ciuitatem, verùm etiam prælio congressos cælesti ope vicisse, & fugasse Attilam.

ANDREAS REX TEMPLVM VOVET D. ARRIANO PRO PISONII LIBERATIONE.

Greg. Tur. lib. 2. Hist. cap. 7.

PISONIVM OBSIDIONE LIBERATVR.

Hæc cùm animum subijssent, spe concepta, eundem adhibere constituit intercessorem, ratus potentiorem esse, quàm fuerat in terris, cum beatis commanentem; nec vouisse pœnituit. Dum enim ipse auxilia solicitè cogit, dum etiam Oppidani satagunt, ne clauso ratibus Danubio commeatus præpediatur, vnius ingenio viri salus omnium stetit. Hic nandi peritus Præfecti iussu nocte intempesta, naues hostium subit, exceptis ratarijs, ad vnum omnes terebrat, quæ admissis sensim aquis, suis etiam oneribus grauiores, antequam dilucesceret, nautis incaute attonitis pleræque demersæ sunt, necquicquam ordine turbato adlaborante ex ripis reliquo milite, ne ceteræ quoque pessum irent. Qua re animaduersa, Oppidani repentina eruptione, castra adoriuntur, & obuios quosque sternunt, nulla acie consistentes in fugam vertunt; dumque alij ante alios salutis causa naues prehendere conantur, in flumen præcipites agunt. Ita factum, vt imminutis copijs, omnium pene instrumentorum iactura obsidionem soluere, & domum redire cogerentur.

Hel. Mut. l. 14. de Reb. Germ.

B C D E

Meminit Pisonij diuinitus liberati Hermannus, dum de Henrici in Pannoniam expeditione agit, his verbis: *Andrea Rege Hungarorum minus minusque pro pacto pacis postulando, allegante, & promittente, Brezisburg Castrum obsedit, & varijs belli machinis diu oppugnatum, Deo obsessis se anxie inuocantibus opitulante, frustratis semper nisibus nullo modo capere potuit.* Ita Hermannus, sed ad sequentem annum: quod nos veriora secuti, hoc anno reddimus.

Andreas

A Andreas porrò tam læto nuncio accepto, voti reus, continuò mittit, qui pulcherrimo Regni loco, situm emetentur Templo, & Cœnobio Arriano idoneum, vnàque largos ex ærario sumptus imperat, ne qua mora intercedat. Electa est Insula Tyhonia, (vulgo Tyhon) medio propemodum Balatonis lacu, tam salubri cælo, soloque & prospectu amœno, vt nec oculis quicquam iucundius, nec animo gratius occurrat, ac plane ad voluptatem claustralium facto loco, vnde Viri Deo dicati, & in cælestium contemplationem facilè assurgere, & terrestris Paradisi delitias secum retractare queant. Quare coactis quamprimum architectis, & operis, breui, splendidum, & Templi, & Claustri B ædificium eductum est, nec multo post omnibus suis instrumentis, & ornamentis perfectum: inter quæ musiuo artificio visebatur expressa Diui Arriani Pontificis historia, in ipsa Templi apside; in lateribus verò trium series Hungariæ Regum, ac imprimis Diui Stephani, eiusque filij Ducis Emerici res pro sanctitate, & religione gestæ: denique Andreæ viuentis victoria, Templique dicandi causæ imaginibus, & literis explicatæ. Religiosis Ordinis Benedicti, qui tum præcipue florebant, ex Cœnobio partim S. Martini, partim aliunde euocatis, quòd Eremitarum S. Pauli fratres suis iam claustris adscripti non sufficerent, locus addictus, consequentibus seculis præcipua sanctitate floruit, donec cum Regno religio quoque cladem subijt.

TEMPLVM D. ARRIANO AB ANDREA EXTRVCTVM.

Hæc inter, Andreas Rex humanæ conditionis memor, cùm mascula proC le hactenus careret, Leuentæ etiam fratris solatio priuatus, desiderio Belæ iunioris fratris, quem ducta Miecislai Regis Poloniæ filia Pomeraniam dotalem accepisse, ibique mansisse superiùs diximus, teneri cœpit: eumque humanissimis literis exhortatur, vt cum vxore, & liberis expectatione celerius in Pannoniam redeat; & quemadmodum particeps fuit iniquioris fortunæ, dùm vnà exules errarent, ita nunc in Regni consortio perquam secunda perfruatur: quando nec sibi iustum videri queat, se sine fratre, potentissimo Regno eoD demque amplissimo potiri, nec ipsi decorum, si fors ferat, non succedere longè positum, nec facilè seditionibus aduersum iturum, Henrico maxime Imperatore tum veteris iniuriæ vindictam, serio cogitante, tum ex recentis cladis indelebili memoria grauiùs exagitato; cui proinde par sit, communibus & consilijs, & viribus obuiam ire, quemadmodum, & de optimo hactenus ad Pisonium belli successu, & secuturis Deo fauente victorijs eandem capere voluptatem.

BELA IN HVNGARIAM REDIT, ANDREÆ FRATRIS HORTATV.

Hac persuasione Andreæ Bela victus, coacta familia, & dimisso non mediocri sane Pomeraniæ Ducatu, in Hungariam cum coniuge, & duobus liberis Geysa, & Ladislao, quem deinde sanctum Regem dicturi sumus, in HunE gariam se recepit; tertium verò Lambertum, quem præter filias in Hungaria genuit, ad maternam hereditatem capiendam reuersum lego, ex quo deinde clarissima generis propagatio in varias Orbis partes se se creditur effudisse. Venientem Andreas frater tam hilari animo, sed & vniuersus populus tam ingenti insolitoque plausu excepit, vt non modò Regis aula, sed omnis Hungaria in occursum effusa, nullusque dies Hungaris lætior actus videatur. Hinc postridie, & inter primos adhuc amplexus, conuentu habito, Hungariæ Regnum tres in partes diuisum est, & duabus quidem Regi tributis, tertia Belæ fratri cessit, magno sane deinde totius Hungariæ malo, vt fere sunt humanarum

REGNVM HVNGARIÆ DIVIDITVR TRES IN PARTES.

rerum vicissitudines; quarum læta initia plerunque luctuosus exitus occupat. A Haud enim multo post ex Regina coniuge præter spem Andreas duorum filiorum Salomonis, & Dauidis pater effectus, seminarium discordiarum bellorumque causas reliquit, quibus Hungaria semper fluctuauit.

GEBHARDVS EPISCOPVS BELLI DVX IN HVNGARIA, REVOCATVR IN GERMANIAM.

Rebus sic stantibus, & Imperatore in Germaniam reuerso, Gebehardo Episcopo in Hungaria remanente, belli cura eidem relicta est; qui aliquot prælijs gestis, non multo post siue reuocatus, siue alia de causa, discessit; nec vnam Hungaris vincendi viam aperuit. Id ipsum Hermannus memorat, dum ait: *Ipsa hyeme cùm Episcopus Gebehardus in Pannoniarum terminis moraretur, cedentibus Hungaris, fines eorum ingrediens, prædas inde abduxit. Sed ipso discedente,* B *plurimus Hungarorum exercitus fines nostros inuadens, plurimam partem captiuauit, incendit, atque vastauit.* Hæc iste. Gebehardum prædictum fuisse Episcopum non Ratisponensem, vt putat Bonfinius, sed Aichstatensem, ex multis inferiùs constabit.

Ad hunc ann.

Interim Andreas nihil non mouet apud Leonem Pontificem, pro authoritate interponenda, ne Henricus Imperator denuo periculosa belli alea lacessat Hungariam; sed si quid causæ habet, Pontificiæ cognitioni permittat. Audiuerat enim, nupera clade apud Pisonium irritatum, milite, & classe auctis diriora in perniciem Hungariæ moliri; quod sane e nullius re futurum sit, immo in maximum Ecclesiæ Romanæ, & Religionis Christianæ detrimentum; C cùm interea, & Turcarum in Oriente potentia crescat, & Christianorum vires mirum in modum labefactentur. Mouit tantæ rei momentum, sanctissimum Pontificem, vt postpositis omnibus, in Germaniam, adeoque in Hungariam se se conferret, maturè malis impendentibus occursurus. De qua re iam dicturi sumus.

IESV CHRISTI ANNVS 1051.	LEONIS PAP. IX. ANNVS 3.	HENRICI III. IMP. 5. CONSTANT. MON. IMP. 9. ANDREÆ REG. HVNG. 5.

Indict. 4. D

Ad ann. 1051. HERMANNI CONTRACTI ERROR IN CHRONICIS AD HVNC ANNVM.

Leo Papa ab Andrea accitus, inquit Hermannus, *cùm pro pace componenda interuenisset, Imperatorem ab obsidione auocauit, eumque sibi per omnia consentaneum inueniens, sed e contra Andream consilijs suis minus parentem experiens, offensus, eique excommunicationem, vtpote delusa Sede Apostolica, minitans, cum Imperatore discessit, & aliquantum temporis cum eo mansit.* Hæc Hermannus, sed E non admodum cohærenter. A qua enim obsidione auocauit Leo Henricum, quando eam is vltro soluit, cùm nequicquam varijs belli machinis diu oppugnatum Pisonium irrito omni conatu deserere coactus sit? *Deo*, vt ipsemet fatetur Hermannus, *obsessis se anxie inuocantibus opitulante, frustratis semper nisibus nullo modo capere potuit.* Sed neque erat cur Leo Pontifex minus parenti consilijs suis Andreæ offensus, eidem excommunicationis sententiam minaretur, quando ab Andrea instanter, & efflictim in rem vocatus, si quid boni, & æqui intercessisset, arbitrari poterat, aut etiam potestati permissum cum authoritate vendicare. Vero similius est, Henricum vindictæ tenacem, vt qui Petri

A Regis deiectionem, post etiam mortem vlturus, Hungariam subigere destinasset, & nuperæ cladis iactura prouocatum, postulasse, quæ honestè, & salua dignitate concedi non poterant; cùm interim Andreas solius pacis, & amicitiæ cupidus, nihil aduersus Germaniam funesti cogitasset. Nec diuersus inter alios est Sigebertus, dum ait: *Rex Hungarorum ab Imperatore Henrico dissentit, pro quo reconciliando Leo Papa ad Imperatorem venit: sed amicis discordia interturbantibus, id frustra fuit*; vt iccirco dolum huiusmodi, vel noxam præstare, non Regis Andreæ, sed aliorum fuerit, qui in se receperint. *Ad ann. 1051.*

Vnde minus etiam verum est, quod tradit Ciacconius: *Leonem ad Andream* *In Leone 9.*
B *Regem se contulisse; vt eum ad pacem cum Henrico faciendam adduceret: verùm authoritatem Apostolicam, præter opinionem suam repudiantem, nactum, indignatione exarsisse vsque adeo, vt ei communione piorum interdixerit*. Nam vt vt Leo integerrimus Pontifex pro tuendo iure Ecclesiæ antiquam seueritatem spirare solitus sit; in peccatis tamen condonandis, *immensæ*, vt loquitur Author libri de Vrbibus, & Episcopatibus Germaniæ, *clementiæ fuit*: Vt qui capitalium criminum reis, nonnisi tres sextas ferias ieiunio transigendas iniungere consueuisset, cetera misericorditer indulgens. Quam nimiam vt videbatur lenitatem, cùm à quibusdam suorum improbari intellexisset; non minori mansue- *Habemus Vetus M. S.* LEONIS NONI IMMENSA CLEMENTIA ERGA PECCATORES.
C tudine auream hanc eisdem sententiam obiecit: *Non displiceat vobis fratres, si ego peccator peccatoribus condescendo: immo displiceat potius, quòd miseros grauius castigo, quàm Dominus meus IESVS CHRISTVS, qui peccatum non fecit, nec inuentus est in ore eius dolus. Is enim nulla alia pænitentia iniuncta, tantum dixit pænitenti: Vade, & iam amplius noli peccare*. Ita beatus Pontifex, qui hac præcipuæ Clementiæ virtute, ad eum sanctitatis gradum ascendit, vnde & viuus, & mortuus miraculis fulgeret. Quamquam, & reliqua inter Henricum postea, & Andream, Leone plaudente, & probante acta, longe hanc Interdicti remouent suspicionem.

D Henricus igitur Leone Pontifice re infecta ad ordinandas res Romanas discedente, maiori indignatione in Hungaros exardescens, exercitu, & oneraria classe longe auctiori bellum instaurat, dispositisque abunde omnibus, quæ vsui erant, Gebehardum Episcopum classi præficit, & secundo Danubio defluere iubet; ipse verò præter Salæ fontem amnis, in Hungariam iter facit, Salæ, cuius & Ptolemæus meminit, infra Sabariam ad caput Arrabonis vestigia hodieque visuntur, imò & nomen seruant ex suis ruinis, in memorabile illud in vicinia Monasterium, & arcem assurgentis, quam incolæ *Salauar* dixerunt, à qua ager late ad Muram extensus, Zaladiensem Comitatum distin- HENRICVS BELLVM IN HVNGARIAM INSTAVRAT. *Lib. 2. in Pann. sup. descript.*
E guit. Hac itaque Henricus turmas, & copias duxit. Adfuisse etiam Leonem Pontificem, cum Henrico profectum, Ottho Frisingensis satis aperte tradit. Quod tamen cum serie rerum à Leone in Germania gestarum haud constat. *Lib. 6, cap. 33.*

Priusquam autem iter ingrederetur Henricus, per fidos exploratores edoctus Rex Andreas, quicquid pabuli, & acerui frumentarij, ea parte obijci venientibus poterat, aut comburi, aut in loca munitiora inferri iubet, eodem, etiam secedere iussis incolis cum abductis pecoribus. Quo factum, vt adita iam Pannonia, omnia deserta apparerent, & miles iuxta, & iumenta præter opinionem in diuite solo fame laborarent, longiùs interim distracta ad Iaurinum classe, quæ annonam exercitui sufficeret.

GEBEHARDVS EPISCOPVS CLASSI IMPERATORIÆ PRÆFECTVS. *Thuron. part. 3. Chron. cap. 41. Bonfin. Dec. 2. lib. 3.*

Narrant hic Annales, misisse Gebehardum ad Imperatorem, quæsitum, vbi classem opperiri vellet; sed intercepto à custodibus viarum tabellario, lectas ab Andrea Rege literas, & astu alias Henrici nomen mentientes in hunc sensum rescripsisse: *Noueris Gebeharde, nostra absentia ingressis aliunde potentissimis hostibus Imperium grauissime infestari: proinde nos vt propria tueamur, inuiti ab hac expeditione reuocamur. Tui muneris erit, classem aduerso flumine incolumem reducere, si possis; sin minus, quando in Hungaria tuto consistere nequeat, quamprimum dissoluere, aut etiam delere, ne quid hostis inde commodi percipiat; & nobis confestim Ratisponæ occurrere.* Aiunt, visis hisce Gebehardum imprudenter credulum, mandata illico peregisse, & soluta repente classe in Vindeliciam se recepisse. Imperatorem verò expectatione frustratum, ne miles diutius inedia conflictatus absumeretur, tempori morem gessisse; & secum retractantem, vt nuper, ita nunc quoque, Hungaris Deum propitium adesse, cœpisse cum iisdem mitiùs agere; cùm ipsi interdum iunctis sibi Bulgarorum, Bessarumque, & eorum Pazinacarum, qui nuper ad Fidem conuersi Bulgariam desertam colere iussi erant, auxiliaribus copijs, quamplurimos in ipsis Henrici castris, noctu præsertim, cæca tempestate missis venenatis spiculis conficerent. A B

PAX INTER HENRICVM IMP. ET ANDREAM REGEM HVNGARIÆ.

Itaque ad Andream mittit, qui vltro non tam offerat, quàm pacem petat, vnaque exercitui conflictato, potestatem abeundi, & commeatus impetret. Quod si concedat, amicum se ei, successoribus, Regnoque in perpetuum ex fœdere, & pacto futurum, hostesque Hungarorum, pro hostibus suis habiturum. Neque solum, sed & Sophiam filiam Philippo Henrici Franciæ Regis nato desponsam, rescissa affinitate, eiusdem filio coniugaturum, æternæ pacis vinculo sancte recipit. Audito Henrici Imperatoris oratore Andreas, pacem quàm diuturnũ bellum experiri salutarius duxit, libenterque dedit, pacta etiam affinitate, quæ deinde secuta est. Mox vniuersum exercitum, misso omnis generis commeatu, non modò ad satietatem, verùm etiam ad voluptatẽ splendide recreauit. Qui aliquot diebus optime curatus, tandem multis relictis impedimentis, præpropera festinatione, quòd eam saturitatem magna ex parte fatalem sentiret, discessit, Monti, qui locus Castrorum fuit, æterno nomine relicto, vt *Mons Clypeorum*, Germanice *Sciltpergh* diceretur, quod inter impedimenta, clypei maxime superarent, quasi *ibi abiectus sit clypeus fortium*. Ita C D

1. Reg. 1. Hungarorum Annales: Germanorum contra, victos, fugatosque, & prope debellatos tradunt. Minimum, Ottho Frisingensis: *Latitantibus*, inquit, *vbique incolis, terra, & victui necessarijs, vel reconditis, vel contaminatis, militem ibi sustentare non valens, cunctis tamen vastatis* (Henricus) *reuertitur.*

Lib. 6. cap. 32.

Dec. 2. lib. 2. His aduersus Bonfinius: *Hic* inquit, *haud ab re Germanorum Annales erit admirari; qui Hungaros eum Andrea Rege ab Henrico Tertio perdomitos ac stipendiarios fuiße factos prodidere: quod procul à vero eße constat. Quonam modo desponsatam filio Regis Galliæ gnatam, rescissa præstantissima affinitate, Andreæ filio spopondisset, nisi aliqua vehementi necessitate adactus, ad eas conditiones descendisset? Sed vt hanc perpetuam Germanorum, & Imperij Romani notam, Diuina magis, quàm humana opera inustam obliterarent, ex industria subticuere.* Hæc Bonfinius. Nobis, qui Ecclesiastica præcipue consectamur, & hæc incidenter, rerum & temporum seriem magis seruandi gratia enotamus, non est trahendus contentiosus in re non adeo necessaria funis. E

A Si rerum Franciæ Scriptoribus credimus, propius fidem est, Philippum hoc tempore pene infantem fuisse, quando, vt Æmilius Veronensis tradit, anno huius seculi sexagesimo coronatus, nondum pueritiæ annos supergressus sit; deinde verò duxisse Bertham Balduini Comitis filiam, ex qua Ludouicũ Crassum in Regnum sibi successurum sustulit. De Sophia Henrici Imperatoris filia plerique tacent, non dissimulaturi minus dignum Cæsare factum, si fidem Gallo datam fefellisset, aut certe causam, propter quam tam præstanti, & necessariæ affinitati renunciasset, illo maxime tempore, quo vt idem Scriptor tradit, *Pax inter Francos ac Germanos, fraternumque nomen inuiolatum* *Paul. Æmil. in Philip. 1.*

B *permansit: Regnique Francici cura, Imperio, & Imperij Francico Regno sancta extitere*. Sed neque pueri Philippi ætas impedimento fuit, quando Salomon Regis Andreæ filius, cui natam Cæsar despondit, infantia nondum excesserat, *& tam intempestiuus vir*, vt loquitur Bonfinius, *factus est*. Vtique tamen pax ea ratione confecta, e re Henrici Cæsaris fuit, quando Pannonico bello auertendus, res Germanicas, & Italicas per multos annos minimè respexisset. Et vrgebant non pauca, post reditum Leonis Pontificis ex Germania, quæ Cæsaris operam requirebant, non minus in vrbanis dissidijs latenti factione gliscentibus, quàm apertis Nortmannorum aduersum Sedem Apostolicam conatibus reprimendis.

C Hoc anno die vndecima Nouembris, *feria secunda*, natus est Henrico Tertio filius, cui idem nomen impositum, vt Henricus Quartus aliquando Patri optimo, sed degeneri indole successurus diceretur, magno Ecclesiæ, & Orbis Christiani incommodo. Idque Agnes Augusta vterum gestans præuidit, dum se draconem parituram virulentum per visum accepisset, qui Rempublicam Christianam veneno infecturus foret; nec semel postea flammante iam eius incendijs Ecclesia, eadem Augusta, quod vidit multis contestata est, vt author vitæ Mathildis, quam eo tempore versibus conscripsit, aperte tradit. Nec *Lamb. ad hunc annum. Herm. ad hunc annum.* HENRICVS QVARTVS NASCITVR. *Lib. 1. cap. 18.*

D profuit, sacris vndis expiatum ab Hugone sanctissimo Abbate Cluniacensi fuisse susceptum, quin deinde Patris sui secundùm spiritum monita contemneret; tametsi ille, & Legatione pro ipso functus fuisset ad Gregorium Papam, & fidem suam pro eiusdem emendatione interposuisset; quod in loco dicendum erit.

IESV CHRISTI ANNVS	LEONIS PAP. IX. ANNVS	HENRICI III. IMP. 6. CONSTAN. MON. IMP. 10. ANDREÆ REG. HVNG. 6.	
1052.	4.		*Indict. 5.*

E

ANdreas Rex, Regno stabiliendo intentus, Legatos ad Henricum mittit, & nuptias filij superiore anno pactas vrget. Annuit Imperator, & diem sponsalibus celebrandis præstituit, locumque ad Moram amnem, qui Morauiam ab Hungaria disterminat. Hic frequentissimo Pontificum, Principumque conuentu, solenni ritu, & nuptiæ celebratæ, & confirmata fœdera, nouis auctiora promissis, de sponsis diademate Regni primo tempore inaugurandis. Ita Sophia regio comitatu in Hungariam deducta, non minus singulari SPONSALIA CELEBRANTVR INTER SALOMONEM FILIVM ANDREÆ REGIS, ET SOPHIAM HENRICI IMP. FILIAM.

pompa, quàm totius Germaniæ, & Hungariæ plausu, coalitis in concordiam A tot Principibus, qui capitali causa dissidebant. Agebat tum Salomon quartum infantiæ annum, Sophia intra pueritiam constituta.

Hanc Henrici, & Andreæ mutuam reconciliationem mirum quanto consensu probauit Leo Pontifex, opportunam ratus Orbi Christiano, & maximè Romanæ Ecclesiæ, cui hactenus à Nortmannis vexatæ Henricus adesse non poterat, Pannonico bello plus fortasse nimio detentus. Quo iam integratione amicitiæ, & fœderis extincto, nihil non intermisit, optimi Pastoris curæ,

LEO NONVS IN GERMANIAM REDIT. *Lib. 2. cap. 85.*

quò vtrisque in societatem vocatis, Nortmannos Italia exigeret. Quare compositis in Vrbe rebus, iterum in Germaniam profectionem adornans, vt *Nortmannos*, inquit Leo Ostiensis, *expelleret, Imperatorem adijt militum petiturus auxilia*. B

Miraberis fortasse lector, illorum morem temporum, quibus adeo solicitos habebat cura Pastoralis Summos Pontifices, vt non contenti per Legatos aut Nuntios agere, ipsi prouinciam tractandorum cum Principibus susciperent, si quid maioris momenti intercessisset, nescias diligentia, an humilitate maiori, certe insigni prouidentia; vt iuxta vetus adagium, non *animo* duntaxat, verùm *oculis, & manibus* in munere versarentur. Quamquam fortasse Leonem & innata propensio inuitabat, vt patriæ rebus adesset, ideoque Germaniam sæpiùs reuiseret. C

CONTROVERSIAM DIRIMIT DE RELIQVIIS S. DIONYSII AREOPAGITÆ.

Antequam ad Imperatorem peruenisset, Ratisponæ in Bauaria constitit. Hic antiquam illam controuersiam de S. Dionysij Areopagitæ Reliquijs integris, Parisijs an Ratisponæ haberentur, vrgentibus inter alios Henrici Primi Regis Gallicarum Legatis, diremit, & edita Constitutione, quam ad eundem Regem misit, Ratisponæ in Ecclesia Beati Emmerammi Martyris seruari declarauit, pio quondam Arnulphi Imperatoris furto huc translata.

Ad hunc annũ.

Exhibet hanc Constitutionem Baronius, in veteribus Romanorum Pontificum scriptis Antonij Augustini repertam, licet *aliquantum*, inquit, *mendosam*. Et sane non perfunctoriam considerationem desiderant. Fortia sunt, D quæ Rigordus, eius fere temporis Scriptor (floruit quippe sub Ludouico Crasso Henrici Primi nepote) aduersus eam ceu fictitiam opponit. Plura deinde eruditi Gallicæ nationis pro re sua ediderunt, hodieque edunt; tametsi nuper admodum Iacobus Sirmondus in sua de duobus Dionysijs Parisiensi, & Areopagita dissertatione, & Ioannes Delaunoy Theologus Parisiensis, in responsionis ad eandem dissertationem discussione, Dionysium non Ratisponensibus modò, verùm etiam Parisiensibus abiudicarint, & Atheniensibus suis ita restituerint, vt ex combusti cineribus vix aliquid Occidentis Ecclesiæ colligere E potuerint, nedum de integro corpore certare queant, si vera sentiunt. Ea nos ad historicas Martyrum notationes, quas Deo propitio multis iam produximus, consideranda reijcimus. Interim quia non vnius vrbis, aut nationis est, pia de Sanctis sibi vendicandis concertatio, lubet hic cum Baronio dicere: Commendandam esse eorundem Populorum in cultu Sanctorum, sicut religiosissimam, ita & tenacissimam pietatem, & Catholicam Fidem, Deo ista permittente omnia ad maiorem gloriam Sanctorum suorum.

Ratispona profecto, & iam Vangionum fines ingresso Leone, aduersum iuit Imperator, & honorifice Vvormatiam deduxit. Hic Natalem Domini vnà

A egerunt. Postea verò cùm de nonnullis Iuribus ad Ecclesiam Romanam pertinentibus cum Imperatore transegisset, de iniurijs à Nortmannis illatis, pluribus conquestus est, ad eosdemque compescendos auxilia petijt, & impetrauit. *Cùm Papa*, inquit Hermannus, *de Normannorum violentijs, & iniurijs, qui res sancti Petri, se inuito vi tenebant, multa conquestus esset, ad hos etiam inde propulsandos Imperator ei auxilia delegauit*. Quæ autem illæ violentiæ, & quibus ex causis ortæ vlterius, ita describit.

Ea siquidem gens à temporibus prioris Henrici Imperatoris, in Calabria, Samnia, Campaniaque partes paulatim ex Gallici oris Oceani aduentitia confluebat; & quia NORTMANNORVM VIOLENTIÆ IN ROMANAM ECCLESIAM.
B *bellicosior Italicis gentibus videbatur, primò gratantèr accepta, crebro indigenis contra Græcorum, & Saracenorum incursiones audacter præliando auxiliabatur. Postea verò pluribus eorum ad vberem terram accurrentibus, viribus adaucti, ipsos indigetes bello premere, in iustum dominatum inuadere, heredibus legitimis castella, prædia, villas, domus, vxores etiam, quibus libuit vi auferre, res Ecclesiarum diripere, postremò diuina, & humana omnia, prout viribus plus poterant, iura confundere, nec iam Apostolico Pontifici; nec ipsi Imperatori nisi tantum verbo tenus cedere*. Hæc Hermannus, in Nortmannis adumbrans dissimilium infidam societatem.

Alibi lego adfuisse Henrico pro Andrea Rege Iaurinensem Episcopum, huic
C tractationi peropportunum, & qui Regis fidem de auxilijs Leoni Pontifici ferendis interponeret, id præsertim Henrico vrgente; tametsi non paucis, Hungarorum in Italiam ingressum fatalem existimantibus, non tam de copijs cogendis, quàm de legendis belli ducibus, qui Germanici exercitus Præfectos comitarent, necnon consilijs adessent, decretum est. Quis iste Iaurinensis Episcopus fuerit, non inuenio, nec facile conijcio, nisi is ipse sit, quem Bonfinius Nicolaum vocat, ab Andrea Rege literarum interceptarum, quas Henricus nuper Hungarico bello conflictatus ad Gebehardum Classis Danubianæ Præfectum dederat, interpretem adhibitum, vt Germanicæ linguæ callens, re- Dec. 2. lib. 2.
D rum apud Cæsarem agendarum consultior haberetur.

Imperatis itaque contra Nortmannos ab Henrico auxilijs, Leo Pontifex animi plenus, reditum in Italiam maturat. Id ita persequitur Hermannus: *Ad horum igitur nefaria, & inextricabilia scelera, illis è partibus eliminanda, indigenasque ab eis liberandos, Dominus Papa animum intendens, summa cum charitate ab Imperatore Romam reuersurus digreditur: Secuti sunt autem eum plurimi Teutonicorum, partim iussu dominorum, partim spe quæstus adducti, multi etiam scelerati, & proterui, diuersasque ob noxas patria pulsi. Quos ille omnes consueta misericordia nimia compassione, tum etiam quia opera eorum ad imminens videbatur*
E *bellum indigere, clementer, & gratanter suscipiebat*. Hæc Hermannus. Addit Lambertus: *Romam reuersus est adducens secum Godefridum Ducem, & fratrem eius Fridericum, qui Gebehardo postmodum in Sede Apostolica successit. Item alios quamplures, tam Clericos, quàm Laicos, in re militari probatissimos, quorum virtute Nortmannis, qui Apuliam occupauerant, obuiam ire parabat*. Hæc ipse. GODEFRIDVS LOTHARINGIÆ DVX PONTIFICEM COMITATVR.

Fuit is Godefridus, Lotharingiæ Dux, huius nominis Tertius, qui desperatione rebellans, ob sublatum sibi ab Imperatore Ducatum, Virdunensem Ciuitatem, in eaque Dei Genitricis Templum eximia structura, & Religione spectabile, incendio perdidit. Quod piaculum postea secum retractans adeo graue duxit, vt nisi publico de se exemplo statuisset, nec Religioni, nec con- *Hermannus. Lambertus.*

scien-

ſcientiæ ſatisfactum ſibi videretur. Quare, *poſt modicum*, inquit Lambertus, *facti in tantum eum pœnituit, vt publice ſe verberari faceret, & capillos ſuos vt tonderentur multa pecunia redimeret, ſumptus ad reædificandam Eccleſiam daret, & in opere cæmentario, per ſeipſum plerunque vilis mancipij miniſterio functus deſeruiret*. Hæc Lambertus. Extat huius pietatis Diploma in Commentario Stemmatis Lotharingiæ Ducum, ab ipſo Godefrido inſigni ſane Religionis exemplo editum, & ad poſteros tranſmiſſum. Et meritò Baronius: *In Annalium*, inquit, *noſtrorum decurſu Lotharingiæ Duces, vel inuenimus innocentes, vel ſi noxios, pœnitentes, atque huiuſmodi, qui cæteris Principibus imitanda reliquerint pietatis exempla: Qui dubio procul, ſi ſimiles noxas ſimiliter præſtandas reciperent, plures Principes cæmentarios ſpectaremus*. Hæc de Godefrido. Fridericum verò fratrem huius, poſtea Gebehardo Aichſtatenſi, hoc eſt Victori in Apoſtolica Sede Secundo, qui Leoni ſubrogatus eſt, ſuccedentem videbimus, Stephani Decimi, alijs Noni vocabulum ferentem. Ac tales tantoſque fuiſſe viros, ab Henrico Imperatore Leoni Pontifici adiunctos, vtriuſque dignitatem, & in defendenda Romana Eccleſia commendat religionem: nec dubium, quin certa, & ſecura victoria, niſi hanc Gebehardus, modo quo ad ſequentem annum dicturi ſumus, corrupiſſet.

Ad ann. 1047. LOTHARINGIÆ DVCES VEL INNOXII, VEL POENITENTES.

A B C

Indict. 6.

IESV CHRISTI ANNVS	LEONIS PAP. IX. ANNVS	HENRICI III. IMP. 7. CONSTAN. MON. IMP. 11. ANDREÆ REG. HVNG. 7.
1053.	5.	

ANDREAS REX RELIGIONEM INSTAVRAT.

Andreas Rex tot iam periculis defunctus, & affinitate Henrici Imperatoris, eaque gratia finitimorum Principum amicitia auctus, totum ſe ad pacis ſtudia conuertit; id vnicè curans, vt & Regnum ex imitatione, & præſcripto Diui Stephani Regis adminiſtraret, & Religioni vbique priſtinum ſplendorem reſtitueret. Quo conſilio non Templa modò, & Collegia Sacerdotum, acceptis vbi deſiderabantur, nouis Præſulibus, verùm etiam Clauſtra Religioſorum facta quotidie acceſſione reflorere, & populus poſt deſtructam impiorum, qui nuper emerſerant factionem, abolita quoque omni defectionis à Chriſto ſuſpicione, in ſanctitate, & Euangelicæ legis obſeruatione proficere. Vna ſupererat cura, coronandi Regio diademate filij, qua ſi ſe expediuiſſet, tranquillam de cetero vitam ducturus videbatur. Id requirebat data fides Henrico Cæſari, generum Regem optanti; ſed ante omnia vrgebat, præſens ægritudo, quæ diſſolutione membrorum corpus affectum tenebat, & per dubia momenta, licet ætate nondum graui, defectum vitæ Regi minabatur; proinde conſultum erat, de ſucceſſore certo maturè deliberare, ne lapſu temporis, ſi repente mors obnunciet, inexpectatæ, peioreſque rerum inclinationes conſequantur.

DE CORONANDO SALOMONE FILIO COGITAT.

D E

Hanc cogitationem alia intercepit, ne præterito Bela fratre, quem relicta Pomerania, in conſortium Regni vocauerat, turbæ cierentur grauiores; non defuturis, qui Salomonis abuſi pueritia, Belæ animum ſubirent, dubio procul ſponte ſua pronum ad Regnum capiendum, cui præter ius, & ſanguinem merita

A merita quoque nedum populi studium suffragarentur. Quare vt id periculi
anteuertat, vocato clam arbitris fratre, animum suum integrè ei explicat, te-
status nihil se eo non probante facturum: optionemque facit, an Regnum so-
lum solus ipse, an etiam ætatem pueri Regis declarandi, regere vellet; vt totius
Hungariæ salutem ex se potissimum pendere nosset; retenta nihilominus ea,
optimaque Hungariæ parte, quam Regia authoritate primùm sibi vendicas-
set. Proinde explicaret mentem consilij sui: quod si sub manu non esset, ex-
pectaturum se dies, quibus interea secum præcepisset, ac tandem Senatu in
rem dato communi suffragio decreuisset.

SVVM BELÆ FRATRI CONSILIVM APERIT.

B Nihil difficile visum initio Belæ, quem fratris amor, & fiducia securum
reddebant; & satis sibi datum est ratus, quòd suam imprimis sententiam Rex
in maxima quidem, sed non necessaria causa rogasset. Pridem se ait consen-
sisse pacto, quo affinitas cum Henrico Cæsare contracta, genero diadema, &
Regnum adscripsit, nunquam aliàs firma pace, nisi ita conuenisset. Hanc si-
bi fidem constare, vltroque daturum operam, ne aliam à pristina mentem
gerat, nec vnquam commissurum, vt quicquid vnquam potestatis, & autho-
ritatis à se fuerit, Regi fratri, filioque si fors ferat, successuro vnquam fraudi
fiat. His Andreas Rex mirum in modum recreatus, quicquid potest gratiæ,
C fratrem amplexus, eidem apud se apponit; & ne cunctatio intercedat, postri-
die Senatum indicit. Adfuere in tempore Proceres vtriusque Ordinis, coram
quibus Andreas mysteria consilij sui, quæ cum fratre habuit, aperit. Om-
nium oculis ad Belam spectantibus, vt in quam ille, qui solus intercedere
cœptis poterat, sententiam iuisset, proni sequerentur: is nihil moratus, ante
omnes assensit, & confestim ab vniuersis applausum est.

BELA CORONATIONI NEPOTIS ASSENTITVR.

Dies Coronationis dicitur Resurrectionis Dominicæ, qui vt solemnissimus
cedat, Henricus Cæsar generum, & filiam honoraturus, plurimique Princi-
pes inuitantur. Vtrum is adfuerit, non lego: verisimile fit, Hungariæ sæpiùs
D visendæ assuetum, & qui Petri consanguinei Regis causa, vel cum paucis in-
terdum, & pacifice venerit, filiæ, & genero honorandis non defuisse. Itaque
Salomon puer quinquennis, non admodum frequenti exemplo, ritu & ordine
coronatur, tanto non Pontificum solùm, & Procerum, sed etiam finitimorum
populorum ad spectaculum concursu, raro vt Hungaria, si bella excipias, tan-
tam vim complexa sit. Ceterùm, vt nihil ad tantam lætitiam in omni gene-
re cumulandam sit prætermissum, ex ipso tamen (lubeat ita dicere) volupta-
tis syncero fonte manauit occultum virus, quod paulatim pertentatis om-
nium animis, Regno propemodum excidium, Andreæ Regi certè interitum
E attulit. Quod quemadmodum euenerit, paucis perstringemus.

SALOMON CORONATVR VIVENTE PATRE

Inter coronandum, cùm illud Isaaci benedicentis Iacob ex more canere-
tur: *Esto dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ*; fuit non
nemo male feriatus adulator, qui hinc omen seruitutis in Belam conijceret,
ipsi primùm in aures tacitè insusurrans, deinde pluribus seorsimque singulis,
vt fieri solet secreto ingerens, timore futurorum magna religione cautos red-
dit: mortalium stolidissimus, qui sacras cæremonias insana sua mente corre-
cturus detorsit. Ac tales sunt subinde Principum Consiliarij, qui vt altum sa-
pere, & ex incognitis præsagire videantur, syncera quæque funestant, & ne-
perperam temereque sensisse, dixisseue videantur, ipsi argumentum facesque

DISCORDIARVM ORIGO INTER ANDREAM REGEM, ET BELAM.

Genes. 27.

5ncc3 succes-

successui ministrant. Quid multis? dum alia atque alia Bela secum retractat, A
iniectumque semel discordiarum semen non vna cogitatione alit, suis adnitentibus, paulatim seditio disseminatur, & publica voce ad aures quoque Andreæ Regis accidit, itaque afficit, vt consilium momento antecaperet, ne quid spatio turbaretur. Nec minor sollicitudo Belam quoque cum suis aduertit.

Fuere qui Andreæ dicerent, nisi Bela frater e medio tolleretur, puerum Regem nunquam tutò regnaturum. Contra alij Belæ ingerebant, infantis non esse regere, sed regi: dedecere fratrem Regis, ætate, sanguine, iure, meritis; Regno destinatum, in ordinem redigi, nec nisi flagitio naturæ legibus cedere. Quin si factus ipse ad Regnum non esset, occasionem tamen ad vsurpandum factam non arripere stultum foret; quando & Regis infantia, & parentis valetudo ad carrucam, & hexaphorum redacta, vltro eam offerrent. Ita prudentes huius seculi, qui dominandi causa, fidem frangere infra religionem habent, & sacramenta Principum vrbanitatis esse, non vinculi, affirmant. B

OPTIO DATA BELÆ A FRATRE.

Nec Andream præteribat, inuito fratre, filium nunquam regnaturum. Proinde inito consilio cum duobus tantum ex intimis, cum demisso velo plura hinc inde in medium allata fuissent, concluso tandem negotio, Rex paulo elatiori voce: *Hoc*, inquit, *oportuit factum. Optionem ergo dabo fratri, coronam an gladium malit. Vos ad nutum præsentes animis, & factis estote.* Accepit dictum curiosus admissionalis Nicolaus Comes, qui foris, admotas ad velum aures seruabat, nec temere quid rerum ageretur coniecit. Sensus dicti erat: Si gladium optasset Bela, saluus foret; sin coronam, manu duorum consciorum, eodemque gladio, ceu Regni affectati reus, illico caderet. Mox inclamato Nicolao, strata humi purpura Coronam, & Gladium, Insignia Regni, & Ducatus, inferri iubet, vocatumque Belam deducere: ipse Lecto regio ponte constituto, duobus illis adstantibus recumbit. Nicolaus accersitum, nutu & submissa voce verbo monet, Gladium optet, si viuere amet: Nec plura dicere potis ausus, reducto velo, inopinum perculsumque intromittit. C D

Rex eo conspecto, vbi resedisset, ad procumbentem in genua, attonitoque similem, serio vultu, *Bela*, inquit, *frater, & dux meus, tua fide, & consensu filium Regno inauguraui, non facturus si improbasses; non probare tamen causam non poteras. Nunc quia tibi tecum fides non constat, integrum esto, Regnum an Ducatum optes, vtrum velis Salomoni relicturus: actutum facito.* Bela nihil cunctatus, & velut pristini tenax, (quàm gnarus in subitis periculis timor) gladium apprehendit; coronam amouet. *Hanc*, addens, *Salomoni cessi, iterumque cedo: gladium iure donoque debitum mihi seruo.* Hæsit Andreas spectata fratris modestia, & quà potuit e lecto se demittens, præter dignitatem genua amplexatus, profusis lacrymis fraternum pectus commendat, iterumque in filij tutela verbis amplissimis confirmat, necnon munificentissime donatum dimittit; ratus eandem ac quondam Leuentæ vltro cedentis, huius quoque animo sedisse caritatem. Euentus tamen docuit, metu præsentium, an spe futurorum, caute simulasse. E

LEO NONVS A NORTMANNIS VINCITVR, ET CAPITVR, DOLO GERHARDI EPISCOPI.

Interim Henricus Cæsar genero Rege Hungariæ lætus, dum in Germania rerum satagit, & de successu expeditionis Italicæ nuncium expectat, paulo post, circa Kalendas Iulias, eo tristi admodum percellitur: Cæsum nimirum à Nortmannis Pontificium exercitum, captumque Leonem Pontificem. Id proditione

A uone Gebehardi Aichstatensis Episcopi accidisse, sugillat Leo Ostiensis. *Cùm enim,* inquit, *ex iussione Imperatoris magnus Apostolico traditus esset exercitus, iamque itineris multum confecisset, Imperatorem* (Gebehardus) *adijt, eumque hac de re valde corripiens, vt eius exercitus totus rediret, dolosus effecit, quingentis tantum ex amicis, & propinquis Apostolici illum comitantibus.* Hæc Leo. Quo autem dolo id fecerit Gebehardus, non constat; nisi Leonis Pontificis felicitati inuidisse dicamus: quod ex eodem Leone Ostiensi licet colligere, dum de Gebehardo, secundùm Leonem Pontificatum adepto, post multa subdit: *Qui quoniam prædecessori suo, vt supra retulimus, impedimento maximo fuerat, quoties postmodum* Lib. 2. cap. 85. Lib. 2. cap. 90.

B *à circumpositis aliquid molestiæ patiebatur, dicere solebat: Merito hæc patior, quia peccaui in Dominum meum. Et item: Dignum est, vt quod fecit Saulus patiatur Paulus: quod egit lupus sustineat agnus.* Ita nempe diuinam vltionem expertus, toto Pontificatus sui tempore tanquam ingens scelus, quod in Leonem admiserat deplorauit; verumque esse suo exemplo didicit, nullum peccatum inultum manere; alterum alteri rependere, & in quo quis genere deliquit, in eodem fere solitum puniri. Quæ porro conflictus ratio fuerit, ex Hermanno hic reddimus.

Dominus Papa habita post Pascha Synodo, contra Nortmannos, vt proposuit,
C *exercitum promouit. Cùmque illi pacem petentes, subiectionem seruitiumque ipsi promitterent, & quæ prius iniustè sibi vsurpantes inuaserant, eius beneficio, gratiaque, retinere se velle dicerent: idque Papa abnegans, vi & iniuria raptas res sancti Petri reposceret, eosque perperam peruaso cedere loco iuberet; illi quia numero longè præstabant, quasi rem impossibilem sibi propositam refutantes, se potius bello obuiam ituros, armisque acquisitam patriam armis defensuros, vel morte occubituros denunciant. Sicque decimoquarto Kal. Iul. valida pugna confligentes, prima acie Nortmanni à Teutonicis pene victi sunt; sed succenturiatis copijs ex insidijs nostros circumuenientes, Italis citiùs terga vertentibus, Teutonicis maxima ex parte, sed non inultè occum-* Iun. 18. fer. 6.
D *bentibus, occulto Dei iudicio, siue quia tantum Sacerdotem spiritalis potius, quàm pro caducis rebus carnalis pugna decebat; siue quòd nefarios homines, quammultos se ob impunitatem scelerum, vel quæstum auarum confluentes, contra itidem scelestos expugnandos secum ducebat; siue diuina iustitia, alias quas ipse nouit ob causas reatus nostros plectente, quamuis nimis cruentam hostes adepti sunt victoriam. Ipseque Dominus Papa in quodam ab eis castello obsessus, cùm expugnata iam iamque munitione, necessitate coactus, communionem eis prius interdictam reddidisset, acceptus ab eis, Beneuentum cum honore tamen reductus est, ibique tempore aliquanto detentus, nec redire permissus.* Hæc Hermannus.

E Similia, quibusdam etiam additis, habet Leo Ostiensis. *Apuliam cum Normannis dimicaturus ingreditur anno Domini millesimo quinquagesimo * quarto. Atque ex parte quidem ipsius Apostolici Rudolphus in Beneuentanum Principem iam electus, & Guarnerius Sueuus signa sustollunt. Normanni verò tres de suis statuunt turmas, quarum vnam Comes Hanfridus, aliam Richardus item Comes, tertiam Robertus agebat Guiscardus. Inito autem certamine in planitie maxima, quæ Ciuitati adiacet, paulatim se subducentibus fugientibusque nostratibus, & solis, qui cum Papa venerant amicis, propinquisque remanentibus, cùm diu ab his acriter pugnatum esset, omnibus tandem in ipsa pugna trucidatis, Nortmanni Dei iudicio euasere victores. Dehinc Hunfridus Pontificem adijt, & in sua illum fide suscipiens, cum* Lib. 2. cap. 88. * al. tertio

suis

suis omnibus Beneuentum perduxit, spondens, quandocunque Romam ire disponeret, ipse illum Capuam vsque deduceret. Intrauit autem idem Papa Beneuentum mense Iunio, vigilia S. Ioannis Baptistæ, mansitque ibi vsque ad mensis Martij duodecimum diem. Hucusque Leo. A

Placuit hæc ex verbo persequi, fœcunda exemplis rerum, quæ diuina prouidentia reguntur, & à cæco hominum iudicio longe submota sunt. Causa belli huius iustissima fuit, nec solum authoritate, ratione, legibus, sed interdum sanguine etiam fuso, & miraculis probata. Interfuit, seu potius adfuit eidem Summus Pontifex, non quidem manu pugnans, sed oculis spectans, ad-

Extr. Vnam sãctam. De maior. & obed. Bernar. l. 3. de consid.

de & author, ad cuius scilicet, *nutum, & patientiam manus militis pro Ecclesia gladium exercuit:* At quis Pontifex? vtique sanctus, in vita, & morte, in hoc ipso facinore, & pro huius merito causæ miraculis clarus. Nec eum sane fefellit virtus brachij antiqua operantis miracula, vt qui Dei institutione factus Ecclesiæ Princeps, pari munere potens erat, vel in paucis vincere, & triumphum victoriæ scienter colere; nisi in æternis aliter decretum fuisset. Ecquis Dei consiliarius fuit? Quare nec Benno mendax opportunè commentus sit, ab Hildebrando, & Benedicto Nono, Sedis Apostolicæ inuasore, Leonem Pontificem fuisse circumuentum; nec Petrus Damiani sine errore præter morem adstruxerit, alienum à Sacerdotio bellum Domini. Vt miles seculi Theologica, sic præses Claustri, Politica noxiè tractat. Propius humano sensu verum est, Gebehardo præstandum dolum, qui copias rescecuit: & potuisset victoria à paucis stare, si miranda periclitanda erant. Quocunque mentem vertas, in occultum Dei iudicium incidas; ecquis requirat, cur ita fecerit? An vt Nortmannos seruaret, Religionis Christianæ futuros mox acerrimos vindices, quod Historiæ Siculæ loquuntur? An vt peccata Populi mitiùs per istos; quàm per infideles vindicaret, quando nulla gens maiori, quàm Christiana, periculo offendere solita sit? B

In vita Henr. IV.

C

Ceterùm hæc Nortmannorum victoria perculit etiam Occidentis Imperiũ. Quippe Constantinus Imperator animaduertens Nortmannos, iam magnam partem Apuliæ potitos, ad reliquam inhiare, præsenti vicinæ Calabriæ periculo, nihil non intermisit ad gratiam Romani Pontificis sibi apponendam, gnarus arbitratu huius Principum Occidentalium arma pendere, potissimum verò Henrici Imperatoris. Quapropter cùm literis, tum Legatione, egit apud eundem de sancienda inter Græcos Latinosque post tot dissidia concordia. Vtque hoc ipsum ageret, Michael Cerularius Patriarcha Constantinopolitanus persuasit. Qui dum simulat, neque enim ex animo agere poterat, nuper admodum summa perinde inscitia, & arrogantia, vnà cum Leone Acridano Bulgarorum Archiepiscopo, missis ad Ioannem Tranensem Episcopum literis Romanæ Ecclesiæ ritus sugillans; dum inquam cupidum se pacis, & cum eadem Ecclesia consensionis simulat, sub huiusmodi inuolucro acriora longè dissidia occultat, nunquam arrogantiæ fastusque minus immemor, vt ex dicendis ad annum sequentem aliqua ex parte constabit. D

CONSTANTINVS MONOMACHVS CONCORDIAM CVM ECCLESIA ROMANA PETIT.

E

IESV.

A

IESV CHRISTI ANNVS 1054.	LEONIS PAP. IX. ANNVS 6.	HENRICI III. IMP. 8. CONSTAN.MON.IMP.12. ANDREÆ REG.HVNG.8.	Indict. 7.

ANdrea Rege, & Bela modo, quo diximus conciliatis, nihilominus gratia vtriusque dubia fuit, nec fides integra, metu eius, ne dicam odio, B quem semel læseris. Eâ res, & Andream aduertebat, cautè se fratri crederet; & Belam abiecti animi pudor stimulabat, timore nimirum cessisse Regnum, qui forti aliquando dextera, & regiam coniugem, & dotalem Pomeraniæ Ducatum obtinuisset. Nec deerant vtrinque male feriati consultores, qui suspicaces animos vltro suggestionibus irritarent, eòque Belam adducerent, vt fuga in Poloniam periculum anteuerteret; futurum rati, vt & Rex Andreas hunc receptum interpretatus animum suum explicaret; & ipse Bela, si quid vltro pro Regno Hungariæ tentandum foret, præsidio, & auxilio Regis Poloniæ facilè assequeretur. BELA IN POLONIAM FVGIT.

C Ad Miesconem, siue Miecislaum socerum, cum vniuersa familia abijsse Belam, scribit Bonfinius. At hoc tempore non Miecislaus, sed Casimirus ille ex Monacho Rex, de quo superiùs plura diximus, Poloniam obtinebat. Ad hunc verosimilius est Belam effugisse, & cognationis iure apud eum procurasse, vt spectata etiam sororis, & natorum dignitate, ad extorquendum Andreæ, & Salomoni Regnum Hungariæ, copias sufficeret, maius operæ pretium facturus, quàm cùm nuper Henrico Cæsari ad eundem deijciendum auxilia misisset. Addidit præterea, si euenta respondissent, coalita Hungarorum cum Polonis societate, vtriusque Regni fines longiùs & latiùs, quàm hactenus spectentur, nationibus subactis proferendos. Acres stimuli, sed qui seriùs Boleslaum D Secundum, Regem excitabunt; Casimirus enim, etsi cognatus, Henrico tamen Cæsari addictus, & iusti tenacior, quàm vt ad aliena inuadenda prauum animum adijciat, Belæ quidem, & suis receptum tutum spondet; bellum haud illaturus, ne prorsus abnuere videatur, melioris concordiæ tractatione differt. Dec. 2. lib. 2.

Interea nec Andreas Rex incautus, quia ad perniciem Salomonis pueri dolum à Bela quæri intelligit, bellum ipse gesturus, si res poscat, quò filium aleæ eximat, eum vnà cum sponsa ad Henricum Imperatorem socerum ablegat, E eiusque tutelæ, si quid se aduersum fiat, Regnum Regemque puerum commendat. Exceptum dignè, vt generum decebat, Henricus, vnà cum filio mox etiam diademate ornando, splendidè nutriuit, auctamque non vna maiestate Aulam Cæsar, plurium Regum clientela augustiorem effecit. ANDREAS SALOMONEM FILIVM, ET EIVS SPONSAM AD HENRICVM IMP. ABLEGAT

Quæ dum hic geruntur, Leo Papa Beneuenti libera custodia rerum Ecclesiæ satagit. Relaxari ab ijs noluisse, *nisi suis omnibus relaxatis*, scribit Sigebertus; quod eidem obsequentes præstitere Nortmanni, perinde in omnibus ac victori morem gerentes. Quibus tamen dimissis, ipse nonnisi post nouem menses in Vrbem redijt. Certè Nortmanni alioqui hostes implacabiles, & passim in Gallia, Anglia, demum in Italia victores, adeo in Pontifice victo NORTMANNORVM REVERENTIA ERGA LEONEM PONTIFICEM LICET AB EISDEM DETENTVM. Ad ann. 1056.

culminis Apostolici dignitatem reueriti sunt, vt quemadmodum Pontifex ipse in literis ad Constantinum Monomachum Imperatorem datis innuit, *vicisse Pontificem ipsos pœnituerit*. Quin etiam admirari libet modestiam alioqui gentis indomitæ, nihil à Pontifice capto, vel prouidentia futurorum extorsisse, aut vllis pactis in rem suam adduxisse: quod factitasse non semel legimus quosdam, afflictis nimirum Pontificum rebus abusos fuisse ad iura infringenda, nunquam deinde satis flagellatis, quibus eo flagitio conuenisset. A

LEGATIO LEONIS NONI AD CONSTANTINUM MONOMACHUM

Quare Leonem Pontificem, omni fide, & pacto liberum Beneuenti egisse, argumento est, Legatio ad Constantinum Monomachum Imperatorem hoc tempore adornata, tum pro bello aduersus Nortmannos conficiendo, tum pro Ecclesiæ pace inter Latinos, & Græcos concilianda. Magni Pontifex animi, qui gladium vtrumque stringens, perinde bellum, & pacem complexus, Ecclesiam sanctissimè gubernabat, ingens exemplum posteris relicturus, nisi mors intercessisset. Scilicet vno eodemque tempore ita bellum tractabat, quasi cetera negligeret, ita rursum ordinandæ in Ecclesia sanctitati intendebat, vt prætera nihil agere videretur, vtrobique tamen re, & animo præsens esset, nunquam alterutra parte destitutus, siue sanctitate in bello, siue fortitudine in Religione constituenda. Id ex epistola ad Constantinum Imperatorem data sat luculente apparet; vbi inter alia. B

Gloriosi Ducis, inquit, *& Magistri Argyroi fidelissimi tui colloquium, & consilium expetendum censui, non vt cuiusquam Nortmannorum, seu aliquorum hominum interitum optarem, sed vt saltem humano terrore resipiscerent, qui diuina indicia minime formidant. Interea nobis eorum pertinaciam salutari admonitione frangere tentantibus, & illis ex aduerso omnem subiectionem ficte pollicentibus, repentino impetu Comitatum nostrum aggrediuntur, sed adhuc de victoria sua potius tristantur, quàm lætentur. Sicut enim tua pietas scribere curauit ad nostram consolationem, pro ista sua præsumptione maiorem in proximo expectant sibi superuenturam indignationem post illam, quam experti sunt cateruæ diminutionem. Nos quoque diuinum adiutorium nobis affore, & humanum non defore credentes, ab hac nostra intentione liberandæ Christianitatis non deficiemus, nec dabimus requiem temporibus nostris, nisi cum requie sanctæ Ecclesiæ periclitantis. Ad quam acquirendam, & obtinendam, habemus maximum ex diuina pietate solatium, & præsidium, charissimum atque clarissimum Filium nostrum Imperatorem Henricum, cuius de die in diem expectamus promissum, & proximum aduentum, vtpote cum procinctu, & expeditione Imperiali properantis ad nostrum subsidium; ad quod etiam superna gratia tuam Serenitatem animauit: vt hinc inde vobis duobus, veluti totidem brachijs, inimicam gentem ab Ecclesia Christi propellentibus, & procul effugantibus, afflictæ nunc Christianitatis releuetur decus, & Reipublicæ reformetur status.* Hæc Leo Pontifex, & talis eius in bello gerendo animus. C D E

Sed longe plura ac maiora sunt, quæ in stabilienda Ecclesiæ Romanæ contra inuasores tranquillitate, in confirmandis Religionis dogmatibus, in Græcis erudiendis confutandisque, in hæresibus conuellendis, in Romanæ Ecclesiæ authoritate contra Michaelem Cerularium Patriarcham Constantinopolitanum tuenda, eodem tempore, per Legatos suos egit, Fridericum nempe Cancellarium suum, quem Sigebertus, *septimum Leuitam* vocat, alij *Archidiaconum Cardinalem*, Humbertum item Cardinalem, Episcopum Siluæ candidæ,

Leo Ost. lib. 2. cap. 89.

& Pe-

A & Petrum Archiepiſcopum Amalphitanum. Et vt mittamus frequentes Synodos, quas diuerſis de cauſis pro ſanctitate formanda coëgit; mirum eſt, quàm ſyncere duorum inter ſe Imperatorum concordiam procurarit, vt eorum auxilio Romana Eccleſia recreata, & refloreſcens, *priuilegijs ſua dignitatis, & reuerentia, necnon patrimonijs recuperatis* frueretur. Non ab re fuerit, huius quoque argumenti ſenſum ex verbo eiuſdem Leonis edere.

LEONIS IX. STVDIVM IN PROCVRANDA CONCORDIA INTER DVOS IMPERATORES, ORIENTALEM, ET OCCIDENTALEM.

Et quia, inquit, *abundante iniquitate, & refrigeſcente charitate, ſancta Romana Eccleſia, & Apoſtolica Sedes nimium diu obſeſſa fuit mercenarijs, & non paſtoribus, à quibus ſua, & non quæ ſunt IESV CHRISTI quærentibus, deuaB ſtata iacebat miſerabiliter hactenus: diuinum conſilium voluit, meam humilitatem ſuſcipere tanta Cathedra pondus; quo licet plurimum mei imbecilles prægrauentur, & deprimantur humeri, non parum mihi ſubeſt ſancta ſpei; quandoquidem ex vtroque latere tales adſtant filij, religione, & potentia præclariſſimi. Quapropter Deuotiſſime Fili, & Sereniſsime Imperator, collaborare nobis dignare ad releuationem tuæ matris ſancta Eccleſia, & priuilegia dignitatis, atque reuerentię eius, necnon patrimonia recuperanda in tuę ditionis partibus, ſicut manifeſte cognoſcere poteris ex venerabilium Prædeceſſorum noſtrorum, ſeu tuorum ſcriptis, & geſtis. Tu ergo magnus Succeſſor Magni Conſtantini, ſanguine, nomine, & Imperio factus, vt fias etiam imitator deC uotionis eius erga Apoſtolicam Sedem, exhortamur: & quæ ille mirabilis Vir poſt Chriſtum eidem Sedi contulit, confirmauit, atque defendit; tu iuxta tui nominis etymologiam conſtanter adiuua recuperare, retinere, & defendere. Ita enim apud Deum ſingulariter pugnans cognominaberis* Monomachus, *quod iam dudum inter homines cognominaris. Hoc ſaneglorioſiſsimus filius noſter Henricus perficere molitur in ſuis partibus. Quæ omnia nobis, & vobis prouenient feliciùs, & multipliciùs, vbi quantocyus, Dei gratia præueniente, & beatiſsimis Apoſtolorum Principibus interuenientibus, & me qualicunque Vicario eorum mediante, & obtinente, firmiſsimum pacis, & amicitiæ inter vos ambos componetur fœdus.* Hæc Leo: qui ſemper ChriſtiaD norum Principum concordiam Eccleſiæ Religioniſque ſanitatem eſſe exiſtimauit.

Satis viſum Leoni, ſi duos Imperatores conciliaret, ad exemplum reliquorum Principum, quos non dubitabat ſecuturos, ſi e re ſua fuiſſet. Andreas Rex totus Henrico Cæſari addictus, Italicam tamen expeditionem detrectauit, ne quid interim Bela turbarum Ciuilium moueret, vel ſi Polonica ſigna in Hungariam non intuliſſet. Huius quippe diſceſſum plurium vota Procerum ſequi cùm rumore accepiſſet, ſuſpicione vel ad fidiſsimos ſuos deerrabat, e viciſsitudine rerum, argumentum mutuatus. Henrico Regi Galliarum pax ſui ReE gni antiquior fuit; ſæpius quippe agitatus à Nortmannis, libenter eos paſſus eſt abire ad nouam experiendam fortunam. Quos e Gallia cum nobiliſsimis Francorum emigrantes, Italia excepit, eiuſque longitudinem varijs caſibus emenſos, tandem Apulia continuit, ibique bella illa conſecuta, quæ Romanos Pontifices, ſed Leonem præcipue inuoluerunt.

Manſit porro *Leo Papa Beneuenti*, vt ait Leo Oſtienſis, *vſque ad menſis Martij duodecimum diem, ibique infirmatus, vocato Comite Hunfrido, ab eo Capuam vſque deductus eſt. Ibi duodecim dies remoratus, accerſito tandem Abbate noſtro,* (Richerius is fuit Caſinenſis Abbas) *ſui itineris ſocio, Romam redijt, ibique poſt paucos dies ſancto fine quieuit. Ad cuius tumulum plurima tunc temporis ſigna*

Lib. 2 cap. 88. LEO IX. ROMAM REDIT, IBIQVE PAVLO POST MORITVR.

Christus effecit. Hæc Leo. Eadem Hermannus paulo explicatiùs: *Paschali instante tempore Romam ægrotus reuersus, inualescente in dies languore, glorioso exitu, cunctis priùs benedicens, & admonitis valedicens, sanctoque Petro peccata sua confessus, & deuotè sic se illi commendans, xiij. Kal. Maij obit* (hoc est decimanona Aprilis, feria tertia) *& in Basilica sancti Petri, iuxta sepulchrum sancti Papæ Gregorij sepultus, miraculis claruisse memoratur*. Ita Hermannus. Tenuit Pontificatum annos quinque, menses duos, & dies octo. In Sanctorum numerum adscriptus, *virtutum, & miraculorum laude insignis* memoratur ad diem Aprilis decimum nonum. Ad eius sepulturam in antiqua Basilica Constantiniana, tale distichon legebatur A

Mart. Rom. B

VICTRIX ROMA DOLET NONO VIDVATA LEONE,
EX MVLTIS TALEM VIX HABITVRA PATREM.

EIVS CORPORIS TRANSLATIO SVB PAVLO V. — Ann. 1604.

Ea temporibus Pauli Quinti demolita, cùm multa Sanctorum corpora in nouum Templum transferrentur, huius quoque sancti Pontificis Reliquiæ, solenni Cleri, & omnium Ordinum pompa, cui & nos inter alios curiosi spectatores adfuimus, translatæ sunt. Nihil prætermisere studij Alumni Collegij Germanici, & Hungarici, præeunte supplicem libellum apud Summum Pontificem, P. Bernardino Castorio Societatis IESV, eiusdem Collegij Rectore, quo sacrum corpus, suæ Nationis Pontificis, ad se transferrent, anniuersariam memoriam magno apparatu in perpetuum celebraturi. Sed non est Summo Pontifici visum, amouere tanti Pontificis Corpus eo loco, de quo in paucis non religiose minus, quàm liberaliter meritus est. Nam vt Leo Ostiensis affirmat, *Hic sanctus Pontifex inter innumera sua bonitatis insignia, quamdiu Romæ moratus est, omni tempore tribus per hebdomadam diebus à Lateranensi Ecclesia, vsque ad sanctum Petrum priuato habitu, nudisque pedibus, cum duobus aut tribus Clericis noctu psallendo, & orando pergebat. Qui præterea in eiusdem Ecclesiæ emolumentum*, inquit Baronius, *concessit, vt decima pars oblationum cederet eiusdem Principis Apostolorum Basilicæ vtilitati: cùm illas in suum vsum Prædecessores à multo tempore conuertere consueuissent*. Id vt in perpetuum seruaretur, constituit instrumento decreto, quod ex Archiuio Basilicæ Vaticanæ, idem Baronius describit. Nec dubium, quin valetudine tentari cœpta, idcirco Beneuento Romam deferri optauerit, vt mortem imminentem in Vrbe cominus exciperet, & ad pedes Principis Apostolorum, cuius se Vicarium eximia humilitate vocare solebat, oppeteret. C D

Lib. 2. cap. 88. — LEONIS DEVOTIO ERGA BASILICAM VATICANAM. — Ad hunc ann.

Ceterùm Hunfridi Comitis Nortmanni, qui nuper hostis, & victor, in reducendo Leone Pontifice, *obsequentissimus*, vt Ostiensis loquitur, *Dei virtute famulus fuit*, meritum Deus copiose remunerauit, quando eo Duce Nortmanni nomen sibi ingens virtute felicitateque peperere, noua semper manu affluente. Sed omnium decus Roberti cognomine Guiscardi, eiusdem gentis, virtus felicitasque anteiuit, cui & Nicolaus Secundus postea occupatam Apuliam tradidit, & Gregorius Septimus eidem confirmauit. Is certe cùm longe lateque Imperium suum terra marique propagasset, Apuliæ Calabriæque Ducatum retinuit, fratrique Rogerio Siciliæ Comitatum dedit. Horum verò soboles non Ducum modò ab illis relicta Insignia, nomenque ac opes tutata est, sed ad Regium titulum fastigiumque peruenit. E

ROBERTI GVISCARDI RES GESTÆ.

Inter

A Inter hæc Legati Apoſtolici apud Conſtantinum Imperatorem perſuncti, & ab eodem magnis muneribus Beato Petro ferendis inſtructi, dum Italiæ adnauigant, de obitu Leonis Papæ nuncium haud lætum accipiunt, & littore capto reliquum itineris terra feſtinant. Id odoratus Theatinus Comes Traſimundus, in ſuo ſolo tranſeuntes intercipit, omnibuſque ſpoliat. Neque tamen hac ratione inuidiam effugere potuerunt, quin ab ipſo Imperatore Henrico in ſuſpicionem vocarentur, præſertim Fridericus Cancellarius, odio Ducis Godefridi fratris, qui rurſum rebellans, & Italiam latenter petens, ducta vxore Bonifacij quondam Marchionis vidua, Regnum affectare videbatur, quaſi ex B pecunijs allatis magnam ad res ſuas acceſſionem habiturus eſſet. Verùm enim Fridericus fortunam an calumniam pia arte fallens, à Richerio Caſinenſe Abbate, qui tum ab Imperatore in Vrbem reuerſus fuerat, clam adito, habitum monaſticum petijt, & abiecta, qua vtebatur pretioſiſsima veſte, coram Nuncijs Imperatoris ad Principes Italiæ miſsis induit, id de ſe Imperatori vt renuncient iubens. Ita videlicet vir ſagaciſsimus, & humana conſilia eluſit, & ob caducorum contemptum non multo poſtea centuplum retulit, Monaſterij primum Abbas, deinde etiam Romanus Pontifex Stephanus Decimus miraculis clarus futurus. FRIDERICVS A LOTHARINGVS FIT MONACHVS CASINENSIS.

C Hoc eodem anno menſe Decembri obijt Conſtantinus Monomachus Imperator. Vario ac diuturno morbo ab ipſo ſtatim ſceptro vexari cœpit, ad quem cùm vellicatio demum lateris ex anhelitu acceſsiſſet, Proceres ſpe diuturnioris vitæ contracta, vt de ſucceſſore deliberaret aduertentes, vnà monuerunt, Proteuontem, qui tum Bulgariam regebat, nec alium eſſe aptiorem Imperio. Miſſus igitur qui eum clam Theodora Auguſta accerſeret, callidam tamen ſeminam haud feſellit, quæ arcano certis indicijs deprehenſo, Conſtantino moribundo inter manus adſtantium relicto, ipſa cum fidis ſuorum nauem conſcendit, & ad magnam Regiam appellit, ibique à Prætorianis militibus, D & à lectis Senatoribus Imperatrix iure velut hereditario acclamatur. Ea res Monomacho dolorem auxit, nec niſi momentum temporis conceſſit, quo dolorem, & triſtitiam ſuſpirando teſtatus expiraret. CONSTANTINVS MONOMACHVS OBIT THEODORA AVGVSTA ACCLAMATVR IMPERATRIX

Plura huius Imperatoris vitia texit, Monaſterium, in quo, vt habet Curopalata, conſtruxit *hoſpitia ad alendos ſenes, hoſpites, & mendicos. Quod etiam*, inquit, *præſtitis erga magnum Dei Templum, non eſt debita laude fraudandum; ſiquidem vſque ad illius tempeſtatem, inſignibus tantum diebus feſtis in ipſo, itemque ſabbatis, & Dominicis diebus incruentum Deo ſacrificium peragebatur: reliquis verò diebus nequaquam. Id autem nulla alia de cauſa fiebat, niſi ob redituum inopiam, quos* E *ille opiparè conſtituens, & abundè, vt quotidie ſacra celebrarentur, auctor fuit; idque etiam nunc obſeruatur; & ſacro huic cultui vaſa dedicata, in hoc Templo propoſuit ex auro, & pretioſis margaritis, lapilliſque contecta, reliqua magnitudine, pulchritudine, & precio longe ſuperantia, reliquiſque alijs muneribus ipſum haud paucis illuſtrauit.* Hæc Curopalata. Quibus addi poſſunt & munera, vt Leo Oſtienſis teſtatur, *Beato Petro per Legatos haud parua tranſmiſſa, & binæ auri libræ Monaſterio Caſinenſi ex redditibus Regijs ſingulis annis inſtituta.* CONSTANTINI MONOMACHI VIRTVTES, ET VITIA FERE IN ÆQVILIBRIO. Lib. 2. cap. 89.

Socordiam, & ignauiam, qua minus cautus, Orientis Imperium Turcis occupandum obiecit, Monomachus compenſat nonnihil, ſtudioſe procurata Græcorum cum Latinis concordia, & cum Fide orthodoxa, præcipua erga Ro-

manum Pontificem cum submissione obseruantia, constansque amicitia. Ita A enim existimabat, percusso cum Francis, hoc est, Latinis, Pontifice nauante, fœdere, quemadmodum cum Leone conuenerat, futurum, vt pulsis ex Asia Turcis, mutua sanctitate religio Christi vbique efflorescerct. Quæ tamen Christianorum in eum finem concordia, Leone, & Monomacho desideratis, sero tandem horum instituto, in successoribus coaluit, duratura felicitate, si peccata non intercessissent. Cetera Monomachi bona, non parum etiam obfuscauit, commune fere Principum vitium, quod est, non pati monitorem. Erat penes ipsum Lichudes vir, & genere, & facundia, & scientia regendæ Reipublicæ præstans; qui, si quid interdum minus æquum iussisset Impera- B tor, non illico in voluntatem eius propendebat, sed libera contumacia refragabatur, immo & deterrebat. Quod obliquè ferens Imperator, vt aduersatore careret, munus ereptum homini in Ioannem Logothetam transfert: *Is erat castratus homuncio, obscuro, & ignobilissimo genere ortus, & ad res gerendas ineptissimus, Grammaticæ artis adeo peritus, vt in affectatione Atticismi, neque rectè loqui, neque citra errorem scribere nosset*; ad nutum duntaxat Principis gnarus modò negare, modò affirmare, & persæpe eodem pene momento in ijsdem rebus haud variatis, sibi contradicere, & solo placendi studio probare, improbare. Similis fuit promotio ad Patriarchatum Michaelis Cerularij, *Neophyti*, C & vt loquitur Leo Papa, *non gradatim prosilientis ad Episcopale fastigium*; hominis adeo superbi, & arrogantis, vt contra Latinos insurgens, *Vniuersalis Patriarchæ* titulo sibi vsurpato, Romanam Ecclesiam, Romanumque Pontificem erroris arguere, & desipiens ipse docere præsumeret, Sus Mineruam.

Zonar. tom 3 in Monom.

Epist. 6. ad Mich. Patr.

Indict. 8.	IESV CHRISTI ANNVS 1055.	VICTORIS PAP. II. ANNVS 1.	HENRICI III. IMP. 9. THEODORÆ PORPH. IMP. 1. ANDREÆ REG. HVNG. 9.

D

MOrtuo Leone Pontifice, Sedes Apostolica, annum fere vacauit, Henrico Cæsare pluribus in Germania distento; inter quæ, cura successoris instituendi non postremum vendicauit locum. Quare conuentu Aquis habito, Henricum puerum quinquennem magno apparatu in Regnum sublimat, præsente Agnete Augusta, & Salomone genero Rege cum sponsa perinde pueris, & frequenti Procerum Hungarorum, aliarumque nationum corona. Adsuit & Gebehardus Aichstetensis Episcopus, de quo iam sæpe, vir alioqui E singulari prudentia, gerendarumque rerum peritissimus, si aliquando apud Leonem non offendisset. Hic Cæsari Henrico à consilijs, ipse omnia velut manu gerebat, meritisque suis gradum sibi ad Summum Pontificatum fecit. Quare pro more illorum temporum à Cæsare nominatus, Romamque missus, hic consensu Cleri consecratus est, & Victor Secundus appellatus. Imperatorem cum eodem venisse tradit Leo Ostiensis: Verùm eo præmisso, & iam in Vrbe inaugurato, paulo serius accessisse Hermannus affirmat, quando is in die Cœnæ Domini decimotertio Aprilis Pontificatum ritè indeptus, Henricum Mantuæ solemnia Paschæ egisse audiuit, eidemque deinde Florentiæ occur-

HENRICVS PVER HENRICI IMP. FILIVS REX CREATVR.

Leo Ost. lib. 2 cap. 85.

VICTOR II. PONTIFEX SVCCEDIT LEONI IX.

Lib. 2. cap. 90.

Ad ann. 1055.

A occurrit, & hic coram eo Generali Synodo habita multa correxit.

Cur vero post Leonis obitum, vnius anni inducijs, nihil de more tentarit Benedictus toties deiectus, existimant plerique huius interuallo temporis finem viuendi fecisse infelici exitu, si Petro Damiani quæ fides, Humbertum Episcopum Siluæcandidæ nuper Legatione Constantinopolitana perfunctum, attestanti. Narrat is Vaclum quendam equo iter agentem, cùm prope molendinum quoddam peruenisset, conspexisse repente monstrum immane, aures, caudaque Asinum, cetera Vrsum, eoque viso perterritum, cùm calcaribus equum in fugam vrgeret, audiuisse humana voce flebiliter appellare: *Noli,* B *inquiens, o vir expauescere: hominem me olim fuisse, sicut & ipse nunc es, procul-dubio crede: sed quia bestialiter vixi, post finem vitæ, bestiæ praeferre speciem merui.* Illo autem perquirente, quis fuisset? *Ego,* ait, *solo nomine Benedictus fui, qui nuper Apostolicæ Sedis apicem indignus obtinui.* Vlteriùs verò, quæ sententia maneret? *Nunc,* inquit, *vsque ad diem Iudicij per dumosa, atque squalentia, per sulphurea loca, atque fætorem exhalantia, atque incendijs conflagrata rapior, atque pertrahor. Post extremum verò Iudicium corpus meum simul, & animam irremediabilis cruciatus, & gehennalis barathri me irreuocabilis olla deglutiet, ita vt nulla mihi recuperationis spes in posterum restet. Quibus dictis disparuit.* Hæc Petrus C Damiani, qui super eadem visione philosophatus, vario singula mysterio interpretatur. Sed hæc pro re nostra satis de eo, quem Baronius *Pseudo-Papam* appellat: tametsi enim aliquando vt legitimus Ecclesiæ Pastor sit agnitus, quia tamen Apostolica Sede semel se abdicans, iterum atque iterum eandem illegitime inuasit, eoque finem actionum suarum dehonestauit, iure id nominis illi conuenire putat. Hinc porro licet condiscere illud Sapientis: *Potentes potenter tormenta patientur, & fortioribus fortior instat cruciatio*; longeque decipi mortales, qui amplitudine dignitatum, non meritis metiuntur felicitatem, & Deum non ponentes adiutorem suum, sed sperantes in multitudine diuitia- D rum suarum, præualent in vanitate sua.

BENEDICTI IX INFELIX EXITVS.
Epist. ad Fratres Erem.
Sap. 6.
Psalm. 51.

Mirum sane est, Victorem vix Pontificatu inauguratum tot vno anno celebrasse Concilia: Florentiæ primum, cui & Imperator interfuit; in quo inter alia ad Ecclesiasticam disciplinam spectantia, quicquid præcessor eius Leo statuit, præsertim in damnatione hæresis Berengarij, confirmauit. Deinde Lugduni in Gallia, cui Legati nomine præfuit Hildebrandus Cardinalis adhuc Subdiaconus, & sex Episcopos, de Simoniaca labe conuictos deposuit. Vbi inter alia illud notatu dignum referunt Nicolaus Cardinalis Aragonius, Desiderius Abbas, & Presbyter Cardinalis S. Cæciliæ, Petrus Damiani, denique Vvilelmus E Malmesburiensis, Episcopum quendam, (Aragonius Archiepiscopum vocat) cùm Simoniæ postulatus esset, postridie iudicio sistendus, ea nocte accusatores, & testes omnes pecunia corrupisse; mane vero in Synodo præfidenter in medium se inserentem quæsiuisse: *Vbi sunt qui me accusant? prodeant, & damnent, si iure agunt.* Cunctis verò tacentibus, qui pridie clamosiores, in ius ambulare cogebant; Hildebrandum, quod erat conijcientem, & ad illum conuersum, petiuisse: *Credisnè o Episcope, Spiritum sanctum cum Patre, & Filio vnam esse substantiam Deitatis?* quo respondente, *Credo*; addidisse, *Dic, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.* Illo tentante dicere, Patrem, & Filium expedite quidem protulisse, sed Spiritum sanctum enunciare ceu lingua ligata nequa-

CONCILIVM FLORENTINVM ET LVGDVNENSE SVB VICTORE II.
EPISCOPI SIMONIACI MIRVS CASVS.
De reb. gest. Pont.
In lib. Dial.
In ep. ad Dominicum, & frat. Erem.
Item ep. ad Nicol. Pap.
Lib. 3. de gest. Angl.

quam

quam valuisse, nec semel integrare conatum, toties obmutuisse, quoad diuino iudicio perculsus, & ad pedes Hildebrandi se abijciens, ore suo crimen confessus esset, & tunc Sacerdotis, & Episcopi munere absolutum libera, & clara voce decantasse. *Quod factum*, inquit Aragonius, *Simoniacos in tantum perterruit, quòd præter alios Prælatos Ecclesiarum viginti septem, Episcopi quadraginta quinque Simoniacos se esse confessi sint, & suis honoribus absque vlla alia accusatione renunciauerunt.* A

BERENGARIVS IN CONCILIO TVRONENSI ERROREM SVVM ABIVRAT. *Contra Bereng.* *Lib. 3. de Sacr.*

Tertium Concilium habuit Turonis, eodem Hildebrando Præside, in quo Berengarius data optione defendendi partem suam, vt narrat Lanfrancus, cùm suscipere non auderet, confessus coram omnibus communem Ecclesiæ Fidem, iurauit se ex illa hora ita crediturum, quemadmodum in Concilio Romano, sub Leone iurauerat, & vt loquitur Guitmundus Auersanus, *conuictus propria manus Sacramento satisfecit*. Adfuere in hoc eodem Concilio Legati Henrici Imperatoris, petentes Ferdinandum Magnum Castellæ, & Legionis Regem, excommunicatione percelli, & Hispaniam eidem subiectam interdicto subijci, nisi nomen Imperatoris contra iura moremque Maiorum sibi arrogatum deponeret, Romanoque Imperatori pareret. Ea de causa decreta ad eundem Ferdinandum legatione, & indicto in Hispania Concilio, Henrici pars obtinuit. B

FERDINANDVS MAGNVS REX CASTELLÆ EXCOMMVNICATVR.

C

Incredibile dictu, quantum Henricus Imperator hoc anno in Italia perfecerit; super omnia vero Leonis Pontificis vestigijs insistens, si quo modo posset, Orbis Principibus sibi conciliatis, magna in animo versabat; eaque de causa misso Otthone Nouariensi Episcopo Constantinopolim, cum Theodora Augusta pactum Constantini Monomachi confirmat, vicissimque ab ea, sed anno sequenti, adiunctis Legatis, amicitiæ fœdera recipit; interim reditu in Germaniam parato, Victorem Pontificem anno sequenti secuturum, inuitat, eiusque percepta benedictione recedit.

Cùm porro Nortmanni bellum sibi à Victore, & Henrico imminere suspicarentur, nec ipsi feriati, in omnes occasiones intendunt, neque tamen lacessunt, ac potiùs declinant si possint, eo maximè cauti, quòd nuper quinquaginta plus minus ex Nortmannia clam traijcientes, suisque contra Imperatorem auxilium laturi, ad vnum omnes intercepti, & ad Imperatorem conducti, ceteris metum iniecerint. Ea belli in Italia opinione pax Francica extitit, qua læsus Henricus Rex, Ædem Lutetiæ suburbanam, Cœnobiumque Diuo Martino struxit, exemploque paterno, erga superos religione, mansuetudine aduersus subditos nobilis, Regnum tranquillum habuit. D

Nec minori cura Rex Andreas in Hungaria intendit, securus pacis, dum Casimirus in humanis agit; neque interea quicquam officij prætermittit, si quo Belam fratrem placatum in Regnum reuocet, vel à sinistro conatu abducat: quippe in eo versabatur Bela, vt Salomoni puero Regnum aliquando extorqueret, nullis vitæ structis insidijs, vbi frater decessisset, ipsa iam vi morbi ad extrema declinans. Quin verò Salomonis à Regno absentiam, occasionem suam ratus, si naturæ debitum Andreas persoluisset, longe proniores ad se vocandum arbitrabatur fore Proceres Hungarorum, quàm ad Salomonem admittendum, vt qui succo, & sanguine Germanorum à pueritia imbutus, haud facilè moribus, & ingenijs Hungarorum responsurus esset. Accedebat, E

BELA DE REGNO NEPOTI EXTORQVENDO COGITAT.

Coro-

A Coronam Regni penes hos seruatam plus istis de viro facere spei, quàm impositа infanti nuper iuris contulisset.

Inter hæc Victor Papa, discrimini vitæ diuinitùs eripitur. Sacris operanti Minister venenum in Calice miscet; quem post consecrationem sumpturus, leuare & ori admouere dum nequaquam potest, rei nouitate attonitus in orationem cum populo se dat, causam religiose explorans. Extemplo qui propinauit, (Lambertus *toxicatorem* vocat) à Dæmone corripitur, & sceleris reus palam arguitur. Quo comperto, *Dominus Papa*, inquit idem, *Calicem cum sanguine Dominico cuidam Altari iussit includi, & pro reliquijs in perpetuum conseruari.* VICTOR II DIVINITVS ERIPITVR VITÆ PERICVLO.

B *Deinde iterum cum populo tamdiu ad orationem prosternitur, quousque Subdiaconus à Dæmone liberaretur.* Hæc Lambertus, necnon Abbas Vrspergensis, & alij secundùm istos. Tanti sceleris suspicio deerrare potuit ad sectatores partium Benedicti iam defuncti, aut qui in huius ambitionem successissent. Benno Schismaticus, Gerardum quendam Braxutum, sex Romanos Pontifices, primùmque Clementem Secundum, & quinque post ordine sequentes veneno extinxisse tradit: sed cui pluries mentito, vel si vera dicat, vix credas: cùm præsertim in sugillationem Hildebrandi Cardinalis tunc in Gallica legatione absentis, crimen detorqueat; etsi fortasse cogitanti obrepat admiratio, cur *In vita Henr. IV.*

C seni in serie Pontifices, annos duodecim haud æquarint.

Interim Henrico Cæsare Germaniæ reddito, adfuit Anno, Coloniensis Archiepiscopus paulo ante renunciatus, causæ maleuolorum fraude afflictæ patrocinaturus: sed cùm Cæsarem auersum offendisset, diuinitus permotus: *Rex,* inquit, *excellentissime, quicquid tandem simultatis, & discordiæ vel odij vertitur inter nos, hoc anno Cælestis intuitu Regis sopiatur; quid enim proximus ferat annus, quidue nos maneat, clam nobis est.* Quo dicto, Imperatori suprema instare significans, ipsum ad seipsum reuocare, & vt rebus suis coram Deo disponeret, visus est aduertere. ANNO COLONIENSIS ARCHIEPISCOPVS HENRICO IMP. MORTEM PRÆDICIT. *Sur. ad 4. Dec.*

D

IESV CHRISTI ANNVS	VICTORIS PAP. II. ANNVS	
1056.	2.	HENRICI III. IMP. 10. THEOD. PORPHYR. IMP. 2. ANDREÆ REG. HVNG. 10. *Indict. 9.*

Andreas Rex audito Cæsaris ex Italia reditu, proficisci ad eum, si commodè possit, constituit, ad id maximè animatus, certo de aduentu Vi-

E ctoris Pontificis in Germaniam nuntio, quòd Henricus Imperator eum ad Autumnum inuitasset. Non enim ab re erat, vtroque conuento de rerum summa tractare, & quæ ad Orbis Christiani pacem, & tranquillitatem spectare viderentur, in medium consulere. Multi tamen dissuadebant, metu præcipuè rerum nouandarum, ab ijs, qui Belæ occultè studebant, & singula momenta obseruantes, eum intentum reddebant. Sed neque consultum videbatur, absente patre, & filio, Regnum cuicumque Procerum vni commendare, quem pares non facilè tulissent; plurium verò administrationem perturbationi obnoxiam esse, audentibus multa populis absque capite, pronisque ad partium defectionem. Hæc tum in Hungaria.

Interim

PERVIGILIVM TRIVM DIERVM ANTE FESTVM S. PETRI AB ANDREA REGE INSTITVTVM IN HVNGARIA.

Interim quicquid legibus formandis, & Religioni ornandæ congruum videbatur, magno studio apud Antistites procurabat. In quo genere singulare est illud de trium dierum ante solennia Principis Apostolorum peruigilio, quod ipse consensu Episcoporum suorum vouit, & magna religione per totam Hungariam seruare voluit, peculiari erga Romanam Ecclesiam veneratione, quam Christi Vicarius administrando Orbi Christiano velut speculam elegisset. Huius memoriam sanctionis deinde Diuus Ladislaus Rex repetiuit, & laudata Regis patrui religione, sanctiorem esse iussit. A

Lib. 1. Decret. cap. 37.

VICTOR II. IN GERMANIAM PROFICISCITVR.

Iam verò appetente Autumno, Victor Papa in Germaniam veniens, splendido omnium Ordinum occursu excipitur, & deducitur. Nihil interea feriarum vbique Ecclesiarum, in disciplina, & religione formanda, vt vbique Romanus Pontifex adesse videretur. Nam vt paulo ante in Hungaria cum Rege suo Præsules peculiari decreto sanctitati amplificandæ studuerunt; ita mox in Hispania Concilio Compostellano sancitum, ne quis Episcopus, Presbyter, & quiuis Sacerdos non quotidie Missam celebraret: *Vtque Clerici tempore ieiunij, & Litaniarum, quoties publica delictorum expiatio indiceretur, cilicio induerentur*. In ipso verò in Germaniam ingressu, mense Septembri Tolosæ habita Synodo, de extirpanda funditus Simoniaca hæresi, & reparando secundùm priscorum scita Canonum Ecclesiæ statu, constanti authoritate decretum est; denique sub finem anni, quem exitus Imperatoris tristiorem reddiderat, coacto Coloniensi Concilio præsens ipse Romanus Pontifex, Regnum Henrico puero stabiliuit. B C

HENRICVS III. IMP. OBIT.

Itaque Victor Papa ab Henrico Imperatore inuitatus, præsensione quadam, nec sine peculiari Dei nutu, idcirco venisse visus est, vt suprema decedentis verba excipiens, ipse reliqua consilia disponeret. Obijt optimus Imperator anno ætatis trigesimonono, longiori vita dignus, quam in virentibus annis optima corporis habitudo promittere videbatur, nisi valentior animi ægritudo incessisset. *His temporibus*, inquit Marianus, *multi diuersarum Prouinciarum Principes perierunt: fames multas Prouincias afflixit: egestas & penuria vndique præualuit: multa mala tunc temporis facta sunt. Henricus Imperator his doloribus corde tenus compunctus infirmari cœpit*. Et Hermannus: *Henricus Imperator Domino Apostolico ad se tempore autumnali inuitato, cùm in Saxonia in Bothfeldino commoraretur, morbo ingrauescente infirmatus, obijt anno ætatis suæ trigesimonono, Regni verò decimooctauo, Imperij decimo, Indictione decima*, puta proximè inchoata, *die quinta Octobris in Sabbato*. D

Ad hunc annū.

THEODORÆ AVGVSTÆ MORS.

Paulo ante, hoc est, *Indictione nona ad finem declinante*, inquit Curopalatès, *Theodora Augusta cùm iam imperasset annum vnum, & menses nouem, intestinorum morbo laborans, ex hac vita eximitur, cùm paulo ante suasione Eunuchorum creasset Imperatorem Michaelem cognomento Straconicum, ætate senem, militia valde peritum, cui à pueritia assueuerat*. Sed ad Henricum reuertamur. E

Ad hunc annū.

GVNTHERI CANCELLARII MIRA VISIO.

Huius obitum hoc anno futurum, Anno Coloniensis, vt vidimus, obliquè comminatus erat. Ita mortalitatem Principum, quæ eiusdem animum suspendit, præuiderat Guntherus Cancellarius, de quo Lambertus: *Visionem*, inquit, *vidit memoria dignam: Dominum in solio maiestatis sedere, & eleuato in altum brachio districtum gladium magno nisu vibrare, & circumstantibus dicere: Reddam vltionem hostibus meis, & his qui oderunt me, retribuam. Quam visionem* proti-

A *protinus mortalitas Principum secuta est. Eaque expleta, vidit eodem rursus schemate Dominum residere, & remisso iam in vaginam gladio, & super genua sua reclinato, dicere circumstantibus: Ignis accensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima*. Hæc Lambertus. Veram autem fuisse visionem, euenta declararunt.

Non desunt, qui diuinam iustitiam sæuijsse in Henricum eo conijciunt, quòd electionem Romanorum Pontificum arrogasset: quòd Episcoporum iudicia sibi sumpsisset, detruso etiam in carcerem Gebehardo Ratisponensi, ceu maiestatis reo: quòd Beatricem illustrem Bonifacij viduam, Godefrido Co-
B mitis Flandriæ fratri se inconsulto nuptam, in Germaniam, captiuam perduxisset: quòd Trasimundo Comiti Theatino contra ius Gentium Legatos Apostolicæ Sedis sacrilege spolianti, iure regnandi fauisset: quòd denique aduersus Annonem Coloniensem nihil tale merentem, simultatem exercuisset. Hæc isti, sed meris coniecturis. Certe electionem Romanorum Pontificum ipse sibi non quæsiuit, sed oblatam rogatus à Cardinalibus, & Romano Clero, ad deprimendam inuasorum potentiã, & Schismaticorum dissensiones excindendas, accepit, semperque probatissimæ vitæ, & sanctitatis Pontifices obtulit consecrandos. Cetera dubias causas habent, & præsumptiones admittunt.

HENRICVS III. DE QVIBVS A NONNVLLIS REPREHENDATVR.

DEFENDITVR

C Quàm porro humilem in tanto culmine gesserit animum, vt reliqua de toto Orbe Christiano bene merita mittamus, vel vnicum illud exemplum à Reginardo in rebus ab Annone gestis enotatum luculente declarat. *Considerans*, inquit, *Henricus Imperator, nominis maiestatem longe suis præcellere meritis, nequaquam insignia regalia sibi præsumpsit imponere, nisi clam per confessionis ac pœnitentiæ verberum insuper satisfactionem, licentiam à quolibet Sacerdotum mereretur.* Subdit verò de eodem ab Annone vapulante: *Tempore quodam magna imminente festiuitate, cùm Pontifices, Duces, Comites, & cuiuscumque alius dignitatis, & ordinis viri, regiam vndique properarent ad curiam, cum & ipsum mos, & honor*
D *impositus trabeatum exigeret procedere, non insciens sanctitatis, & vitæ probatissimi inter Præsules Annonis, (vt suæ consuetudinis seruaret institutum) supplex & pœnitens cœpit adire. Mox sacer Antistes authoritate plenus, tali in negotio Imperialem paruipendens magnificentiam, sicut parcere solitus erat inopi, & pauperi, sic opportunitatem adeptus, misericors sine misericordia sanire cœpit in Principem. Nam vehementissimis eum inuadens correctionibus, quicquid animo pro iustitia concitato se obtulit, libere & constanter effabatur; illumque durissimis verberum plagis afflictum, non aliter ea die coronatum incedere consensit, quàm priùs manibus suis triginta tres argenti libras in pauperes expendisset.* Hæc Reginardus. O tempora! o mores!
E Et dubitabimus tanta humilitate non inflexos diuinæ pietatis oculos, vt quauis humanæ fragilitatis offensa obliterata, adeo religiosum facinus, vberiore gratia pensaretur? Da tales Principes, & non erit, quem noxæ gehennæ dedas.

EIVS LAVDES.

In vita S. Annon. cap 6. Sur. ad 4. Dec.

Quare iam morti propinquus, præsentem habens Victorem Papam, quicquid conscientiam premebat, coram eo religiosè admodum detexit; perceptaque salutari expiatione, filium deinde Henricum adhuc tenellæ ætatis, aut septennem circiter, aut ex Lamberto quinquennem, Romanæ Ecclesiæ, eidem Pontifici offerens commendauit, ac eius, ceterorumque Pontificum, & Principum electione, iterum Regem dixit. Tum *ab omnibus, quibus potuit*, inquit

Maria-

Marianus, *veniam petens, quibusdam prædia, quæ abstulit restituit: cunctis qui contra eum culpas damnabiles fecerunt, relaxans;* denique in manus Dei spiritum tradidit. Ac talis fuit pius Henrici obitus: cui non derogat, immo verò spem salutis certam apponit, quod in vetusto Cassinensis Monasterij Chronico prolixe narratur, de malorum dæmonum ad eius obitum accursu, qui cùm multis accusationibus eum sibi vendicarent, sancti Martyris tamen Laurentij intercessione, quem in vita propensè coluerat, profligati sunt. A

Quanti autem Ecclesia Romana fecerit Henricum, ex ijs liquet, quæ Petrus Damiani, in Disputatione Aduocati Regij cum Defensore Ecclesiæ Romanæ, multis narrat. Quòd enim Henrici ope diro schismati, de quo in loco egimus, finis impositus esset, legitimusque Pontifex Ecclesiæ Romanæ pace reddita constitutus; gratitudinis ergo priuilegium eidem de Romani Pontificis electione concessit; idem deinde Nicolaus Secundus, habita Romæ Synodo, etiam in filium Henricum Quartum edita constitutione propagauit. Quo tamen cùm Ministri Regij, (vt fit) non ad ædificationem Ecclesiæ, sed ad destructionem abuti vellent, mali consiliarij gratiam, & ius corruperunt. B

Dist. 23. cap. in Nomine.

C

Indict. 10.

IESV CHRISTI ANNVS 1057.	VICTORIS PAP. II. ANNVS 3.	MICHAELIS VI. IMP. 1. HENRICI IV. REG. GER. 1. ANDREÆ REG. HVNG. 11.

M. S.

ANdreas Rex audito Henrici Imperatoris obitu, plurimùm indoluit, & amici affinisque causa publicum luctum, & funebria ad Aras solemnia indixit. Tum datis ad Agneten Augustam, & filium Henricum Regem literis officij plenis, Salomonem filium commendauit, meliori tempore in patriam reuocandum. Vbi porro varijs sermonibus causas morbi Henrici, ex ægritudine animi, nec priùs affecto corpore intellexisset, suum ipse languorem secum retractans, toto conatu ad Deum se conuertit, intercessione Deiparæ Virginis Hungariæ Patronæ, peccatorum suorum veniam deprecatus. Vno se crimine præcipue teneri coram Episcopis fassus, quòd regnandi causa, ingens Religioni Christianæ detrimentum fieri permisisset; etsi deinde conclamata superstitione, sanctè cauisset: id si non satis sit expiationi, futurum se in eorum arbitrio, vt quod e salute sua foret constituerent, vltro testatus est. D E

Interea ex Diui Stephani instituto non cessauit, Templa, & Sacerdotum Collegia lustrare, donaria conferre, & si quid sarciendum, integrandumve esset, diligenter curare. In primis verò, quod Gerardus Martyr sanctissimus in cultu Dei Matris Virginis seruandum præscripsisset, ipse ante omnes priuatim, & publice, perquam religiose exequi, & si quid aliunde accepisset, quod ad augendum faceret, magno studio, vbique, sed in suo præsertim Insulæ Tyhoniæ Monasterio solenne vt esset, præcipere. Huiusmodi inter alia fuit, quod à suis Monachis, de recenti officij B. Virginis in Monasterio Gamugensi restitutione, magno cum religionis prouentu acceperat.

Nam

Petr. Dam. in epist. ad Frat. Erem.

OFFICII B. VIRGINIS RECITATIO IN MONASTERIO GAMAGENSI RESTITVITVR.

A Nam quòd in eodem Monasterio cum horis Canonicis Officium B. Virginis quotidie recitari à triennio iam cœpisset, non nemo Fratrum, habitu puta non moribus, nimiumque sapiens, damnata superstitiosa, vt dictabat, nouitate, satis esse, quòd ex instituto S. Patris Benedicti, suis horis deuotè psallerent, nec nouo inducto penso, & superuacaneis adinuentionibus veterem sanctitatem perturbarent, dicaci, & aculeata facundia ingerebat; tantumque profecit, vt Fratres paulatim tepescentes, vltro morem gererent. Tum verò, innumeris malis dictum Monasterium ita conflictari, vt segetibus non grandines modò calamitatem, sed prædones quoque, & grassatores stragem B prædijs inferrent, fruges omnes vel diripiendo, vel quæ auferre non poterant ignibus tradendo, & in medijs areis qui se opposuissent trucidando. Quo factum, vt intentato iam Monachis ipsis excidio, vix priuatim nedum publice, & solemniter, monasticæ professionis exercitia constare possent. Itum sæpius, nec paucis expensis ad Imperatorem, renouatæ toties pragmaticæ sanctiones; sed Imperatore longe posito, nullo fructu. Rogatus tandem Petrus Damiani, qui fortè loco præerat, vt si fieri posset, sequestrem pacis apud potentes prædones se interponeret. Ille occasione hinc accersita, *Christus*, inquit, *pax nostra, cui recens ex Virgine nato Angeli occinuerunt, Gloria in excelsis Deo, & in* C *terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Qui ergo Matrem Pacis abiecerunt, dignum est, eos pace non frui, *sed continuis calamitatum procellis turbinibusque agitari*. Quibus illi perculsi, & de neglecto cultu B. Virginis ingemiscentes, confestim humi se abijciunt, & pœnitentia ducti emendationem vouent, nullo in posterum die eiusdem laudes non religiosè persoluturi. Nec frustra, paucis quippe diebus elapsis, omnis illa tempestas desedit, & turbatoribus vltro pacem, & satisfactionem offerentibus, tranquillæ religionis serenitas reddita est.

Hæc à S. Benedicti Ordinis viris passim, sed in Hungaria præsertim, vbi D rursum florere occeperant, magna religione vulgabantur, ac Regem imprimis, deinde Proceres omnes, ac populos permouebant, ad Deiparæ Virginis cultum ex instituto Diui Gerardi magis deuotè, & studiose peragendum. Antiquiorem sanè hanc erga Deiparam apud Hungaros fuisse religionem, facilè quæ de Gerardi sanctitate alibi diximus suadebunt, cuius ingenium in adinueniendo ritu eiusdem piè colendæ, vix aliquis æquauerit: quamquam deinde, & Vrbani Secundi, & posteriùs Vrbani Quarti instituto peculiari, mos recitandi Officij præscripta forma ad omnes permanarit.

B. GERARDVS MARTYR IN CVLTV ERGA DEIPARAM INGENIOSISSIMVS.

Interim Victor Papa rebus in Germania constitutis in Italiam redit, & Ro- E mam peruenit initio Quadragesimæ. Hic Fridericus ille ex Cancellario, & Legato Leonis Noni Monachus Cassinensis, eo adito Trasimundum Comitem Theatinum, quòd Legatos Sedis Apostolicæ Constantinopoli redeuntes spoliasset, sacrilegij postulat; ac vt sacris interdicatur impetrat. Qui non multo post, absolutionis causa ad Vrbem veniens, & de restituendis, quæ abstulerat pactus, iniuncta salutari pœnitentia, aliaque multa irrogata relaxatus, discessit.

TRASIMVNDVS COMES THEATINVS SACRIS INTERDICTVS, TANDEM ABSOLVITVR.

Post Pascha Pontifex in Tusciam profectus Florentiæ consedit. Hic iterum Fridericus, de quo nunc dictum, Abbas Montis Casini electus, ad confirmationem obtinendam adest, nec solum postulata impetrat, sed vigesimaprima

Leo Ost. lib. 2. cap. 98. Et lib. 3. cap. 8.

Iunij Presbyter Cardinalis tituli sancti Chrysogoni renunciatus, commendante eum Humberto Cardinali, qui electioni alia de causa interfuit, in natiuitate demum sancti Ioannis Abbas consecratus est, & per mensem integrum, vsque ad festum Apollinaris Martyris, cum ipso Pontifice commoratus. A quo tandem accepta remeandi licentia, Romam vbi venisset, die vigesimaseptima Iulij, *Dominica*, postquã in Principis Apostolorum Basilica solenniter celebrasset, præclaro comitatu de more Cardinalium, ad Ædem Titularem, inde ad Pallariam vbi hospitabatur deductus est. Hìc cùm vsque ad feriam quintam comparandorum ornamentorum causa substitisset, & iam expeditis omnibus Vrbe egredi pararet, repente Bonifacius Albanensis Episcopus ex Tuscia veniens, Victorem Pontificem, vigesimaoctaua Iulij, feria secunda, viuere desijsse nunciat. A B

VICTOR II. MORITVR.

Hoc tam inopino nuncio consternatus Fridericus, & manere coactus, reliquum diei, & noctem integram, diemque insequentem, consilio noui Pontificis creandi adest, rogatusque sententiam, Cardinales Humbertum, & Hildebrandum, cum tribus alijs Velitrensi, Perusino, & Tusculano Episcopis proponit. Verùm, penes quos erat renuentibus, atque in ipsum Fridericum conspirantibus, *De me*, inquit, *non potestis agere nisi quod permiserit Deus, absque cuius nutu nec dare nec auferre quicquam potestis*. Ita illi ne expectato quidem Hildebrando, qui Florentiæ ad Iusta Victori persoluenda remanserant, consensu, & per vim summo mane è Pallaria eductum in Basilicam sancti Petri ad Vincula pertrahunt, & Summum Pontificem *die Sabbati* secunda Augusti, Stephano Papæ, & Martyri sacra (ideo Stephanum dictum) eligunt, & postridie ad sancti Petri in Vaticano, miro totius Vrbis plausu, & lætitia consecrant. Ita Fridericus, nondum quadriennio Monachus, metu Henrici Imperatoris factus, hoc anno, intra vnum propemodum mensem, & Abbas Cassinensis, & Cardinalis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac tandem Summus Pontifex renuntiatur. Mira Dei dispositione, qui occulto iudicio Hildebrandum tot virtutibus, & signis clarum, tam excellenter de vniuersa Ecclesia, à Pontificatu Benedicti Noni huc vsque meritum, nonnisi post nonum ab isto Pontificem, toties prçteritũ, eligi tandem suo pernecessarium tempore voluerit. C D

SVCCEDIT STEPHANVS X.

Statim verò initio Pontificatus, quatuor mensibus in Vrbe moratus plura Concilia celebrauit, quibus & Petrus Damiani magni nominis Vir interfuit, postea ab eodem Pontifice penitus ab eremo auulsus, & inter Cardinales, Episcopus Ostiensis inuitus, & reluctans cooptatus est.

PETRVS DAMIANI CREATVR CARDINALIS. Leo Ostiens. lib. 2 cap. 102.

Quod ad res Orientales spectat; hoc anno mense Septembri Michael Stratonicus Imperio se abdicans cedit Isacio Comneno; ad id secreto primum deinde manifeste operam dante Michaele Cerulario Patriarcha, qui cùm Legatos Metropolitas ad eum misisset, vt quamprimum Regia cederet persuaderent; interrogati isti ab Imperatore, ecquid præmij Patriarcha pro Imperio daturus esset? responderunt, *Regnum Cæleste*. Tum ille insignibus statim abiectis, purpura nimirum, & cocco tinctis calceamentis, priuata veste indutus decessit. Raro religiosi Principis exemplo, vt qui & priùs Tyranno qua satis restitit, & deinde cruori ciuium parcens, maiori cum laude concessit, nimirum spe Regni cælestis à Sacerdotibus facta, in vno facinore omnium virtutum merito clarus. E

Curopalates. MICHAEL STRATONICVS IMPERIO SE ABDICAT, PROPTER REGNVM CÆLESTE.

IESV.

IESV CHRISTI ANNVS 1058.	STEPHANI PAP. II. ANNVS 1.	ISACII COMN. IMP. 1. HENRICI IV. REG. GER. 1. *Indict.* 11. ANDREÆ REG. HVNG. 12.

LEGATIONES STEPHANI X. AD ECCLESIAM CONSTANTINOPOLITANAM. *Leo Ostien lib. 3 cap. 8.*

ET AD AGNETEM IMPERATRICEM. *Mutius de reb. Germ. lib. 15.*

STephanus Papa animo, quàm corpore valentior, pro Ecclesiæ Catholicæ tranquillo statu, multa aggreditur digna tanto Pontifice, si perficere licuisset. Decernit imprimis Legationem in Orientem ad Constantinopolitanam Ecclesiam, Romanæ vniendam. Delecti ad hanc obeundam Desiderius, Abbas Cassinensis designatus, cum Stephano Cardinali, & Mainardo postea sanctæ Ruffinæ, seu Syluæ candidæ Episcopo. Deinde alteram ad Agnetem Imperatricem, tutelæ quinquennis pueri Henrici causa; hunc enim moriens pater admonuerat, vt matris, mulieris prudentis, timentisque Deum, vteretur consilijs, in arduis quibusque rebus, summaque reuerentia eam obseruaret; proinde referebat illam, de Italicis maximè rebus Imperij consulere, & quæ Pontificis mens erat ad exigendos Nortmannos implorare. Sed præcipue, vt quidam tradunt, de Gerardo Florentino sibi successore legendo, consensum Augustæ requirebat. Nam quia non diu producturus vitam videbatur, nec nesciebat futuros, qui discessione facta, scissuri erant Ecclesiam, hac prouidentia maturè cautum voluit. Id propter edita etiam Constitutione, omni Clero, Populoque Romano consentientibus, districtè præcepit, ne, si quid sibi humani contigisset, ante reditum Hildebrandi, quem hac de causa ablegauerat, quicquam circa Pontificis electionem attentaretur, vacaretque Sedes Apostolica; vsque dum is reuersus, suo consilio eam ordinasset.

STEPHANI PAPÆ CONATVS IN NORTMANNOS.

His dispositis Florentiam profecturus ad Ducem Godefridum; quicquid auri argentique apud Cassinenses Monachos erat, ad se quamprimum, & quam secretissime afferri iubet, pollicitus breui longe maiori vi Monasterio id pensaturum. Animus erat, Godefrido in Imperium sublimato, inuisos sibi Nortmannos, auctoratis tanta pecunia militibus Italia pellere citiùs, quàm Henrici Regis ætas consilijs, & bellis gerendis adolesceret, cuius pueritia plerique dum matri non admodum obsequitur, abutebantur. Sed secus decretum erat apud eum, per quem Reges regnant, & qui Nortmannos magno Ecclesiæ Romanæ subsidio futuros, tum aduersus Saracenos, tum etiam aduersus Principes Schismaticos, illic sedes figere constituit, vnde quamcommodè adesse possent. Quare vt plerunque mortalium mentes diuini propositi ignaras Deus misericorditer anteuertit; ita modò Stephani Papæ conatus; quem, non reuelatione solum induxit, vt pœnitentia ductus, allatos Cassinenses thesauros intactos remitteret, & maioribus etiam donis augeret, verùm etiam ne quod animo præceperat, alijs vijs, effectui mancipare tentaret, intercepto vitæ cursu impediuit.

EIVS MORS.

Quippe Florentiam profectus paucis post diebus valetudine contracta, de æternis sedulo cogitare cœpit, ac tandem sacra confessione, & Eucharistico viatico præmunitus, superato prauo dæmone, qui morituro sæpius insultarat, inter manus Hugonis Cluniacensis, nono Pontificatus mense, spiritum Deo

reddidit vigesimanona Martij, *Dominica*. Describitur eius lucta in Actis, in A
Sur. ad 29. Mar tii. hæc verba, *Stephano Papa apud Florentiam decumbente, dum Hugo eum visitaturus accederet, eumque sanctis consolationibus, & oratione relaxaret; dæmon, qui morituro manifestus aduenerat, territus exijt; Sanctoque à Papa recedente, iterum rediit. Qua de causa, sæpius ad se Patrem Papa reuocauit: sæpiusque dæmonem reuocatus abegit, sicut ipse Pontifex præsentibus reuelauit: qui postmodum Sancti se precibus commendans, in eius manibus spiritum reddidit sancta confessione præmunitus.* Hæc ibi. *Sepultum Florentiæ digno honore, ad eiusque sacrum Corpus, interuenientibus meritis, plurima signa Christum ostendisse*, affirmat Leo Ostiensis.

Eius mortem illico rerum perturbatio excepit. Legati quippe Constantinopolim destinati, in ipso propemodum nauis conscensu moniti, non sine periculo à Normannis impendente, ad propria reuertuntur. Romæ omnia susque deque ferebantur, Cardinalibus Beneuentum se se proripientibus. Nam qui Sedi Apostolicæ inhiabant, siue Comites Tusculani, siue Gregorij Lateranenses, Ptolemæi item, & Crescentij, alijque ex potentioribus Vrbis, cùm & B
IOANNES E TVSCVLANIS COMITIBVS INTRVSVS PONTIFEX DICTVS BENEDICTVS X. Imperium, & Ecclesia Principe vacaret, spreta Stephani constitutione, in quam paulo ante conspirarant, nec expectato reditu Hildebrandi, armis & vi publica noctu inuadunt Ecclesiam, & suæ factionis hominem Deo odibilem, Ioannem Velitrensem Episcopum, Tusculani Comitis filium, postea Mincium cognominatum, intrudunt, Benedicti nomine illi imposito; & reliquis diffugientibus, Ostiensis Ecclesiæ Archipresbyterum, ad illum consecrandum, & coronandum rapiunt, violenterque pertrahunt. C

Ast quibus mens sanior, interim ad Regem latenter mittunt, fidem quam patri dixissent, filio quoque seruare se testati, proinde nec vacanti Romanæ Ecclesiæ Pontificem designasse, regiam super ea sententiam expectantes; oraréque sedulo, vt quem idoneum ipse iudicaret, continuò mitteret nullo præiudicio capto, si quis interea vsurpasset, non per ostium, sed aliunde ingressus
Ad hunc ann. SVCCEDIT STEPHANO PAPA NICOLAVS II. ouile. *Rex habita*, inquit Lambertus, *cum primoribus deliberatione, Gerardum Florentinum Episcopum, in quem, & Romanorum, & Teutonicorum studia consenserant, Pontificem designat, Romamque per Godefridum Marchionem transmittit*. Ita reprobato Benedicto, Gerardus Allobrox cognomine Burgundio, qui Nicolaus Secundus dictus, habito Senis Comitio, (nam Benedictus Romæ tumultuabat) Pontificatum obtinuit. Benedictus tamen non antea cessit, quàm à Nicolao contra se Sutrij Concilium coactum intellexit, vt in loco dicemus. D

Hoc eodem anno Casimirus ille ex Duce Monachus, ex Monacho Rex Poloniæ effectus, de quo in loco diximus, decimooctauo Regni anno, diem
CASIMIRVS REX POLONIÆ MORITVR. clausit extremum, vigesimaoctaua Nouembris, *in Sabbato*: magno certè suis desiderio relicto, vt qui, & collapsum Regnum penitus instituisset, & Ecclesiam Polonicam mirum in modum illustrasset. Vno duntaxat mense graui morbo colluctatus, vbi finem vitæ adesse sensit, liberos Boleslaum, Vvladislaum, Miesconem, & filiam Suentochnam, (Ottho siquidem, puer admodum viuo patre decessit) Proceribus primùm commendauit, deinde Sacramentis E
Lib. 4. de reb. Pol. in Casim. ritè procuratus, religiosè tranquilloque animo migrauit. *Primus quidem inter Reges Poloniæ*, inquit Chromerus, *literis mediocriter eruditus*: sed inde præcipuam laudem magno apud omnes Principum exemplo meritus, quòd *in Pupillas, & Viduas clemens esset, & beneficus: in Ecclesiasticos imprimis propenso animo,*

A *erga omnes comis, lenis, & benignus; denique in omnibus rebus agendis Dei timorem maximè ob oculos habere solitus.* Mortem eius Cometen portendisse idem affirmat Chromerus: sed is Regno Hungariæ potius fuerit ominosus, quando mortuo Casimiro pacis amantissimo, apud Boleslaum filium successorem, omnia poterat Bela frater Regis Andreæ, nullo post hac retinaculo in bellum erupturus, liber ab omni metu Regis Henrici, quocum puero, puer Salomon puerilia tractabat, & de cuius tutela matri subtrahenda, Germaniæ Principes disceptantes, Hungaricæ expeditioni minus intentos callidè præsenserat.

Quæ dum de Casimiro scribimus, commodè se ingerit alterius Casimiri, qui hac ipsa hora inopinus in Vrbe adest, memoria, Iagellonij nimirum Sigismundi Tertij Regis Poloniæ, & Suetiæ ex Constantia Ferdinandi Secundi Imperatoris sorore nati, & Ladislai Quarti, qui patri successit, fratris; altiori consilio permutata vice sortem illius generosè pensantis. Nempe ille ex Monasterio ad Regnum abstractus, & mundo illigatus, innocentem licèt vitam, periculis tamen, & procellis iactatam, longe à portu duxit: Hic Regno, & seculi vinculo expeditus, Deoque soli, cui seruire, regnare esse probe intellexit, adhærens, tranquillam Religionis stationem elegit. Raro sane his temporibus exemplo, quibus mundus mortales cupiendi malignitate onerauit. (B) CASIMIRVS IAGELLONIVS LADISLAI IV. REGIS POLONIÆ FRATER FIT RELIGIOSVS SOCIETATIS IESV.

C Sed enim religiosa Polonia, tametsi quod Religioni debebat, in longum tempus, hoc est in annum supra sex secula tertium reposuerit, semel tamen hoc tempore rependit, ne nunquam soluendo esset.

Res Orientales non vnam rerum mutationem offerunt. Imprimis Michael Cerularius Patriarcha Constantinopolitanus, Imperatoris necessitudine nimiũ abusus, vt pote cui interdum si morem non gessisset, Imperij amisionem tumide minaretur, hoc vulgare ac tritum in ipsum iactans: *Ego te condidi furne, & ego te deijciam:* præter omnium opinionem magna cum ignominia, in ipso die festo Archangelorum, cùm solemniter sederet, e throno deripitur, & mulo impositus in exilium ad Proconeum, cum omnibus suis necessarijs relegatur, Constantino Lichude Protouestiario in munus subrogato. Ita sanè *quod contra alium per culpam stultè geritur, in agentis pœnam mirabiliter ordinatur.* In exilio dum se sponte abdicaturum simulat, an syncere adstruit, ne Concilio aduersum se coacto ad id cogatur, haud fidem præstantibus, qui hominis ingenium nouissent, mœrore animi extinguitur. Familiares calente adhuc cadauere dexteram manum in crucis figuram, gestu benedicentis conformantes, cum ita firma permansisset rigore subsecuto, miraculum inclamare, & populum accurrentem, attoniteque spectantem, religione concitare. Qua etiam Imperator ipse, suique temere perculsi, funus honorifice deducendum, & in suo Monasterio condendum curant. Scilicet huiusmodi sunt miracula Schismaticorum, dolo & arte composita, sed quæ vel pueri cauti deprehendant: Ecquis enim ignorat defuncti modò hominis membra adhuc calentia, quamcunque formam, & situm recipere, eandemque, obrigescentia sine flexu seruare? (D, E) MICHAEL CERVLARIVS PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANVS IGNOMINIOSE RELEGATVR. EIVSDEM MORS, ET FICTVM MIRACVLVM.

Indict. 12.	IESV CHRISTI ANNVS 1059.	NICOLAI PAP. II. ANNVS 1.	ISACII COMN. IMP. 2. HENRICI IV. REG. GER. 2. ANDREÆ REG. HVNG. 13.

BOLESLAVS REX POLONIÆ IN HVNGAROS BELLVM INSTITVIT. *Chrom. lib. 4. de reb. Pol. in Boleslao.*

Boleslaus Rex Poloniæ, Belæ exulis, & vxoris amitæ suæ precibus fatigatus, & perfugientium ad eos Hungarorum multitudine, clandestinisque nonnullorum Procerum, fidem, & studia sua Belæ deferentium, legationibus B motus; neque prætermittendam sibi tam luculentam gloriæ comparandæ occasionē ratus, reducere propinquos instituit. Neque ista clam Andrea Rege fiebant, qui idcirco ad Henricum Regem missa festina Legatione, vt soceri, cognatique Salomonis partes suscipiat acriter instat, alioqui rem in acie nouaculæ fore, & Regnum Salomoni extortum, non ipsi solum, & sorori, sed toti familiæ, & Imperio Germanico probro versum iri, quando ipse neglexisset gloriam, quam pater Henricus haud tanta necessitudine Petro Regi deuinctus, eo in Regnum restituto, non semel vindicasset. Agi nunc non de restituendo, sed de conseruando ei Regno, qui consensu Rex institutus, & coronatus C esset: faciliusque longe seruari parta, quàm amissa recuperari. Hæc ipse ad Henricum Regem.

ANDREÆ LEGATIO AD HENRICVM IV.

ITEM AD VVRATISLAVM BOHEMIÆ PRINCIPEM.

Nec dissimilia nunciat Vvratislao Bohemorum Principi, qui quondam fratris Spitignei maioris natu, acerbum, & impotentem dominatum metuens, relicta vxore in Hungariam ad Andream Regem profugerat: Vxore deinde mortua alteram Andreæ Regis filiam, exul duxerat. Id cùm comperisset Spitigneus, veritus ne ille soceri auxilio fretus bellum sibi inferret, vltro eum reuocarat; nec multo post supremum vitæ diem claudens, ei in ordine fratrum maiori Bohemiæ Principatum reliquerat. Hac ergo necessitudine ad bellum inuitat Vyratislaum, isque vltro se socium offert; tametsi non minus debere videretur Boleslao, cuius sororem Suentochnam, seu Suatanam, defuncta nuper filia Regis D Andreæ, tertiam vxorem habebat: sed præualuit ex hospitali beneficio ducta affinitas arctatæ legibus cognationi, quæ nimirum ex bello sedato, quod nuper Vvratislaus cum Boleslao infensè gerebat, orta est, nec adeo tenaciter coaluit.

BENEDICTVS X. PSEVDOPAPA SEDEM RELINQVIT.

Dum hæc vltra montes geruntur, Nicolaus Papa antequam Senis in Vrbem se inferret, habito Sutrij Concilio, causam Velitrensis, seu Mincij, qui nuper intrusus Benedictus Decimus audiebat, cognoscit. Id cùm is intellexisset, E remordente conscientia, Sedem, quam inuaserat, relinquit, & in domum propriam abit. Quod vbi innotuit Nicolao, Romam pergexit, & digno exceptus honore à Cardinalibus, de more in Apostolica Sede positus est. Paucis post diebus abiectum ad pedes Mincium audiuit, qui periurium, & inuasionis crimen confessus, sed vim sibi factam prætexens, à censura absolutus, communionique restitutus, Episcopi tamen, & Sacerdotis officio priuatus, ad S. Mariam Maiorem manere permissus est. Alij Velitras relegatum, & hìc tandem vita functum tradunt.

Post hæc in Apuliam concedens, à Nortmannis bona Ecclesiæ violenter oc-

cupata,

A cupata, vltro restituentibus recipit, eosque ab excommunicatione absolutos, præstito Romanæ Ecclesiæ fidelitatis iuramento, in fidem admittit. Et quia eorum opera valde opportuna erat, ad potentiores quosdam, Ecclesiæ bona, & iura violenter vsurpantes, comprimendos; præter Beneuentum, totam eis Apuliam, & Calabriam concedit, neque solum, sed Richardo Capuanum Principatum, Roberto Guiscardo Apuliæ, Calabriæ, atque Siciliæ Ducatum confirmat, *accepta prius cum iterato sacramento Romanæ Ecclesiæ fidelitate, censuque quotannis per iuga boum singula, denarijs duodecim*. Extat in Vaticano Codice, qui *Liber Censuum* inscribitur, iteratum iuramentum Roberti, tum de NICOLAVS II. APVLIAM, ET CALABRIAM NORTMANNIS CONCEDIT. Leo Ostien. lib. 3 cap. 12. & 15.

B dicta pensione persoluenda, tum de Fide præstita, quod *Fidelitatis* dici consueuit. Vtriusque idem initium: *Ego Robertus Dei gratia, & sancti Petri Dux Apuliæ, & Calabriæ, & vtroque subueniente futurus Siciliæ*. Reliqua describit Baronius. Sicut autem fidentia quadam animi addidit, *Vtroque subueniente*, Deo scilicet, & sancto Petro, *futurus Siciliæ*, nempe Dux; ita euenit: præuia siquidem pietate, ipse magna ex parte, posteri autem tota potiti sunt Sicilia. Verùm ad res Hungaricas reflectamus.

Vulgata pridem belli inter Andream Regem, & Belam fratrem fama, multos Christianorum Principes suspensos habuit; & vt res nouæ curiosè audiun-

C tur, ita, etiam quorum non prope interest, ad se tamen pertinere arbitrantur, quicquid mutationes Regnorum afferre possunt, siue pacis, siue alterius commodi, & fortunarum causa. Itaque adulto iam vere Boleslaus Rex Belam in comitatu suo ducens, tribus agminibus Hungariam ingreditur; venientibus adiungunt se complures Hungari, non ampliùs occulta defectione, & quartum agmen conficiunt. Nec segniùs Andreas Rex, magnis Hungarorum copijs, sed maioribus Germanorum Bohemorumque auxilijs auctus, hosti aduentanti occurrit, prope limites Regni si possit bellum confecturus. Cum Germanis venisse Salomonem, quidam non rectè opinantur, neque enim Agneti BOLESLAVS REX POLONIÆ HVNGARIAM INVADIT.

D Augustæ, & Principibus, qui Henrico Regi assistebant, visum est tam præsenti obijcere discrimini Regem, e cuius salute res Hungarica spe, & fortuna certiore pendebant: Et Regi Henrico, Regis cognati eiusdemque pueri societas multum gratiæ addebat ad res pro ætate tractandas, vt nusquam à se abesse pateretur, magno in tempore emolumento futurum, cùm ad Imperium ventum esset.

Itaque duabus Germanorum legionibus instructissimis, duo itidem dati sunt præclari nominis Duces, Guglielmus, & Pothus, Hungaris Botho, à quo deinde ducta familia. Bohemis Vratislaus ipse Princeps præerat, siue vt alij Al. Poth.

E tradunt, Conradus frater Marchio Morauiæ; nisi probabiliùs vterque; Hungaris Rex Andreas, totique exercitui summo imperio. His viribus fretus, ad Tibiscum, qui e Sarmaticis montibus ortus in Danubium influit, progreditur, & transmisso amne acies instruit. Concurritur infestis signis, & primi Germani contento impetu confertissimam cruentissimamque pugnam edunt. Nec minori audacia, maiori etiam robore Poloni, socijque Hungari, excipiunt, & repellunt, nulloque casso ictu sternunt vicissimque sternuntur. Aliquot horis dubio marte, & incerto euentu pugnatum est. Ad extremum cedentibus loco Andreæ copijs, Germanorum quoque, & Bohemorum acies nonnihil inclinant. Sed Hungaris, qui cum Andrea erant, premi suos conspicatis, BELLVM COMMITTITVR INTER ANDREAM REGEM, ET BELAM.

BELA VICTOR EVADIT.

& ad partes Belæ transeuntibus, redintegrata à tergo pugna, victoriam huic A proditione attulit, copijs Andreæ, aut cæsis, aut cedentibus. Quos cùm palantes dilabi conspexisset, seque à suis desertum, & proditum certiùs animaduertisset, animo consternatus, retortis habenis in fugam se dedit.

Cecidere vtrinque non pauci, sed præter cæsos ex parte Andreæ, capti quamplurimi, & in his Vvratislaus Princeps, & Germanorum Duces Gulielmus, & Pothus, qui ad Belam ducti, quamprimum honorificè sunt dimissi: Vvratislaum, nisi potius Conradum fratrem, inscio Bela excæcatum à Boleslao plerique tradunt. Andream longius in Austriam fugientem, insecuti summa pernicitate desertores, ad portas Musim comprehendunt, & in sylvam Baconiensem abducunt; vbi aut male habitus, aut potius neglectus, non superuixit. Meminit huius loci Antoninus in Itinerario, sed *Limusam* vocat, quòd in lubrico solo, & limoso non procul à Danubio abesset. Eam vocem Hungari rerum in Pannonijs potiti, prima truncata syllaba *Musum* pronunciarunt, & locum non solum oppidi frequentia, verùm etiam Comitatus, seu Præfecturæ iure, & honore celebrem, adeoque inter quinque & septuaginta Præfecturas decimamquintam, *Musoniensem Comitatum*, siue *portam Musun* appellarunt. In quo Metropolis quondam, & Præsidis Hungariæ Sedes Musenburgum ad primum lapidem ab Altenburgo, quod Hungaris interpretatione C Altenburgi in suam linguam traducta, *O Var* dicitur, posita, bellorum iniuria, ac tempestatibus, solo æquata, paruo admodum Templo paucisque casulis reliquis, sacrosanctæ vetustatis argumenta, superiori adhuc seculo obijciebat.

ANDREÆ REGIS INTERITVS.

At hìc mirare lector occulta Dei iudicia, eo in loco Regem Andream captiuatum, vnde Legatus eius aliquot abhinc annis Petrum Regem dolo extraxit, sub prætextu nimirum pacis cum honore, sed re uera vinctum ad Andream, & ludo deducendum. Is plane *Musun* erat, ob stagnantes aquas alioqui, & limum, inaccessibilis, & inexpugnabilis, nisi fraus, & dolus malus penetrassent. Ita Bela frater rependit Andreæ, quod is intulerat Petro, D similemque noxam par pœna secuta est.

Lazius lib. 12. de Rep. cap. 6.

Porro quod in sylua Baconiensi, ad Crucem suam, quæ Thurozio *Stirem*, Bonfinio *Sterzia*, diem obijsse dicitur, fortasse quis existimet *Styram* esse, vetustum, & amplum illud Austriæ Superioris oppidum, à Styris, qui olim Romanis *Taurisci*, conditum, vnde Comites, & deinde Marchiones Styrenses originem duxerunt. At hæc longe remotior est, ac prorsus in aduersum porrigitur via, quàm vt ad Baconiensem siluam rectè, & compendio, quod Hungari tali præda potiti sectabantur, deduceret. Crucem proinde suam locum E tituli verisimiliùs opinabimur, quem ipse prærogatiua Crucigerorum Ordinis equestris à sancto Stephano fundati commendatum habebat, aut etiam regio iure, sed Ordinis, cui præerat, titulo possidebat. Hoc igitur loco Cruci suæ debito, quem *Sterziam* dixerunt, diem clausisse extremum Regem Andream, hactenus testatum est.

CRVX VBI OBIIT ANDREAS REX. QVISNAM LOCVS SIT.

Secunda p. Chr. cap. 44. Dec. 2. lib. 2. in fin. Strabo lib. 7.

Piè verò obijsse, persuadet, non solum vis morbi, quæ sicut imbelle corpus ab aliquot annis exercebat, ita animum extremis intentum habebat; sed præsentissima fortunæ commutatio, quæ dubio procul eruditæ tot suis alienisque periculis menti repræsentabat, nihil esse sub Sole vel nouum, vel non cadu-

A caducum, & cuius diuturnam constantiam sibi quispiam promittere ausit; eoque certius, si incertæ belli aleæ, quemadmodum fecit Andreas, rerum, Regni, salutisque sui summam subijcere non dubitarit. Nec ambigimus hac felicitatis humanæ iactura, cum salutari pœnitudine coniuncta, satis pensatam adepti simulatione perfidiæ Regni noxam, emendato præsertim restituta Religione damno, & maiori etiam studio cumulanda sanctitate, si diutius viuere, & regnare licuisset. Ea de causa, & memoria eius inter bonos Reges censetur, & leges, quas condidit, sanctè ab Hungaris seruantur; quamquam nonnisi paucas initio de Christianitate restituenda, & seruanda instituerit, easque
B capitales esse iusserit; deinde tamen vnico Decreto, quicquid Stephanus sanctus lege præcepisset, ipse quoque districta sanctione seruari voluit, hac vna æquans, quicquid duodecim annis quibus regnauit, constituere potuisset.

Pietatem eius maximè commendat, singularis erga Cælites cultus, & præcipua in Principes Apostolorum religio, quorum solemnia triduano ieiunio, vt diximus, voluit ab vniuersis præueniri, stricta prorsus illa obseruatione, quæ non lacticinijs solum interdicit, sed & siceræ parcissimum vsum permittit. Priuato demum studio, mira eius diligentia spectata est in Diuum Anianum, cui ea de causa, quam superius memorauimus, & Templum condidit, PIETAS ANDREÆ.
C & Sacerdotes addidit munificè habitos. Quo exemplo Henricum Tertium Imperatorem, tunc hostem, ad æmulationem prouocauit; vt quemadmodum ipse Aniano, ob liberatum obsidione Posonium, ita Henricus Diuæ Virgini, ob primam de Hungaris victoriam Haymburgi Austriæ, sed in ipsis finibus Hungariæ, Ædem dicarit, & Præpositura titulo Canonicorum Regularium nuncuparit. Scilicet haud satis videbatur, oppidum ipsum præsidio militari instruere, nisi etiam religione certando muniuisset. Stetit tamen Aniani monumentum multo tempore postquam ea Præpositura in ruinas subsedisset, solo diplomate priuilegij relicto, quod inter alia Henrici pietatis monumenta
D superesset. Eius initium huiusmodi est. *Scimus atque perfecte cognoscimus, sublimationem Ecclesiarum, profectum parere animarum. Quia dum terrenis calestia, temporalibus sempiterna comparamus, calestem ac sempiternam requiem animabus nostris praparamus.* Reliqua exhibet Lazius; quo pacto spe cælestium inductus Henricus, pro remedio suæ, coniugis Agnetis, & Henrici recens nati prolis, denique pro salute Regni, adeoque pro pace cum Hungaris stabilienda transegerit. *Lib 12. de Rep. cap. 6.*

Porro quod ad defuncti Andreæ Regis honores spectat, nihil prætermisit Bela, quo minus regio cultu, & more funus duceretur, & ipse pompæ adesset. FVNVS ANDREÆ REGIS A BELA REGIO CVLTV DVCTVM.
E Ita redditum officium Andreæ, quod ipse Petro præstiterat; exprobrante tacitè humanarum rerum ludum, conscientia: *Honorare extinctum, quem honore deieceris*. Deductum itaque cadauer, longo non minus itinere, quàm ordine funereo, in Æde, quam diximus Aniani, media propemodum Balatonis Insula, præcipuo loco depositum est, mixtaque per dies aliquot supplicationibus de more parentalia.

Hæc si Occidens, non dissimilia spectacula edidit Oriens in Isacio Comneno Imperatore in humilium ordinem redacto. Is enim ob Imperatoriam potestatem iniuria sibi vendicatam, vltione diuina exagitatus, sponte deposita purpura, monasticum induit habitum, & in Monasterio Studij, Monachis ISACIVS COMNENVS IMPERIVM DEPONIT, ET FIT MONACHVS.

seruiens, hic reliquum vitæ exegit. Ita nempe fastosum hominem, equo A deiectum, cæleste fulmen erudiuit, vt attonito, & spumas ore edenti, hoc tantum mentis reliquerit, quo præteritorum facinorum, abdicato Imperio, pœnitentiam ex animo agendam discerneret. Et sanè amplexus est eam perlibenter, sceptro non vlli ex consanguineis, aut affinibus, sed Constantino Ducæ, quem notæ virtutes commendabant, relicto, ac tum Æcatherina Augusta consilium adiuuante, vt quæ pro terrarum Imperij amissione, cælestis Regni æterna gaudia promitteret. In habitu monastico eò humilitatis, & obedientiæ descendit, vt & ianitor esset, & propter insignem animi æquitatem, & modestiam, ministeria quæuis etiam abiecta obiret. B

At dum Isacius Comnenus Imperium Ducæ traditum, deponit, humanarum rerum vicissitudine Bela Regnum Hungariæ fratris interitu comparatum suscipit, & vix parentalibus expletis, à pompa funeris, ad solennia Coronationis Albam contendit, non diu & ipse regnaturus, nec minora mundanæ inconstantiæ exempla relicturus. Quæ nobis Deo fauente, sequentis Tomi initium dabunt, longe vberioris argumenti copia texendi, fontibus nimirum, quorum scaturigines hactenus indagatu difficiles fuerunt, in patentissima flumina, & propemodum maria explicatis; vt iam non velut ex litore, & inter scopulos dubius ad raram capturam iaciendus sit hamus, sed ducendo in altum sæpiùs in tanta vastitate laxandum rete, colligendis rebus Hungaricæ C Religionis paratum.

Hoc autem dum conamur, in hoc primo Tomo vtcunque licèt completo, adhuc tamen Pauli Apostoli exemplo, velut in litore positis genibus oramus, Vt qui dedit velle, det etiam perficere: ijs verò, quorum causa potissimum laboramus, retractata secum Maiorum suorum religione, concedat iuxta litus tranquille sedere ad delectum eorum, quæ non scisso rete, ex sanctæ Hungariæ cum Romana Ecclesia consensu, producimus, & velut ex mari protrahimus. Ita enim fiet, vt non solum ij, qui à pristina sanctitate defecerunt, *Sanctorum filij* ad stirpem suam respiciant, nec pudore suffusi, sero se steriles infrugiferosque palmites, à viuæ Fidei vitæ abscissos deplorent; verùm etiam, qui à D Fide Catholica deuij sunt, auitæ illius Religionis, in qua tot sidera pietatis effulserunt desertores, in viam salutis redeant, non aliàs vnquam sibi Hungariæque suæ felicitati consulturi, quàm si peregrinis doctrinis, & erroribus se se expedientes, cum Romana Ecclesia consentiant, eaque magistra veram ac genuinam doctrinæ Christi interpretationem sanis auribus, & mentibus capessant. Faueat vtinam votis Deus, intercessione Matris Virginis Hungariæ Patronæ, ceterorumque Sanctorum, quos Hungaria pace & acie dedit, velut E cælestis ager lilia & rosas.

TOMI I. ANNALIVM ECCLESIASTICORVM
REGNI HVNGARIÆ
FINIS.

APPENDIX

Ex Additionibus, & Correctionibus.

PAg. 282. D. *Post illa verba*, Ducem Sclauonicum honorificè appellat; *Adde*: Henricus Rex partum Sororis Stephano gratulatus, Legatos & munera misit: Quos reuertentes comitat sunt Stephani & Gyselæ legati, ea etiam de causa, vt Brunonis fratris instanter id requirentis, cum Henrico Rege reconciliationem, sua intercessione promouerent. Neque id frustra, Henrici pietate votis Sororis & Cognati obsecundante.

Pag. 299. E. S. Colomannus natione Scotus. *Adde*: Alijs Hibernus.

Pag. 304. E. *Post illa verba*, Abbati Cluniacensi dono misisse; *Adde*. Quamuis Glaber, non hanc Coronam, sed globum aureum priùs à Pontifice Henrico datum, Odiloni donatum videatur dicere.

Pag. 325. E. Agunt de his Leo Ostiensis, Glaber, & alij. *Adde*. Excitatam Henrici pietatem ad tot Ecclesias fundandas, tradunt quidam ab Hilario Hungarorum Episcopo, ingentium prodigiorum Viro, de quo loquuntur tabulæ Monasterij Virginum Neoburgi. Is non alius est ab Anastasio Colocensi, cuius fama sanctitatis motus Henricus, interdum Stephani Regis gratia, eum euocauit, & in arduis consuluit. Eundem honoris causa interesse voluit Cōcilio Francofurdensi, & fundationi Bambergensis Ecclesiæ à Romano Pontifice probatæ, cū reliquis Episcopis subscribere: quemadmodū dicimus *pag.* 369. C. Vt autem aliquando Astricus, deinde Anastasius; ita alia nomina ex euentu magnarum rerum, quas operatus est, accepit. Is vero idem ipse est, qui ante alios Henrico Monasterium meditanti, satius esse consuluit, in Imperio quod diuinitus suscepisset, religiosum gerere animum, quàm eo deposito Rempublicam vulnerare.

Pag. 353. D. Hoc eodem anno videtur signandus. *Lege*: Videtur quibusdam signandus.

Pag. 354. B. Obijt plenus meritis, *vsque*, audaciam obrepsisse. *Dele, & lege*: Iuxta ea quæ dicimus *pag.* 382. à *lit. B.*. quæ ex manuscriptis & verioribus & antiquioribus deprompta sunt.

Pag. 364. E. Absentem per destinatos viros monent. *Adde*: Cùm præsertim ex multorum sententia, Stephanus etiamnum viuus eum designasset firmandi Regni causa, exclusis etiā fratris filijs, & vt Gyselæ superstitis, eam quæ par esset rationem haberet, vt quæ Hungariæ Regina, & de Regno quàm optime esset merita.

Pag. 366. B. Omnia iura miscebat. *Adde*: Ex his Budo dies noctesq; nefaris consilijs, Regis aures obsidebat; vt quamuis de Gysela honoranda, aurea omnia pollicitus fuisset, paucis tamen lapsis mensibus, fide & cura posita, ex tutore factus sit prædo; nec solùm cultum ei à Rege Stephano relictum, verum etiam subsidia vitæ, miseræ abstulerit, & liberæ custodiæ angustijs circumscriptam, non satis habuit arcere publico, nisi etiam familiarium congressu & alloquio exclusisset. Proceres indignam Reginæ sortem miserati, Regem officij sui, da-

tæque

tæque fidei admonuere; qua lege Regnum accepiſſet, quodue ipſi Sacramentum ei dixiſſent, repetere animo iubentes; Gyſelæ ſat ærumnarum eſſe ipſam viduitatem; ea afflicta, tutelam Regni euerti, eademque manu Regis dignitatem exſcindi. Surdum ad hæc, cùm idem Budo Regem feciſſet, impetu ad necem raptatus, Rege hiſcere non auſo, fruſtiliatim conciſus eſt, liberis verò eius oculi excluſi.

Ibidem; D. Vitam eximia cum ſanctitate memorandā traduxit. *Adde*. Sunt qui non hoc anno 1039. eam emigraſſe ex Pannonia velint, ſed quadriennio poſt, nempe 1043. cum Henrico Rege, ne inconſtantia Petri, quem is reſtituiſſet, priora experiri cogeretur.

Cum eadem, niſi pridem ante, veriſimile eſt migraſſe etiam coniugē S. Emerici Virginem; ac deinde in profeſſione monaſtica vitam duxiſſe immarceſcibili corona dignam. Id tradit Stephanus Luſignanus *Corona* 4. C. 15. & in Genealogia Regnum Hungariæ: In quo tamen Monaſterio profeſſa fuerit; incertum eſt Arnoldo Vvioni lib. 4. Ligni Vitæ. cap. 16. Cum Gyſela ſocrum manſiſſe multa ſuadent.

Ibid. *Poſt illa verba*, Sequentia ſecula non ſunt experta, *Adde*: Ceterū turpiter hallucinantur, qui quod Gyſela Conradi Regis coniux operata eſt, huic Gyſelæ adſcribunt: quaſi Brunonem Auguſtanum Epiſcopum, ſuum & Henrici Imperatoris fratrem, callidis conſilijs induxiſſet, ad euertendum, Henrico iam mortuo Epiſcopatum Bambergenſem, eiuſque bona Emerico Gyſelæ filio iure hæreditario tranſcribenda. Longe id fuiſſe ab inſtituto tam religioſæ Reginæ, niſi hiſtoriæ de Gyſela Conradi Regis Succeſſoris coniuge loquerentur, argumento eſt, vel Sanctiſſimus filius Emericus, qui ſi vixiſſet, tam opulenti Regni hæres futurus, vnius Epiſcopatus fortunas non præoptaſſet. De hac re quia pluribus agimus in Hiſtoria Sancti Henrici ſeparatim edita; hìc tantum inſinuaſſe ſufficiat.


Pag. 384. E. *Poſt illa verba*. Præfectum dici poſſe. *Adde*: Scribit non nemo Petrum haſtam auream, Regum, inſigne, Henrico in manus dediſſe, redditamque confirmato regnandi iure recepiſſe; vt hoc ritu, cuius beneficio regnaret, palam fieret. Ceterùm, id non commodè hoc loco factum dicitur, quod oportuit, cū primùm reſtitutus eſt; quo tempore nihil huiuſcemodi exhibitū, vt liquet ex dictis *pag.* 378. B. Haſtam id genus, *ſigniferam* vocat Dithmarus: hoc eſt Vexillum; quo ritu Henricus Secundus Henricum Moſellanum Kunegundis coniugis ſuæ fratrem, dato in manus Vexillo, Boicæ gentis Ducem inaugurauit.

Pag. 417. E. Ex more caneretur. *Lege*: Ex more illius temporis. (Nam ab aliquot ſeculis, mos coronandi Reges, illum ritum non ſeruat; vt patet ex Pontificali: & nos meminimus in Præfatione ad Lectorem.)



INDEX RERVM
MEMORABILIVM.

Numerus Romanus, Apparatus, & Chronici; Arabicus verò, Annalium folia designat.



A

C

tiios-

D

E

Eclypsis

petias

Lau-

in

M

N

Nort-

Q

R

Rec-

Eme-

T

Vven-

Z

FINIS.

Errata quæ irrepſerunt.

In Apparatu, & Chronico.

FOl. iij.C. ſentiſſe, *lege*, ſenſiſſe.
x.A lagellum, *lege*, Flagellum.
B. præſentia, *lege*, præſentiam.
xij.C. Secudæ, *lege*, Secundæ.
xiv.B. aduerſas, *lege*, aduerſos.
xx.B. reuulſis, *lege*, reuolutis.
xxvij.A. hærnſum, *lege*, hæreſum.
xxxix.D. nuptos, *lege*, nuptas.
xliv.C. tributa, *lege*, tributo.
laix.B. Mattirij, *lege*, Martyrij.
lxaviij.E feriſſet, *lege*, feciſſet.
lxxxiij.B. Sdridani, *lege*, Sdrinam.
cxij.B. Territorum, *lege*, Territorium.
cxvj.A. Erulorum, *lege*, Herulorum.
caij.B. lin.3.ibi, *feria quarta*, adde: Succedit Vigilius.
cxaiv.A, uſtinus, *lege*, Iuſtinus.
cxxaij.D. in fin. Bonon, *lege*, Bonoſi.
cxliij.A. CONSTANTINI VI. *dele*, VI.
B. Scceleſtiſſimus, *lege*, Sceleſtiſſimus.

In Annalibus.

FOl. 4.C. Carolam, *lege*, Carolum.
13.C. ſacra, *lege*, Sacra.
21.B. ieligione, *lege*, religione.
24.B. ex Hermanno, *lege*, ex Vvernero.
E. Hæc Hermannus, *lege*, Hec Vvernerus.
34 D. in marg. FVGENIVS, *lege*, EVGENIVS.
42.B. Tiherina, *lege*, Tiberina.
48.lin.vlt. ingiculos, *lege*, igniculos.
45.E. in marg. CAVSÆ, *lege*, CAVSA.
52.E. Pyrenæo: ſalto, *lege*, Pyrenæo ſaltu.
56.B ergo, *lege*, cigo.
66.D. Saluos, *lege*, Slauos.
77.A. fimium, *lege*, finium.
83.C. Pontifici; Legati, *lege*, Pontificij Legati.
88.C. Baſilli, *lege*, Baſilij.
95.D. ſodie, *lege*, hodie. &. proprietaris, *lege*, proprietatis
59.B. *conſeruanimus*, lege, *conſecrauimus*.
E. Neophythagoræus, *lege*, Neopythagoræos.
107.C. *venerro*, lege, *venero*.
109.C. Odonæ, *lege*, Odone.
115.D. adeo. Magiæ, *lege*, adeo Magiæ.
116.B. ſantiſſimum, *lege*, ſanctiſſimum.
127.D. Ioannem, *lege*, Ioannes.
132.C. fuerit, *lege*, fuerit.

145.B. Rubertum, *lege*, Robertum.
D. *perire*, lege, *periere*.
162.B. Stephanu, *lege*, Stephanus.
163.C. lin. 1. propter ea, quæ in Apparatu, *lege*, propter ea, quæ in Chronico. fol.lxxxx.E.
164.A. Siti, *lege*, ſiti.
168.E. Gothardum, *lege*, Gethardum.
C. *decertis*, lege, *decretis*.
171.B. *Atchiepiſcopus*, lege. *Archiepiſcopus*;
173.B. orpinandi, *lege*, ordinandi.
179.C. Magne, *lege*, Magoo.
180.A. Luitdolphus Othonis frater, *lege*, Luitdolphus Othonis filius.
183.D. ad annum octingenteſimum ſexageſimum, atque etiam ſeptuageſimum patet, *lege*, ad annum octingenteſimum ſeptuageſimum patet.
185.D. Giſelam Henrici, *lege*, Gyſelam ſororem Henrici.
187.C. Mediolanis, *lege*, Mediolani.
189.A *pootractetur*, lege, *pertractetur*.
190.B. *Romana*, lege, Romanæ.
194.lin. 1. ſuſpiciente, *lege*, ſuſcipiente.
D. dictnri, *lege*, dicturi.
197.B. Roma, *lege*, Romæ.
208 C. ſanctitatis, *lege*, ſanctitas,
216.D. Albertum, *lege*, Adalbertum.
221.C. monitus, *lege*, monitus.
225.D. Hungatos, *lege*, Hungaros.
237.C. in marg. PVRE, *lege*, PVER.
243.B. ſi,quod tradunt, *lege*, ſi, quod tradunt.
C. populis, *lege*, populos.
246.E. quibuſa, *lege*, quibus.
248.D. initum, *lege*, initium.
256.D. *conceſſimus*. lege, *conceſſimus*.
259.C. id gens. *lege*, id genus.
285 E. Catularium, *lege*, Cartularium.
303.A. Euangelius, *lege*, Euangelicis.
321.E. Rmanæ, *lege*, Romanæ.
326.D. granam, *lege*, gratiam.
329 D. ſanctitati, *lege*, ſanitati.
333.E. lin.antepenult.Dominica, *lege*, feria ſecunda:
336.C. Ioannis, *lege*, Ioanois.
352.E. illuceſcete, *lege*. illuceſcente.
379.A. Mamiaces, *lege*, Maniaces.
388.E. in marg. BELA, *lege*, ANDREAS.
408. vbi legitur, Arrianus, *lege*, Anianus.
415.D. Imperatis, *lege*, Imperatis.
418.D. ſerio vulcu, *lege*, ſerio vultu.
428.D. læſus, *lege*, læius.
435.A. STEPHANI PAP.II. *lege*, STEPHANI PAP. X.

R E G E S T V M.

✱ a b c d e f g h i k l m n.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo.

ã ẽ.

Omnes ſunt Terniones.



ROMAE, Typis Ludouici Grignani. MDCXLIV.
Menſe Ianuario.

SVPERIORVM PERMISSV.

